BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

Digitized by Google

I V-4
Digitized by Google

LUCÆ HOLSTENII
VATICANÆ BASILICÆ CANONICI
ET
BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI

CODEX REGULARUM
MONASTICARUM ET CANONICARUM

Quas
SS. Patres Monachis, Canonicis & Virginibus Sanctimonialibus
ſervandas præſcripſerunt.

Collectus olim à S. BENEDICTO Anianenſi Abbate:
Nunc autem
Auctus, amplificatus & in ſex Tomos diviſus.

TOMUS TERTIUS
REGULAS AC STATUTA
Recentiorum Ordinum & Congregationum,
quibus S. Eccleſia, Chriſti Sponſa, exornatur,

ADDITAMENTIS XI.
(quorum Elenchus folio ſequenti exhibetur)
comprehenſa
exhibens;
Obſervationibus critico - hiſtoricis
A

P. R. P. MARIANO BROCKIE
S. T. D. Priore ac Seniore Monaſterii S. Jacobi Scotorum Ratisbonæ
illuſtratus:
Eoque pie defuncto
Ab alio ejusdem Cœnobii, Nationis & Inſtituti Aſceta
Indice neceſſario
inſtructus.

TORINO

AUGUSTÆ VINDELICORUM
Sumptibus IGNATII ADAMI & FRANCISCI ANTONII VEITH Bibliopolarum.

ANNO MDCCLIX.

Digitized by Google

ELENCHUS

Additamentorum Tomi III.

Additamentum.		*Sæculum.*	*Pagina.*
XXII.	Regula Fratrum *Trinitariorum*, ſive *Fratrum Redemptionis Captivorum.*	XII.	1.
XXIII.	Conſtitutiones Ordinis *Vallis Caulium.*	XII.	11.
XXIV.	Regula *Carmelitarum.*	XIII.	18.
XXV.	Regulæ S. *Franciſci Aſſiſiatis:*	XIII.	21.
	I. *pro Patribus Minoribus.*		22.
	II. *pro Fratribus Minoribus.*		30.
	Sanctimonialium S. CLARÆ.		34.
	Tertiariorum, *ſive Fratrum* de Pœnitentia.		39.
XXVI.	Regula *Monachorum S. Hieronymi.*	XIV.	43.
XXVII.	Regulæ Ordinis Fratrum *Minimorum S. Franciſci de Paula:*	XV.	84.
	I. *Fratrum.*		85.
	II. *Sororum.*		91.
	III. *Utriusque Sexus Fidelium.*		96.
XXVIII.	Regula *Salvatoris*, ſive Conſtitutiones *S. Birgittæ.*	XIV.	100.
XXIX.	Regulæ *Societatis Jeſu.*	XVI.	121.
	Epiſtola S. Ignatii Loyolæ *de Virtute Obedientiæ.*		192.
XXX.	Conſtitutiones *Clericorum Regularium S. Majoli Papiæ*, Congregationis *Somaſchæ.*	XVI.	197.
XXXI.	Conſtitutiones *Urbanæ* Fratrum Ordinis *Minorum Conventualium S. Franciſci.*	XVII.	293.
XXXII.	Conſtitutiones *Fratrum* ſacri ac regalis Ordinis *B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.*	XIII.	433.

ADDIT. XXII.

ADDITAMENTUM XXII.

REGULA FRATRUM TRINITARIORUM, *SIVE* FRATRUM REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

OBSERVATIO CRITICA.

L*Abente Sæculô XII. circa annum MCXCVIII. exortus eſt novus Monachorum Ordo, qui mirandæ charitatis fervore excitati ad liberandos pauperes Chriſtianos à Saracenorum & Turcorum Captivitate omnes ſuos labores impendere voluerunt; unde meritò appellati ſunt* Fratres de Redemptione Captivorum; *aliquando etiam* Fratres Trinitarii *nominati, ob ſpecialem reverentiam Sanctiſſimæ Trinitati ab ipſis exhibitam, in cujus majorem honorem & gloriam, omnia Ordinis Monaſteria conſecrata ſunt. Hujus ſacri Ordinis primus Inſtitutor erat* Joannes de Matha *Vir doctus & Pius, à quo etiam & hi Fratres nuncupari ſolent* Mathurini, *præſertim apud Gallos, ubi ſacer Ordo exordium ſumpſit. Sanctiſſimus enim Inſtitutor apud Pariſios Presbyter ordinatus & laurea doctorali donatus, contemptis mundi honoribus in ſolitudinem ſeceſſit, atque cum* S. Felice de Valois, *regii Sanguinis Eremita piiſſimo, apud* Cervum Frigidum *vulgo* Cerf-Froid *in Territorio Meldenſi, primum Ordinis Fundamentum poſuit, divinitùs de cælo admonitus. Ut igitur ſupra nominati novi Ordinis Inſtitutores, obtinerent ſummi Eccleſiæ Paſtoris licentiam Romam iter aggrediuntur, ubi ab* Innocentio III. *nuper in Papam electo, liberaliter ſuſcepti, & approbationem Piiſſimi Inſtituti vera Chriſtiana Charitate prædititi acceperunt, & opimis muneribus cumulati in patriam reverſi ſunt, ubi apud prædictum* Cervum Frigidum *erexerunt primum Ordinis Monaſterium.*

Ad hoc igitur Cænobium concurrere cæperunt plurimi Viri pietate & charitate ferventes, quibus ſanctiſſimus Inſtitutor certas leges præſcripſit, quos in modum Regulæ Monaſticæ compoſuit, atque Fratres candido habitu, ſuperaddita Cruce rubri & azurei coloris veſtivit. Mandavit quoque ut quæcunque bona ex piorum eleemoſynis, aut quocunque alio licito modo acciperent, deinceps Ordinis Fratres trifariam diſtribuerent, ita ut una pars daretur illis, qui cultui Divino inſervirent, altera ad

Hoſpitio excipiendos pauperes Chriſtianos reponeretur, & tertia pars in Redemptionem ab Infidelibus *impenderetur. Hinc illorum Monachorum Domus, non Monaſteria vel Cœnobia, ſed* Hoſpitalia *&* Miniſteria *nuncupabantur, utpote ad ſuſcipiendos pauperes Hoſpitio & miniſtrandis redemptis captivis ordinatæ; quemadmodum & cujusque Domus Superior, ſolummodo Miniſter appellabatur.*

His ergò ordinatis mirum in modum ſacer Ordo crevit, quod ubique propagatus in omnibus Europæ Provinciis opima bona acquirere meruerit, atque in ipſo Scotiæ Regno, quaſi in ultima Thule *tredecim diſtincta* Miniſteria *poſſederit, prout ex Monaſterio Scotico inſtruimur, ſed ut ad prima bujus ſacri Ordinis fundamina redeamus, videtur ſanctiſſimum Inſtitutorem bis Romam acceſſiſſe, primo, circa An. MCXCVII. quando confirmationem Ordinis accepit, ſecundo, quando Regulam eidem ſummo Pontifici præſentavit, prout ex ſequenti* Innoceotii III. Papæ Bulla *omnino patet, ibidem enim dicitur, quod* ſanctus Joannes de Matha *à Pontifice remiſſus in Gallias iterum cum literis Epiſcopi Pariſienſis & Abbatis Victorini reverſus Romam approbationem Regulæ ſuſceperit. Et quidem bac ſecunda vice, ſummus Pontifex non ſolùm Regulam* Trinitariorum Fratrum *confirmavit, ſed iisdem opimum Cœnobium conceſſit, ubi & ipſe piiſſimus Inſtitutor tanquam* Supremus Ordinis Miniſter *ſanctiſſimam vitam duxit usque ad Annum MCCXIII. quo ad cæleſtia gaudia translatus eſt, jam dudum Faſtis Sanctorum inſcriptus. Sic enim ejus Epitaphium lapidi ſepulchrali inſculptum teſtatur:* Anno Incarnationis Dominicæ MCXCVII. Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ III. anno primo, XV. Kal. Januarii inſtitutus eſt nutù Dei Ordo Sanctiſſimæ Trinitaris à Fratre Joanne, ſub propria Regula, ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſa. Sepultus eſt idem Frater in hoc loco, anno MCCXIII. Decemb. XXI. *Cum igitur Fratres* Sanctiſſimæ Trinitatis, *ab exordio ſacri Ordinis ſecundùm propriæ Regulæ leges vixerint; ſic ballucinantur illi, qui inter Auguſtinianæ Regulæ Cultores eosdem numerant, quamvis fateri debeamus, illos divinum officium celebraſſe juxta morem celeberrimi Cœnobii* S. Victoris Pariſiis, *cujus Incolæ exſtabant Canonici Regulares S. Auguſtini, prout ex cap. 73. primariæ Regulæ omnino conſtat.*

Hanc quidem Regulam ab Innocentio III. Papa confirmatam, & inter ejusdem Pontificis Epiſtolas Tom. I. pag. 276. edidit clariſſimus Stephanus Baluzius, ſed nullis Capitulis diſtinctam, præmiſitque authenticam ejusdem Papæ doctiſſimi Bullam. Atque eandem Regulam tam Primariam *ac* Mitigatam *inter alias Regulas Monaſticas jam dudum divulgavit Proſper Stellartius, qui tamen Bullam Pontificiam proferre omiſit. Hinc ex utroque celeberrimo Auctore aliquid exſcribere lubuit, ex primo nimirum Epiſtolam ſive Bullam Pontificiam bic præmittimus, ac dein ipſam Regulam tam* Primariam, *quàm* Mitigatam *in duos diverſas columnas, juxta Capitum numeros exhibemus.*

Epiſtola Innocentii III Papæ, Joanni Miniſtro & Fratribus S. Trinitatis, quæ eſt CDLXXXI. inter ejusdem Pontificis Epiſtolas.

Operante divinæ diſpoſitionis Clementia in Sedis Apoſtolicæ ſpecula conſtituti, piis debemus affectibus ſuffragari, & eos, cùm à charitatis radice procedunt perducere ad effectum; præſertim ubi, quod quæritur, JESU Chriſti eſt, & privatæ communis utilitas antefertur. Sanè cùm tu, dilecte in Chriſto Fili Frater Joannes Miniſter, ad noſtram olim præſentiam acceſſiſſes, & propoſitum tuum, quod ex inſpiratione divina creditur proceſſiſſe, nobis humiliter ſignificare curaſſes, intentionem tuam poſtularis Apoſtolico munimine confirmari; nos ur deſiderium tuum fundatum in Chriſto, præter quem poni non poteſt ſtabile fundamentum, plenius noſceremus ad venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum & dilectum Filium Abbatem S. Victoris Pariſienſis cum noſtris te duximus literis remittendum, ut per eos, utpote qui deſiderium tuum perfectiùs noverant, de intentione tua & intentionis fructu ac inſtitutione Ordinis & vivendi modo inſtructi, aſſenſum noſtrum tibi poſſemus ſecuriùs & efficaciùs impertiri. Quia igitur, ſicut ex eorum literis cognovimus, evidenter Chriſti lucrum appetere videmini, plus quàm veſtrum, volentes ur Apoſtolicum vobis adſit prædium, Regulam juxtam quam vivere debeatis, cujus tenorem dicti Epiſcopus & Abbas ſuis nobis incluſam literis transmiſerunt, cum his, quæ de diſpoſitione noſtra & petitione tua Fili Miniſter duximus adjungenda, præſentium vobis & Succeſſoribus veſtris auctoritate concedimus, & illibata perpetuò manere ſancimus. Quorum tenorem, ut evidentius exprimatur, inferiùs juſſimus annotari.

REGULA
ORDINIS SSS. TRINITATIS
SEU
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

PRIMARIA.

1\. *IN Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Fratres Domut ſanctæ Trinitatis ſub obedientia Prælati Domus ſuæ (qui* Miniſter *vocabitur) in caſtitate & ſine proprio vivant.*

2\.

3. Omnes res undecumque licitè veniant, in tres partes dividantur æquales, & in quantum duæ partes ſufficiant, exequantur ex illis opera miſericordiæ cum ſui ipſorum & eis neceſſariò famulantium moderata ſuſtentatione.

4. Tertia verò pars reſervetur ad Redemptionem Captivorum, qui ſunt incarcerati pro fide Chriſti à Paganis : Vel dato pretio rationabili pro Redemptione ipſorum, vel pro Redemptione Paganorum Captivorum, ut poſtea rationabili commutatione & bona fide redimatur Chriſtianus pro Pagano : ſecundùm merita & ſtatum perſonarum.

5. Cùm verò pecunia data fuerit vel aliquid aliud, licet ſpecialiter & proprie detur ad aliquid, ſemper de conſenſu illius, qui dederit, tertia pars ſeparetur ; & aliter non recipiatur, exceptis territ, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris & hujusmodi.

6\.

7. Fructus enim inde exeuntes, deductis expenſis ſcilicet medietate remota

MITIGATA.

1\. IN Nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis, Fratres Domus Ordinis ſanctæ Trinitatis & Captivorum ſub obedientia Prælati Domus ſuæ (qui *Miniſter* vocabitur) in caſtitate ſine proprio vivant.

2\. Qui Fratres extra Domos ſuæ Profeſſionis mitti non valeant, niſi pro ſcandalis manifeſta pœnitentia indigentibus, & pro allevatione Domorum ſuarum : Et pro nova Domo ædificanda. Et in hoc caſu ſolo provideatur eis tanquam illius Domus Profeſſis.

3\. Omnes res undecumque veniant, in tres partes dividantur æquales, & in quantum duæ partes ſufficiant, exequantur ex illis opera miſericordiæ cum ſui ipſorum & eis neceſſariò famulantium moderata ſuſtentatione.

4\. Tertia verò pars reſervetur ad Redemptionem Captivorum, qui ſunt incarcerati pro fide Chriſti à Paganis : Vel dato pretio rationabili pro Redemptione ipſorum, vel pro Redemptione Paganorum Captivorum, ut poſtea rationabili commutatione & bona fide redimatur Chriſtianns à Pagano, ſecundùm merita & ſtatum perſonarum.

5\. Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licet ſpecialiter & propriè detur ad certum uſum : ſemper de conſenſu illius, qui dedit (ſi præſens fuerit) tertia pars ſeparetur ; niſi Donator per ſeipſum vel Procuratorem idoneum Fratrem vel alium, id in uſus Domus impendat.

6\. Si verò Donator abſens fuerit & ita commodè non poſſit ejus aſſenſus haberi, vel aliàs de ejus voluntate conſtare non poſſit, ut in hoc capi via melior, & tutior teneatur, rel datæ tertia pars ſeparetut, exceptis terris, pratis, nemoribus, vineis, nutriturls, ædificiis & ejusmodi.

7\. Fructus enim inde exeuntes deductis expenſis ſecundùm rationabiles æſtimatio-

PRIMARIA.

pro expenſis in tres partes dividentur æquales: Sed quæ paucas vel nullas recipiant expenſas, omnes dividantur.

8. *Cùm verò panni vel calceamenta vel minuta hujuſmodi, quibus neceſſè ſit uti, quæ vendi vel conſervari non expedit, data fuerint; vel à ſeipſis habuerint, non dividantur, niſi Miniſtro Domus & Fratribus viſum fuerit expedire. De quibus ſingulis Dominicis diebus, ſi fieri poteſt, in Capitulo deliberetur.*

9. *Si tamen prædicta, ut panni, terra, nutritura, ſive minuta venderentur, pretium inde proveniens in tres partes (ùt ſupra) dividatur.*

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17. *Omnes Eccleſiæ iſtius Ordinis intitulentur ſub Nomine SANCTÆ TRINITATIS, & ſint plani operis.*

18. *Fratres poſſint eſſe in una cohabitatione tres Clerici & tres Laici; &*

MITIGATA.

mationes Miniſtri, & Fratrum in tres partes dividantur æquales: Sed quæ paucas vel nullas recipiunt expenſas, omnes dividantur.

8. Cùm verò panni, vel calceamenta vel minuta hujuſmodi, quibus neceſſe ſit uti, quæ vendi vel conſervari non expedit, data fuerint, vel à ſeipſis habuerint, non dividantur, niſi Miniſtro Domus & Fratribus viſum fuerit expedire. De quibus ſingulis Dominicis diebus (ſi fieri poteſt) in Capitulo deliberetur.

9. Si tamen prædicta, ut panni, terræ, nutrituræ ſeu minuta venderentur, pretium inde proveniens in tres pattes (ut ſupra) dividatur.

10. De nemoribus autem, fœnis pratorum, ſtraminibus agriculturarum & fructibus arborum, hortorum, pecorum & aliarum rerum ad uſus neceſſarios licebit Fratribus accipere.

11. Si quid verò de prædictis vendi contigerit, vel de fructibus arborum potus fieri, tertia pars reddatur Captivis ſecundùm formam ſuperiùs annotatam.

12. Si Domus Dei, vel quæcumque alia à quovis licitè ſub quocunque nomine Fratribus conferatur, Donatoribus exponatur, qualiter de bonis ſuis tres debeant facere portiones: Et ſi Donator voluerit, res dividi, dividantur, & ſi non, non dividantur.

13. Quæ autem modò Fratribus collata ſunt, ſecundùm quod de voluntate Donatorum ea receperint, liceat eis de ipſis diſponere, & voluntatem Donatorum pro poſſe ſuo adimplere.

14. Fructus verò collectos de bonis poſtea acquiſitis, deductis expenſis, ſecundùm quod de aliis ſupra dictum eſt, dividere tenebuntur.

15. De illis, quæ in Eccleſia offeruntur vel alio modo apportantur, ut veſtimenta, panni ſericei, oblationes, & hujuſmodi, ipſi Eccleſiæ in ſuis neceſſariis ut libris, cera, oleo & aliis ejusdem ornamentis provideatur. Quod autem ſuperfuerit, dividatur.

16. Si Domus, terræ, poſſeſſiones, vel alia unde redditus proveniunt, vel conſervandis fructibus ſunt neceſſaria, calamitate aliqua vel caſu deſtruantur; liceat Fratribus de communibus bonis in ſtatum debitum reformare; & hoc de conſenſu Miniſtri Majoris vel ejus Vicarii, ſeu Viſitatorum illius Provinciæ.

17. Omnes Eccleſiæ iſtius Ordinis, quas Fratres ſibi ædificaverint, intitulentur in Nomine SANCTÆ TRINITATIS, & ſint plani operis.

18. Fratres poſſunt eſſe in una cohabitatione tam Clerici quàm Laici, ſecundum

Primaria.

præterea unus, qui Procurator ſit: qui non Procurator ſed Miniſter (ut dictum eſt) nominetur; ut Frater N. Miniſter Domus ſanctæ Trinitatis, *cui Fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur.*

19. *Omnibus Fratribus ſuis ſicut ſibimet Miniſter fideliter adminiſtret.*

20. *Veſtimenta ſint linea & alba, & liceat eis habere pelliceas ſingulis ſingulas, & braccas, quas jacentes non deponant.*

21. *Jaceant in laneis, ita quod plumea fulcra, vel culcitras niſi in ægritudine laborantes in Domibus propriis minimè habeant.*

22.

23. *Cervical verò ad ſuſtentationem capitis permittantur habere.*

24. *In Cappis Fratrum imponantur ſigna.*

25.

26. *Equos non aſcendant nec etiam habeant, ſed aſinos tantùm liceat aſcendere datos vel accommodatos, vel de propriis nutrituris ſuſceptos.*

27. *Vinum ſumendum à Fratribus taliter temperetur, ut ſobrie ſumi valeat.*

28. *Jejunent ab Idibus Septembris ſecunda, quarta & ſexta Feria & Sabbato, niſi ſolennis Feſtivitas intervenerit usque ad Paſcha. Sic tamen ab Adventu usque ad Nativitatem Dominicam, & à Quinquageſima usque ad Paſcha, exceptis Dominicis diebus in cibo Quadrageſimali jejunent: Et alia ſimiliter jejunia, quæ conſuevit Eccleſia celebrare.*

29. *Poteſt tamen quandoque jejunium Miniſter cum diſcretione relaxare, propter ætatem, vel viam, & aliam juſtam cauſam vel facultate inſpecta etiam augmentare.*

30. *Carnibus datis ab his, qui foris ſunt, vel ſumptis de propriis nutrituris*

Mitigata.

cundùm quod Miniſtro & Fratribos uniuscujusque Domus viſum fuerit expedire: Quorum unus Procurator ſit, qui non Procurator, ſed Miniſter (ut dictum eſt) nominetur; ut *F. N. Miniſter Domus Ordinis S. Trinitatis:* cui Fratres repromittere, & impeodere obedientiam teneantur.

19. Omnibus Fratribus ſuis ſicut ſibimet, juxta poſſe Domus, prout unicuique opus fuerit Miniſter fideliter adminiſtret.

20. Veſtimenta Fratrum ſint linea & alba, & liceat eis habere pelliceas, prout uniuscujusque expoſcit neceſſitas, & braccas, quas jacentes non deponant.

21. Jaccant in laneis, ita qood plumea fulcra vel culcitras in Domibus propriis, id eſt, in quibus ad manendum fuerint deputati, niſi in ægritudine laborantes & de foris venientes, & hæc extra Dormitorium minimè habeant.

22. In aliis verò Domibus ſui Ordinis, & alibi ubicunque, ſive in itinere, ſive in peregrinatione fuerint, poterunt jacere Fratres in talibus lectis, quales eis fueriot præparati; ita tamen, quod tunicas non deponant.

23. Cirvical verò cum coſſino ad ſuſtentationem capitis permittantur habere.

24. Io cappis & capucils Fratrum imponantur ſigna, videlicet *Crux in pectore,* cujus brachium, quod vadit ln longum, ſit de *panno rubeo:* Illud, quod vadit in traosverſum ſit *Cerulei coloris.*

25. Calceameota habeant clauſa, lta tamen, quod genua non excedant; niſi ſiot equitantes.

26. Liceat Fratribos eqoos aſcendere, & equltaturas tales habere, quales poterunt, & ſibi viderint expedire: dum minus notabiles non exiſtant.

27. Vinum ſumendum à Fratribus taliter temperetur, ut ſobriè ſumi valeat.

28. Jejunent à propinquiori Dominica Feſto B. Martini hyemalis usque ad Nativitatem Domlni, & à Quinquageſima usque ad Paſcha: Inſuper & aliis temporibus anni, omni ſexta Feria, niſi Feſtivitas novem Lectionum intervenerit, vel Octava, lta tamen quod à Quinquageſima usque ad Paſcha in cibo Quadrageſimali jejunent. Jejuoeot & alia jejunia, qoæ conſoeverit Eccleſia celebrare.

29. Poteſt tamen quandoque Miniſter jejunium cum diſcretione relaxare, propter ætatem vel viam vel aliam juſtam cauſam; vel etiam facultate inſpecta augmentare.

30. Carnibus datis ab his, qui foris ſunt, vel ſumptis de propriis nutrituris,

PRIMARIA.

veſci liceat, tantùm in Dominicis diebus à Paſcha usque ad Adventum Domini & à Natali usque ad Septuageſimam, & in Nativitate, & Epiphania Domini, & in Aſcenſione Domini, & Aſſumptione, & Purificatione beatæ Mariæ, & in Feſtivitate omnium Sanctorum.

31.

32. *Nihil emant ad victum præter panem & pulmentum ſcilicet fabas, & piſas & hujusmodi legumina, olera, oleum, ova, lac, caſeos, & fructus: ſed neque carnes, neque piſces, ſive vinum liceat emere, niſi ad neceſſitatem Infirmorum vel Minutorum, vel Pauperum, aut in magnis ſolemnitatibus: liceat tamen nutrituras emere & nutrire.*

33. *Cum verò in itinere ſive peregrinatione fuerint, liceat eis, ſed parcè vinum emere, & piſces in Quadrageſima ſi neceſſe fuerit: & ſi quid eis datum fuerit, inde vivant, & reſiduum in tres partes dividant. Tamen ſi fuerint in via profecti ad redimendos Captivos, quidquid eis datum fuerit totum debent ponere in Redemptionem Captivorum præter expenſas.*

34. *In Civitatibus, in Villis, ſive Caſtellis, in quibus proprias Domos habuerint, nihil omninò extra Domos illas, niſi fortè in Domo Religionis, etiamſi à quovis rogentur, comedant vel bibant: niſi fortè aquam in Domibus honeſtis, nec pernoctare præſumant extra hujusmodi Domos.*

35. *Nunquam in tabernis vel in hujusmodi locis inhoneſtis habitent, comedant vel bibant: qui autem hoc præſumpſerit, juxta arbitrium Miniſtri gravi vindictæ ſubjaceat.*

36. *Talis ſit charitas inter Fratres Clericos & Laicos, ut eorum victu, veſtitu, Dormitorio, Refectorio, & eadem menſa utantur.*

37. *Infirmi ſeorſim dormiant & comedant, ad quorum curam habendam Converſus aliquis Laicus, ſive Clericus deputetur, qui ea, quæ neceſſaria fuerint, inquirat, & miniſtret, ſicut fuerit miniſtrandum. Moneantur tamen Infirmi, ut lauta ſive nimium ſumptuoſa ci-*

MITIGATA.

vel etiam emptis veſci liceat: tantum in Dominicis diebus à Paſcha usque ad Dominicam propinquiorem Feſto S. Martini hyemalis: & à Natali usque ad Septuageſimam; & in Nativitate Domini, & in Epiphania Domini, & in Aſcenſione Domini, & Aſſumptione, & Purificatione B. Mariæ, & in Feſtivitate omnium Sanctorum, & in Minutionibus & Infirmitatibus.

31. Poſſunt tamen Miniſtri cum Fratribus ſuis de carnibus edendis extra Refectorium, & in via ex juſta & rationabili cauſa diſpenſare.

32. Liceat Fratribus ſagimine veſci: liceat etiam nutrituras emere, & nutrire.

33. Cum verò in itinere ſive in peregrinatione fuerint, ſi quid eis datum fuerit, inde vivant, & reſiduum in tres partes dividanr. Si fuerint tamen in via profecti ad redimendum Caprivos quidquid eis datum fuerit totum debent ponere in Redemptionem Captivorum præter expenſas.

34. In Civitatibus & in Villis ſive in Caſtellis, in quibus proprias Domos habuerint, nihil omninò extra Domos illas (niſi forrè in Domibus religioſis, etiamſi à quovis togentur, & cum Archiepiſcopis & Epiſcopis & Regibus ſi invitati fuerint) comedant vel bibant, niſi fortè aquam in Domibus honeſtis. Ne pernoctare præſumant extra hujusmodi Domos: niſi fortè fueript aliquorum Magnatum, vel Prælatorum officils deputati.

35. Nunquam in tabernis, vel hujusmodi locis inhoneſtis habitent, comedant, vel bibant: qui autem hoc præſumpſerit, juxta arbitrium Miniſtri majori vel minori vindictæ ſubjaceat.

36. Talis ſit charitas inter Fratres Clericos & Laicos, ut eodem victu, veſtitu, Dormitorio, Refectorio, & eadem menſa utantur.

37. Infirmi ſeorſim dormiant, & comedant: ad quorum curam habendam Converſus aliquis Laicus ſive Clericus deputetur, qui ea, quæ neceſſaria fuerint, inquirat, & miniſtret, ſicut fuerit miniſtrandum. Moneantur tamen Infirmi, ut lauta, ſive nimium ſumptuoſa

cibaria

Google

Primaria.

baria non requirant, commoda potius & ſalubri moderatione contenti.

38. *Cura Hoſpitum & Pauperum omnium euntium & redeuntium, uni de diſcretioribus & benignioribus Fratribus injungatur, qui audiat eos, & ut expedire viderit, charitatis ſolatium adminiſtret. Requirat tamen ab illis, quos crediderit admittendos, ſi his, quæ Fratribus opponuntur, velint eſſe contenti.*

39. *Ad lauta quidem & ſumptuoſa cibaria non oportet quemquam admitti. Quæcunque tamen præſtanda ſunt, cum hilaritate præſtentur, & nulli maledictum pro maledicto reddatur.*

40. *Si quis & maximè Religioſus ad hoſpitandum advenerit, benignè ſuſcipiatur & charitative juxta poſſe Domus illi ſubminiſtretur.*

41. *Avena tamen vel aliud in loco avenæ Hoſpitibus non detur; ſi fuerint in Civitate vel Oppido, vel ubi venalis inveniatur, niſi fortè Religioſi ſint Hoſpites; vel tales, qui ad manum non habeant & non emere poſſint. Si autem Hoſpites venalem non invenerint, & in Domo, qua ſuſcepti fuerint, inveniatur, congruenter eis præbeatur.*

42. *Nullus Frater Laicus vel Clericus ſit, ſi fieri poteſt ſine proprio officio: ſi quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipſum deſerere compellatur: cùm Apoſtolus dicat:* Qui non laborat, non manducet.

43. *Silentium ſemper obſervent in Eccleſia ſua, ſemper in Refectorio, ſemper in Dormitorio. De neceſſariis tamen liceat loqui, in aliis temporibus aptis; & remiſſa voce humiliter & honeſtè, & extra prædicta loca.*

44. *Ubique ſermo eorum ſit honeſtus & ſine ſcandalo: ſimiliter & eorum omnis ſtatus, geſtus, vita, actio & omnia alia honeſta in illis reperiantur.*

45. *Capitulum ſingulis (ſi fieri poteſt) diebus Dominicis in ſingulis Domibus Miniſter cum Fratribus ſuis teneat, & de negotiis Domus, & Domui ſive Fratribus datis, ut ad Redemptionem Captivorum tertia pars deputetur, Fratres Miniſtro & Miniſter Fratribus rationem fideliter reddant.*

Mitigata.

cibaria non requirant: commoda potius & ſalubri moderatione contenti.

38. Cura hoſpitum & pauperum omnium euntium & redeuntium uni de diſcretioribus & benignioribus Fratribus injungatur, qui audiat eos, & ut expedire viderit, charitatis ſolatium adminiſtret: requirat tamen ab illis, quos crediderit admittendos, ſi his, quæ apponuntut Fratribus, velint æſſe contenti.

39. Ad lauta quidem ſive ſumptuoſa cibaria non oportet quemquam admitti. Quæcunque tamen præſtanda ſunt, cum hilaritate præſtentur. Et nulli maledictum pro maledicto reddatut.

40. Si quis tamen (& maximè Religioſus) ad hoſpitandum advenerit, benignè ſuſcipiatur, & charitativè juxta poſſe Domus illi ſubminiſtretur.

41. Avenam tamen vel aliquid aliud loco avenæ, Hoſpitibus dare non teneantur; ſi fuetint in Civitate, vel in villa, vel oppido, ubi venalis inveniatur. Niſi fortè Religioſi ſint Hoſpites, vel tales, qui ad manum non habeant, & emere non poſſint. Si autem Hoſpites venalem non invenerint, & in Domo, in qua ſuſcepti fuerint, inveniatut; congruenter eis præbeatur.

42. Nullus Frater Clericus aut Laicus ſine proprio officio ſit, ſi fieri poteſt: ſi quis vetò laborare noluerit, & potuerit, juxta arbitrium Miniſtri canonicè puniatur; cùm Apoſtolus dicat: *Qui non laborat, non manducet.*

43. Silentium ſemper obſervent in Choro: niſi Frater alicujus Fratris fortè confeſſionem in dicto loco andiat.

Pauca etiam verba in Choro ſub ſilentio & ſine ſtrepitu, propter aliquam juſtam cauſam loqui poterunt.

In Refectorio & Dormitorio ſilentium obſervabunt, niſi neceſſitas aliqua, vel juſta cauſa eos ad loquendum compellat. In quo caſu & paucis verbis & ſubmiſſa voce loquantur; extra verò prædicta loca liceat eis loqui temporibus aptis, remiſſa voce humiliter & honeſtè.

44. Ubique eorum ſermo ſit honeſtus & ſine ſcandalo: ſimiliter & eorum omnis ſtatus, geſtus, vita, actio, & omnia alia honeſta in eis reperiantur.

45. Capitulum (ſi fieri poteſt) ſingulis diebus Dominicis in ſingulis Domibus Miniſter cum Fratribus ſuis teneat, & de negotiis Domus & Domui ſuæ, ſive Fratribus & Familiæ nomine Ordinis datis: ut ad Redemptionem Captivorum tertia pars deputetur, Fratres Miniſtro, & Miniſter Fratribus rationem fideliter reddant.

46. Si-

PRIMARIA.

46. *Non ſolùm Fratribus, ſed & Familiæ Domus pro capacitate ſua, ſimiliter ſingulis diebus Dominicis, ſi fieri poteſt exhortatio fiat, & quod credere aut agere debeant, ſimpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus Fratres in Capitulo judicentur.*

47. *Nullus Fratrum Fratrem in publico accuſet, niſi benè poſſit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam ſubeat, quam reus ſubiret, ſi convinci potuiſſet, niſi Miniſter ex cauſa cum eo diſpenſare voluerit.*

48. *Si qui ſcandalum vel aliquid ejusmodi fecerint, vel, quod abſit, ſe invicem percuſſerint, juxta arbitrium Miniſtri majori vel minori vindictæ ſubjaceant.*

49. *Si qui Frater in Fratrem peccaverit, id eſt, contra Fratrem; id eſt eo ſolo ſciente, qui injuriam paſſus eſt, ſuſtineat patienter, licèt ſit innocens, & cùm quieverit commotio animorum, benignè & fraterne commoneat, & corripiat eum, usque ter inter ſe & ipſum ſolum, pœnitentiam agere de commiſſo peccato, & à ſimilibus in poſterum abſtinere. Quod ſi non audierit, dicat Miniſtro, & ille corripiat eum ſecreto, ſecundum quod viderit ejus ſaluti expedire.*

50. *Qui verò ſcandalum movit, & per ſe emendare voluerit, totum ante pedes ſcandalizati petens veniam ſe extendat, & ſi ſemel non ſufficit, usque ter illud idem faciat: ſi verò hoc in publicum venerit, quæcunque ſecutura fuerit pœnitentia, hæc ſit prior: ſcilicet: Ante pedes Miniſtri petendo veniam, totius corporis extenſio & poſtea ſecundùm ejus arbitrium emendetur.*

51. *Generale Capitulum ſemel in anno celebretur, quod fieri debet in Octavis Pentecoſtes.*

52.

53.

MITIGATA.

46. Similiter ſingulis diebus Dominicis, ſi fieri poteſt, exhortatio fiat; & quid credere, aut agere debeant, ſimpliciter moneantur. De omnibus rebus & clamoribus Fratres in Capitulo judicentur.

47. Nullus Fratrum Fratrem ſuum in publico accuſet, niſi benè poſſit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam ſubeat, quam reus ſubiret, ſi convinci potuiſſet, niſi Miniſter ex cauſa cum eo diſpenſare voluerit.

48. Si quis ſcandalum movit vel aliquid ejusmodi fecerit, vel (quod abſit) ſe invicem percuſſerint, juxta arbitrium Miniſtri majori vel minori vindictæ ſubjaceat.

49. Si quis Frater peccaverit in Fratrem, ſcilicet contra Fratrem, id eſt, eo ſolo ſciente, qui injuriam paſſus eſt; ſuſtineat patienter, licèt ſit innocens. Et cùm quieverit animorum motus, benignè & fraternè commoneat, & corripiat eum usque ter inter ſe & ipſum ſolum pœnitentiam agere de commiſſo, & à ſimilibus in poſterum abſtinere: Qui ſi non audierit, dicat Miniſtro, & ille corripiat eum ſecretò, ſecundùm quòd viderit ſaluti ejus expedire.

50. Qui verò ſcandalum movit, & per ſe emendare voluerit, totum antè pedes ſcandalizati petens veniam ſe extendat, & ſi ſemel non ſufficit, usque ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcunque ſecutura fuerit pœnitentia, hæc ſit prior, ſcilicet: Ante pedes Miniſtri petendo veniam, totius corporis extenſis, & poſtea ſecundùm arbitrium Miniſtri emendetur.

51. Generale Capitulum ſemel in anno celebretur: quod fieri debet Dominica quarta poſt Paſcha.

52. In quo Capitulo quolibet anno Correctores majoris Miniſtri vel ejus Vicario corrigendi & diffiniendi omnia, quæ corrigenda & diffinienda ſunt in Generali Capitulo, tempore ipſius Capituli, & etiam Viſitatores in diverſis Provinciis conſtituendi, & locum futuri Generalis Capituli aſſignandi habeant poteſtatem.

53. Nullus verò ſimplex Frater ad Generale Capitulum accedat, niſi vocatus à majori Miniſtro, vel miſſus à proprio Miniſtro prætenderit. Quam ſi in Capitulo Generali non fuerit proſecutus, arbitrium majoris Miniſtri & Correctorum canonicè puniatur.

Primaria.

54. Si pro neceſſitate Domus debitum fuerit aliquod contrahendum, prius in Capitulo Fratribus proponatur, & cum eorum fiat conſilio & aſſenſui; ut ſic ſuſpiciones & murmura evitentur.

55. Si quiſquam de ſubſtantia domus violentiam fecerit, & ad Judicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitative à Fratribus primò, poſt ab aliis vicinis ſimiliter moneatur.

56. Electio Miniſtri per commune Fratrum conſilium fiat, nec eligatur ſecundum dignitatem generis, ſed ſecundum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam. Ille verò, qui eligitur, Sacerdos ſit vel Clericus Ordinibus aptus: Miniſter verò ſive Major *ſive* Minor, *Sacerdos ſit.*

57. Major Miniſter confeſſiones Fratrum omnium Congregationum audire poteſt.

58. Minor verò Miniſter omnium Fratrum ſuæ Domus audiat confeſſiones, dummodo verecundia repetiti exceſſus occaſionem minimè præbeat tardius Prælatis ſuis vel minus purè, quàm deceat, confitendi.

59. Solicitè verò Miniſter provideat, ut præcepta Regulæ, ſicuti cæteri Fratres per omnia teneat.

60. Poſtquam verò electus fuerit, ſi ex culpa deponi meruerit, per majorem Miniſtrum convocatis tribus aut quatuor Miniſtris minoribus, deponatur, & alius, qui dignus ſit, loco ejus ſubrogetur.

61. Si verò pro remotione terrarum, vel alia cauſa rationabili major Miniſter hoc facere non poterit, Miniſtris minoribus magis religioſis committat: & quod illi fecerint, auctoritate majoris ratum habeatur.

62. Major verò Miniſter, ſi pro exceſſibus ſuis corrigendus vel deponendus ſit, per quatuor aut quinque Miniſtros ejusdem Ordinis magis religioſos hoc fiat:

Mitigata.

54. Si pro neceſſitate Domus debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in Capitulo Fratribus proponatur, & cum eorum conſilio & aſſenſu fiat, ut ſic ſuſpiciones & murmura evitentur.

55. Si quis de ſubſtantia domus violentiam fecerit, & ad Judicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitativè ille à Fratribus moneatur.

56. Electio Miniſtri per conſilium Fratrum Clericorum fiat, nec eligatur ſecundùm dignitatem generis, ſed ſecundùm vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam. Ipſe verò, qui eligitur, ſit Sacerdos vel Clericus Ordioibus aptus & profeſſus: Miniſter verò ſive major ſive minor, Sacerdos ſit.

57. Major verò Miniſter, poſtquam electus fuerit, ſecundùm formam in Regula annotatam, ipſius Ordinis curam plenè habeat & liberè gerat, prout hactenus extitit obſervatum & conſtitutum, Fratrúmque omnium Congregationum confeſſiones audire & abſolvere ab omni tranſgreſſione Regulæ ſua poſſit auctoritate.

58. Minor verò Miniſter omnium Fratrum Domus ſuæ audiat confeſſiones: dummodo verecundia repetiti exceſſus occaſionem minimè præbeat tardius Prælatis ſuis, vel minùs purè quàm deceat, confitendi.

59. Solicitè verò Miniſter provideat, ut præcepta Regulæ, ſicut cæteri Fratres per omnia teneat.

60. Poſtquam verò electus fuerit, ſi ex culpa deponi meruerit, per majorem Miniſtrum convocatis tribus vel quatuor Miniſtris minoribus, ſi commodè infra tres dietas à loco valeant inveniri; & ſi commodè haberi non poſſint, aſſumptis ſecum tribus vel quatuor Fratribus ejusdem Ordinis viris religioſis & honeſtis, de quorum conſilio & aſſenſu deponatur, & alius, qui dignus ſit, loco ejus ſubrogetur.

61. Si verò pro remotione terrarum, vel alia cauſa rationabili, major Miniſter hoc facere non potuerit, vices ſuas Miniſtris minoribus magis religioſis committat: ſi verò duo vel tres pro locorum diſtantia haberi commodè non poſſint, per aliquem Miniſtrum virum religioſum & honeſtum, cum tribus vel quatuor Fratribus religioſis hoc fiat, & quod illi fecerint auctoritate majoris Miniſtri ratum habeatur.

62. Major verò Miniſter, ſi pro exceſſibus ſuis corrigendus vel deponendus fuerit, per quatuor vel quinque Miniſtros ejusdem Ordinis magis religioſos

PRIMARIA.

qui tunc auctoritate Generalis Capituli, ad hoc eligi debent.

63. *Si quis hujus Ordinis Frater eſſe voluerit, primò per annum cum expenſis ſuis præter victum habitu ſuo & omnibus retentis ſuis in Ordine pro Deo ſerviat: & poſt annum ſi bonum & conveniens videatur Miniſtro Domus & Fratribus, & illi & locus vacaverit, recipiatur, nihil tamen pro receptione ſua exigatur: ſi quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tale ſit, de quo non videatur Eccleſiæ litigium imminere: ſi verò de cujuſque moribus viſum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur.*

64. *Si ante receptionem aliquis ſe intemperanter habuerit, & impatiens diſciplinæ & ad arbitrium Miniſtri non emendaverit mores ſuos, tribuatur ei modeſtè licentia, cum omnibus, quæ attulit, recedendi.*

65. *In Ordine verò aliquis non recipiatur, antequam annum videatur vigeſimum compleviſſe. Profeſſio verò in arbitrio Miniſtri relinquatur.*

66. *Pignora non accipiant niſi decimas, cum licentia ſui Epiſcopi, de manu Laici.*

67. *Iuramenta non faciant niſi magna neceſſitate cum licentia Miniſtri, vel juſſi ab Epiſcopo ſuo, vel ab alio vices Apoſtolicas gerente & hoc pro honeſta & juſta cauſa.*

68. *Si quod vitium in re, quæ venditur, notum fuerit, indicetur emptori.*

69. *Depoſitum auri vel argenti, vel pecuniæ non liceat eis ſuſcipere.*

70. *Ipſa die, qua Infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis ſuis confiteatur & communicet.*

71. *Omni ſecunda feria præterquam in octavis Paſchæ & Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, & Circumciſionis & Epiphaniæ, & præterquam in Feſtivitatibus, quæ ad colendum pronuntiantur, finita Miſſa pro fidelibus, fiat abſolutio fidelium defunctorum in cemeterio.*

72. *Singulis quoque noctibus ad minus in hoſpitali coram Pauperibus pro ſtatu & pace ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & totius Chriſtianitatis, & pro Benefactoribus & pro his, pro quibus Generalis Eccleſia conſuevit orare, communis fiat oratio.*

MITIGATA.

hoc fiat: qui tamen auctoritate Generalis Capituli ad hoc eligi debent.

63. Si quis hujus Ordinis Frater eſſe voluerit, primò per annum in habitu Fratrum cum expenſis ſuis præter victum omnibus ſuis retentis, in Ordine pro Deo deſerviat. Et poſt annum, ſi bonum & conveniens Miniſtro Domus & Fratribus videatur, ille recipiatur: Nihil tamen pro receptione ſua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur: dum tamen tale ſit, de quo non videatur Eccleſiæ periculum imminere. Si verò de cujusquam moribus viſum fuerit dubitandum: prolixior de eo probatio habeatur.

64. Si ante profeſſionem aliquis ſe intemperanter habuerit, & impatiens diſciplinæ ad arbitrium Miniſtri non emendaverit mores ſuos: tribuatur ei modeſtè licentia cum omnibus, quæ attulit, recedendi.

65. In Ordine verò aliquis non recipiatur, antequam vigeſimum annum videatur impleviſſe. Profeſſio verò poſt annum in arbitrium Miniſtri relinquatur.

66. Pignora verò non accipiant, niſi decimas cum licentia ſui Epiſcopi de manu Laici.

67. Iuramenta non faciant niſi in magna neceſſitate cum licentia ſui Miniſtri, vel juſſi ab Epiſcopo ſuo, vel ab aliquo vices Apoſtolicas gerente, & hoc pro juſta & honeſta cauſa.

68. Si quod vitium in re, quæ venditur, notum fuerit, indicetur emptori.

69.

70. Ipſa die, qua Infirmus venerit vel apportatus fuerit, de peccatis ſuis confiteatur Miniſtro, vel ei, cui Miniſter injunxerit, & communicet: ut omnia alia Sacramenta Eccleſiaſtica percipere valeat ab eodem.

71. Omni ſecunda feria, præterquam in octavis Paſchæ, & Pentecoſtes, Nativitatis Domini & Epiphaniæ, & Circumciſionis Domini, & præterquam in Feſtivitatibus novem lectionum & in octavis Sanctorum, & aliarum Feſtivitatum, finita Miſſa pro fidelibus defunctis fiat abſolutio fidelium in cemeterio.

72. Singulis quoque noctibus ad minus in hoſpitali coram Pauperibus, pro ſtatu & pace ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis, & pro Benefactoribus, & pro his, pro quibus Generalis Eccleſia conſuevit orare, communis fiat oratio.

PRIMARIA.	MITIGATA.
73. *In Regularibus horis morem B.* Victoris *obſervent, niſi fortè pauſationes vel aliæ prolixitates vel vigiliæ occaſione laboris & paucitatis ſervientium de conſilio piorum & Religioſorum virorum fuerint remittendæ. Propter paucitatem etenim ſuam tantas pauſationes in pſallendo facere non tenebuntur, nec ita tempeſtivè ſurgere.*	73. In Regularibus horis morem Beati Victoris obſervent, exceptis Fratribus ſervitiis Principum & Prælatorum deputatis, & Fratribus itinerantibus, exceptis etiam pauſationibus & prolixitatibus & vigiliis, quæ occaſione laboris vel paucitatis ſervientium, poterunt eis remitti de conſilio piorum & religioſorum virorum, ad hoc in ſuo Generali Capitulo de ſuis Fratribus vel Miniſtris ſpecialiter electorum: propter paucitatem etenim ſuam, tantas pauſationes pſallendo facere non tenebuntur, nec ita tempeſtivè ſurgere.
74. *In raſura ſimiliter Ordinem* S. Victoris *ſequantur Clerici.*	74. In raſura ſimiliter Ordinem S. Victoris ſequantur Clerici.
75. *Laici verò barbas non radant, ſed eas creſcere modeſtè permittant.*	75. Laici verò barbas non radant; ſed eas ad modum Templariorum vel Converſorum Ciſtercienſium creſcere permittant.
76. *Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*	76. Nulli ergò omnium hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

ADDITAMENTUM XXIII.

CONSTITUTIONES ORDINIS VALLIS CAULIUM.

OBSERVATIO CRITICA.

Inter varias Benedictinæ Regulæ propagines, jure merito numeratur Congregatio Vallis Caulium, *ſive* Vallis Olerum, *à primo ejusdem Ordinis Cœnobio apud Burgundiones ſito denominationem deſumens, quod Monaſterium ob Olerum abundantiam, à Gallis appellatur* Val des Choux, *cujus origo ſic enarrari ſolet. Sub finem Sæculi XII. nimirum anno MCXCIII. erat in* Cœnobio Luvigniacensi *Ordinis Cartuſienſis, quidam Monachus* Guido *nomine, ſolitudinis quidem amans, ſed nimiæ abſtinentiæ ac rigidiori diſciplinæ haud ſufficiens, qui proin Monaſterium deſeruit, & in proximam Sylvam aufugit, locum quærens receſſui idoneum, ſimulque ad olera & legumina plantanda aptum. Dum igitur quidam Nobiles Sylvam peragrarent invenientes Monachum Cartuſienſi habitu indutum ibidem de olatum, cauſam ſeceſſus interrogaverunt, cujus cum deſiderium cognoviſſent, & locum vaſtæ ſolitudinis, ſed Oleribus, & herbis plantandis ſatis congruum ultro conceſſerunt.*

Congregatis igitur Diſcipulis, in eodem loco Monaſterium erigere cœpit GUIDO *Inſtitutor, quod* ODO DUX BURGUNDIÆ *variis donis locupletavit, & Epiſcopus Lingonenſis, in cujus Diœceſi erat, variis Privilegiis donavit. Hanc* VALLIS CAULIUM *Originem ita refert Auctor brevis Hiſtoriæ Ordinis Cartuſienſis, quam ex antiquo Codice deſumptam nuper edidit Clariſſimus Edmundus Martene* * *cujus proin verba proferre lubet:* Cum quendam Cartuſienſem provectum Patrem Dæmon præcipitaſſet in fugam; invenerunt eum quidam Nobiles in Francia dicti DE MONTCORNE in Sylva quaſi deſolatum. Qui interrogatus, reſpondit ſe de Clauſtro fugiſſe, propter nimium rigorem vitæ; adjecitque, quod ſi tempore abſtinentiæ panis & aquæ, CAULES habuiſſet, bene contentus manſiſſet. Miſerti illi pauperis duxerunt eum ad ſua, aſſignantes ei locum pro fructibus & herbis valde fertilem, cui & ex hoc adhuc CAULIUM vocabulum eſt, unde & ipſi FRATRES CAULITÆ ſunt vocati. Ibidem ergo facto Clauſtro quodam, & à Sede Apoſtolica, promotore Domino, approbato, adunati ſunt Socii multum devoti, qui viventes quaſi ſint CARTUSIENSES, per multos annos multum ibi bene habuerunt ſe.

* Tom. VI. Collect. ampl.

Quod autem Ordo Fratrum VALLIS CAULIUM *Originem duxerit à Cartuſiano Luvigniacenſi Cœnobio, & Regulam S. Benedicti amplexus ſit, hoc ipſum fatentur Monachi Caulitæ in ſuis primariis Conſtitutionibus, quibus ſancitur, ut nullus in Congregationem ſuſcipiatur, niſi conſentientibus Luvigniaci Patribus, & ut Profeſſiones fierent ſecundum Regulam S. Benedicti. Et quamvis ſacer hic Ordo, à ſuis incunabulis, plurima ſtatuta* CARTUSIENSIUM PATRUM *excoluerit, ejuſque Cultores habitu albo incedere, perpetuam à carnibus abſtinentiam obſervare ſolerent: attamen nunquam auſterum Cartuſienſium vivendi modum in omnibus amplexi ſunt, ſed ad arctam Benedictinæ Regulæ obſervantiam ſeſe obſtringebant.*

Sic, in Capitulo Generali Ordinis anno MCCLXVI. apud VALLEM CAULIUM *celebrato, ſancitum reperimus:* Attendamus Fratres, & corde ſuſcipiamus, voluntate teneamus converſatione & opere Verbum ſalutaris doctrinæ REGULÆ ſcilicet S. P. NOSTRI BENEDICTI, quam ideo REGULAM appellamus, quia ad ipſam, vitam noſtram dirigere, & mores componere ex oris noſtri Profeſſione tenemur. Sicut enim non juvat, ſed impedit & arguit cementarium linea, quam recte tendit, & operando ſequi negligit; ſic & nos ſi REGULAM SANCTAM profitemur, eamque vivendo, adjuvante Domino non ſatagimus adimplere. Proinde in eſu carnium, & in aliis ibi plane & diſtincte determinatis, Magiſtram ſequamur REGULAM tanquam à Spiritu ſancto traditam, non noſtrum ſenſum aut noſtram voluntatem.

Adeoque, Patres Caulitæ, pro morum & vitæ norma, obſervabant Regulam Benedictinam, & quidem ſtrictiſſime; etiamſi habitum Cartuſienſem, aliaque ſtatuta particularia retinebant, præſertim in celebrando Miſſæ Sacrificio & peragendo divino Officio, quia primus Ordinis Inſtitutor, S. GUIDO, *verus Cartuſianus erat. Nec ſane primis Cartuſianis ignota erat arcta Benedictinæ Regulæ diſciplina, cum eorum ſtatuta plerunque ex eadem Regula ſint deſumpta, prout ex* GUIDONIS *ſtatutis conſtat, quæ illis temporibus apud Cartuſianos præcipue in uſu erant. Non igitur Patres Caulitæ amplexi ſunt Inſtituta Ciſtercienſia, quemadmodum exiſtimavit Jacobus à Vitriaco in Hiſtoria Occidentali; nullibi enim reperimus tantam familiarem Societatem inter illos &* CISTERCIENSES, *qualis erat cum* CARTUSIANIS, *quorum veſtem albam, nomenque Prioris & non* ABBATIS *adhuc retinent, olimque Miſſam celebrabant ad inſtar Cartuſienſium.*

Hæc quidem omnia ex eorum Conſtitutionibus clarius patebunt, quas & hic exhibemus; quatenus rigidam monaſticam diſciplinam ab iiſdem obſervatam, perſpectam habeamus. Interim ſacer hic Ordo per Gallias Sæculo decimo tertio late extenſus eſt, & adhuc multa Monaſteria obtinet, cujus PRIOR *ibidem Generalis apud* VALLEM CAULIUM *reſidet, reliquaque Cœnobia à* PRIORIBUS *gubernata ſub ſua Juriſdictione retinet. Tandem, Patres Caulitæ ad exteras Gentes pervenerunt, & anno MCCXXIX. apud Scotos fixam ſedem poſuerunt, quemadmodum Chronographus Melroſenſis ad hunc annum notavit:* Hic primo ingrediuntur Fratres Jacobini, & Monachi de Valle Olerum Scotiam. *De quorum Monaſteriis fuſius agitur in ſæpe laudato Monaſtico Scoticano: ubi tria ejuſdem Ordinis Cœnobia numerantur nimirum:* PLUSGARDY *in* MORAVIA, BEAULIEU *ſive* BEWLY *in* ROSSIA, *atque* ARDCHATLAN *in* LORNIA.

ANTI-

Digitized by Google

ANTIQUÆ CONSTITUTIONES
ORDINIS VALLIS CAULIUM.

Ex antiquo Codice MS. Vallis Caulium. *

* Apud Martene Theſ. anecd. Tomo. IV.

De prima Inſtitutione Vallis Caulium.

I. Omni tempore tam ſanis, quàm infirmis eſus carnium aut ſaginiminis à prima Inſtitutionum obſervantia interdictus eſt, Prior in eodem Refectorio ſimili cibo, ſicut & veſtibus, comedit. Feria ſexta omni tempore Jejunamus, præter in Nativitate Domini, & in Feſtis duodecim lectionum. In æſtate pane & aqua, & uno pulmento contenti. Etiam in Quadrageſima idem pulmentum ſubtrahitur eadem feria. Fœminæ interiores terminos non ingrediuntur, nec Monachi exteriores tranſeunt, niſi pro Ordinibus, excepto Priore; qui tamen ægrotans, vel occupatus, vel ſi urgens neceſſitas, vel evidens utilitas poſtulaverit, unum, quem voluerit, poteſt deſtinare. A Matutinis uſque ad Occaſum ſolis ſpiritualibus eſt vacandum: exceptis illis, quos Prioris diſcretio pro aliqua certa cauſa & neceſſaria duxerit retrahendos. Numerus tam Converſorum, quam Monachorum, ultra Viginarium non extenditur. Ordinem ſive in Refectorio, ſive ubicunque eum tenemus, quem ſingulis ſuus ad Religionem dedit adventus; niſi Prior quem vult præpoſuerit, vel ſuppoſuerit, propter aliquam cauſam. Si quis importunus alicui cellæ ſe intulerit, hoc ſolum ei loqui poſſumus, interrogantes, an licentiam habeat loquendi nobis. Nullus ſine licentia Cellam alterius ingreditur, cujus inveniens clauſum oſtium, non aperit, ſed ſignificatione ſonitus poſtular aperire: quo aperto, ſigno poteſt intimare, propter quid venit, non ingrediens. Abſentias, ſeu vigilias, vel diſciplinas, ſeu quælibet alia Religionis exercitia, quæ noſtræ Inſtitutionis non ſunt, nulli, niſi Priore ſciente & concedente, facere licet. Sicut & ſi cui aliquid de indulgentia aut durum, aut grave imponere voluerit, non licet contradicere. Ut non ei, ſed Domino, pro quo ei ſubjectionis exhibetur reverentia, videamur nobis inutiles reſiſtere.

De adhibendis ad concilium Fratribus.

II. Si quid magnum tractandum fuerit, conveniendi ſunt in unum omnes, & omnium conſulta libera voluntate, Prior quod melius exiſtimabit, exequatur. Nullus tamen ſuam ſententiam aut, defendens, aut approbans, ſuis ſibi magnus in oculis videatur. In levioribus autem privatim ſufficiat, aut paucorum, quod tutius erit, ſcilicet conſilium Seniorum.

* *Silentio pro neceſſitate rumpendo.* * De

III. Si alicubi, vel morbi ſubitanei, vel ignis, vel alicujus talis periculi neceſſitas intervenit, ſoluto tam à patiente, quàm à ſupervenientibus ſilentio, qui prius poterit, accurrat.

De levoribus culpis.

IV. Qui mulctatur culpæ levioris ſententia, à Fratrum menſa eſt alienus, ſolus reficiens, non eiſdem horis, ſed aut nona, aut veſpera, nec in Eccleſia lectionem, aut antiphonam aut pſalterium imponat, extra Refectorium comedat, in loco quo Priori viſum fuerit: qui poſt refectionem Servitorum, neque bibere eat cum aliis, neque illi qui pro verſu tertio perdito in præſentia ſunt, ſed poſt alios eat bibere in Refectorium.

De gravioribus culpis.

V. Frater, qui in gravioribus culpis invenitur, ab Eccleſia & à menſa, & à Fratrum conſortio & colloquio ſeparetur: circa quem maxime à Priore eſt diligentia adhibenda. Hoc etiam attendendum eſt, ut & hora ſit prandii tardior, & menſura vini minor, quàm illius, qui in leviori culpa pænitet. Verumtamen Prior attendat, & corporum valetudines & culparum modos: & cum ſuſceptus fuerit in Capitulo, non eadem die ponatur in altiori loco. Vaſa quibus utitur, aut frangantur, aut pauperibus erogentur. Ad fores Oratorii proſtratus jaceat in terra, non habens caputium in capi-

te. Et iterum cùm in Capitulum receptus fuerit, cùm completur opus Dei, proſternat ſe in terra.

Quod libros uniformes habere debeant.

VI. Miſſale, Epiſtolare, Textus, Collectarium, Graduale, Antiphonarium, Regula, Hymnarium, Pſalterium, Lectionarium, Calendarium ubicumque uniformiter habeantur.

De pannis licitis.

VII. Pannum ante Altare, Caſulam, ſtolam & manipulum de ſerico & multi coloris habere licet.

Quod nemo retineat aliquem in aliam domum ire volentem.

VIII. Si quis Monachus Clericus in aliquam noſtrarum Eccleſiarum remanendi cauſa venire voluerit, non ei diſſuadeat aliqua alia Eccleſia, nec eum retineat: quia ſcriptum eſt. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Qui poſtquam ad illum locum, in quo converſari diſponit, venerit, ibique voluntate mutata remanere voluerit, liber recedat. Sed ſi in cella novitiorum converſatus fuerit, & inde proprio vitio vel expulſus fuerit, vel per ſe exierit ab aliqua cella Fraternitatis noſtræ. . . . . quod idem de Monacho peregrino, & in aliquo Monaſteriorum noſtrorum ſuſcepto decernimus.

* De ** De fugitivo.*

IX. Si quis Monachus vel Converſus vitio ſuo de aliqua Eccleſia exierit, & ad aliam venerit ſuadeatur ei, ut redeat. Quod ſi Prior illius loci intellexerit illum ad locum ſuum nolle reverti, non eum ſinat amplius una nocte illic remanere, habitumque Religionis jubeat auferri: niſi priusquam ad noſtrum Ordinem venerit, Monachum fuiſſe conſtiterit: Converſus verò de rebus Monaſterii nudus dimittatur, præter indumentum ſimplex & vile.

Quod omnia Monaſteria Ordinis in honore B. Mariæ & S. Joannis Baptiſtæ dedicentur.

X. Decernimus, ut omnes Eccleſiæ noſtræ, ac Succeſſorum noſtrorum, in memoria Reginæ Cœli & terræ B. Mariæ, & S. Joannis Baptiſtæ fundentur ac dedicentur: quia primus Pater & Conſtitutor Ordinis noſtri, de Eccleſia Lunlacenſi, quæ in honore eſt B. Mariæ, & S. Joannis Baptiſtæ, ad locum Vallis-Caulium, unde nos exorti ſumus, primitus venit.

Quod nullus ſine probatione Monachus fiat.

XI. Magnopere nobis omnibus cavendum eſt, ne ſine regulari probatione aliqui Monachi Collegio noſtro ſocientur, exceptis Monachis, quos beatus ſuſcepit Benedictus. (a)

Quibus diebus veſcimur quadrageſimali cibo tantum.

XII. In toto Adventu excepta prima Dominica: & in ſecunda & tertia feria antè caput Jejunii, in Vigilia Pentecoſtes, in Jejuniis quatuor temporum in Septembri, in Vigiliis SS. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli, Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ, Matthæi Apoſtoli, Simonis & Judæ, Omnium-Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & omni feria ſexta; quadrageſimali tantum veſcimur cibo.

Quo ordine benedicatur Monachis peregrinis.

XIII. Monachus peregrinus in aliquo noſtri Ordinis receptus Monaſterio, eo Ordine quo Novitius benedicatur, ſi prius benedictus non fuerit.

Quomodo Prior ſatisfaciat pro Gloria *primi Pſalmi.*

XIV. Prior ſi ad *Gloria* primi Pſalmi non occurrerit, ſatisfaciat ad gradum ut Monachus excepto, quod ſine licentia alicujus poſt ſatisfactionem, recedat ad ſedem ſuam, niſi alius Prior in Choro fuerit.

Quando debent exire à Generali Capitulo Monachi Vallis-Caulium.

XV. In prima die Generalis Capituli, poſt abſolutionem defunctorum, dicatur *Adjutorium noſtrum*, ut exeant omnes Monachi præter Priores, vel ſi quos magnus Prior retinere voluerit. Idem fiat aliis diebus, poſt expoſitionem Regulæ.

De Mixto.

XVI. Adoleſcentiores Fratres, quibus Jejuniorum diebus *Mixtum* ſumere conceditur, ſemper illud ante *Tertiam* ſumant. In æſtate ſimiliter, ante prandium ea hora, quam Prior providerit.

In

(a) Adeoque Monachis Benedictinis liber tranſitus ad Patres Caulitas conceditur abſque ulteriori probatione vel nova Religionis profeſſione.

In quo Ordine fugitivus recipi debeat.

XVII. Fugitivus quando recipitur, ubique erit ultimus omnium: poſtea verò ſi Clericus eſt, poterit Prior imperriri licentiam cantandi & legendi & in Choro verſum ponere in Ordine Clericorum, vel etiam Sacerdotum, ſi Sacerdos fuerit. Si autem humiliato ei locum altiorem aliquando indulgere voluerit, computet tempus, quod foris moratus fuerit, & tantum ſemper amittit de ipſo Ordine.

De Prioribus Prioratus ſuos relinquentibus.

XVIII. Priores, qui domos ſuas, vel Prioratus ſuos reliquerint, in Ordine converſionis ſuæ redeant.

Quomodo loqui poteſt Infirmarius cum ſolatio ſuo.

XIX. Qui Magiſter erit de infirmitorio, loqui poterit cum Solatio, ſi tamen ita viderit Prior oportere, & hoc ipſum loco & modo, quo ipſe viderit. Converſi ſunt omnes pro Solatio infirmarii. Liceat haberi in infirmitorio.

De Monachis peregrinis.

XX. Monachus de alio Ordine, ſi antequam ſit Benedictus, ad noſtrum Ordinem venerit. Si venerit in habitu ſæculari, ſit in probatione per annum integrum: ſi in habitu Monachali, vel fortè per violentiam ablatus fuerit ei habitus, in arbitrio Prioris ſit ipſum admittere inter Monachos, aut ponere in probatione: Benedictus in alio Ordine, inter Monachos recipiatur.

XXI. Extra conventum, Monachi qui privatim cantant *Primam*, ſe pro tempore terræ proſternunt. Finita *Prima*, ſubſequente *Pretioſa in conſpectu*, non ſe erigant, donec dicatur, *& ne nos inducas*, *Reſpice*, *Domine in ſervos.*

XXII. Infirmi in cœna Domini ad Mandatum Monachorum & in Quadrageſima ad Libros recipiendos in Capitulo, de infirmitorio veniant.

XXIII. Duo *Alleluja* de S. Maria alternatim in Sabbato, prout potuerint, dicantur, qui de indulgentia in Choro ſederit, legat, cantet, Antiphonam incipiat, non tamen ordine Converſionis, ſed in quo in Choro ſteterit.

De forma Viſitationis.

XXIV. In facienda Viſitatione, cautelam, & maximam diligentiam Viſitator adhibeat, ut fideliter & prudenter ad corrigendos exceſſus & conſervationem pacis intendat, ut quantum poterit, ſalva Ordinis diſciplina, animos Fratrum ad ampliorem reverentiam proprii Prioris, & gratiam in Chriſto mutuæ dilectionis inducat. Provideat nihilominus viſitandus, ut ſecundùm formam Ordinis, Viſitatori obediens & devotus exiſtat. Ad emendationem domus ſuæ quantum poterit, tanquam Domino rationem redditurus intendat. Igitur in Viſitatoris adventu, Prior domus illius, vel ſi eum abeſſe contigerit, Subprior, aut qui tenet locum ipſius, ſtudioſe admoneat, roget & præcipiat, ut fideliter & fiducialiter, publice & privatim, prout melius intellexerit faciendum, quæ corrigenda cognoverint, ſuggerant, & proponant. Caveat, ne ullatenus impediat hoc faciendum, nec cum factum fuerit, ægre ferat. Caveat, ne in præſentia Viſitatoris, vel poſt ejus diſceſſum cuiquam fratrum aliquam Vindictam inferat, ne improperet vel indignetur. Qui etiam ſi minus cautè, minus diſcrete fuerit quis locutus, benigna facilitate, ad conſilium Viſitatoris indulgeat. Ipſum enim Viſitatorem talem fore convenit, ut non credat omni ſpiritui, ſed cauſam, quam neſcierit, diligenter inquirat, cognita rationabiliter corrigat, Zelo Ordinis & paternæ Charitatis affectu. Prohibeat etiam, ne incipiant retractare, quod noverint digne correctum, ne ſibi ſuggerant incomperta, ne vanis ſuſpicionibus turbent animos Patrum ſive Fratrum ſuorum. Quod ſi quis fecerit, digne eum Viſitator increpet & caſtiget. Prohibeat etiam, ne quis Fratrum ea quæ cognoverit emendanda, quaſi ad majus ſcandalum, quod nequiſſimum eſt, uſque ad Viſitatoris adventum differat & reſervet, ſed opportunis temporibus, quæ contingunt, proclamentur & emendentur. Quod ſi contra hanc formam egerit Viſitator, per ſuperiorem Priorem, vel alios Priores, ut meruerit, caſtigetur, ſive etiam puniatur per generale Capitulum. Similiter qui viſitatur, niſi formam eandem ſtudeat obſervare, coram Domino graviter culpabilem, & paterna, vel Capituli generalis, ſe noverit animadverſione plectendum. Nullus Prior, vel Hoſpes, vel Viſitator, niſi Pater domus illius Confeſſiones recipiat. Ipſe tamen, ſi gravis eſt cauſa, ad proprium Priorem domus illius, eum qui vult confiteri, remittere ſtudeat, & debita fidelitate omnem adhibeat cautelam, diligentiam omnem exhibeat, ut proprio Priori, ſicut debet, revelet ille Conſcientiam ſuam. Provideat Viſitator, ut in Carta ſigillo ſuo ſignata & à foris dependente ſcribat, quæ corrigenda vel ordinata ſtatuerit, &

Car-

Digitized by Google

Cartam Cantori committat ejuſdem domus, legendam ſequenti anno in Capitulo.

De generali Capitulo.

XXV. Continetur in ſtatutis generalibus Capituli, quod ſingulis annis ſemel conveniant omnes Priores Cœnobiorum, quæ, Dei gratia, in diverſis ſunt conſtituta locis ad domum Vallis-Caulium, ſcilicet in inventione S. Crucis, & quod ibi de Obſervatione ſanctæ Regulæ & Ordine vitæ ſuæ totius, ac indiſſolubili inter ſe pace cuſtodienda diligentiſſime tractent, ut tenor vivendi ſæpe replicatus, ac divinarum Scripturarum Auctoritate corroboratus, non facile tepere, ſed per plurimorum diuturna annorum ſpatia, poſſit vigere. In prima Die generalis Capituli, prima Miſſa de Martyribus cantabitur ab Hebdomadario, majorem Miſſam cantabit Pater Prior. Eodem die ſermonem babemus, & in craſtino die erit Miſſa de S. Spiritu, quæ ſit ſolemnis ſicut die Dominico.

De Feſtis quibus duæ candelæ accenduntur.

XXVI. In Natali Domini & Circumciſione, & Apparitione, in Paſcha, & Aſcenſione Domini, & Pentecoſtes, & Trinitatis diebus, in Feſtivitate Corporis Chriſti & in exaltatione S. Coronæ, & in omnibus ſolemnitatibus S. Mariæ, & in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, & in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. Benedicti, in utroque Feſto S. Bernardi, & omnium Sanctorum, & in Dedicatione Eccleſiæ ad *Veſperas* & ad *Laudes* duæ candelæ accenduntur. Porro tribus diebus ſequentibus diem Natalis Domini, & tribus diebus Paſchæ, & tribus diebus Pentecoſtes, & in inventione S. Crucis, & in die S. Michaelis Archangeli, ad *Veſperas* & ad Miſſam, tantum duæ Candelæ accenduntur, & in commemoratione omnium Fidelium, ad vigilias eorundem & ad Miſſam, & in commemoratione Parentum noſtrorum, & in præſenti Defuncto ad Miſſam tantum. Nullus Monachus Ordinis noſtri Priorem ſuum appellare poteſt.

XXVII. Frater, qui non laborat tempore laboris, poteſt in Cella ſua eſſe in Cuculla vel in Cappa.

XXVIII. Monachus, qui inobediens fuerit Priori ſuo, in Refectorio ad terram comedet & ſemel ſuper veſtimentum ſuum, ablata ei portione ſua Vini. Quod ſi denuo inobediens fuerit, in prædicta pœnitentia permaneat, donec Prior dicat: ſufficit.

XXIX. Prior poteſt mittere Monachum ad Novitium turbatum, ad conſolandum. In omnibus Miſſis niſi matutinalis fuerit, duæ candelæ habentur.

XXX. Non inſenſamus niſi ad Miſſam tantum, ſolemnem ſcilicet.

XXXI. Unusque Prior cellas Monachorum ſuorum in Anno bis ad minus ſcrutatur.

XXXII. Novitius in Valle-Caulium non debet ire, niſi congregentur Monachi Luniaci & Monachi Vallis-Caulium, nec domum ipſam intrare poteſt.

XXXIII. Viſitatio Vallis-Caulium erit in Feſto S. Lucæ. Duo Priores majores viſitabunt eam; & ſi unus eorum ægrotans eſſe non poterit; tertio Priori mandet, ut ſuppleat vicem ejus.

XXXIV. Priores noſtri Ordinis, quoties in quamlibet domorum Ordinis noſtri venient, duos Fratres de cellis trahere poſſunt, & ſi fortè omnes in unum congregatos invenerint, cum omnibus loqui poterunt, & illi cum ipſis & coram ipſis. Licentiam dare non poſſunt, niſi in præſentia ſua.

XXXV. Nullus exeat de Benedictionibus Cocorum, nec de Commemorationibus Sanctorum. Qui ad Benedictionem Collationis defuerit, ſimiliter qui ad Orationem quæ dicitur ante horas, in ſtallo ſuo non fuerit, in Capitulo veniam petat, excepto Cellerario & Refectorario, & Infirmario & Priore, niſi quando *Credo* dicitur.

XXXVI. Conſpiratores, Fures & proprietatem habentes, annis ſingulis, & in quinta Dominica Quadrageſimæ, ab eo, qui præeſt Capitulo, cum ſtola & candela accepta, auctoritate Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, & B. Mariæ, & omnium Sanctorum, & totius Ordinis, excommunicentur.

XXXVII. Conſtituimus atque etiam præcipimus, ut quicunque Frater cum Priore ſuo contentioſe locutus fuerit, niſi ſtatim ultroneus ſatisfecerit, ille qui audit, ſcilicet Monachus eum clamare tenetur. Ille verò clamatus coram omnibus diſciplinam recipiet. Si denuo acciderit, iterum diſciplinam recipiet & vinum perdet.

XXXVIII. Univerſæ domus Ordinis noſtri una aliam adjuvare tenetur, etiam in temporalibus ad arbitrium magni Prioris.

XXXIX. Monachus vel Converſus Ordinis noſtri, ad aliquam domum Ordinis noſtri veniens, Ordinem, ſicut illi qui in domo ſunt, teneat.

XL. Tribus diebus Capituli Generalis, non tenentur Priores ire ad horas in Oratorium. In Ramis palmarum, in Cœna Domini, in Die Paſchæ, in Aſcenſione Domini, in Pentecoſte, in omnibus Solemnitatibus B. Mariæ, in inventione S. Crucis,

in

in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, in Feſto omnium Sanctorum. *

* Hic aliquid videtur omiſſum

XLI. Si quis Frater clamatus fuerit pro quavis culpa, & poſt Capitulum, aliquem iratum ſermonem contra eum, qui eum clamavit, exinde dixerit, in ſequenti Capitulo abſque remiſſione diſciplinetur.

XLII. Profeſſiones fiant amodo in Ordine noſtro ſecundùm Regulam Beati Benedicti.

XLIII. Quando Prior & Subprior deſunt in Choro, Sacerdos hebdomadarius Officium ipſorum compleat.

XLIV. Monachus, qui diſcedit de Ordine noſtro, non ferat habitum noſtrum, niſi certus fuerit de loco, de quo licentiatus fuerat.

XLV. Per univerſas Domus Ordinis noſtri celebrent Miſſam in Conventu, de ſancto Spiritu in Vigilia Capituli, ſi fieri poteſt.

XLVI. Quando Prior & Subprior minuti fuerint in conventu, ille cui Prior juſſerit, ducat Fratres ad laborem: & quando redierint, & intra terminos intraverint, nullo modo cum Fratribus loquatur.

XLVII. Quando quædam Pars Conventus minuta fuerit, & aliquis infirmus eſt in infirmitorio, ſi neceſſe fuerit nihilominus loqui poſſunt inter ſe. Fratres Ordinis noſtri nunquam ſe minuant extra Ordinem noſtrum.

XLVIII. Monachus, qui propter culpam ſuam in aliam Domum mittitur, eat pedes.

XLIX. Quando aliquis Prior Ordinis noſtri ad aliam Domum Ordinis ſupervenit, debet Prior illius Domus cedere illi, & Hoſpes Prior debet ſtallum tenere, & poreſtatem Prioris habere, niſi Prior Domus Pater Prioris hoſpitis fuerit: Et ſi fortè duo fuerint hoſpites Priores, Prior antiquioris Domus ſtallum tenebit, & omnes vel quos voluerit de Fratribus, ad placitum ſuum vocare poterit. Alius Prior hoſpes non poſſit congregare Monachos, qui in infirmitorio demorantur.

L. Antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat*, Cantor incipiat loco Prioris. Qui de Choro exierit ad horas, in Capitulo veniam petat, niſi Obedientialis fuerit ſimiliter ad Officium defunctorum, niſi redierit.

LI. Miſſa B. Mariæ celebretur in Sabbatho; ea veneratione qua fieri ſolet in Feſto XII. Lectionum, & Præfatio ſimiliter dicatur. Si verò proprietas ſupervenerit, Miſſa cantabitur privatim. Diaconus induatur Alba, quando communicant Fratres.

LII. Magiſter Novitiorum poteſt loqui, cùm in Infirmitorio fuerit, cum Novitiis ſive infirmario.

LIII. Duæ Miſſæ celebrentur in omnibus Feſtis, quibus ſermo fieri debet. Prior det omnes Benedictiones.

LIV. Qui deprecatus fuerit Reſponſorium aut Lectionem, vel Invitatorium, in Capitulo veniam petat.

LV. Monachus, qui ſedet ad nolam, det benedictionem Lectori.

LVI. Si quis Prior aliquem Monachorum ſuorum pro hoſpite miſerit in Domum Ordinis noſtri, mittat eum cum omnibus veſtimentis ſuis, & quamdiu hoſpes fuerit, provideat eum proprius Prior in veſtimentis.

LVII. Nulli Monacho Ciſterclenſi vel Carthuſienſi, vel cujuslibet Ordinis tribuatur habitus noſter, niſi ab oluto, nec in habitu ſuo morari poſſit nobiscum ultra tres hebdomadas.

LVIII. Ad ſuffragia Sanctorum, quæ fiunt ad horas B. Mariæ, agamus ſecundùm morem Ciſtercienſium.

LIX. Non liceat duobus Monachis de Conventu loqui pariter cum infirmo.

LX. Si quis Frater habens plenarium Officium per Domos Ordinis noſtri cùm obierit, ... niſi Cellerarius Brevia miſerit.

LXI. Si *Gloria* primi Pſalmi occupaverit Monachum intrantem Chorum, non ſe humiliet, ſed eat in ſtallum ſuum.

LXII. Liceat Monacho manus habere ſub cuculla, niſi quando inclinat.

LXIII. Non liceat Monachis induere Cappas ſuas in Conventu poſt primam.

LXIV. Prohibemus ſub virtute Obedientiæ, ne quis Frater diffamet Priorem ſuum ſive Ordinem Religionis, videlicet ſæcularibus, in quo ſi deprehenſus fuerit quis, ad terram comedet tribus diebus, ablata ei portione ſua Vini, & ultimus ſit omnium, quamdiu Prior ſuus voluerit. Similiter non audeat Prior diffamare Monachos ſuos. Quod ſi in Viſitatione cognitum fuerit, tribus diebus vinum perdet, & octo diebus non ſtet in Choro in proprio Stallo.

LXV. Subprior non mittat aliquem Fratrem ad Villam, aut aliquod Monaſterium, niſi pro evidenti neceſſitate.

LXVI. Feſtis diebus, quibus non laboramus, celebrentur Miſſæ privatæ ante capitulum. Proceſſio fiat in Aſſumptione B. Mariæ.

LXVII. Dominica in Paſſione *Judica me*, fiat tantum excommunicatio, quæ bis fieri ſolet ab eo, qui tenet Capitulum: quod ſi non fecerit, vinum perdet.

LXVIII. Cellerarius non poteſt accommodare ultra quinque ſolidos ſine conſenſu proprii Prioris.

LXIX. Propter paucitatem perſonarum conſtituimus, ut Novitii ad Ordinem noſtrum venientes, & ad Ordinem Sacerdotii vel Diaconatus ſui per diſpenſationem & voluntatem Prioris .... *

* Hic aliquid videtur omiſſum.

LXX. Dominicis, in quibus duæ Miſſæ non intervenerint, Miſſa de S. Maria in Conventu celebretur. Diaconus vel Subdiaconus, vel cujuslibet Ordinis ſit, qui ſervit ad Miſſam Conventus, quotidie in Albis ſerviat.

LXXI. Cilicium non ferat, niſi qui voluerit.

LXXII. Vetitur inſuper, ne mulieres jaceant infra domorum noſtrarum Clauſuras exceptis illis, quæ loca noſtra fundaverint, aut in eis redditus ſuos appoſuerint: nec Monachus cum eis loquatur, niſi ſint duo vel tres, excepto Priore & Cellerario.

LXXIII. Cum Priores & Cellerarii totius Ordinis noſtri, eodem cibo & potu quo & conventus vivant, & aliqui Monachorum loquendo & murmurando de cibo & potu eos ſæpius perturbaverint, non conſiderantes Domorum paupertatem. Ideo ſtatuimus, ne de cætero aliquis loquatur de cibo, nec de potu, extra Capitulum. Quod ſi fortè aliquem loqui contigerit qui audierit, clamare teneatur: Clamans verò in Capitulo absque miſericordia diſciplinæ ſubjaceat, & in Refectorio ad unam refectionem vinum perdat.

Expliciunt Conſtitutiones.

ADDITAMENTUM XXIV.

REGULA CARMELITARUM.

OBSERVATIO CRITICA.

SAcrum Carmelitarum Ordinem præ reliquis Monachis antiquitatem ſuam ab Elia & Eliſæo Prophetis deducere notum eſt omnibus Hiſtoriæ Monaſticæ cultoribus; neque nos hujus celeberrimi Ordinis integram notitiam contexere intendimus, ſolum Regulam ipſis olim præſcriptam exhibentes. Et quidem, Daniel à V. Maria Ordinis Hiſtoriographus & in Belgio olim Provincialis, in ſua Carmeli Vinea ſive Hiſtoria Eliani Ordinis, Antwerpiæ edita anno 1662. hanc ſequentem Regulam ſolam adducit, quamvis famoſam illam Joannis Hieroſolymitani Regulam pro primaria & genuina Regula Carmelitarum vendere conetur, ſed inani auſu. Nam omnes eruditi extra Carmelitas, has Monachorum Inſtitutiones in modum Regulæ Carmelitanæ concinnatas, celebri illo Patriarchæ abjudicant, præſertim Baronius in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 444. atque Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Nec ſane ratio, vel modus ſcribendi permittit has ſuppoſititias Inſtitutiones poſſe aſcribi huic Joanni Hieroſolymitano, cùm Sæculo quarto & quinto apud ſanctum Hieronymum, Palladium, Evagrium, Caſſianum, Theodoretum, nulla mentio de Monachis Carmelitis reperiatur, quamvis antiqui illi Scriptores, exſertè & frequenter de celebrioribus Monaſteriis in Palæſtina ſitis multa & prodigioſa referant; deinde ſtylus totus Latinus & Baſſus ſequiora Sæcula ſapit, adeoque hæc Regula ſuppoſititia eſt, nec tantam antiquitatem ſapit, prout magni Hiſtorici ſentiunt. Has Inſtitutiones Monaſticas cum reliquis Joannis Hieroſolymitani Patriarchæ Operibus edidit Bruxellis anno 1643. Petrus Waſtellus Carmelitani Ordinis Provincialis Belgicus, additis tribus Vindiciarum libris; atque poſtea Lugdunenſes Bibliopolæ eaſdem maximæ Bibliothecæ Patrum Tomo Quinto inſeruerunt. Suppoſititius autem illius Regulæ Auctor, eſt famoſus ille Joannes Hieroſolymitanus Epiſcopus, Originis Fautor & Defenſor, cum quo S. Hieronymus acriter diſceptavit, qui labente Sæculo quarto, circa annum CCCLXXX. vixit, atque ex Monacho quidem factus eſt poſt S. Cyrillum Epiſcopus prædictæ Sedis Patriarchalis.

Veram

Veram igitur & ſinceram pro Monachis Carmelitanis Regulam ſcripſit Albertus ex Canonico Regulari electus Epiſcopus Vercellenſis, ac poſtea circa annum MCCLV. miſſus Apoſtolicæ Sedis Legatus in Paleſtinam, creatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus. Piiſſimus enim Patriarcha videns quoſdam Eremitas, ſine Regula vel norma; Carmelum Montem ſolitos inhabitare, eosdem ad vitam Cœnobiticam invitare voluit, quibus ſequentem Regulam præſcripſit, circa annum MCCLX. quam poſtea ſummus Pontifex Innocentius III. approbavit, ſacrumque Ordinem in Eccleſiam Occidentalem primus introduxit. Brevis quidem eſt hæc Regula, ſed pulcherrimis præceptis referta, quam tamen variis ſalutaribus ſtatutis illuſtraverunt illius piiſſimi Cultores, præſertim poſtquam S. Thereſia totum Ordinem Cœleſtibus conſtitutionibus illuminare dignata eſt.

REGULA ORDINIS,

PROUT AB ALBERTO PRODIIT.

ALbertus Dei gratia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Chriſto Filiis Brocardo & cæteris Eremitis, qui ſub ejus obedientia juxta fontem, in Monte Carmeli morantur, in Domino, ſalutem, & ſancti Spiritus benedictionem. Multifarie multisque modis ſancti Patres inſtituerunt, qualiter quiſque, in quocunque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religioſæ vitæ elegerit, in obſequio JEſu Chriſti vivere debeat; & eidem fideliter de corde puro, & bona conſcientia deſervire. Verum, quia requiritis à nobis, ut juxta propoſitum veſtrum, tradamus vobis vitæ Formulam, quam tenere in poſterum debeatis.

I. Illud inprimis ſtatuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium aſſenſu, vel majoris & ſanioris partis, ad hoc Officium eligatur: cui Obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare.

II. Præterea juxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrum ſingulas habeant cellulas ſeparatas; ſicut per diſpoſitionem Prioris ipſius, & de aſſenſu aliorum Fratrum, vel ſanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint aſſignatæ. Nec liceat alicui Fratrum, niſi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris ſit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio ac diſpoſitione ipſius poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant. Maneant ſinguli in Cellulis ſuis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur.

III. Hi, qui litteras norunt, & legere Pſalmos, per ſingulas horas eos dicant, qui ex Inſtitutione ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ approbata conſuetudine ad horas ſingulas ſunt deputati. Qui verò litteras non norunt, viginti quinque vicibus *Pater noſter* dicant in Nocturnis Vigiliis, exceptis Dominicis, & ſolemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum ſtatuimus duplicari, ut dicatur *Pater noſter* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in laudibus, matutinis. In aliis quoque horis ſepties ſimiliter eadem ſigillatim dicatur Oratio; præter Officia veſpertina, in quibus ipſam quindecies dicere debeatis.

IV. Nullus Fratrum dicat ſibi aliquid eſſe proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dederit, diſtribuatur unicuique per manum Prioris, id eſt, per hominem ab eo ad idem Officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inſpectis ætatibus & neceſſitatibus ſingulorum: Ita tamen, ut, ſicut præmiſſum eſt, in deputatis Cellulis ſinguli maneant, & ex his, quæ ſibi diſtributa fuerint, ſingulariter vivant.

V. Oratorium, prout commodius fieri poterit, conſtruatur in medio Cellularum: ubi manè per ſingulos dies, ad audiendum Miſſarum ſolemnia, convenire debeatis; ubi hoc commodè fieri poterit.

VI. Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de cuſtodia Ordinis, & animarum ſalute tractetis, ubi etiam exceſſus, & culpæ Fratrum, ſi quæ

quæ in aliquo deprehenſæ fuerint, charitate medis corriganrur.

VII. Jejunium ſingulis diebus, exceptis Dominicis, obſervetis à Feſto Exaltationis ſanctæ Crucis uſque ad diem Dominicæ Reſurrectionis; niſi infirmitas, ſeu debilitas corporis, aut alia juſta cauſa jejunium ſolvi ſuadeat; quia neceſſitas non habet legem. Ab eſu carnium ſemper abſtioeatis, uiſi pro iofirmitatis aut nimiæ debilitatis remedio ſint ſumendæ.

VIII. Quia verò tentatio eſt vita hominis ſuper terram & omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur. Adverſarius quoque veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret; omni ſollicitudine ſtudestis indui armatura Dei; ut poſſitis ſtare adverſus inſidias inimlci. Accingendi ſunt lumbi veſtri cingulo caſtitatis: Muniendum eſt pectus cogitationibus ſanctis: Scriptum eſt enim: Cogitatio ſancts ſervsbit te. Ind:ienda eſt lorics Juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum ex toto Corde, & ex tota anims & ex tota virtute dil·gatis, & proximum veſtrum tsmquam vosmetipſos. Sumendum eſt in omnibus ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo: & hæc eſt victoria fides noſtra. Galea quoque ſslutis capiti imponenda eſt, ut de ſolo Salvatore ſperetis ſslutem, qui ſalvum facit populum ſuum à peccatis eorum. Gladius autem Spiritus, quod eſt verbum Dei, sbundanter hsbitet io ore & cordibus veſtris; & quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant.

IX. Faciendum eſt vobis aliquid operis, ut ſemper vos diabolus inveniat occupatos; ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire. Habetis in hoc B. Pauli Apoſtoli Magiſterium psriter & exemplum, in cujus ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt & datus à Deo Prædicator, & Doctor Gentium in fide, & veritate: quem ſi ſecuti fueritis, noo poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos nocte, ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus: Non quaſi nos non haberemus poteſtatem, ſed ut nosmetipſos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam, cùm eſſemus apud vos, hæc denunciabamus vobis; quooiam ſi quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulaotes inquietè, nihil operaotes. His autem, qui hujusmodi ſunt, deouneiamus, & obſecramus in Domino JESU Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. Hæc via ſancta, & bona, ambulate in ea.

X. Commendat autem Apoſtolus ſilentium, cùm in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta atteſtatur; Cultus Iuſtitiæ ſilentium eſt, & rurſus: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus, ut ab hora veſpertina, uſque ad Horsm tertiam ſequentis Diei ſilentium teneatis, niſi fortè neceſſitas, vel cauſa rationabilis, aut liceotia Prioris ſilentium interrumpsnt. Alio verò tempore licet ſilentii non habeatur obſervatio tanta; diligentius tameo à multiloquio caveatur: Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum, &, Qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet msls. Item: Qui multis utitur verbis, lædit animam ſuam: Et Dominus in Evangelio: de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Faciat ergo unusquisque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo; ne fortè labatur, & csdst in lingus ſua, & inſanabilis ſit caſus ejus ad mortem, cuſtodiens, cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua; & ſilentium, in quo eſt cultus juſtitiæ, diligenter & cautè ſtudest obſervare.

Tu autem Frater BROCARDE, & quicumque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis io mente, & ſervetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicunque voluerit inter vos major fieri, erit veſter Miniſter; & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Vos quoque cæteri Fratres Priorem veſtrum humiliter honorate, Chriſtum potius cogitantes, quàm ipſum; qui poſuit illum ſuper Capita veſtra. Et Eccleſiaruum Præpoſitis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; ut non veniatis io Judicium de contemptu, ſed de veſtra obedientia mercamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breviter ſcripſimus vobis converſationis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundùm quam vivere debeatis. Si quis sutem ſupererogaverit, ipſe Dominus cùm redierit, reddet ei. Utatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix.

ADDI-

ADDITAMENTUM XXV.

REGULÆ S. FRANCISCI ASSISIATIS.

OBSERVATIO CRITICA.

S. *Franciſcus*, *gente Italus*, *Aſſiſii in Umbria natus anno* 1182. *Petri Bernardoni & Picæ Filius*, *plurimorum Religioſorum Parens*, *& Ordinis Fratrum Minorum primus Inſtitutor. Primis Juventutis annis*, *mercaturæ quæſtum exercuit*, *ſed humilitatis & paupertatis Chriſtianæ amore flagrans mundanas divitias contempſit*, *atque in ſolitudinem ſecedens*, *circa annum MCCVII. prima Ordinis fundamenta jecit*, *atque Romam accedens*, *Regulam pro Fratribus conceptam ſummo Pontifici Innocentio III. humiliter obtulit*, *à quo etiam anno MCCXV. & Ordinis ac Regulæ approbationem accepit. Quatuor Regulas*, *quas hic exhibemus condidit*, *ex ejusdem Operibus nuper editis deſumptas. Primam XXIII. Capitulis comprehenſam correxiſſe dicitur S. Franciſcus ut alteram breviorem XII. Capita continentem ederet*, *quam Honorius III. Papa confirmavit anno MCCXXIII. præcipiens*, *ut illa ubique ab omnibus Ordinis Fratribus ſtrictiſſimè obſervaretur*, *quæ proin eſt vera & ſincera Franciſcanorum Regula. Tertiam Regulam ſcripſit pro S. Clara & Sanctimonialibus fæminis*, *cum magna Sanctitatis fama*, *ejus pium vivendi modum ſequentibus. Quibus quidem eadem arctiſſima diſciplinæ præcepta præſcribit*, *etiamſi nonnulli exiſtiment S. Franciſcum non exſtitiſſe hujus Regulæ Auctorem*, *ſed Innocentio III. Papæ tribuant*, *prout Joannes De la Haye in ſuo prævio argumento ad hanc Regulam notavit*, *ſed poſteà tanquam indubitatum S. Franciſci fætum agnovit*, *quam quidem poſtea Innocentius IV. Papa confirmavit. Quarta Regula Fratribus & Sororibus communis eſſe videtur*, *ſanctiſſimus enim Mendicantium Monachorum Patriarcha*, *tres diſtinctos Ordines inſtituit*, *primus erat Fratrum Minorum*; *ſecundus Sororum pauperum*; *tertius autem complectitur omnes pios homines utriusque ſexûs ſub uno Sodalitio pietatis congregatos*, *ita*, *ut Viri arctam Religioſorum diſciplinam in Monaſteriis obſervatam ſubire non obligarentur*, *nec fœminæ infra Clauſtra Sacrarum Virginum recludi debuerint. Adeóque*, *reſpectu primorum duorum Ordinum*, *& hujus Alumni rectè appellantur* TERTIARII, *vel potius* FRATRES ET SORORES DE PÆNITENTIA *nominari poſſunt*, *quia in propriis domibus habitantes*, *& curam Familiarum in Sæculo gerentes*, *hujus quartæ Regulæ præcepta obſervare potuerunt*, *de peccatis præteritis veram pœnitentiam exercentes*, *& alia exercitia ſpiritualia obſervantes.*

PRIMA REGULA,

Quam Seraphicus Pater ſcripſit Patribus minoribus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

HÆc eſt vita, quam Frater Franciſcus petiit ſibi concedi, & confirmari à Domino Papa Innocentio, & conceſſit, & confirmavit eam ſibi, & ſuis Fratribus, habitis, & futuris. Frater Franciſcus, & quicunque erit Caput iſtius Religionis, promittit obedientiam, & reverentiam Domino Innocentio Papæ, & ejus Succeſſoribus obedire.

CAPUT I.

Quod Fratres debent vivere in Obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate.

REgula, & vita iſtorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet vivere in Obedientia, & in Caſtitate, & ſine proprio; & Domini noſtri JEſu Chriſti doctrinam, & veſtigia ſequi, qui dicit: ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, & da Pauperibus, & habebis Theſaurum in Cœlo; & veni, & ſequere me: Et: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Item: Si quis vult venire poſt me, & non odit Patrem ſuum, & uxorem, & filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Et omnis, qui reliquerit Patrem, aut Matrem, Fratres, aut ſorores, uxorem, aut filios, Domos, aut agros, propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

CAPUT II.

De receptione, & veſtitu Fratrum.

SI quis divina inſpiratione volens accipere hanc vitam, venirет ad noſtros Fratres, benigne recipiatur ab eis: qui ſi fuerit firmus accipere vitam noſtram, multum caveant Fratres ſibi, ne de ſuis temporalibus negotiis ſe intromittant: ſed ad ſuum Miniſtrum, quam citius poterunt, eum repræſentent. Miniſter verò benignè recipiat ipſum, & confortet, & vitæ noſtræ tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, prædictus, ſi vult, & poteſt ſpiritualiter, & ſine impedimento, vendat omnia ſua, & ſtudeat pauperibus erogare. Caveant autem Fratres, & Miniſtri Fratrum, quod de negotiis ſuis nullo modo ſe intromittant. Nec accipiant aliquam pecuniam, nec per ſe, nec per interpoſitam Perſonam. Si tamen indiguerint, alia neceſſaria corporis, præter pecuniam, accipere poſſunt Fratres cauſa neceſſitatis, ſicut alii pauperes. Et cùm reverſus fuerit, Miniſter concedat ei Pannos probationis uſque ad annum, ſcilicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & Braccas, & Caparonem uſque ad cingulum. Finito verò anno, & termino probationis, recipiatur ad Obedientiam. Poſtea non licebit ei ad aliam Religionem accedere, nec extra Obedientiam evagari, juxta mandatum Domini Papæ. Si autem aliquis venerit, qui ſua dare non poteſt ſine impedimento, & habet ſpiritualem voluntatem, relinquat illa, & ſufficit ei. Nullus recipiatur contra Formam, & inſtitutionem ſanctæ Eccleſiæ.

Alii verò, qui promiſerunt Obedientiam, habeant unicam tunicam cum Capotio, & aliam ſine Caputio, ſi neceſſe fuerit, & Cingulum, & Braccas. Et omnes Fratres vilibus veſtibus induantur, & poſſint eas repeciare de ſaccis, & aliis peciis, cum benedictione Dei; quia Dominus dicit in Evangelio: Qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, & qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Et licet dicantur Hypocritæ, non tamen ceſſent benefacere. Nec quærant caras veſtes in hoc Sæculo, ut poſſint habere veſtimentum in Regno Cœlorum.

CAPUT III.

De divino Officio, & Jejunio.

DIcit Dominus: Hoc genus dæmoniorum non poteſt exire, niſi in Je-

ju-

junatis, nolite fieri, ſicut Hypocritæ, triſtes. Propter hoc omnes Fratres, ſive Clerici, ſive Laici, faciant divinum Officium, Laudes, & Orationes ſecundùm quod debent facere. Clerici faciant Officium, dicant pro vivis, & pro mortuis ſecundùm conſuetudinem Clericorum. Pro defectu autem & negligentia Fratrum omni die dicant: *Miſerere mei Deus*, cum *Pater noſter*; & pro Fratribus defunctis dicant: *De profundis*, cum *Pater noſter*. Et libros neceſſarios ad implendum eorum Officium poſſint habere. Et Laicis ſcientibus legere Pſalterium, liceat illud habere. Aliis verò, neſcientibus litteras, librum habere non liceat. Laici verò dicant *Credo in Deum*, & viginti quatuor *Pater noſter*, cum *Gloria Patri*. Pro *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, pro qualibet iſtarum ſeptem *Pater noſter*, cum *Gloria Patri*. Pro *Veſperis* autem duodecim; pro *Completorio* ſeptem, & *Credo in Deum* cum *Gloria Patri*. Pro mortuis ſeptem *Pater noſter*, cum Requie æterna. Et pro defectu, & negligentia Fratrum, tria *Pater noſter*, qualibet die.

Et ſimiliter omnes Fratres jejunent à Feſto Omnium Sanctorum uſque ad Natale, & ab Epiphania, quando Dominus noſter JEſus Chriſtus incepit jejunare, uſque ad Paſcha. Aliis verò temporibus non teneantur ſecundùm hanc vitam, niſi ſexta Feria jejunare. Et liceat eis manducare de omnibus cibis, qui apponuntur eis, ſecundùm ſanctum Evangelium.

CAPUT IV.

De Miniſtris, & aliis Fratribus, qualiter ordinentur.

IN nomine Domini: Omnes Fratres, qui conſtituuntur Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum in locis, quibus fuerint, collocent ſuos Fratres, quos ſæpe viſitent, & ſpiritualiter moneant, & confortent. Et omnes alii Fratres mei benedicti diligenter obediant eis in his, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & non ſunt contraria vitæ noſtræ. Et faciant inter ſe, ſicut dicit Dominus: Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; & quod tibi non vis fieri, non facias alteri. Et recordentur Miniſtri, & ſervi, quod dicit Dominus: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare; & quod commiſſa eſt eis cura animarum Fratrum, de quibus, ſi aliquid perderetur propter eorum culpam, & malum exemplum, in die judicii oportebit eos reddere rationem coram Domino JEſu Chriſto.

CAPUT V.

De correctione Fratrum in offenſione.

IDeoque animas veſtras, & Fratrum veſtrorum cuſtodite, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Si quis autem Miniſtrorum alicui Fratrum aliquid contra vitam noſtram præceperit, vel contra animam ſuam, non tenetur ei obedire; quia illa obedientia non eſt, in qua delictum, vel peccatum committitur. Verumtamen omnes Fratres, qui ſunt ſub miniſtris, & ſervis Fratrum Minorum, & Servorum, conſiderent rationabiliter, & diligenter, ſi viderint aliquem illorum carnaliter, & non ſpiritualiter ambulare pro rectitudine vitæ noſtræ, poſt tertiam admonitionem, ſi non ſe emendaverit, in Capitulo Pentecoſtes renuncient Miniſtro, & ſervo totius Fraternitatis, nulla contradictione impediente. Si verò inter Fratres, ubicunque ſint, fuerit aliquis Frater, volens carnaliter, & non ſpiritualiter ambulare; Fratres, cum quibus eſt, moneant eum, & inſtruant, & corripiant humiliter, & diligenter. Quod ſi ille poſt tertiam admonitionem noluerit ſe emendare, quam citius poſſint, mittant eum, vel ſignificent ſuo Miniſtro, & ſervo; qui Miniſter, & ſervus de eo faciat, ſicut ſibi ſecundùm Deum melius videbitur expedire. Et caveant omnes Fratres, tam Miniſtri, & Servi, quàm alii, quod propter peccatum alterius, vel malum exemplum non turbentur; quia diabolus propter delictum unius vult multos corrumpere, ſed ſpiritualiter, ſicut poſſunt, adjuvent eum, qui peccavit; quia non eſt ſanis opus medicis, ſed malè habentibus. Similiter omnes Fratres non habeant poteſtatem, vel Dominationem, maximè inter ſe. Sicut enim Dominus dicit in Evangelio: Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ſic erit inter Fratres, ſed quicunque voluerit inter eos major fieri, ſit eorum miniſter, & ſervus; & qui major eſt inter eos, fiat ſicut minor. Nec aliquis Fratrum malum faciat, vel malum dicat alteri, imo magis per charitatem ſpiritus voluntariè ſerviant, & obediant invicem. Et hæc eſt vera, & ſancta obedientia Domini noſtri JEſu Chriſti. Et omnes Fratres, quomodocunque declinaverint à mandatis Domini, & extra obedientiam evagaverint, ſicut dicit Propheta: ſciant ſe eſſe maledictos extra obedientiam, quouſque ſteterint in tali peccato ſcienter. Et quando perſeverant in mandatis Domini, quæ promiſerunt per ſan-

ſanctum Evangelium, & vitam ipſorum, ſciant ſe in vera obedientia ſtare, & Benedicti ſint à Domino.

CAPUT VI.

De recurſu Fratrum ad Miniſtrum, & quod aliquis Frater non vocetur Prior.

FRatres, in quibuſcunque locis ſunt, ſi non poſſunt vitam noſtram obſervare, quam citius poſſunt, recurrant ad ſuum Miniſtrum, hoc ipſi ſignificantes, Miniſter verò taliter ſtudeat providere, ſicut vellet ſibi fieri, ſi in conſimili caſu eſſet. Et nullus vocetur Prior, ſed generaliter omnes vocentur Fratres Minores, & alter alterius lavet pedes.

CAPUT VII.

De modo ſerviendi, & laborandi.

OMnes Fratres, in quibuſcunque locis fuerint apud aliquos ad ſerviendum, vel ad laborandum, non ſint Camerarii, nec Cellarii, nec præſint in domibus eorum, quibus ſerviunt, nec recipiant aliquod Officium, quod ſcandalum generet, vel animæ ſuæ faciat detrimentum: ſed ſint Minores, & ſubditi omnibus, qui in eadem Domo ſunt. Et Fratres, qui ſciunt laborare, laborent, & eandem artem exerceant, quam noverint, ſi non ſit contra ſalutem animæ ſuæ, & honeſtè poterunt operari. Nam, ajt Propheta, labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Et Apoſtolus: Qui non vult laborare, non manducet. Et unusquisque in eadem arte, & Officio, in quo vocatus eſt, permaneat. Et poſſint pro labore accipere omnia neceſſaria, præter pecuniam, & cùm neceſſe fuerit, vadant pro eleemoſynis, ſicut alii pauperes. Et liceat eis habere ferramenta & inſtrumenta ſuis Artibus neceſſaria. Omnes Fratres ſtudeant bonis operibus inſudare, quia ſcriptum eſt: ſemper facito aliquid boni, ut te diabolus inveniat occupatum. Et iterum: Otioſitas eſt animæ inimica. Idcirco ſervi Dei ſemper Orationi, vel alicui bonæ operationi inſiſtere debent. Caveant ſibi Fratres, ubicunque fuerint, in eremis, vel in aliis locis, quod nullum locum ſibi approprient, nec alicui defendant. Et quicunque ad eos venerint, amicus vel adverſarius, fur, vel latro benignè recipiatur. Ubicunque ſunt Fratres, vel in quocunque loco ſe invenerint, ſpiritualiter, & diligenter debeant ſe revidere, & honorare ad invicem ſine murmuratione. Et caveant ſibi, quod non oſtendant ſe triſtes extrinſecus, nubiloſos, & Hypocritas; ſed oſtendant ſe gaudentes in Domino, hilares, & convenienter gratioſos.

CAPUT VIII.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

DOminus præcepit in Evangelio: Videte, & cavete ab omni malitia, & avaritia; & attendite vobis à ſollicitudinibus hujus Sæculi, & à curis hujus vitæ. Unde nullus Fratrum, ubicunque ſit, & quocunque vadit, aliquo modo tollat, nec recipiat, nec recipi faciat pecuniam, aut denarios; nec occaſione veſtimentorum, nec librorum, nec pro pretio alicujus laboris; imò nulla occaſione, niſi propter manifeſtam neceſſitatem infirmorum Fratrum; quia non debemus majorem utilitatem habere, & reputare in pecunia, & denariis, quàm in lapidibus. Et illos vult diabolus obcæcare, qui eam appetunt, vel reputant lapidibus meliorem. Caveamus ergo, quia omnia reliquimus, ne pro tam modico Regnum Cœlorum perdamus. Et ſi in aliquo loco invenerimus denarios, de his non curemus, tanquam de pulvere, quem pedibus calcamus; quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et ſi fortè (quod abſit) aliquem Fratrem contigerit pecuniam, vel denarios colligere, vel habere, excepta ſolummodo prædicta infirmorum neceſſitate, omnes Fratres teneant eum pro falſo Fratre, & fure, & latrone, & loculos habente, niſi verè pœnituerit. Et nullo modo Fratres recipiant, vel recipi faciant, nec quærant, nec quæri faciant pecuniam, vel Eleemoſynam, nec denarios pro aliquibus Domibus, vel locis, nec cum perſona, pro talibus locis pecuniam, vel denarios quærente, vadant. Alia autem ſervitia, quæ non ſunt contraria vitæ noſtræ. poſſunt Fratres in talibus locis facere cum benedictione DEI. Fratres tamen in manifeſta neceſſitate leproſorum, poſſunt pro eis quærere Eleemoſynam. Caveant tamen multùm à pecunia. Similiter caveant omnes Fratres, ne pro aliquo turpi lucro terras circumeant.

CAPUT IX.

De petenda Eleemoſyna.

OMnes Fratres ſtudeant ſequi humilitatem, & paupertatem Domini noſtri JEſu Chriſti; & recordentur, quod nihil aliud oportet nos habere de toto mundo, ſicut dicit Apoſtolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et debent gaudere, quando converſantur inter viles, & deſpe-

ſpectas perſonas, inter pauperes, & debiles, infirmos, & leproſos, & juxta viam mendicantes. Et cùm neceſſe fuerit, vadant pro Eleemoſynis, & non verecundentur, & magis recordentur, quia Dominus noſter JEſus Chriſtus filius Dei vivi omnipotentis, poſuit faciem ſuam, ut petram duriſſimam, nec verecundatus eſt, & fuit pauper, & hoſpes & vixit de Eleemoſynis ipſe, & Beata Virgo, & diſcipuli ejus. Quando facerent eis homines verecundiam, & nollent eis dare Eleemoſynam, referant inde gratias Deo, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini noſtri JEſu Chriſti. Et ſciant, quod verecundia non patientibus, ſed inferentibus imputatur. Et Eleemoſyna eſt Hæreditas, & Juſtitia, quæ debetur Pauperibus, quam nobis acquiſivit Dominus noſter JEſus Chriſtus. Et Fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt, & faciunt lucrari, & acquirere tribuentes. Quia omnia, quæ homines faciunt in hoc mundo, peribunt; ſed de Charitate, & Eleemoſynis, quas fecerint, habebunt præmium à Domino. Et ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam, ut ſibi neceſſaria inveniat, & miniſtret. Et quilibet diligat, & nutriat Fratrem ſuum, ſicut Mater diligit, & nutrit Filium ſuum, in quibus Deus eis gratiam largiatur. Et qui non manducat, manducantem non ſpernat; & qui manducat, non manducantem non judicet. Et quando neceſſitas ſupervenerit, liceat univerſis Fratribus, ubicunque fuerint, uti omnibus cibis, quos poſſunt homines manducare, ſicut Dominus noſter dicit de David, qui comedit Panes propoſitionis, quos non licebat comedere, niſi Sacerdotibus. Et recordentur, quod dicit Dominus: Attendite vobis, ne fortè graventur Corda veſtra crapulâ, & ebrietate, & ſuperveniat vobis repentina dies illa, tanquam laqueus, laqueus enim ſuperveniet ſuper omnes, qui ſedent ſuper faciem orbis terræ. Similiter tempore manifeſtæ neceſſitatis, faciant omnes de eorum neceſſariis, ſicut eis Dominus gratiam largietur, quia neceſſitas non habet legem.

CAPUT X.

De infirmis Fratribus.

SI quis Fratrum in infirmitatem inciderit, ubicunque fuerit, alii Fratres non dimittant eum, niſi conſtituatur unus de Fratribus, vel plures, ſi neceſſe fuerit, qui ſerviant ei ſicut vellent ſibi ſerviri. Sed in maxima neceſſitate poſſunt ipſum dimittere alicui perſonæ, quæ debeat ſuæ ſatiſfacere infirmitati. Et rogo Fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; & qualem vult eum Dominus, talem ſe eſſe deſideret, ſive ſanum, ſive infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam præordinavit æternam, flagellorum, atque infirmitatum ſtimulis, & compunctionis ſpiritu erudit, ſicut dicitur in Apocalypſi. Ego quos amo, corrigo, & caſtigo. Si autem turbabitur, ſive iraſcetur contra Deum, ſive contra Fratres; vel ſi fortè ſolicitè poſtulaverit medicinas, nimis deſiderans liberare carnem, cito morituram, quæ eſt animæ inimica, à malo ſibi evenit, & carnalis eſt, & non videtur eſſe de Fratribus, quia plùs diligit corpus, quàm animam.

CAPUT XI.

Quod Fratres non blaſphement, nec detrahant, ſed diligant invicem.

ET omnes Fratres caveant ſibi, ut non calumnientur aliquem, nec contendant verbis, ſed ſtudeant retinere ſilentium, quandocunque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter ſe, nec cum aliis: ſed primo curent humiliter reſpondere, dicentes: ſervi inutiles ſumus. Et non iraſcantur, quia omnis, qui iraſcitur Fratri ſuo, reus erit Judicio, qui autem dixerit Fratri ſuo, Racha, reus erit gehennæ ignis. Et diligant ſe invicem, ſicut Dominus dicit: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Et oſtendant ex operibus dilectionem, quam debent ad invicem, ſicut dicit Apoſtolus. Non diligamus verbo aut lingua, ſed opere, & veritate. Neminem blaſpement nec murmurent, nec detrahant aliis; quia ſcriptum eſt: Suſurrones, & Detractores ſunt DEO odibiles. Et ſint modeſti omnes, monſtrantes manſuetudinem ad omnes homines; nec judicent, nec condemnent. Et, ſicut dicit Dominus, non conſiderent minima peccata aliorum, imò magis ſua recogitent in amaritudine animæ ſuæ. Et contendant intrare per anguſtam portam, quia dicit Dominus: Anguſta porta: & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.

CAPUT XII.

De malo viſu, & frequentia mulierum vitanda.

OMnes Fratres, ubicunque ſunt vel vadunt, caveant ſibi à malo viſu, & frequentia mulierum. Et nullus cum eis conſilietur ſolus. Sacerdos honeſtè lo-

loquatur cum eis, dando pœnitentiam, vel aliud ſpirituale conſilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam; ſed dando ſibi conſilium ſpirituale, ubi voluerit, agat pœnitentiam. Et multùm omnes nos cuſtodiamus, & omnia membra noſtra teneamus, quia dicit Dominus: Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt cum ea in corde ſuo.

CAPUT XIII.

De præſumptione fornicationis.

SI quis Fratrum, diabolo inſtigante, fornicaretur, habitum, quem ex ſua turpitudine amiſit, ex toto deponat, & à noſtra Religione penitus expellatur, & poſtea pœnitentiam faciat de peccatis.

CAPUT XIV.

Quomodo Fratres debeant ire per mundum.

QUando Fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam, nec Sacculum, nec Peram, nec Panem, nec Pecuniam, nec Virgam. Et in quamcunque Domum intraverint, dicant primum: Pax huic Domui. Et in eadem Domo manentes, edant, & bibant, quæ apud illos ſunt. Non reſiſtant malo, ſed ſiquis eos in maxillam percuſſerit, præbeant ei alteram; & qui auferret eis veſtimentum, & tunicam non prohibeant. Omni petenti ſe tribuant; ſed ſi quis auferret, quæ ſua ſunt, non repetant.

CAPUT XV.

Quod Fratres non teneant Beſtiam, nec equitent.

INjungo omnibus Fratribus meis, tam Clericis, quàm Laicis, euntibus per mundum, licet morantibus in locis, quod nullo modo apud ſe, nec apud alium, & aliquo modo Beſtiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, niſi infirmitate, vel magna neceſſitate cogantur.

CAPUT XVI.

De euntibus inter Sarracenos, & alios infideles.

DIxit Dominus: Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Unde quicunque Fratrum divina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles, vadant de licentia ſui Miniſtri, & ſervi. Miniſter verò det eis licentiam, & non contradicat, ſi viderit eos eſſe idoneos ad mittendum. Nam tenebitur Domino reddere rationem, ſi hoc, vel in aliis proceſſerit indiſcretè. Fratres verò, qui vadant, poſſunt duobus modis ſpiritualiter inter alios converſari. Unus modus eſt, quod non faciant lites, nec contentiones, ſed ſint ſubditi omni humanæ creaturæ propter Deum, & confiteantur ſe eſſe Chriſtanos. Alius modus eſt, quod cùm viderint placere DEO, annuncient verbum DEI, ut credant in Deum omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Creatorem omnium, Redemptorem, & Salvatorem Filium, ut baptizentur, & Chriſtiani efficiantur: quia niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei. Hæc & alia, quæ placuerint Domino, ipſis, & aliis dicere poſſunt, quia dicit Dominus in Evangelio: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in Cœlis. Et qui erubuerit me, & meos Sermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. Et omnes Fratres, ubicunque ſint, recordentur, quod dederunt ſe, & reliquerunt ſua corpora Domino noſtro JEſu Chriſto, & pro ejus amore debent ſe exponere inimicis, tam viſibilibus, quàm inviſibilibus; quia dicit Dominus: Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet eam in vitam æternâ. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si autem perſequuntur vos in una civitate, fugite ad aliam. Beati eſtis, cùm vos oderint homines, & maledixerint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, & cùm dixerint omne malum adverſum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Cœlis. Dico autem vobis amicis meis, nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant. Videte, ne terreamini. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

CAPUT XVII.

De Prædicatoribus.

NUllus Fratrum prædicet contra formam & inſtitutionem ſanctæ Eccleſiæ, niſi conceſſum fuerit ſibi à ſuo Miniſtro.

niſtro. Caveat ergo ſibi Miniſter, ne alicui indiſcretè concedat. Omnes tamen Fratres operibus prædicent. Et nullus Miniſter, vel Prædicator appropriet ſibi Miniſterium, vel Officium prædicationis; ſed quacunque hora ei in junctum fuerit, ſine omni contradictione dimittant ſuum Officium. Unde deprecor in Charitate, (quæ Deus eſt) omnes Fratres meos prædicatores, oratores, & laboratores, tam Clericos, quàm Laicos, ut ſtudeant ſe humiliare in omnibus, non gloriari, nec in ſe gaudere, nec intrinſecus ſe exaltare de bonis verbis, & operibus; imò de nullo bono, quod dicit, vel facit Deus, & operatur in eis aliquando, & per ipſos, ſecundùm quod ipſe Dominus dicit: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus ſubjiciuntur vobis. Et firmiter ſciamus, quod non pertinent ad nos niſi vitia, & peccata. Et magis debemus gaudere, cùm in tentationes varias inciderimus, & cùm ſuſtinemus quaſcunque animæ, vel corporis anguſtias, aut tribulationes in hoc mundo propter vitam æternam. Omnes ergo, Fratres, caveamus ab omni ſuperbia, & vana gloria. Cuſtodiamus nos à ſapientia hujus mundi, & à prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult, & ſtudet multùm ad verba habenda, ſed parùm ad operationem; & quærit non Religionem, & ſanctitatem Spiritus, ſed vult, & deſiderat Religionem, & ſanctitatem foris apparentem hominibus; & iſti ſunt, de quibus dicit Dominus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Spiritus autem Domini vult mortificatam, & deſpectam, vilem, & abjectam, & opprobrioſam eſſe carnem, & ſtudet ad humilitatem, & patientiam, & puram ſimplicitatem, & veram pacem Spiritus. Et ſuper omnia deſiderat divinum timorem, & divinam ſapientiam, & divinum amorem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et omnia bona Deo altiſſimo, & ſummo reddamus, & omnia bona ipſius eſſe recognoſcamus, & de omnibus eis gratias referamus, à quo bona cuncta procedunt, & ipſe Altiſſimus, & ſummus ſolus & verus Deus habeat, & ei reddantur, & ipſe recipiat omnes honores, & reverentias, & omnes laudes, & benedictiones, & omnes gratias, & omnem gloriam, cujus eſt omne bonum, qui ſolus bonus. Et quando videmus, vel audimus malum dici, vel fieri, vel blaſphemari Deum, nos benedicamus, & benefaciamus, & laudemus Deum, qui eſt Benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPUT XVIII.

Qualiter Miniſtri conveniant adinvicem.

Quolibet anno unuſquiſque Miniſter cum Fratribus ſuis poſſit convenire, ubicunque placuerit eis, in Feſto ſancti Michaëlis Archangeli, de his, quæ ad Deum pertinent tractaturus. Omnes verò Miniſtri, qui ſunt in Ultramarinis, & Ultramontanis partibus, ſemel in tribus annis, & alii Miniſtri ſemel in anno veniant ad Capitulum in Feſto Penſtecoſtes apud ſanctam Mariam de *Portiuncula*, niſi à Miniſtro, & ſervo totius Fraternitatis aliter fuerit ordinatum.

CAPUT XIX.

Quod omnes Fratres vivant Catholicè.

Omnes Fratres ſint Catholici, vivant, & loquantur Catholicè. Si quis verò erraverit à fide, & vita Catholica, in dicto, vel in facto, & non ſe emendaverit, à noſtra Fraternitate penitus expellatur. Et omnes Clericos, & omnes Religioſos, habeamus pro dominis, in his, quæ ſpectant ad laudem animæ, & à noſtra Religione non deviant, & Ordinem, & Officium eorum, & adminiſtrationem in Domino veneremur.

CAPUT XX.

De Confeſſione Fratrum, & perceptione Corporis, & ſanguinis Domini noſtri JESU Chriſti.

Fratres benedicti, tam Clerici, quàm Laici, confiteantur peccata ſua Sacerdotibus noſtræ Religionis. Et, ſi non poſſunt, confiteantur aliis diſcretis, & Catholicis Sacerdotibus, ſcientes firmiter, & attendentes, quod à quibuscunqne Sacerdotibus acceperint pœnitentiam, & abſolutionem, abſoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, ſi pœnitentiam ſibi injunctam procuraverint humiliter, & fideliter obſervare. Si verò tunc Sacerdotem habere non poterunt, confiteantur Fratri ſuo, ſicut dicit Apoſtolus Jacobus: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad Sacerdotes; quia poteſtas ligandi, atque ſolvendi ſolis Sacerdotibus eſt conceſſa. Et ſic contriti, & confeſſi ſumant Corpus, & ſanguinem Domini noſtri JESU Chriſti cum magna humilitate, & veneratione, attendentes, qnod ipſe Dominus dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & Hoc facite in meam commemorationem.

CAPUT XXI.

De laude & exhortatione, quam poſſunt facere omnes Fratres.

ET hanc talem exhortationem, & laudem omnes Fratres mei, quandocunque placuerit eis, annuntiare poſſunt, & inter quoſcunque homines, cum benedictione Dei: Timete, & honorate, laudate, & benedicite; Gratias agite, & adorate Dominum Deum omnipotentem in Trinitate, & Unitate, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Creatorem omnium. Facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia ſcitote, quod citò moriemur. Date, & dabitur vobis; Dimittite, & dimittetur vobis; & ſi non dimiſeritis, Dominus non dimittet vobis peccata veſtra. Beati, qui moriuntur in pœnitentia, quia erunt in Regno Cœlorum. Væ illis, qui non moriuntur in pœnitentia, quia erunt Filii diaboli, cujus opera faciunt, & ibunt in ignem æternum. Cavete, & abſtinete ab omni malo, & perſeverate uſque in finem in bono.

CAPUT XXII.

De admonitione Fratrum.

ATtendamus omnes, Fratres, quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros benefacite his, qui oderunt vos. Nam & Dominus noſter JEſus Chriſtus, cujus veſtigia ſequi debemus, traditorem ſuum vocavit amicum, Crucifixoribus ſpontè ſe obtulit. Amici ergo noſtri ſunt omnes illi, qui injuſtè nobis inferunt tribulationes, anguſtias, verecundias, & injurias, dolores, & tormenta, martyrium, & mortem, quos multùm diligere debemus; quia ex hoc quod nobis inferunt, habeamus vitam æternam. Et odio habeamus corpus noſtrum cum ſuis vitiis, & peccatis, quia carnaliter vivendo vult nobis auferre amorem Domini noſtri JESU Chriſti, & vitam æternam, & ſeipſum cum omnibus perdere in infernum. Quia nos propter culpam ſumus fœtidi, miſeri, & bono contrarii, ad mala autem prompti, & voluntarii, quia ſicut dicit Dominus in Evangelio: De corde hominum procedunt, & exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, & avaritia, nequitia, dolus, falſa teſtimonia, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Hæc omnia mala ab intus de corde hominis procedunt, & hæc ſunt, quæ coinquinant animam. Nunc autem, poſtquam dimiſimus mundum, nil aliud habemus facere, niſi ut ſoliciti ſimus voluntatem Domini ſequi, & placere ipſi. Multùm caveamus, ne ſimus terra ſecus viam, vel petroſa, vel ſpinoſa, ſecundùm quod dicit Dominus in Evangelio: ſemen eſt verbum DEI. Quod autem ſecus viam cecidit, & conculcatum eſt, hi ſunt, qui audiunt verbum Dei, & non intelligunt; & confeſtim venit diabolus, & rapit, quod ſeminatum eſt in cordibus eorum, ne credentes ſalvi fiant. Quod autem ſuper terram cecidit, hi ſunt, qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio ſuſcipiunt illud: facta autem tribulatione, & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizantur, & hi radicem in ſe non habent, ſed temporales ſunt, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & ſolicitudo, & ærumnæ iſtius ſæculi, & fallacia divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introëuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu afficiuntur. Quod autem in terram bonam ſeminatum eſt, hi ſunt, qui in corde bono, & optimo audientes verbum intelligunt, & retinent, & fructum afferunt in patientia. Et propterea nos, Fratres, ſicut dicit Dominus, dimittamus mortuos ſepelire mortuos ſuos, & multum caveamus à malitia, & ſubtilitate ſatanæ, qui vult, ne homo mentem ſuam, & cor habeat ad Dominum Deum, & circumiens deſiderat cor hominis ſub ſpecie alicujus mercedis, vel adjutorii tollere, & ſuffocare verbum, & præcepta Domini à memoria, & vult cor hominis per ſæcularia negotia, & curam excæcare, & ibi habitare, ſicut dicit Dominus: Cùm immundus ſpiritus exit ab homine, ambulat per loca, arida, & inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis, pejora prioribus. Unde, Fratres, cuſtodiamus nos multùm, ne ſub ſpecie alicujus mercedis, vel adjutorii, vel operis, perdamus, aut tollamus mentem noſtram à Domino. Sed in ſancta charitate, quæ DEUS eſt, rogo omnes Fratres tam Miniſtros, quàm alios, ut omni impedimento remoto, & omni cura, & ſolicitudine poſtpoſita, quocunque modo meliùs poſſunt, debeant ſervire, amare, & honorare Dominum Deum mundo corde, & pura mente, quod ipſe ſuper omnia quærit. Et ſemper faciamus in nobis habitaculum, & manſionem ipſi, qui eſt Dominus Deus omnipotens Pater, Filius, & Spi-

Spiritus ſanctus; qui dicit: Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia mala, quæ ventura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Et cùm ſtatis ad orandum, dicite: Pater noſter, qui es in Cœlis. Et adoremus eum puro corde. Oportet enim ſemper orare, & non deficere: nam Pater tales quærit adoratores. Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Et ad ipſum recurramus, tanquam ad Patrem, & Epiſcopum animarum noſtrarum, qui dicit: Ego ſum Paſtor bonus, qui paſco oves meas, & animam meam pono pro ovibus meis. Omnes enim vos Fratres eſtis. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus enim eſt Pater veſter, qui in Cœlis eſt. Nec vocemini Magiſtri: unus enim eſt Magiſter veſter, qui in Cœlis eſt. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Ubicunque ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Ego ſum via, veritas, & vita. Teneamus ergo veram viam, vitam, & doctrinam, & ſanctum ejus Evangelium, qui dignatus eſt pro nobis Patrem ſuum, & nomen ejus nobis manifeſtare, dicens, Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi, quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis; & ipſi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his, quos dediſti mihi in nomine tuo, ut ſint unum, ſicut & nos. Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum, & pro eis ſanctifico me ipſum, ut ſint ipſi ſanctificati in veritate. Non enim pro eis rogo tantùm, ſed pro eis, qui credituri ſunt propter verba eorum in me, ut ſint conjuncti in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut me dilexiſti. Notum faciam eis nomen tuum, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, & videant claritatem tuam in Regno tuo.

CAPUT XXIII.

Oratio ad Deum, ſive gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.

OMnipotens, ſanctiſſime, altiſſime, & ſumme Deus Pater ſancte, & juſte Domine, Rex cœli & terræ, propter temet ipſum gratias agimus tibi, quod per ſanctam voluntatem tuam, & per unicum Filium tuum, & Spiritum ſanctum, creaſti omnia ſpiritualia, & corporalia, & nos ad imaginem tuam, & ſimilitudinem factos in paradiſo poſuiſti, & per culpam noſtram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia ſicut per Filium tuum nos creaſti, ſic per iſtam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, ipſum verum Deum, & verum hominem ex glorioſa ſemper Virgine beatiſſima ſancta Maria naſci feciſti, & per crucem, & ſanguinem, & mortem ipſius nos captivos redimere voluiſti. Et gratias agimus tibi, quia ipſe Filius tuus iterum venturus eſt in gloria majeſtatis ſuæ mittere maledictos, qui pœnitentiam non egerunt, & te non cognoverunt, in ignem æternum, & dicere omnibus, qui te cognoverunt, & adoraverunt, & tibi ſervierunt in pœnitentia: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Et quia omnes miſeri, & peccatores, non ſumus digni nominare te, ſuppliciter exoramus, ut, Dominus noſter JEſus Chriſtus Filius tuus dilectus, in quo tibi benè complacuit, una cum Spirito ſancto Paraclito gratias agat tibi, ſicut tibi, & ipſis placeat pro omnibus, qui tibi ſemper ſufficit ad omnia, per quem tanta nobis feciſti. Alleluja. Et glorioſam Matrem beatiſſimam ſemper Virginem, beatum Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & omnes Choros beatorum Spirituum. Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum, B. Joannem Baptiſtam, Joannem Evangeliſtam, Petrum, Paulum, & beatos Patriarchas, & Prophetas, Innocentes, Apoſtolos, Evangeliſtas, Diſcipulos, Martyres, Confeſſores, Virgines, beatos Eliam, & Enoch, & omnes Sanctos, qui fuerunt, erunt, & ſunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut, ſicut tibi placet, pro his tibi gratias referant ſummo Deo, vero, æterno, & vivo, cum Filio tuo beatiſſimo Domino JESU Chriſto, & Spiritu ſancto Paraclito in ſæcula ſæculorum, Amen. Alleluja. Et Domino DEO univerſos intra ſanctam Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam ſervire volentes,

& omnes ſequentes Ordines, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, & Exorciſtas, Lectores & Oſtiarios, & omnes Clericos, univerſos Religioſos, & univerſas Religioſas; omnes pueros & parvulos, pauperes, & egenos, Reges, & Principes, laboratores, & agricolas, ſervos, & dominos; omnes virgines, continentes, & maritatos, laicos maſculos, fœminas; omnes infantes; adoleſcentes, juvenes, & ſenes, ſanos, & infirmos, omnes puſillos, & magnos, & omnes populos, tribus, & linquas, & omnes nationes & omnes homines ubique terrarum, qui ſunt, & erunt, humiliter rogamus, & ſupplicamus nos omnes Fratres Minores, ſeu inutiles, ut omnes in vera fide, & pœnitentia perſeveremus; quia aliter nullus ſalvari poteſt. Omnes diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & fortitudine, & toto intellectu, & ex omnibus viribus, toto niſu, toto affectu, totis viſceribus, totis deſideriis, & voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam, totam vitam dedit, & dat omnibus nobis: qui nos creavit, & redemit, & ſola ſua miſericordia ſalvavit: qui nobis miſerabilibus, & miſeris, putridis, & fœtidis, ingratis, ignaris, & malis omnia bona fecit, & facit. Nihil ergo aliud deſideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat, & delectet nos, niſi Creator, & Redemptor, & Salvator noſter, ſolus, & verus Deus, qui eſt plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum, & ſummum bonum, qui ſolus eſt bonus, pius & mitis, ſuavis, & dulcis: qui ſolus eſt ſanctus, juſtus, verus, & rectus: qui ſolus eſt benignus, innocens mundus: à quo, per quem, & in quo eſt omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium pœnitentium, & juſtorum, omnium beatorum in Cœlis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil ſeparet, nihil interpellet. Utique nos omnes, omni loco, omni hora, & omni tempore, quotidie, & continuè credamus veraciter, & humiliter, & in corde teneamus, amemus, honoremus, adoremus, ſerviamus, laudemus, & benedicamus, glorificemus, & ſuperexaltemus, magnificemus, & gratias agamus altiſſimo, & ſummo DEO æterno, & Trinitati, & Unitati, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Creatori omnium, in ſe credentium, & ſperantium, & diligentium eum, qui ſine initio, & ſine fine, immutabilis, & inviſibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, inveſtigabilis, benedictus, laudabilis, glorioſus, ſuperexaltatus, ſublimis, excelſus, ſuavis, amabilis, delectabilis, & totus ſemper ſuper omnia deſiderabilis in ſæcula ſæculorum.

Exhortatio ad Fratres.

In nomine DEI omnipotentis rogo omnes Fratres, ut addiſcant tenorem, & ſenſum eorum, quæ in iſta vita ad ſalutem animæ noſtræ ſcripta ſunt, & iſta frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, ut ipſe, qui eſt omnipotens, trinus, & unus, benedicat omnes docentes, addiſcentes, recordantes, & operantes iſta, quoties repetunt, quæ ibi ad ſalutem noſtram ſcripta ſunt. Et deprecor omnes cum oſculo pedum, ut multùm diligant, cuſtodiant, & reponant, & ex parte Dei omnipotentis, & Domini Papæ, & per obedientiam, ego Franciſcus firmiter præcipio, & injungo, ut ex his, quæ in iſta vita ſcripta ſunt, nullus minuat, vel in ipſa ſcriptum aliquod deſuper addat, nec aliam Regulam Fratres habeant. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

SECUNDA REGULA,

B. Patris Franciſci pro Fratribus Minoribus.

CAPUT I.

In nomine Domini incipit Regula & Vita Fratrum Minorum.

Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri JESU Chriſti ſanctum Evangelium obſervare vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reverentiam D. Papæ Honorio, ac Succeſſoribus ejus Canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alii Fratres teneantur Fratri Franciſco, & ejus Succeſſoribus obedire.

CAPUT II.

De bis, qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Provinciales: quibus ſolummodò, & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur. Miniſtri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare; & uxores non habent, vel ſi habent, & jam Monaſterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo, & illius ſint ætatis uxores, qnod non poſſit de eis oriri ſuſpicio; dicant illis verbum ſancti Evangelii, quod vadant, & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare, quod ſi facere non potuerint, ſufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Miniſtri, ne ſoliciti ſint de rebns ſuis, temporalibus, ut liberè faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit eis. Si tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem uſque ad cingulum, niſi eisdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſervare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, juxta mandatum Domini Papæ; qnia ſecundùm ſanctum Evangelium, *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno DEI.* Et illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere. Et qui neceſſitate coguntur, poſſunt portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repeciare de ſaccis, & aliis peciis, cùm benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis, & coloratis indutos, uti cibis, & potibus delicatis; ſed magis unuſquiſque judicet, & deſpiciat ſemetipſum.

CAPUT III.

De divino Officio, & Jejunio; & quomodo Fratres ire debeant per mundum.

CLerici faciant divinum Officinm ſecundùm Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breviaria, Laici verò dicant viginti quatuor *Pater noſter* pro *Matutino*, pro *Laudibus* quinque, pro *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, pro qualibet iſtarum, ſeptem, pro *Veſperis* autem duodecim, pro *Completorio* ſeptem, & orent pro Defunctis. Et jejunent à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania uſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus ſuo ſancto jeiunio conſecravit, qui voluntariè eam jejnnant, benedicti ſint à Domino, & qui nolunt, non ſint adſtricti, ſed aliam uſque ad Reſurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur, niſi ſexta Feria jejunare. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Conſulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino JESU Chriſto, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent, ſed ſint mites, pacifici, & modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loqnentes omnibus, ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta neceſſitate, vel infirmitate cogantur. In quamcunque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et ſecundùm ſanctum Evangelium, de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare.

CAPUT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales Miniſtri tantùm, & Cuſtodes ſolicitam curam gerant, ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire. Eo ſemper ſalvo, ut, ſicut dictum eſt, denarios, vel pecuniam non recipiant.

CAPUT V.

De modo laborandi.

FRatres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & devotè; ita, quod excluſo otio animæ inimico, ſanctæ Orationis, & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſervire. De mercede verò laboris, pro ſe, & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant, præter denarios, vel pecuniam. Et hoc humiliter, ſicut decet ſervos DEI, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.

CAPUT VI.

Quod nihil ſibi approprient Fratres, & de Eleemoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed tanquam peregrini & advenæ in hoc ſæculo in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro Eleemoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos Hæredes, & Reges Regni cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri JESU Chriſti in perpetuum ſub Cœlo habere velitis. Et ubicunque ſunt, & ſe invenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit, & diligit filium ſuum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere, & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem. Et ſi quis eorum in infirmitatem ciciderit, alii Fratres debent ei ſervire, ſicut vellent ſibi ſerviri.

CAPUT VII.

De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

SI qui Fratrum, inſtigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur ad ſolos Miniſtros Provinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Preſbyteri ſunt, cum miſericordia injungant illis pœnitentiam; ſi verò Presbyteri non ſunt, injungi faciant per alios ſacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum, meliùs videbitur expedire. Et cavere debent, ne iraſcantur, & conturbentur propter peccatum alicujus: quia ira, & conturbatio, in ſe, & in aliis impediunt charitatem.

CAPUT VIII.

De electione generalis Miniſtri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

UNiverſi Fratres unum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio Succeſſoris fiat à Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes, in quo Provinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul convenire, ubicunque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitatis Miniſtrorum Provincialium, & Cuſtodum prædictum Miniſtrum eſſe ſufficientem ad ſervitium, & communem utilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pentecoſtes, Miniſtri, & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare.

CAPUT IX.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo Officium ſibi Prædicationis conceſſum. Moneo quoque, & exhortor eoſdem Fratres, ut in Prædicatione, quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia ad utilitatem, & ædificationem populi, annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, cum brevitate ſermonis; quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram.

CAPUT X.

De admonitione, & correctione Fratrum.

FRatres, qui ſunt Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum viſitent, & moneant

ant Fratres ſuos, & humiliter, & Charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram. Fratres verò, qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter præcipio, ut obediant ſuis Miniſtris, in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ. Et ubicunque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitativè, & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis, & facere, ſicut Domini ſervis ſuis. Nam ita debent eſſe, quod Miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum. Moneo verò, & exhortor in Domino JEſu Chriſto, ut caveant Fratres ob omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura, & ſollicitudine hujus ſæculi, detractione, & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere, ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, orare ſemper ad DEUM puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in perſecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt; quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

CAPUT XI.

Quod Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

PRæcipio firmiter Fratribus univerſis, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum, & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum; ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

CAPUT XII.

De euntibus inter Sarracenos, & alios infideles.

QUicunque Fratrum divina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Provincialibus, Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant niſi eis, quos viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, Protector, & Corrector hujus Fraternitatis, ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ejusdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini noſtri JESU Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus.

Laudes ſecundæ Regulæ Fratrum Minorum à B. Patre prolatæ.

Fratres mei, & filii chariſſimi; præclarè nobiſcum actum eſt in conceſſione hujus Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, liber vitæ, ſpes ſalutis, archa gloriæ, medulla Evangelii, via Crucis, ſtatus perfectionis, clavis paradiſi, pactum æterni fœderis. Nemo veſtrum eſt, qui ignoret, quantum emolumenti conferat nobis ſacra Religio, cum colluctator, & adverſarius noſter ad omnes dolos, vel cogitandos, vel explicandos mirus ſit artifex, atque omnia, quæ nocere poſſunt, pro laqueis habeat. Unde quamplures, niſi Religionis beneficio muniti eſſent, in ſummum diſcrimen adduxiſſet. Hanc ergo veſtram Regulam ſcitote omnes, & in alleviatione tædii, & memoria præſtiti Juramenti, cum interiori homine de ea confabulamini, cum intentione eam adimplendi ſemper præ oculis portate, imò & cum ipſa debetis mori.

PRIMA REGULA

Sanctimonialium S. Claræ à Beato Franciſco pro eisdem conſcripta.

CAPUT I.

Regula, & vita Sororum pauperum.

IN nomine Domini. Amen. Incipit Regula, & forma vitæ Ordinis Sororum pauperum, quæ quidem eſt ſanctum Evangelium Domini noſtri JESU Chriſti obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio & in caſtitate. CLARA indigna ancilla Chriſti promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Innocentio, ac Succeſſoribus ejus Canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et ſicut in principio converſionis ſuæ, unacum Sororibus ſuis, promiſit obedientiam Fratri Franciſco, ita eandem promittit inviolabiliter obſervare Succeſſoribus ſuis. Et aliæ Sorores teneantur ſemper Succeſſoribus Fratris Franciſci, & Sorori CLARÆ, & aliis Abbatiſſis canonicè electis ei ſuccedentibus obedire.

CAPUT II.

Qualiter recipi debeant.

SI qua, divina inſpiratione, venerit ad Sorores, volens vitam iſtam accipere, Abbatiſſa Sororum omnium conſenſum requirere teneatur. Et ſi major pars conſenſerit habita licentia Domini Cardinalis Protectoris, poſſit eam recipere. Et ſi recipiendam viderit, diligenter examinet eam, vel examinari faciat de fide Catholica, & Eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi hæc omnia credat, & velit ea fideliter confiteri, & uſque in finem firmiter obſervare, & virum non habeat, vel ſi habet, & jam Religionem intravit auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ jam emiſſo, ætate autem longæva, vel infirmitate aliqua, ſeu fatuitate ab hujusmodi obſervantia non impediente diligenter exponat ei tenorem hujusmodi vitæ. Et ſi idonea fuerit, dicatur ei verbum ſancti Evangelii, quod vadat, & vendat omnia ſua, & ea ſtudeat pauperibus erogare. Quod ſi facere non poterit, ſufficit ei bona voluntas. Et caveant Abbatiſſa, & ejus Sorores, ne ſolicitæ ſint de rebus ſuis temporalibus, ut liberè faciat de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit ei. Si tamen conſilium requiratur, mittant eam ad aliquos diſcretos, & DEUM timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſtea capillis tonſis in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, concedant ei tres tunicas, & mantellum. Deinceps extra Monaſterium, ſine utili, manifeſta, & probabili cauſa, eidem exire non liceat. Finito verò anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam, & formam hujus paupertatis in perpetuum obſervare. Nulla infra tempus probationis veletur, Mantella etiam poſſint Sorores habere pro alleviatione, & honeſtate ſervitii, & laboris. Abbatiſſa verò de veſtimentis diſcretè eis provideat ſecundùm qualitates perſonarum, & loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderit expedire. Juvenculæ, in Monaſterio receptæ infra tempus ætatis legitimæ, tondeantur in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, induantur panno religioſo, ſicut viſum fuerit Abbatiſſæ. Cùm verò ad ætatem legitimam pervenerint, indutæ juxta formam aliarum, faciant profeſſionem ſuam; & tam ipſis, quàm aliis noviciis Abbatiſſa ſolicitè Magiſtram provideat de diſcretioribus totius Monaſterii, quæ in ſancta converſatione, & honeſtis moribus, juxta formam profeſſionis Sororum, eas diligenter informet. In examinatione, & receptione Sororum ſervientium extra Monaſterium, ſervetur forma prædicta; quæ poſſunt portare calceamenta. Nulla cum Sororibus reſidentiam faciat in Monaſterio, niſi recepta fuerit ſecundùm formam hujus profeſſionis. Et amore ſanctiſſimi, & dilectiſſimi pueri JESU pauperculis pannis involuti, in præſepio reclinati, & ſanctiſſimæ Matris ejus moneo, deprecor, & exhortor Sorores meas, ut veſtimentis ſemper vilibus induantur.

CA-

CAPUT III.

De divino Officio, & jejunio, & quoties communicent.

SOrores litteratæ faciant divinum Officium ſecundùm conſuetudinem Fratrum Minorum, ex quo potuerint habere Breviaria, legendo ſine cantu. Et quæ occaſione rationabili non poſſint aliquando legendo dicere horas ſuas, liceat eis, ſicut aliæ Sorores recitant, dicere *Pater noſter*, quæ verò litteras neſciunt, dicant viginti quatuor *Pater noſter* pro *Matutino*, pro *Laudibus* quinque; pro *Prima* verò, *Tertia*, *Sexta*, *Nona* pro qualibet iſtarum ſeptem, pro *Veſperis* autem duodecim, pro *Completorio* ſeptem. Pro Defunctis dicant etiam in *Veſperis* ſeptem *Pater noſter*, & *Requiem æternam*, pro *Matutino* duodecim. Sorores litteratæ teneantur dicere Officium Defunctorum. Quando verò aliqua ex Sororibus migraverit, dicant quinquaginta *Pater noſter*. Omni tempore Sorores jejunent, in Nativitate Domini, quacunque die venerit, bis refici poſſint. Cum adoleſcentibus debilibus, & ſervientibus extra Monaſterium, ſicut videbitur Abbatiſſæ, poſſit miſericorditer diſpenſari. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Sorores jejunio corporali. Duodecim vicibus, ad minus, de Abbatiſſæ licentia confiteantur in anno. Et cavere debent, ne alia verba tunc inſerant, niſi quæ ad Confeſſionem, & ſalutem pertinent animarum. Sex vicibus communicent, videlicet in Nativitate Domini, in quinta Feria Majoris hebdomadæ, in Reſurrectione Domini, in Pentecoſte, in Aſſumptione beatæ Virginis, & in Feſto omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis Sororibus, Capellanis intus liceat intrare.

CAPUT IV.

De electione Abbatiſſæ.

IN electione Abbatiſſæ teneantur formam canonicam obſervare. Procurent ipſæ habere Generalem Miniſtrum, vel Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo DEI eas informet ad omnimodam concordiam, & communem utilitatem in electione facienda; & nulla eligatur niſi Profeſſa. Et ſi non Profeſſa eligeretur, vel aliter daretur, ei non obediant, niſi primo profiteatur formam hujus paupertatis. Qua decedente, electio alterius fiat Abbatiſſæ. Et ſi aliquo tempore appareret univerſitati Sororum, prædictam non eſſe ſufficientem ad ſervitium, & communem utilitatem ipſarum, teneantur prædictæ Sorores juxta formam prædictam, quam citius poterunt, aliam ſibi Abbatiſſam, & matrem eligere. Electa verò cogitet, quale onus in ſe ſuſceperit, & cui reddituræ eſt rationem de grege ſibi commiſſo. Studeat etiam aliis magis præeſſe virtutibus, & ſanctis moribus, quàm ex Officio, ut ejus exemplo provocatæ Sorores, potius ex amore obediant, quàm timore. De privatis amoribus caveat, ne dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. Conſoletur afflictas. Sit etiam ultimum refugium tribulatis, ne, ſi apud eam remedia defuerint ſanitatum, deſperationis morbus prævaleat in infirmis. Communitatem ſervet in omnibus, præcipue autem in Eccleſia, Dormitorio, Refectorio, Infirmaria, & veſtimentis. Quod ſimili modo ſervare ejus Vicaria teneatur. Semel in hebdomada, ad minus, Abbatiſſa Sorores ſuas teneatur ad Capitulum convocare, ubi tam ipſa quàm Sorores de omnibus, & publicis offenſis, & negligentiis debeant humiliter confiteri. Et quæ tractanda ſunt pro utilitate, & honeſtate Monaſterii, ibidem conferat cum omnibus Sororibus. Sæpe enim Dominus, quod melius eſt, minori revelat. Nullum debitum grave fiat, niſi de communi conſenſu Sororum, & manifeſta neceſſitate, & hoc per Procuratorem. Caveat autem Abbatiſſa cum Sororibus ſuis, ne depoſitum aliquod recipiat in Monaſterio, ſæpe enim de his turbationes, & ſcandala oriuntur. Ad conſervandam autem unitatem mutuæ dilectionis, & pacis de communi conſenſu omnium Sororum omnes Officiales Monaſterii eligantur. Et eodem modo octo ad minus Sorores de diſcretioribus eligantur, quarum in his, quæ forma vitæ Sororum requirit, Abbatiſſa ſemper uti conſilio teneatur. Poſſint etiam Sorores, & debeant, ſi eis utile, & expediens videatur, Officiales, & Diſcretas aliquando removere, & alias loco ipſarum eligere.

CAPUT V.

De ſilentio, & modo loquendi ad Locutorium, & ad Cratem.

AB hora *Completorii*, uſque ad *Tertiam* Sorores ſilentium teneant, exceptis ſervientibus extra Monaſterium. Sileant etiam continuè in Eccleſia, Dormitorio, & in Refectorio tantùm dum comedunt; præterquam ab infirmaria, in qua pro recreatione, & ſervitio infirmarum loqui diſcretè ſemper Sororibus li-

liceat. Poſſint etiam ſemper & ubique breviter ſubmiſſa voce, quod neceſſe fuerit, inſinuare. Non liceat Sororibus loqui ad Locutorium, vel ad Cratem ſine licentia Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ. Et licentiatæ ad Locutorium loqui non audeant, niſi præſentibus, & audientibus duabus Sororibus. Ad Cratem verò non præſumant accedere, niſi præſentibus, ad minus, tribus per Abbatiſſam, vel ejus Vicariam aſſignatis, de illis Diſcretis, quæ ſunt electæ ab omnibus Sororibus pro Conſilio Abbatiſſæ. Hanc formam loquendi teneantur, pro poſſe, Abbatiſſa, & ejus Vicaria obſervare. Et hoc de Crate rariſſimè. Ad portam verò nullatenus fiat. Ad Cratem verò pannus interius opponatur, qui non removeatur, niſi cùm proponitur verbum DEI, vel aliqua alicui loquatur. Habeant etiam oſtium ligneum diverſis, vel duabus ſeris ferreis, valvis, & vectibus optimè conjunctum, ut nocte maximè, duabus clavibus obſcretur, quarum unam habeat Abbatiſſa, aliam verò Sacriſta. Et maneat ſemper obſeratum, niſi cùm auditur divinum Officium, & pro cauſis ſuperius memoratis. Nulla ante ſolis ortum, vel poſt ſolis occaſum loqui ad Cratem ullatenus debeat. Ad Locutorium verò ſemper pannus, qui non removeatur, interius maneat. In Quadrageſima ſancti Martini & Quadrageſima majori, nulla loquatur ad Locutorium, niſi Sacerdoti, cauſa confeſſionis, vel alterius manifeſtæ neceſſitatis, quod teſervetur in prudentia Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ.

CAPUT VI.

Qualiter Sorores non recipiant poſſeſſionem aliquam, vel proprietatem, per ſe, vel per interpoſitam perſonam.

Abbatiſſa, cum omnibus Sororibus, ſolicitæ ſint ſanctam paupertatem, quam Domino DEO promiſerunt, cuſtodire, & eandem teneantur Abbatiſſæ futuræ, & Sorores omnes uſque in finem inviolabiliter obſervare; videlicet in non recipiendo ſeu habendo poſſeſſionem, vel proprietatem, per ſe, nec per interpoſitam perſonam, ſeu etiam aliquid, quod rationabiliter proprietatis dici poteſt; niſi quantum terræ pro honeſtate, & renovatione Monaſterii, neceſſitas requirit. Et illa terra non laboretur, niſi pro horto ad neceſſitatem ipſarum.

CAPUT VII.

De modo laborandi.

Sorores, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, poſt horam Tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, & communem utilitatem, fideliter, & devotè; ita quod excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis, & devotionis ſpiritum non extinguant; cui debent cætera temporalia deſervire. Et id, quod manibus ſuis operantur, aſſignare in Capitulo Abbatiſſæ, vel ejus Vicariæ coram omnibus teneantur. Idem fiat de Eleemoſyna aliqua miſſa pro Sororum neceſſitatibus ab aliquibus, ut in communi pro eiſdem recommendatio fiat. Et hæc omnia pro communi utilitate diſtribuantur per Abbatiſſam, vel ejus Vicariam, de conſilio Diſcretarum.

CAPUT VIII.

Qualiter Sorores nihil ſibi approprient, & de infirmis Sororibus.

Sorores nihil approprient ſibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, ſed tanquam peregrinæ, & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate, Domino famulantes, mittant pro Eleemoſyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimas Sorores meas hæredes, & Reginas Regni Cœlorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimavit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viventium. Cui, dilectiſſimæ Sorores, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini JESU Chriſti in perpetuum ſub cœlo habere velitis. Non liceat alicui Sorori litteras mittere, vel aliquid recipere, aut extra Monaſterium dare ſine licentia Abbatiſſæ. Nec quidquam liceat habere, quod Abbatiſſa non dederit, aut permiſerit. Et ſi à parentibus ſuis, vel ab aliis aliquid mitteretur, Abbatiſſa faciat illi dari; ipſa autem ſi indigeat, uti poſſit. Sin autem Sorori indigenti charitativè communicet. Si verò aliqua pecunia tranſmiſſa fuerit, Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum in illis, quorum indigeat, illi faciat provideri.

De infirmis Sororibus, tam in conſiliis, quàm in cibariis, & aliis neceſſariis, quæ earum requirit infirmitas, teneatur firmiter Abbatiſſa ſolicitè

ctè per ſe, vel per alias inquirere, juxta poſſibilitatem loci, charitativè, & miſericorditer providere. Quia omnes tenentur providere, & ſervire Sororibus ſuis infirmis, ſicut vellent ſibi deſervirl, ſi ab aliqua infirmitate tenerentur. Et ſecurè manifeſtet una alteri neceſſitatem ſuam. Quia ſi vera Mater diligit, & nutrit filiam ſuam carnalem, quanto diligentius debet quælibet Soror diligere, & nutrire Sororem ſuam ſpiritualem? Quæ infirmæ ſunt, ſaccis, & paleis jaceant, & habeant capitalia cum pluma. Et quæ indigent pediolis laneis, & culcitris, uti poſſunt. Infirmæ verò prædictæ, cùm ab introëuntibus Monaſterium viſitantur, poſſint ſingulæ aliqua bona verba ſibi loquentibus breviter reſpondere. Aliæ verò Sorores licentiatæ, Monaſterium intrantibus loqui non audeant, niſi præſentibus, & audientibus duabus Diſcretis Sororibus per Abbatiſſam, & ejus Vicariam aſſignatis. Hanc formam loquendi teneatur per ſe Abbatiſſa, & ejus Vicaria obſervare.

CAPUT IX.

De pænitentia Sororibus imponenda.

SI quæ Sororum contra formam Profeſſionis noſtræ mortaliter inimico inſtigante, peccaverit, per Abbatiſſam, vel alias Sorores bis, aut ter admonita, ſi non ſe emendaverit; quot diebus contumax fuerit; in terra panem, & aquam coram Sororibus omnibus in Refectorio comedat, & graviori pœnæ ſubjaceat, ſi viſum fuerit Abbatiſſæ. Interim dum contumax fuerit, oretur, ut Dominus ad pœnitentiam cor illius illuminet. Abbatiſſa verò, & ejus Sorores cavere debent, ne iraſcantur propter peccatum alicujus; quia ira, & conturbatio in ſe, & in aliis impediunt Charitatem. Si contigerit, quod abſit, inter Sororem, & Sororem verbo, vel ſigno occaſionem turbationis, vel ſcandali aliquando ſuboriri; quæ turbationis cauſam dederit, ſtatim, antequam offerat munus Orationis ſuæ coram Deo, non ſolùm humiliter proſternet ſe ad pedes alterius, veniam petens, verùm etiam ſupplicíter roget, ut pro ſe intercedat ad Dominum, quod ſibi indulgeat. Illa verò memor illius verbi Domini: Niſi ex corde dimiſeritis: nec Pater cœleſtis dimittet vobis, liberaliter Sorori ſuæ omnem injuriam ſibi illatam dimittat. Sorores ſervientes extra Monaſterium longam moram non faciant, niſi cauſa manifeſtæ neceſſitatis requirat. Et honeſtè debeant ambulare, & parum loqui, ut ædificari valeant ſemper intuentes. Et firmiter caveant, ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia aliquorum; ne fiant commatres virorum, aut mulierum, ne hac occaſione murmuratio, vel turbatio oriatur. Nec præſumant rumores de ſæculo referre in Monaſterio: & firmiter teneantur, de his, quæ intus dicuntur, vel aguntur, extra Monaſterium aliquid non referre, quod poſſit aliquod ſcandalum generare. Et ſi aliqua ſimpliciter in his duobus offenderit, ſit in prudentia Abbatiſſæ miſericorditer ſibi pœnitentiam injungere. Si autem ex conſuetudine vitioſa laberetur, juxta qualitatem culpæ, Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum illi pœnitentiam injungat.

CAPUT X.

De Viſitatione Sororum ab Abbatiſſa.

ABbatiſſa moneat, & viſitet Sorores ſuas, & humiliter, & charitativè corrigat eas, non præcipiens eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & hujus Profeſſionis formam. Sorores verò ſubjectæ recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter ſuis Abbatiſſis obedire teneantur in omnibus, quæ obſervare promiſerunt, & non ſunt animæ contraria, & ſuæ profeſſioni. Abbatiſſæ verò tantam familiaritatem habeant circa ipſas, ut dicere poſſint eis, & facere ſicut Dominæ ancillis ſuis. Nam ita debet eſſe, quod Abbatiſſa ſit omnium Sororum ancilla. Moneo verò, & exhortor in Domino JESU Chriſto, ut caveant Sorores ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura, & ſollicitudine hujus ſæculi, detractione, & murmuratione, diſſenſione, & diviſione. Sint verò ſolicitæ ſemper ad invicem ſervare mutuæ dilectionis unitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Et neſcientes litteras, non curent litteras diſcere; ſed attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, orare ſemper ad eum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in tribulatione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos reprehendunt, & arguunt; quia dicit Dominus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

CAPUT XI.

De Oſtiaria.

OStiaria ſit matura moribus, & diſcreta, ſitque convenientis ætatis, quæ ibidem in cella aperta ſine oſtio in die reſideat. Sit ei & aliqua ſocia idonea àſſignata, quæ, cùm neceſſe fuerit, vicem ejus in omnibus exequatur. Sit autem oſtium duabus ſeris, & diverſis ferreis valvis, & vectibus optimè conjunctum, & in nocte maximè duabus clavibus obſeretur, quarum unam habeat Portaria, aliámque Abbatiſſa. In die ſine cuſtodia minimè dimittatur, & una clave firmiter obſeretur. Caveant autem ſtudioſiſſimè, & procurent, ne unquam oſtium ſit apertum, ubi minus fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, niſi conceſſum fuerit à ſummo Pontifice, vel à Domino Cardinali. Nec ante ſolis ortum Monaſterium ingredi liceat, nec poſt ſolis occaſum, Sorores intus aliquem non remanere permittant, niſi exigente manifeſta rationabili, & inevitabili cauſa. Si pro benedictione Abbatiſſæ, vel pro aliqua in Monialem conſecranda, vel alio etiam modo conceſſum fuerit Epiſcopo alicui Miſſam interius celebrare, quàm paucioribus, & honeſtioribus poterit, ſit contentus ſociis, & miniſtris. Cùm autem intra Monaſterium, ad opus faciendum, neceſſe fuerit aliquos introire, ſtatuat tunc Abbatiſſa ſolicitè perſonam convenientem ad porram, quatenus illis, & non aliis, ad opus deputatis aperiat. Caveant ſtudioſè omnes Sorores, ne tunc ab ingredientibus videantur.

CAPUT XII.

De viſitatione.

VIſitator Sororum ſemper ſit de Ordine Fratrum Minorum ſecundùm voluntatem, & mandatum Domini Cardinalis. Et ſit talis, de cujus honeſtate & moribus plena notitia habeatur. Cujus officium erit, tam in Capite, quàm in membris corrigere exceſſus commiſſos contra formam profeſſionis. Qui ſtans in publico lòco, ut videri ab aliis poſſit, cum pluribus, & ſingulis loqui liceat, quæ ad Officium viſitationis pertinent, ſecundùm quod meliùs viderit expedire. Capellanum etiam cum uno ſocio Clerico bonæ famæ, diſcretionis providæ, & duos Fratres laicos ſanctæ converſationis, & honeſtatis amatores, in ſubſidium paupertatis, ſicut hactenus ab Ordine Minorum miſericorditer habuerunt, ab eodem Ordine poſtulent. Nec liceat Capellano ſine ſocio Monaſterium ingredi. Et intrantes in lòco ſint publico, ut ſe poſſint alterutrum, & ab aliis intueri.

Pro Confeſſione infirmarum, quæ ad Locutorium ire non poſſunt, pro comunicandis eisdem, & pro extrema Unctione, & pro animæ recommendatione, liceat eisdem introire. Pro exequiis verò, & Miſſarum ſolemniis Defunctarum, vel ad fodiendam, vel aperiendam ſepulturam, ſeu etiam coaptandam, poſſint ſufficienter idoneæ perſonæ Abbatiſſæ providentia introire. Ad hæc Sorores teneantur ſemper habere illum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus pro Gubernatore, Protectore, & Correctore, qui fuerit à Domino Papa Fratribus Minoribus deputatus, ut ſemper ſubditæ, & ſubjectæ pedibus ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem Domini noſtri JEſu Chriſti, & ejus ſanctiſſimæ Matris, in perpetuum obſervemus.

RE-

REGULA TERTIARIORUM, SIVE FRATRUM DE POENITENTIA.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

CAPUT I.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem.

SI qui voluerint hanc vitam obſervare, & illos ad eam obſervandam aſſumi contigerit, ante aſſumptionem, ſeu receptionem ipſorum de fide Catholica, & obedientia erga præfatam Eccleſiam, diligenti examinationi ſubdantur. Et ſi eas profeſſi firmiter fuerint, veréque crediderint, admitti, ſeu recipi tutè poterunt ad eandem. Præcavendum eſt tamen ſolicitè, ne quis hæreticus, vel ſuſpectus de hæreſi, aut etiam infamatus, ad vitæ obſervationem iſtius quomodolibet admittatur. Et ſi talem inveniri contigerit extitiſſe receptum, aſſignetur ille quantocyus Inquiſitoribus pravitatis hæreticæ puniendus.

CAPUT II.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.

CUm autem Fraternitatem hujusmodi quis intrare voluerit, Miniſtri, ad receptionem talium deputati, ejus officium, ſtatum, & conditionem ſolerter explorent, ſibi Fraternitatis ejusdem onera, præcipuè alienorum reſtitutionem, apertius exponentes. Quibus præmiſſis, ſi eidem placuerit, juxta modum hujusmodi induatur; & de alienis, ſi quæ fuerint apud eum, ſatisfacere ſtudeat in pecunia numerata, vel ſecundùm exhibitam pignoris cautionem, ſeque nihilominus proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum perductis, poſt unius anni ſpatium, cum aliquorum diſcretorum Fratrum conſilio, ſi is videbitur ipſis idoneus, recipiatur hoc modo: videlicet, ut promittat ſe divina præcepta omnia ſervaturum, ac etiam ſatisfacturum, ut convenit, de transgreſſionibus, quas contra hunc vivendi modum commiſerit, cùm interpellatus ad viſitatoris extiterit voluntatem. Et hujusmodi ab eo facta promiſſio per manum publicam in ſcriptis inibi redigatur. Alio aûtem modo nullus à Miniſtris recipiatur eisdem, niſi viſum eis aliter fuerit, conditione perſonæ, ac ipſius inſtantia, ſolicita conſideratione diſcuſſis. Ordinamus ſtatuentes, ut nullus poſt ipſius Fraternitatis ingreſſum, eandem egredi valeat ad Sæculum reverſurus. Poſſit tamen habere liberum tranſitum ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus verò viros habentibus, niſi de ipſorum licentia, & conſenſu, non pateat ad conſortium dictæ Fraternitatis ingreſſus.

CAPUT III.

De forma habitus, & qualitate indumentorum.

FRatres inſuper ipſius Fraternitatis de humili panno in pretio, & colore non prorſus albo, vel nigro communiter veſtiantur: niſi fuerit ad tempus in pretio, per viſitatores, de conſilio Miniſtrorum, ob cauſam legitimam, & apertam cum aliquo diſpenſatum. Chlamydes quoque ac pelles absque ſcolatura ſciſſas, vel integras, aſtibulatas tamen, non patulas, ut congruit honeſtati, clauſasque manicas Fratres habeant ſupradicti. Sorores etiam Chlamyde induantur, & tunica de hujusmodi humili panno factis, vel ſaltem cum Chlamyde habeant guarnellum, ſeu placentinum coloris albi, vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, ſive lino absque ulla criſpatura conſutum. Circa humilitatem verò panni, & pellitiones Sororum ipſarum juxta conditionem cujuslibet earundem, ac loci conſuetudinem poterit diſpenſari. Bindis, & ligaturis ſericis non utantur, pelles duntaxat aginas, burſas de corio, & corrigas ſimpliciter absque ſerico ullo factas, & non alias tam Fratres habeant, quàm Sorores, depoſitis cæteris, juxta beati Petri Apoſtolorum Principis ſalubre conſilium, vanis hujus ſæculi ornamentis.

CAPUT

CAPUD IV.

Quod non vadant ad inhoneſta convivia, & ſpectacula, & quod hiſtrionibus nihil dent.

Sit eis ad inhoneſta convivia, vel ſpectacula, ſive curias, ſeu Choreas, acceſſus penitùs interdictus. Hiſtrionibus, ſeu vanitatis intuitu nihil dent. Et ne quidquam illis donetur à propria familia, procurent.

CAPUT V.

De abſtinentia & jejunio.

Ab eſu autem carnium, ſecunda, quarta, & ſexta feria, diéque Sabbati abſtineant univerſi, niſi aliud infirmitatis, vel debilitatis inſtantia ſuaderet. Minutis verò per triduum carnes dentur; nec ſubtrahantur in itinere conſtitutis. Sit quoque ipſarum comeſtio licita ſingulis, cùm ſolemnitatem præcipuam intervenire contigerit, in qua cæteri Chriſtiani ab antiquo epulis carneis veſci ſolent. Aliis autem diebus, in quibus jejunium non ſervant, ova, & caſeus non negentur, ſed cum Religioſis cæteris in eorum conventualibus domibus, licitè ſumere valeant de appoſitis ab eiſdem, ſintque prandii, cœnæque refectione contenti, exceptis lanquidis, & viatoribus, ac infirmis. Sit ſanis cibus moderatus, & potus, cùm textus Evangelicus habeat. Attendite, ne corda veſtra crapula, & ebrietate graventur. Prandium autem, vel cœna, non niſi præmiſſa ſemel Dominica oratione ſumatur, poſt ſumptionem cuilibet cum Deo gratias iteranda. Quod ſi omitti contigerit, dicatur tribus vicibus *Pater noſter*. . . Qualibet verò ſexta Feria totius anni jejunium celebrent, niſi fortè infirmitate, aut alia cauſa legitima excuſentur, vel niſi feſtum Natalis Domini Feria ipſa occurreret obſervandum. Sed à feſto omnium Sanctorum usque ad Paſcha quarta, & ſexta Feria jejunabunt, alia quæ ab Eccleſia ſunt ſtatuta, vel ordinata, ex cauſa communiter indicta jejunia ſervaturi. In Quadrageſima verò B. Martini usque ad diem Nativitatis Domini, & à Dominica Quinquageſimæ usque ad Paſcha, diebus ſingulis, exceptis Dominicis, jejunare procurent; niſi aliud fortaſſis infirmitas, vel neceſſitas alia ſuaderet. Sorores gravidæ usque ad ſuæ purificationis diem, ab exercitatione qualibet corporali, orationibus duntaxat exceptis, poterunt, ſi voluerint, abſtinere. Laborantes autem, propter fatigationis afficientis inſtantiam, à Dominicæ Reſurrectionis feſto usque ad Feſtivitatem B. Michaëlis prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licitè ſumere cibum poſſunt. Cum verò contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appoſitis die qualibet ſumere licebit eisdem, niſi ſexta Feria, vel dies ſit alia, in qua generaliter ab Eccleſia jejunium noſcitur inſtitutum.

CAPUT VI.

Quoties debent confiteri per annum, & ſumere corpus Chriſti.

Singula autem Fratrum, & Sororum ter in anno, videlicet in Natali Domini, in Reſurrectionis ipſius & Pentecoſtes feſtivitatibus, peccata propria confiteri, & Evchariſtiam devotè ſuſcipere non poſtponant, reconciliando ſe proximis, & reſtituendo etiam aliena.

CAPUT VII.

Quod non ferant arma impugnationis.

Impugnationis arma ſecum Fratres non deferant, niſi pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, Chriſtianæ fidei, vel etiam terræ ipſorum, aut de ſuorum licentia Miniſtrorum.

CAPUT VIII.

De dicendis horis Canonicis.

Dicant univerſi quotidie ſeptem horas Canonicas, videlicet *Matutinum*, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, *Veſperas*, & *Completorium*; Clerici, videlicet ſcientes Pſalterium, pro *Prima*, *Deus in nomine*, &c. *Beati immaculati*, usque ad *legem*, cum *Gloria Patri* dicant, cùm verò ad Eccleſiam non accedent, pro Matutino Pſalmos dicere ſtudeant, quos dicunt Clerici, vel Eccleſia Cathedralis, vel ſaltem, ut illiterati alii, pro *Matutino* duodecim, & pro qualibet alia hora ſeptem vicibus *Pater noſter*, cum *Gloria Patri* dicere non omittant; in quibus videlicet *Prima* ac *Completorii* Horis minus Symbolum, & *Miſerere mei Deus*, adjiciant, qui noverint. Sed ſi Horis non dixerint conſtitutis, dicant tribus vicibus *Pater noſter*. Infirmi autem Horis hujusmodi non teneantur dicere, niſi velint. In Quadrageſima ſancti Martini, & etiam in majori, Eccleſias, in quarum Parochiis habitant, Matutinalibus Horis perſonaliter adire procurent, niſi cauſa rationabili excuſentur.

CAPUT

CAPUT IX.

Quod omnes, qui de jure poſſint, faciant teſtamentum.

OMnes præterea, quibus de jure facultas affuerit, condant, ſeu faciant teſtamentum & de bonis ſuis infra tres menſes poſt eorum ingreſſum immediatè ſequentes ordinent, & diſponant, ne quemquam illorum contingat decedere inteſtatum.

CAPUT X.

De pace reformanda inter Fratres, & alios extraneos.

DE pace verò inter Fratres, & Sorores, aut etiam exteros in diſcordia poſitos, facienda, ſicut Miniſtris videbitur, ita fiat, adhibito, ſi facultas affuerit, Epiſcopi Diœceſani conſilio in hac parte.

CAPUT XI.

Quando moleſtantur contra jus, aut eorum privilegia.

SI verò Fratres, aut Sorores contra jus vel eorum privilegia, per Poteſtates, ſeu rectores locorum, ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, Miniſtri loci ad eos Epiſcopos, & alios locorum ordinarios, ſtudeant habere recurſum, juxta conſilium, & ordinationem ipſorum in talibus proceſſuri.

CAPUT XII.

Quod caveant, in quantum poſſunt, à juramentis ſolemnibus.

A Juramentis autem ſolemnibus omnes abſtineant, niſi neceſſitate cogente in caſibus per indulgentiam Apoſtolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, & teſtimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis, & donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, ut poterunt, juramenta. Et qui de aliquo minùs cautè juraverit lapſu linguæ, prout contingere in multiloquio conſuevit, die ipſo in ſero, cùm debet recogitare, quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem Dominicam, propter incautè facta hujuſmodi juramenta. Memor autem ſit quilibet, ut ad divina obſequia familiam propriam exhortetur.

CAPUT XIII.

De audienda Miſſa & Congregatione facienda.

UNiverſi ſanè Fratres, & Sorores, cujuſcunque civitatis, aut loci, diebus ſingulis, ſi commodè poterunt, Miſſæ Officium audiant. Et menſe quolibet ad Eccleſiam, ſive loca, ad quam, vel quæ Miniſtri curaverint intimare, conveniant, Miſſarum ſolemnia inibi audituri. Unusquiſque autem uſualis monetæ denarium Miſſario tribuat, qui pecuniam hujusmodi colligat, & eam de conſilio Miniſtrorum inter Fratres, & Sorores paupertate gravatos, & præcipuè infirmantes, ac eos, qui funeris carere dignoſcuntur exequiis, & deinde inter pauperes alios dividant congruenter. Offerant inſuper de dicta pecunia Eccleſiæ memoratæ, tuncque, ſi commodè poterunt, virum Religioſum, & in verbo Dei competenter inſtructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam, & miſericordiæ opera exercenda hortetur, ſollicitè moneat, & inducat. Studeat quilibet, dum Miſſæ celebratur Officium, & prædicationis verbum proponitur, ſervare ſilentium, orationi, & Officio ſit intentus, niſi eum communis utilitas fraternitatis impediat.

CAPUT XIV.

De Fratribus infirmis, & defunctis.

CUm autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, Miniſtri per ſe, vel per alium, ſeu alios, ſi hoc eis infirmus fecerit intimari, ſemel in hebdomada, viſitare teneantur ægrotum, ipſum ſolicitè ad recipiendum pœnitentiam, prout melius, & efficacius expedire putaverint, inducentes, neceſſaria illi, de bonis communibus miniſtrando. Et ſi præfatus infirmus de præſenti luce migraverit, Fratribus, & Sororibus, tunc in civitate, vel loco, ubi eum contigerit mori præſentibus nuntietur, ut defuncti exequiis procurent perſonaliter intereſſe; à quibus, donec Miſſarum fuerint celebrata ſolemnia, & corpus tumulo conditum, non recedant. Hæc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes, volumus obſervari. Præterea infra octo dies poſt ipſius ſepulti obitum immediatè ſequentes, quilibet Fratrum, & Sororum ipſarum dicat pro anima ejus, Sacerdos videlicet Miſſam unam; ſciens Pſalterium, quinquaginta Pſalmos; & illiterati totidem *Pater noſter* & in fine cujuslibet Requiem æternam adjiciat. Et poſt hæc infra annum, pro Fratrum, & Sororum tam vivo-

vivorum, quàm defunctorum ſalute, tres Miſſas faciant celebrari. Qui verò Pſalterium ſciverint, illud dicant, & cæteri Orationem Dominicam centies dicere non omittant, Requiem æternam in fine cujuslibet additurì.

CAPUT XV.
De Miniſtris.

MIniſteria quoque ac alia Officia, quæ præſentis formulæ ſeries exprimit poſita, quisque ſibi devotè ſuſcipiat, curétque fideliter exercere. Officium autem cujuslibet, certi temporis ſpatio limitetur. Nullus Miniſter inſtituatur ad vitam, & ejus Miniſterium certum tempus comprehendat.

CAPUT XVI.
De viſitatione, & correctione delinquentium.

AD hæc Miniſtri, & Fratres ac Sorores civitatis, & loci cujuslibet, ad viſitationem communem, in aliquo loco Religioſo, vel Eccleſia, ubi locum hujusmodi contigerit deeſſe, conveniant, & viſitatorem habeant Sacerdotem, qui alicujus approbatæ Religionis exiſtat, quique illis de commiſſis exceſſibus injungat pœnitentiam ſalutarem, nec quivìs alius poſſit eis hujusmodi Viſitationis officium exhibere. Hujusmodi autem viſitationis officium ſemel exerceatur in anno, niſi neceſſitate aliqua ſuadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles verò, ac inobedientes monitio trina præveniat. Qui ſi ſe corrigere non curaverint, de ipſius Congregationis conſortio expellantur omnino de conſilio Diſcretorum.

CAPUT XVII.
De vitandis litigiis inter ſe, & cum aliis.

VItent inſuper Fratres, & Sorores, juxta poſſe, ligitia inter ſe; illa, ſi ſuſcitari contigerit, ſolicitè dirimendo: alioquin de jure coram illo reſpondeant, apud quem poteſtas reſidet judicandi.

CAPUT XVIII.

Qualiter, & per quos in abſtinentiis poſſit diſpenſari.

ORdinariì autem locorum, vel Viſitator cum Fratribus, & Sororibus univerſis in abſtinentiis, jejuniis, & auſteritatibus aliis ex cauſa legitima, cùm expedire viderint, poterunt diſpenſare.

CAPUT XIX.

Quod Miniſtri eorum manifeſtas culpas denuntient Viſitatori.

MIniſtri verò manifeſtas Fratrum & Sororum culpas Viſitatori denuntient puniendas. Et ſi quisquam incorrigibilis fuerit, poſt trinæ admonitionis inſtanriam à Miniſtris de diſcretorum Fratrum aliquorum conſilio Viſitatori nuntietur eidem, de Fraternitatis conſortio abjiciendus ab ipſo, & in Congregatione poſtmodum publicandus.

CAPUT XX.

Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.

CÆterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres, & Sorores hujus Ordinis non ex divinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari; ſed impoſitam ſibi pœnitentiam pro transgreſſionis exceſſu prompta humilitate recipiat, & efficaciter ſtudeat adimplere.

ADDI-

ADDITAMENTUM XXVI.

REGULA
MONACHORUM S. HIERONYMI.

OBSERVATIO CRITICA.

In hoc collimant omnes eruditi, quod S. *Hieronymus nullam Regulam Monaſticam ſcripſerit, etſi & ipſe eximius Eccleſiæ Doctor vitam Monaſticam acerrimè excoluerit. Regula enim illa à S. Benedicto Aniano in concordia Regularum citata, nihil aliud eſt, niſi Præfatio S. Hieronymi in Regulam ſancti Pachomii, quam quidem Holſtenius in parte prima Codicis promulgavit. Pari modo loquendum eſt de alia monaſtica, ventilata in Tomo novo ejusdem operum à Mariano Victorio editorum, quæ ſolùm continet collectionem ſententiarum de vita monaſtica, hinc inde per ejus opera ſparſarum, quas in unum collegit Lupus Olivetus Ordinis Hieronymitarum Miniſter Generalis, atque inter Opera ſancti Doctoris collocari curavit. Hanc igitur Regulam ex variis S. Hieronymi Epiſtolis, aliiſque piis Tractatibus conſarcinatam, prædictus Lupus Olivetus, circa annum MCCCCXX. Martino V. Papæ præſentavit, ejusque confirmationem obtinuit, non quidem tanquam genuinum S. Hieronymi factum, ſed ex ejus operibus aſceticis collectum, prout verba ipſius Bullæ teſtantur. Talem igitur originem habuit hæc Regula, quam proin eruditiſſimus Dom. Joannes Martianay in ſua nova editione Operum S. Hieronymi inter opera ſuppoſititia collocavit. Ibidem etiam adeſt Regula Monachorum, inſulſiſſimis ſententiis referta, omnino indigna S. Hieronymo Tom. I. Pariſiis* 1706. *prout ipſe Martianay notavit, quæ proin inter ſelecta Codicis Regularum Additamenta nullum locum meretur.*

MARTINI QUINTI PONTIFICIS,
ſequentis Regulæ Monachorum Approbatio.

Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI ad perpetuam rei memoriam. Et ſi pro cunctorum Chriſti fidelium, quibus curam apoſtolatus Officii gerimus, ſtatu ſalubriter dirigendo & ampliando diligenter adhibeamus ſollicitudinis noſtræ partes. Illos tamen affectuoſiori proſequimur charitate, qui mundanis abjectis illecebris, in humilitatis ſpiritu ſedulo virtutum Domino famulantur. Unde ea, quæ pro illorum ſub vera Religionis obſervantia ſtabiliendo propoſito providè emanâſſe comperimus, ut firma illibatáque permaneant, libenter Apoſtolico munimine roboramus.

Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii Lupi de Oliveto, Ordinis Monachorum Eremitarum ſancti Hieronymi generalis præpoſiti, nobis expoſito, quod dudum ipſe & plerique alii profeſſores ordinis ejusdem ſancti Hieronymi ſub regula ſancti Auguſtini tunc viventes, Zelo devotionis accenſi, ob frugem vitæ melioris, arctiùs & perfectiùs quàm Regula dictaret hujusmodi, & in vero ſtatu Monachali, quem ipſe ſanctus Hieronymus cum ſuis Monachis & Fratribus profeſſus fuiſ-

fuiſſe, & in communi obſervaſſe perhibetur, vivere, & ùt nomen gerebat ejusdem Sancti, ſic ejus vitam, regulam, & opera deſiderabant imitari.

Idcirco ad hujusmodi Ordinis ſtabile potius fundamentum, pro inſtitutione Regulæ Monachorum Eremitarum Ordinis ſancti Hieronymi ex diverſis Epiſtolis & tractatibus per dictum ſanctum Hieronymum editis, & per Eccleſiam approbatis, nonnullámque veram Religionis Doctrinam vitámque Monachalem, quam idem Sanctus cum ſuis Monachis & Fratribus in ejus vita in communi, quoad ea, quæ principalia ſunt ſtatus & vitæ Monachalis, permulta & uſque ſui tempora obitus obſervavit: & aliquos alios obſervare movit continentia: Lupus ipſe contraxerat, compilaverat, & velut in unum Corpus, ſub certis titulis reduxerat; ſub quibus ipſe & plerique alii Monachi & Fratres dicti Ordinis ex tunc in antea degere & permanere, ac illa in Regulam ſuſcipere proponebant & affectabant.

Nos tunc hujusmodi propoſitum condignum & rationi conſonum recenſentes, hujusmodi Regularem & Monachalem obſervantiam ipſum ſanctum Hieronymum in vita ejus obſervandam merito laudantes & approbantes: illámque in DEI Eccleſia in Ordinem Monachalem attolli, & obſervare intenſis deſideriis affectantes: eidem Lupo doctrinam & inſtituta Monachalia ejusdem ſancti Hieronymi ex eisdem Epiſtolis & tractatibus, prout per ipſum Lupum extracta, compilata & reducta fuerant: loco Regulæ ſancti Auguſtini in Regulam monachalem Ordinis Monachorum Eremitarum dicti ſancti Hieronymi, & ejusdem Sancti vitam præfatam in Ordinem hujusmodi ſuſcipiendam: ac ipſam Regulam dicti Sancti, Prioribus, Monachis, Fratribus, & perſonis prædictis ſub ea vivere cupientibus, quos etiam ac ipſum Lupum, poſtquam ſecundùm eandem Regulam vota ſua principalia emiſiſſent, à Regulæ dicti ſancti Auguſtini obſervantia ex tunc penitus abſolutos eſſe volumus: & decrevimus obſervandam, tradendi, & publicandi plenam & liberam per alias noſtras literas, quas & earum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, conceſſimus Facultatem: ac per easdem literas voluimus, quod poſtquam idem Lupus Regulam hujusmodi tradidiſſet & publicaſſet, ut præfertur, ex tunc ipſe, ac Priores, Monachi, Fratres, perſonæ, prædicti ſecundùm illam vota ſua principalia Religionis hujuscemodi, emittere, profiteri, & vivere tenerentur: Ipſáque Regula ſic tradita & publicata, robur obtineret perpetuæ firmitatis.

Cùm autem ſicut exhibita nobis nuper pro parte ejusdem Lupi petitio, licèt ipſe poſtmodum ad ſalutarem dicti Ordinis Monachalis inſtitutionem, ejusque ſoliditatem incrementum providè intendens: præfatam vitam dicti ſancti Hieronymi Monachalem in Ordine hujuscemodi, ejusque doctrinam & inſtituta Monachalia: prout ex Epiſtolis & tractatibus prædictis per ipſum Lupum extracta, compilata & redacta fuerunt, ut præfertur dictarum literarum vigore loco dictæ Regulæ ſancti Auguſtini in Regulam Ordinis Monachorum Eremitarum hujuscemodi aſſumpſerit, & erexerit atque ſuſceperit; ipſámque Regulam, Prioribus, Monachis, Fratribus, & perſonis hujusmodi Ordinis ſub ea vivere cupientibus, juxta illius continentiam inviolabiliter obſervandam tradiderit, publicaverit, ac obſervari decreverit: Ipſique Priores, Monachi & Fratres vota ſua principalia ſecundùm Regulam hujuscemodi in manibus dicti Lupi profeſſi fuerint, illaque de cætero utentes ſecundùm eam regantur & gubernentur, ac ipſam in Regulam eorum tanquam veram doctrinam Monachalem ſancti Hieronymi laudantes & approbantes acceptarunt, & ſecundùm eam etiam Monaſteria ejusdem Ordinis Monachorum regunt atque gubernant: idem tamen Lupus aſſumptionem, erectionem, ſuſceptionem, traditionem, publicationem, & decretum aliaque præmiſſa ex certis cauſis dubitat viribus non ſubſiſtere: pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut aſſumptioni, erectioni, ſuſceptioni, & publicationi ac talibus præmiſſis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur qui Religionis propagationem & divini cultus augmentum noſtris vigere temporibus intenſis deſideriis affectamus hujuscemodi ſupplicationibus inclinati, aſſumptionem, erectionem, ſuſceptionem, & publicationem, & alia præmiſſa, ipſámque Regulam prout inferius deſcribitur: ac omnia & ſingula in ea contenta, ac inde ſecuta, rata habentes & grata ea authoritate Apoſtolica ex noſtra tota certa ſcientia confirmamus: & præſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſitan intervenerint in eisdem. Statuentes nihilominus harum ſerie, & etiam ordinantes, quod de cætero Lupus ipſe ejuſque ſucceſſores, præpoſiti generales, Priores, Monachi, Fratres & Profeſſo-

Digitized by Google

feſſores, ac conventus & Monaſteria dicti Ordinis Monachorum Eremitarum ſancti Hieronymi, quæ nunc ſunt & erunt in poſterum, profiteantur vota ſua tria principalia Religionis: ac etiam regantur & gubernentur per dictum Lupum ejuſque ſucceſſores præpoſitos: ac vivere teneantur ſecundùm Regulam hujusm odi ejusque continenti am & effectum, ac ipſius ſuſceptionem, traditionem, & publicationem præfatas, aliaque inſtituta Ordinis hujusmodi Regularia.

Volumus inſuper atque concedimus ad ſervandas conſcientias profeſſorum hujus Ordinis, & pro ipſorum majori quiete animorum, quod ſi qui profeſſorum hujusmodi dictam Regulam, ſeu aliqua de contentis in ea humana fragilitate, aut infirmitate cauſante, ſeu alias tam exactè, prout traditur in eisdem non obſervaverint: non propterea mortalis peccati vinculo ſint ligati, ſed per ſuos Superiores pro eorum exceſſu & tranſgreſſione ac modo culpæ injungi valeat pœnitentia ſalutaris: quam ſuſcipere & adimplere teneantur: non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac prædicti & aliorum quorumcumque Ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuscunque. Tenor verò Regulæ hujusmodi de verbo ad verbum ſequitur: & eſt talis.

REGULA MONACHORUM

Divi Hieronymi, ex Scriptis ejusdem per Lupum de Oliveto collecta.

FRatres Chariſſimi, non queo, quem mente concepi, ore proferre ſermonem: & Cordis lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non ſolum ego patior, qui cupio narrare quæ ſentio: ſed etiam & vos mecum patimini; plus exultantes in conſcientia, quam in eloquio proferentes. Cum itaque nihil ſit Chriſtiano fœlicius: cui promittuntur Regna cœlorum. Nihil laborioſius, qui de vita quotidie periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolum. Nihil imbecillius, quia carne ſuperatur. Utriuſque rei exempla ſunt plurima. Latro credit in cruce: & ſtatim meretur audire: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Judas verò de Apoſtolatus faſtigio in perditionis barathrum labitur: & nec familiaritate communi: nec intinctione buccellæ: nec Oſculi gratia frangitur: ne quaſi hominem tradat, quem filium DEI noverat. Nos quidem parva dimiſimus; grandia poſſidemus, centuplicato fœnore Chriſti promiſſa redduntur.

Hæc dicimus non tam tibi quàm aliis ſub tuo nomine: ut prima te fili fronte doceamus magna cœpiſſe & excelſa ſectari: & adoleſcentiæ imo pubertatis incentiva calcantem, perfectæ ætatis gradum ſcandere. Scis enim dogma noſtrum humilitatis tenere veſtigium: & per ima gradientes ad ſumma nos aſcendere. Igitur ſanctus mihi invocandus eſt Spiritus: ut hoc ſuo ſenſu ore meo defendat. Non quidem campum Rhetorici deſideramus eloquii; non dialecticorum tendicula, & Ariſtotelis ſpineta conquirimus: Sed ad ſanctarum Scripturarum gravitatem confugimus: ubi vulnerum vera medicina eſt: ubi dolorum certa remedia.

Verum, quia memoria labitur, omnium quæ dixerimus deſideras commentariolum fieri: ut oblivionem lectio conſoletur: ideo pauca quæ tibi reor fore neceſſaria, credidi ſubnectenda. Illuc enim noſtra tendit oratio: ut quorum unus eſt labor, unum & præmium ſit. Navigantes namque rubrum mare, in quo optandum nobis eſt, ut verus Pharao mergatur cum ſuo exercitu: multis difficultatibus atque periculis ad urbem maximam perveniunt: utroque littore gentes vago immo belluæ habitant ferociſſimæ. Semper ſolliciti: ſemper armati: totius anni vehunt cibaria, latentibus ſaxis vadiſque duriſſimis plena ſunt omnia.

Quorſum iſta perſpicuum eſt. Nam ſi ſæculi negociatores tanta ſuſtinent: ut ad incertas perveniant perituraſque divitias: & ſervent cum animæ diſcrimine, quæ multis periculis quæſierunt: quid Chriſti negociatori faciendum eſt? qui venditis omnibus quærit precioſiſſimam Margaritam, qui totis ſubſtantiæ opi-

opibus emit agrum, in quo reperiat theſaurum, quem nec fur effodere, & latro non poſſit auferre. Noſſe igitur oportet, quid juſſum ſit: quidve prohibitum: ut ſcientes utrumque ſervemus. Alioquin ante ſcientiam mandati impoſſibile eſt noſſe quid fiat. Et hæc ego non integris rate vel mercibus, quaſi ignarus fluctuum, doctus nauta præmoneo: ſed nuper naufragio ejectus in littus, timida navigaturis voce denuntio. Cuncti tamen mei ſenſum affectu vobis vaco: ſed obſecro vos, ut conatus meos orationibus adjuvetis, ut Dominus & Salvator pro cauſa ſua reſpondeat.

Veſtrum itaque eſt, ut voluntatem ſequatur effectus. Meum eſt ut velim. Obſecrationum veſtrarum eſt, ut poſſim: ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum. Deus ſemper largitur, ſempérque donaturus eſt? nec mihi ſufficit quod ſemel dedit, niſi ſemper dederit. Si enim duri judicis ſententiam crebra mulieris flexit petitio: quanto magis paterna viſcera interpellatione ſedula molliuntur? Scitote tamen ante omnia nobis eſſe nihil antiquius, quàm Chriſti jura ſervare: nec Patrum transferre terminos: ſempérque meminiſſe Romanam fidem Apoſtoco ore laudatam.

De Obedientia.

ACcipe ergo fili doctrinam noſtram ea ſimplicitate & veritate qua dicimus, quia non quærimus hominum gloriam, Deus teſtis eſt. Nec ad hoc loquimur, ut humanas amicitias aucupemur, ne noſtræ adulationis ſermone & nos & alios decipiamus. Nec ut nos apud homines aliquid videamur, ſed ut apud Deum homines magna mereantur. Hoc eſt itaque totum quod apprehenſa manu inſinuare tibi cupio, & ut ſimpliciter motum mentis meæ fatear, nunc monachi incunabula moréſque diſcutimus. Si vis igitur ad vitam ingredi, ſerva præcepta: hoc eſt, ab omni præcepto illicito quo prohiberis recedas: & ad omne bonum quod juberis, promptus accedas. Reſpice ſanctum virum Pammochium, & ferventiſſimæ fidei Paulinum Presbyterum, qui non ſolum divitias, ſed ſeipſos Domino obtulerunt. Qui contra diaboli tergiverſationem nequaquam pellem pro pelle, ſed carnes & oſſa & animas ſuas Domino ſuo conſecrarunt: qui te & exemplo & eloquio, id eſt, & Opere & lingua poſſint ad majora perducere. Nobilis es: & illi, ſed in Chriſto nobiliores. Dives & honoratus, & illi imo de divitibus pauperes & inglorii. Et idcirco ditiores & magis inclyti: quia pro Chriſto pauperes & inhonorati. Contemnis auram: Jcontempſerunt & multi Philoſophi.

Non enim ſatis eſt perfecto & conſumato viro opes contemnere: pecuniam diſſipare, & projicere quod in momento & perdi & inveniri poteſt. Fecit hoc & Antiſthenes, fecerunt plurimi, quos vitioſiſſimos legimus. Plus enim debetChriſti diſcipulus præſtare, quàm mundi Philoſophus, gloriæ animal & popularis auræ atque rumoris vile mancipium. Tibi non ſufficit opes contemnere, niſi & Chriſtum conſequaris. Te ipſum vult Dominus hoſtiam vivam placentem Deo: te, inquam, non tua. Et Deus variis tentationibus commonet, quia multis plagis & doloribus eruditur Iſraël: & quem diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Et quod ſi teipſum Domino dederis, & Apoſtolica virtute perfectus ſequi cœperis Salvatorem: tunc intelliges ubi fueris, & in exercitu Chriſti, quem extraneum tenueris locum.

Unde & præpoſitum monaſterii timeas ut Dominum: diligas ut parentem: credas tibi ſalutare, quicquid ille præceperit: nec de majoris ſententia judices, cujus officii eſt obedire & implere quæ juſſa ſunt: dicente Moyſe: Audi Iſraël & tace: Neque ipſe te doceas. Nulla ars abſque magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus Principes ſunt: grues quoque unam ſequuntur Ordine literato. Imperator unus. Judex unus provinciæ. Roma, ut condita eſt, duos fratres ſimul Reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Jacob & Eſau bella geſſerunt. Singuli Archidiaconi: & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus Dominus: in quamvis grandi exercitu unius ſignum expectatur. Et ne plura replicando legenti faſtidium faciam: per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio relinquendum: Sed vivere debere in monaſterio ſub unius diſciplina patris, conſortióque multorum: ut ab alio diſcas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te ſilentium, ille te doceat manſuetudinem: non facias quod vis, comedas quod juberis, veſtiare quod acceperis: & operis tui penſum perſolvas: ſubjiciaris cui non vis: laſſus ad ſtratum venias, nec dum expleto ſomno ſurgere compellaris. Tantis occupatus negotiis, nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio tranſis ad aliud, opusque ſuccedit operi: illud ſolum mente retinebis, quod agere com-

compelleris. Nam omni oblatione & hoſtia pretioſior eſt obtemperantia mandatorum, dicente Propheta: Ecce obedientia melior eſt quam ſacrificium, & auſcultatio quam adeps arietum. Et alibi: Initium bonæ vitæ, facere juxta quæ præcepta ſunt apud Deum, magis quam immolare hoſtias. Et alibi: Qui conſervat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium ſalutare eſt, attendere mandatis: & diſcedere ab omni iniquitate. Nec nobis blandiri debemus in factis juſtorum, ſi in prohibitorum transgreſſione peccemus: cum transgreſſionis crimen, benefacti merita tollat.

Quod non mei ſenſus aſſertio, ſed utriusque teſtamenti exempla probant: ubi invenimus etiam Dei amicos ob unius contemptus errorem, bonorum retro factorum munificentiam perdidiſſe. Sic Adam facile cùm diabolo credidit ſeducenti, poſt familiaritatem & colloquium Dei, unius pomi cupiditate ſuperatus, perdidit Paradiſum. Et quia per transgreſſionem unum habere præſumpſit: multa ſimul bona amiſit. Sic uxor Loth poſt Angelorum colloquia contra interitum retro aſpiciens, in figmentum ſalis repente converſa eſt. Quis hic præſumptionis ſpiritus, qui tantam in animo noſtro operatur audaciam: ut cum ſanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos eſſe: & nos quotidie in majoribus & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? quamquam leve nunquam ſit Deum etiam in exiguo contemnere: qui non tantum ad qualitatem peccati reſpicit, ſed etiam ad perſonæ contemptum: propter quod non ſolum homini intendendum quale ſit quod jubetur: ſed quantus ſit ille qui jubet. Excluditur hoc loco vulgaris illa ſententia: qua mihi ſuo judicio religioſi, & qui ſapientes ſibimet videntur, dicere ſolent: Sufficit nobis, ut non criminalia peccata & majora faciamus.

Facilis eſt enim omiſſio minorum delictorum: Qui dum animali ſapientia occupant animos, ſpiritalem intelligentiam & conſuetudinem divinæ legis ignorant: quæ ſæpe peccatum oſtendit, quod nobis non videtur eſſe peccatum: & quæ illic impietatem facit, ubi nos pietatis opus oſtendimus. Saul & Joſaphat Reges fuerunt Iſraël: & dum miſericordiam his, quos Deus oderat præſtiterunt, Dei offenſam in ope pietatis incurrunt. E contrario Phinees filiique Levi, gratiam Dei humana cæde & ſuorum parricidio meruerunt. Vides quantum humanis ſenſibus per noſtram imperitiam diſcrepat divina ſententia: ut nobis interdum cœleſtis judicis diſpenſationem neſcientibus injuſta videantur, quæ per cauſarum ſcientiam juſte & ſatis recte facta probantur. Et rurſum ea quæ noſtro judicio recte facta probantur, apud Deum plerumque reproba & ingrata videntur.

Quis hodie patris Abrahæ exemplo innoxium volens filium trucidare humano judicio non crederetur inſanus: E contra, quis in tactu arcæ Domini imitatus Ozam hominum judicio condemnaretur? Conſideremus igitur, quantus caſus ſit temerè comtemnentis, cum tanta ruina eſſe dicitur in negligentia obſequentis: vel quam damnationem excepturos credimus indevotos, cum tantam reprobationem devoti exceperint. Tepidum diſcipulum non amat Chriſtus. Qui vult meus eſſe diſcipulus, ait, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Beatæ itaque ſunt illæ animæ, quæ dorſum ſuum curvaverunt, ut ſuſcipiant ſuper ſe ſeſſorem, & frena ejus patiantur, ut quocunque voluerit, flectat eas. Quando enim magiſter præcipit, obedientis indicium eſt, ſi demiſſo adverſus eum audiat capite. Si autem vertat tergum, ſignum eſt contemnentis.

De tribus generibus Monachorum in Ægypto commorantium.

ET quia monachorum fecimus mentionem & te ſcio libenter audire, quæ facta ſunt: aurem paulisper accomoda. Tria ſunt in Ægypto monachorum genera. Primum Cœnobitæ, quod illi *Sauſes* gentili lingua vocant, quos nos in commune viventes poſſumus appellare. Secundum Anachoretæ, qui ſoli habitant per deſerta: & ab eo quod procul ab hominibus receſſerint, nuncupantur. Tertium genus eſt, quod ipſi *Remoboth* dicunt, deterrimum atque neglectum: quod in noſtra provincia, aut ſolum, aut primum eſt. Hi bini vel terni, nec multo plures ſimul habitant, ſuo arbitrio ac ditione viventes. Et de eo quod laboraverint, in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quamplurimi in Urbibus & caſtellis, & quaſi ars ſit ſancta, non vita: quidquid vendiderint majoris eſt pretii. Inter hos ſæpe ſunt jurgia: quia ſuo viventes cibo, non patiantur ſe alicui eſſe ſubjectos. Re vera ſolent certare jejuniis; & rem ſecreti, victoriæ faciunt. Apud hos affectata ſunt omnia, laxæ mani-

manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio Clericorum. Et ſi quando dies feſtus advenerit, ſaturantur ad vomitum. His igitur quaſi quibusdam peſtibus exterminatis, veniamus ad eos, qui plures ſunt, & in commune habitant, id eſt, quos vocari *Cænobitas* diximus. Prima apud eos confœderatio, eſt obedire majoribus: & quidquid juſſerint facere. Diviſi ſunt per decurias atque centurias: ita ut novem hominibus præſit decimus. Et rurſum decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat. Manent ſeparati, & ſejunctis cellulis usque ad horam nonam, ut inſtitutum eſt, nemo pergit ad alium: exceptis his decanis quos diximus: ut ſi cogitationibus fortè quis fluctuet, illius conſoletur colloquiis.

Poſt horam nonam in commune concurritur, Pſalmi reſonant, Scripturæ recitantur ex more: & completis orationibus cunctiſque reſidentibus, medius quem patrem vocant, incipit diſputare. Quo loquente, tantum ſilentium fit: ut nemo alium reſpicere: nemo audeat exſcreare. Dicentis laus eſt in fletu audientium. Tacite volvuntur per ora lachrymæ: ut ne in ſingultus quidem erumpit dolor. Cum verò de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura: videas cunctos moderato ſuſpirio & oculos ad cœlum levantes inter ſe dicere: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Poſt hæc conſilium ſolvitur, & unaquæque decuria cum ſuo parente pergit ad menſam: quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant. Nullus in cibo ſtrepitus eſt: Nemo comedens loquitur: vivitur pane & leguminibus: & oleribus quæ ſolo ſale condiuntur. Vinum tantum ſenes accipiunt, quibus cum parvulis ſæpe fit prandium, ut aliorum ætas feſſa ſuſtentetur: aliorum non frangatur incipiens. Dehinc conſurgunt pariter, & hymno dicto, ad præſepia redeunt, ubi usque ad veſperum cum ſuis unusquisque loquitur & dicit: Vidiſtis illum & illum? quanta in ipſo gratia ſit? quantum ſilentium? quam moderatus inceſſus?

Si infirmum viderint, conſolantur. Si in Dei amore ferventem, cohortantur ad ſtudium. Et quia nocte extra ſuas orationes publicas in ſuo cubili unusquisque vigilat, circumeunt cellulas ſingulorum, & aure appoſita quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorem deprehenderint, non increpant, ſed diſſimulato quod norunt, eum ſæpius viſitant: & prius incipientes provocant magis orare, quam cogant. Opus Dei ſtatutum eſt, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipſe per ſingulos menſes Patri omnium cum magno reddit timore rationem: à quo etiam cibi cum facti fuerint, deguſtantur.

Jejunium totius anni æquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius vivere. A Pentecoſte cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfaciant, ventrem cibo non onerent duplicato. Ad tertium veniam genus, quos *Anachoretas* vocant, qui & de cœnobiis exeuntes, excepto pane & ſale amplius ad deſerta nil deferunt. Hujus vitæ autor Paulus, illuſtrator Antonius: & ut ad ſuperiora conſcendam, Princeps Joannes Baptiſta fuit. Talem verò virum Jeremias quoque Propheta deſcribit dicens: Bonum eſt viro, cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius & tacebit, quia ſuſtulit ſuper ſe jugum, & dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis, quia non in ſempiternum abjiciet Dominus. Horum laborem & converſationem in carne non carnis, alio tempore ſi volueris explicabo. Nunc ad propoſitum redeam. Bonum eſt obedire majoribus, parere præfectis: & poſt regulas Scripturarum vitæ tuæ tramitem ab aliis diſcere, nec præceptore uti peſſimo, ſcilicet præſumptione tua.

De Caſtitate.

Mortificate, inquit Apoſtolus, membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Unde ipſe poſtea conſiderans dicebat: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Qui mortificaverit membra ſua, & in imagine noctis perambulaverit, non timebit dicere: Factus ſum ſicut uter in pruina. Unde idem Apoſtolus caſtigabat corpus ſuum, & in ſervitutem redigebat, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniretur. Corporisque ex perſona generis humani inflatus ardoribus loquebatur: Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et iterum: Scio quoniam non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi: ut faciam autem bonum nequaquam: neque quod volo bonum, ſed quod nolo malum illud facio. Et denuo. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis.

Unde poſt cogitationum diligentiſſimam

mam cautionem jejuniorum tibi arma ſumenda ſunt: & canendum cum David: Humiliavi in jejunio animam meam. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant: & tacitum vivat ſub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidiis: Quia quanto vilior earum conditio: tanto facilior ruina eſt. Volo ergo te propter has cauſas non habitare cum matre: & præcipue ne ipſam offerentem delicatos cibos renuendo contriſtes, aut, ſi acceperis, oleum igni adjicias, & inter frequentiam puellarum per diem videas, quod noctibus cogites. Adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules, ut ad altare Chriſti, quaſi de thalamo virgo procedas: & habeas de foris bonum teſtimonium.

Licet de cæteris virtutibus, ut ſapientia, fortitudine, juſtitia, humilitate, manſuetudine & liberalitate poſſint & alii judicare: pudicitiam ſola novit conſcientia, & humani oculi hujus rei certi judices eſſe non poſſunt. Fœminæ quoque quæ nomen tuum noverint, vultum neſciant. Nam Joannes Baptiſta ſanctam matrem habuit, pontificiſque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret caſtitatis. Vivebat in eremo: oculis deſiderantibus Chriſtum, nihl aliud dignabatur aſpicere. Veſtis aſpera, zona pellicea, cibus locuſtæ, & mel ſilveſtre: omnia virtuti & continentiæ præparata. Unde martyrem quem tormenta non vicerant, ſuperabat voluptas. Tandem cœlitus inſpiratus præciſam morſu linquam in oſculantis ſe faciem expuit, & ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo præripuit. Nam quomodo qui ignem tetigerit, ſtatim aduritur: ita viri tactus & fœminæ ſentit naturam ſuam, & diverſitatem ſexus intelligit. Item quomodo poterit libidinem refrenare: qui nec manum valet cohibere nec linquam?

Sed & hoſpitiolum tuum nunquam mulierum pedes terant. Videas ne ſub eodem tecto manſites: nec in præterita caſtitate confidas. Quia nec Davide ſanctior, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod Paradiſi Colonum de poſſeſſione ſua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi ſanctus quilibet frater aſſiſtat. Nam ſcio quosdam corpore convaluiſſe: & animo ægrotare cœpiſſe. Periculosè tibi miniſtrat, cujus vultum frequenter attendis. Si tamen vidua à te viſitatur, aut virgo: nunquam donum ſolus introëas. Solus cum ſola & absque arbitro vel teſte non ſedeas: tantáque confabulandi fiducia ſit, ut intrante alio non paveas nec erubeſcas. Speculum enim mentis facies eſt: & taciti oculi, cordis fatentur arcana.

Tales quoque habeto ſocios: quorum contubernio non infameris: Non veſte, ſed moribus ornentur: & pudicitiam habitu polliceantur. Corrumpunt mores bonos confabulationes peſſimæ. Caveto omnes ſuſpiciones: & quicquid probabiliter fingi poteſt: ne fingatur, ante devita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos ac deguſtatos cibos blandáſque & dulces literulas, ſanctus amor non habet. Audi me: Mel meum, lumen meum, meúmque deſiderium Chriſtus eſt.

Omnes delicias & lepores & riſu dignas urbanitates & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, & in Sæculi hominibus deteſtamur: quanto magis in Clericis & Monachis: quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitum Sacerdotio ornatur. Nec hoc dico, quod aut in te, aut in ſanctis viris iſta formidem: ſed quod in omni propoſito & gradu & ſexu, boni & mali reperiantur: malorumque condemnatio, laus bonorum ſit. Vide quid poſſint frena? à vitiis nos retrahunt: introducunt ad virtutum choros: in Chriſtóque monte pulcherrimo habitare nos faciunt. Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro Paradiſo: varia Scripturarum poma decerpe.

His utere deliciis, harum fruere complexu. Si ſcandalizat te pes, oculus, manus tua: projice ea. Nulli parcas, ut ſoli parcas animæ tuæ. Qui viderit, inquit Dominus, mulierem ad concupiſcendum eam: jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor: Aſtra non ſunt munda in conſpectu Domini: quanto magis homines, quorum vita tentatio eſt?

Væ nobis miſeris, quoties concupiſcimus, toties fornicamur. Inebriatus eſt, inquit, dilectus meus in cœlo: multo amplius in terra, quæ ſpinas & tribulos generat. Vas electionis in cujus pectore Chriſtus reſonabat: macerat corpus ſuum: & tamen cernit naturalem carnis ardorem, ſuæ repugnare ſententiæ: ut quod non vult, hoc agere compellatur, & tu te arbitraris abſque lapſu & vulnere poſſe tranſire, niſi omni cuſtodia ſervaveris cor tuum: maximè cum plurimi etiam ſi continentes, iracundi, ebrioſi, procaces, ſuperbi, ex continentia magis inflati percuſſores,

ſores, maledici, cupidi, timidi, multum ſibi placentes, ut indices continentiam: quaſi præferant incontinentiæ ſubminiſtraſſe materiam.

Sed ille continens verè eſt: qui univerſa membrorum officia à malis affectibus ſubtrahit: & cogitatum à tota nequitia compeſcit: quanto plura tamen ſunt præmia? Nam & ego cum eſſem juvenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent: incentiva vitiorum ardorémque naturæ ferre non poteram: quem cum crebris jejuniis frangerem, mens cogitationibus æſtuabat. Ad quam edomandam cuidam me fratri, qui ex Hebræis crediderat, in diſciplinam dedi: ut poſt Quintiliani acumina, gravitatem Frontonis, Ciceroniſque fluvios, & lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, ſtridentia anhelentiáque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim: quotiéſque ceſſaverim: & contentione diſcendi rurſus inceperim. Teſtis eſt conſcientia tam mea qui paſſus ſum, quam eorum qui mecū duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus capio.

Prima igitur tentamenta Clericorum ſunt mulierum acceſſus. Nocivum genus fœmina, janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio: cum proximat ſtipula, accendit ignem: flammigero igne perculit fœmina conſcientiam pariter habitantis: exuritque fundamenta montium. Ego judico, ſi cum viris fœminæ habitent, viſcarium non deerit diaboli. Si alligaverit quis ignem in ſinu ſuo: & veſtimenta ſua non comburentur? Mihi crede, non poteſt toto corde cum Domino habitare: qui fœminarum acceſſibus copulatur.

Sed dicis: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Bene & argute: ſed oportet bonum habere teſtimonium ex his, qui foris ſunt. Licet coram Deo rectè ambules, tamen coram hominibus bona providenda ſunt: quia aſtutiores ſunt filiis lucis filii tenebrarum. Cum ergo à te hoc genus non amputatur: das reprehendentibus te locum, cum ipſe te detrahentium morſibus tradidiſti. Nam inter illecebras voluptatum, etiam ferreas mentes libido domat: quæ majorem in virginibus patitur famam, dum dulcius putat omne quod neſcit: Narrant gentilium fabulæ: cantibus Sirenarum nautas in ſaxa ipſa præcipites, & ad Orphei citharam arbores, beſtias, ac filicum dura mollita.

Difficile quoque inter epulas ſervatur pudicitia. Nitens cutis, ſordidum oſtendit animum: licet quidam putent majoris eſſe virtutis præſentem contemnere voluptatem: tamen ego ſecurioris arbitror continentiæ neſcire, quid quærat. Remotio igitur viri, caſtitatis collocat arma, conſtruit in melioribus caſtra pudoris. Tecla poſt tentationem paſſionis Antiochiæ, cum Paulo perhibetur pariter pergere. Nemo miles cum uxore pergit ad bellum. Germinant fœminæ ſpinas cum viris habitantes: arcana mentium acuto mucrone concutiunt. Nemo igitur inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. Libido enim ſemper ſui relinquit pœnitudinem. Nunquam ſatiatur, & extincta reaccenditur: uſu creſcit & decreſcit: nec rationi paret, quæ impetu ducitur. Unde virginitas in eo felicior eſt, quod carnis incentiva non novit: & viduitas eo infelicior, quod præteritas animo recolit voluptates. Viro enim luxurioſo verbum caſtitatis offenſio eſt.

Qui vivunt in monaſterio, & quorum ſimul magnus eſt numerus: nunquam ſoli extra procedunt. De agmine columbarum crebro accipiter unam ſeparat, quam ſtatim invadat & laceret: & cujus carnibus & cruore ſaturetur. Morbidæ oves ſuum relinquunt gregem: & luporum faucibus devorantur. Rarus igitur tibi ſit egreſſus in publicum: martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Nunquam tibi cauſa erit prodendi: ſi ſemper neceſſariò proceſſurus ſis. Aliorum vulnus noſtra ſit cautio. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit.

Nam etiam quæ homines æſtimant ſibi ſalutaria: Deo volente verti videmus in perniciem. In tranquillitate enim tempeſtas oritur: nihil Deo adverſante ſecurum eſt. Naturale quoque eſt unumquemque in ſuo periculo de alio plus ſperare.

Si quando ſenſeris exteriorem hominem florem adoleſcentiæ ſuſpirare: & accepto cibo cum te in lecto poſitum dulcis libidinum pompa concuſſerit: arripe ſcutum fidei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur ſagittæ. Omnes enim adulterantes quaſi clibanus corda eorum: licet difficile eſt humanam animam aliquid non amare, ut in quoſcunque mens noſtra trahatur affectus. Carnis igitur amor, ſpiritus amore ſuperetur. Deſiderium deſiderio reſtringatur: quidquid inde minuitur, hic creſcat. Non ſinas ergo cogitationem creſcere: dum parvus eſt hoſtis interfice: nequitia eneeetur in ſemine. Audi pſalmiſtam: Beatus qui allidet parvulos ſuos ad Petram. Impoſſibile eſt in ſenſum hominis non irruere motum,

motum, & medullarum calorem. Ille tamen laudatur: ille prædicatur beatus, qui ſtatim, cum cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram. Petra autem erat Chriſtus. Nam fides pura moram non patitur. Cum apparuerit ſcorpio, illico conterendus eſt.

Ardentes igitur diaboli ſagittæ jejuniorum & vigiliarum frigore reſtinguendæ ſunt. Erras namque frater, erras: ſi putas unquam Chriſtianum perſecutionem non pati. Tunc enim maxime oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Nemo enim eſt tanta firmitate ſuffultus: ut de ſtabilitate debeat eſſe ſecurus: dicente Apoſtolo: Qui ſtat, videat ne cadat: quoniam nullus hoſtili exercitu obſidente ſecurus eſt. Nam adverſarius noſter tanquam leo rugiens aliquid devorare quærens, circumit: & tu pacem putas? Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Quod de libidine diximus: referamus ad avaritiam, & ad omnia vitia, quæ vitantur ſolitudine. Et idcirco urbium frequentiam declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere quàm voluntas.

De Paupertate.

QUondam dives adoleſcens, omnia quæ in lege præcepta ſunt ſe impleſſe, jactabat. Ad quem Dominus in Evangelio: Unum tibi, inquit, deeſt: ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Qui omnia ſe dicebat feciſſe: in primo certamine divitias vincere non poteſt. Unde difficile intrant divites regna cœlorum, quæ expeditos & alarum levitate ſubnixos habitatores deſiderant. Vade, inquit, vende: non partem ſubſtantiæ: ſed univerſa quæ poſſides: & da, non amicis, non conſanguineis, non propinquis, non uxori, non libris: plus aliquid addam: nihil tibi ob metum inopiæ reſervabis, ne cum Anania damneris & Sapphira: ſed da cuncta pauperibus: & fac amicos de iniquo Mammona: qui te recipiant in æterna tabernacula: ut me ſequaris ut Dominũ: nam omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris ſemper viventia: & habere Deum debitorem? In Actibus Apoſtolorum: quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas: & pretia earum ad Apoſtolorum deferebant pedes: ut oſtenderent pecunias eſſe calcandas: dabatúrque ſingulis, proutcuique opus erat. Unde Ananias & Sapphira diſpenſatores timidi, imò corde duplici: & ideo condemnati: quia poſt votum abſtulerunt quaſi ſua, & non ejus cui ea voverant: partémque ſibi jam alienæ ſubſtantiæ reſervaverunt, metuentes famem, quam vera fides non timet: & præſentem meruere vindictam, non crudelitate ſententiæ, ſed correctionis exemplo. Unde ergo omnia quæ habes, da pauperibus: non divitibus, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Sive ille Sacerdos ſit, ſive cognatus, ſive affinis: nihil aliud in eo conſideres, niſi paupertatem.

Quodque in Ægyptiis & Syriis monaſteriis moris eſt: ut ſi ſe Deo voverint ſæculo renuntiantes, omnes ſæculi delicias conculcent: & quod ſæculo renunciamus, voluntas ſit, non neceſſitas, ut paupertas habeat expeditam gloriam, non illata cruciatum. Cæterum juxta miſerias hujus temporis & ubiq; gladios ſævientes, ſatis dives eſt, qui pane non indiget: & nimium potens eſt, qui ſervire non cogitur. Multi enim ædificant parietes: & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, & gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Dei nulla eſt electio. Neque verò mihi aliquis opponat: dives in Judæa templum, menſam, lucernas, thuribula, ſcyphos, & alio ex auro fabricata. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant; & Sanguis pecorum erat redemptio peccatorum: quamquam hæc omnia præceſſerunt in figura.

Nunc verò cùm paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicaverit: cogitamus crucem, & divitias lutum putabimus. Sed nunquid tempus, ut habitetis in domibus laqueatis: id eſt, ornatis & compoſitis: & quæ non tam ad uſum ſunt quàm ad delicias, inquit Propheta. Nam habitaculum meum, in quo fuerant Sancta Sanctorum; & Cherubim & menſa propoſitionis, pluviis rigabitur: ſqualebit ſolitudine & ſole torrebit. Quæ autem utilitas fulgere gemmis: & Chriſtum in paupere fame mori? Jam non ſunt tua quæ poſſides: diſpenſatio tibi credita eſt: cave ne quaſi fidelis & famoſus quondam tuorum diſpenſator, alienam pecuniam diſtribuendam accipias.

Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, cum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit: nec putavit ſe poſſe virtutes ſimul & divitias poſſidere: & nos

nos ſuffarcinati auro Chriſtum pauperem ſequimur : & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes : quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timidè reſervamus? Intelligis,quid loquor. Dedit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Præter victum & veſtitum & manifeſtas neceſſitates nihil cuiquam tribuas ; ne filiorum panem canes comedant.

Tu ergo conſidera, ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas; id eſt, ne immoderato judicio, rem pauperum tribuas non pauperibus, quod par eſt ſacrilegii, & ſecundùm dictum prudentiſſimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Sunt quoque, qui pauperibus parum tribuunt, ut amplius accipiant: & ſub prætextu eleemoſynæ divitias quærunt : quæ magis venatio, quam eleemoſyna dicenda eſt. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic & capiuntur piſces. Modicum in Hamo eſcæ ponitur : ut matronæ in eo ſæculi protrahantur. Nos autem humiles atque pauperculi : nec habemus divitias, nec oblatas dignamur accipere. Balſamum, piper & poma palmarum ruſtici non emunt. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes & laqueum diaboli & deſideria multa. Et præſertim, quia ætas optata cunctis non vicinam mortem, quæ debetur mortalibus naturæ lege : ſed caſſa ſpe annorum nobis ſpatia pollicetur. Nemo enim tam fractis viribus, & ſic decrepitæ ſenectutis eſt : ut non ſe putet adhuc unum annum eſſe victurum. Verum quid ago? fracta navi de mercibus diſputo. Non intelligimus Antichriſtum appropinquare : quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ejus.

Juvenis quidem poteſt mori cito : ſed ſenex diu vivere non poteſt : maxime quia comparatione æternitatis omne quod in mundo patimur, una dies appellari poteſt : non habitationis, ſed peregrinationis. Nam quotidie commutamur, tamen æternos nos credimus. Hoc ipſum quod dico, quod ſcribo, quod lego, quod emendo, de vita mea trahitur. Quot puncta notavi, tot meorum damna ſunt temporum. Omnes namque divitiæ de iniquitate deſcendunt : niſi alter perdiderit, alter invenire non poteſt. Unde vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima. Quod dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. Vides enim homines maria tranſire : ante parentum excubare fores : pati omnia quæ ſervorum conditio vix patitur, ut divitias congregent, ut aliquam accipiant dignitatem. Et poſtquam hoc fuerint conſecuti : tradere ſe luxuriæ & voluptatibus & omni iniquitati, ut quod avaritia congregat, luxuria conſumat.

Iſti ergo pro laboribus ſuis efficiuntur hoſpitium dæmonum. Qui Templum Dei eſſe debebant, ſunt tabernacula Æthiopum. Poſtquam enim ditati fuerint : & per fas & nefas ad altiſſimum conſcenderint : tunc conſcientia peccatorum ſuorum ſemper mortem, ſemper judicium formidabunt : & ad levem febriciunculam quaſi latrones in carcere de æternis ſuppliciis ſuſpirabunt. Divites autem qui ingreſſi ſunt regna cœlorum, ipſis divitiis ad bona utentes opera, divites eſſe deſierunt : & diſpenſatores magis Dei quàm divites appellandi. Obſecro ergo te, ne lucra mundi in Chriſti quæras militia. Negociatorem Clericum, & ex inope divitem factum, & ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge. Et præſertim cum ſciam te toti renunciaſſe mundo : & abjectis calcatiſque divitiis, orationi, lectioni, jejuniis vacare quotidie. Procuratores quoque & diſpenſatores domorum alienarum atque villarum Clerici eſſe non poſſunt : qui proprias jubentur contemnere divitiarum facultates. Avaritiæ quoque malum tibi omnino vitandum eſt : non quo aliena non appetas : hoc enim & publicæ leges puniunt, ſed quo tua, quæ tibi ſunt aliena non ſerves. Si in alieno, inquit, fideles non fuiſtis : quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?

Sed dicis : Juvenis ſum delicatus : & manibus meis laborare non poſſum : ſi ad ſenectam venero : ſi ægrotare cæpero : quis mei miſerebitur? Audi ad Apoſtolos loquentem JEſum : Ne cogitetis in corde veſtro, quid manducetis : neque corpori veſtro,quid induamini. Nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus plus eſt, quam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli : quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Si veſtis defuerit : lilia proponantur. Si eſurieris, beatos audias pauperes & eſurientes. Si aliquis afflixerit dolor : legito illud Apoſtoli : Propter hoc complaceo mihi in infirmitatibus meis.

Illud autem quod dereliĉta militia, caſtraſti te propter Regna Cœlorum : quid aliud quam perfectam ſecutus es vitam? Perfectus autem ſervus Chriſti nihil præter Chriſtum habet. Aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. Igitur ut concludam : ſi perfectus es, cur bona paterna deſideras? Dominus Evangelicis vocibus tonat : Non poteſtis duobus Dominis ſervire : & audet quiſquam mendacem Chriſtum facere, Mammonæ & Chriſto

ſervi-

ſerviendo ? Qui dicit ſe in Chriſtum credere, debet quomodo ille ambulavit, ſic ambulare. Affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt. Nam ſervi DEI, qui diebus & noctibus ſerviunt Domino ſuo, qui in terris poſiti angelorum imitantur converſationem, & nihil aliud loquuntur, niſi quod ad laudes DEI pertinet, habentes victum & amictum his contenti ſunt divitiis, qui plus habere nolunt, ſi tamen ſervant propoſitum. Alioquin ſi amplius deſiderant, his quoque quæ neceſſaria ſunt: probantur indigni. Quidquid tamen corpora noſtra defendere poteſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hæc una appellanda eſt tunica.

Si ergo vis eſſe, quod Propheta eſt, quod Chriſtus eſt, da pauperibus, quo neceſſitas ſuſtentetur, non quo opes augeantur. Quodque ſi quid plus habes, quam tibi ad victum veſtitumque neceſſarium eſt, illud eroga: in illo debitorem te eſſe noveris. Nam aliena rapere convincitur, qui neceſſaria ſibi retinere conatur. Clerici quoque qui de bonis parentum ſoſtentari poſſunt: ſi quid pauperum accipiunt, ſacrilegium profecto committunt. Sit enim hoſtis antiquus magis continentiæ quam nummorum eſſe certamen. Facile namque adjicitur quod hæret extrinſecus. Inteſtinum bellum periculoſius eſt.

Zachæus dives erat: Apoſtoli pauperes: & quantum ad divitias nihil: quantum ad voluntatem totum mundum reliquerunt. Si offeramus Chriſto opes cum anima noſtra, libenter ſuſcipiet. Si autem quæ foris ſunt Deo: quæ intus diabolo demus, non eſt æqua partitio. Nolo igitur, quod ea tantum offeras: quæ poteſt fur rapere, hoſtis invadere, præſcriptio tollere, & quæ ad inſtar undarum & fluctuum à ſuccedentibus ſibi Dominis occupantur, & quæ nolis velis in morte dimiſſurus es. Illud offer, quod nullus tibi poſſit hoſtis auferre. Nam aurum deponere incipientium eſt, non perfectorum: ſe ipſum offerre DEO, proprie Chriſtianorum eſt. Nec enim imaginem crucifixi præfert: niſi qui in hoc Sæculo ſe nudum mortuumque reddiderit. Infinita namque de Scripturis exempla ſuppeditant: quæ avaritiam doceant eſſe fugiendam.

Verum quod non ante plures annos geſtum ſit, referam. Quidam ex Fratribus parcior quam avarior: neſciens triginta denariis Dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo acquiſierat moriens dereliquit. Initum eſt inter Monachos conſilium (nam in eodem loco circiter quinque Millia diviſis cellulis habitabant) quid facto opus eſſet. Alii pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant: alii dandos Eccleſiæ: Nonnulli parentibus remittendos. Macarius vero & Pambo & Iſidorus & cæteri quos patres vocant: ſancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos eſſe cum eodem, dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Neque hoc crudeliter quisquam putet eſſe ſactum. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror invaſit: ut unum ſolidum dimiſiſſe ſit criminis.

Radix omnium malorum eſt avaritia: ideoque & ab Apoſtolo idolorum ſervitus nuncupatur. Non quidem occidet fame animam juſtam Dominus. Junior fui & ſenui: & non vidi juſtum derelictum: nec ſemen ejus quærens panem. Elias corvis paſcitur miniſtrantibus. Vidua Sareptana ipſa cum filiis ſuis peritura nocte Prophetam paſcit eſuriens: & mirum in modum vaſe repleto, qui alendus venerat, alit. Petrus Apoſtolos ait: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do: ſurge & ambula in nomine JESU.

At nunc multi licet ſermone taceant, opere loquuntur: Fidem & miſericordiam non habeo: quod autem habeo aurum & argentum tibi non do. Audi Jacob quid poſtulet: ſi fuerit Dominus meus mecum: & ſervaverit me in via per quam ego iter facio: & dederit mihi panem ad manducandum: & veſtem ad veſtiendum. Tantum neceſſaria deprecatus eſt. Unde & latrones ad ſanctum Hilarionem: Quid faceres ſi latrones ad te venirent? Quibus reſpondit: Nudus latrones non timeo. At illi: Occidi potes. Poſſum, inquit, ſed non timeo: quia ſum mori paratus. Cujus avi mirantur ſigna & portenta quæ facit: mirentur & incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, & humilitatem.

Ego autem nihil ita ſtupeo quam gloriam illum & honorem calcare potuiſſe: quia factu eſt difficile gloriam virtute ſuperare: & ab his diligi, quos præcedis. Cum ergo Chriſti gaudeas libertate: ac propemodum in domate conſtitutus ſis, non debes ad tollendam tunicam tecto deſcendere: nec reſpicere poſt tergum: nec aratri ſemel arrepti ſtivam amittere: ſed ſi fieri poteſt, imitare Joſeph: & Ægyptiæ Dominæ pallium relinque: ut nudus ſequaris Dominum Salvatorem: qui dicit in Evangello:

Niſi quis tulerit crucem ſuam & ſecutus me fuerit, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Projice ſarcinam ſæculi: ne quæras divitias quæ camelorum gravitatibus comparantur. Nudus & levis ad Cœlum vola: ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera: ut impleas ſacculum, quem Dominus evacuare præcipit.

Si igitur qui habent poſſeſſiones & divitias, jubentur omnia vendere, & dare pauperibus, & ſic ſequi Salvatorem: dignatio tua non debet quærere quod erogaturus eſt. Vidua illa in Evangelio paupercula: quæ duo minuta miſit in Gazophylacium, cunctis præfertur divitibus: quia totum quod babuit dedit. Et tu igitur erroganda non quæras: ut fortiſſimum tyrunculum ſuum Chriſtus agnoſcat: ut lætus tibi de longiſſima regione venienti occurrat Pater: ut ſtolam tribuat & annulum: ut immolet pro te vitulum ſaginatum.

De utilitate Paupertatis.

PAuper vero ita conſolandus eſt, ut ſciat in paupertate magis bona conſideranda. Et primo quidem quod à DEO illi ſit utiliter proviſum. Præſcivit enim Deum infirmitatem ejus conſideraſſe: & ſciſſe quod divitiarum ſarcinam & ſollicitudinem portare non poſſet. Deinde ſcias quantas tentationes: quanta pericula tranſiverit nomine paupertatis, ſi affluentia deeſt, quæ frequenter contraria eſt. Ad animi divitias quantocyus ſine impedimento in paupertate tranſitur: certe quantis malis caruit, conſideret. Caret invidia, æmulatione, inſidiis, dolo, ſuperbia, contentione: & his quæ hominibus in hoc Sæculo divitiæ ſolent conflare. Fluxu enim rerum & ubertate copiarum animus ſolvitur: vigor mentis infringitur: virtus Corporis enervatur. At in paupertate, non laſciva convivia, non turpes potationes: omnia ſobria, omnia rigida, omnia humilia: non abjecta, quoniam conſcientia pura & virtute ſunt plena: non eſt abundans extraneis facultatibus.

Non facile ad divitias animi, id eſt ad virtutes hujus mundi dives accedit: Filius enim DEI, difficilius dicens, divitem introire in Regnum cœlorum: utique intelligit pauperem facilius: ne ſe ob paupertatem alienum eſſe à cura DEI exiſtimet Propheta teſtatur, dicens: Et pauperem & divitem ego feci: & pro omnibus æqualis cura mihi eſt. Non eſt enim Deus perſonarum acceptor: nec pro illo tantam curam gerere profitetur, qui in Sæculi divitiis pollet, ſed pro omnibus & pro pauperibus curam ſuſtinet: remuneraturus quem invenerit, aut in divitiis humilem, aut in paupertate parientem: diſtributi veluti totius corporis humani & miniſterium quæritur ſingulorum.

Conſideres hominis corpus eſſe unum quidem corpus: ſed plurima membra. Nunquid omnia ſunt oculus, aut pes, aut reliqua membra. Sed ſicut ait Apoſtolus doctor gentium in fide & veritate: quæ inferiora ſunt membra, majorem his tribuimus honorem. Et quemadmodum virtus ſingulorum membrorum in ſuo ordine atque Officio demonſtratur: ita in totius generis humani corpore velut minor paupertas & divitiæ collocantur: ut divitiis humanitas DEI examine comprobetur. Exultare debet pauper, DEO gratias agere; quod multis patrimonii nexibus liberatus, in die probationis non gravatur compedibus facultatum. Facilius liber ſequitur diſcipulus Dominum nullis nexibus implicatus. Non deſit etiam ab ipſo in quantum poteſt miſericordia juſta in egenos, quia ſicut juſtus efficitur de frugalitate: inferioribus & non habentibus prorogatot non vereatur ne ipſe deficiat: cum in uſu ſanctæ adminiſtrationis habeat promptiſſimam voluntatem. Nihil enim ſibi deerit, non cupiat in Sæculo dives fieri: ne mala ſibi plurima acquirat, dicente ac monente glorioſo Paulo: Habentes victum & veſtitum his contenti ſimus.

Imo ſi vera fide & propter ſalutem credere cœleſtes ſibi divitias cooperet & comparet: quas unusquisque & miſericordia & reliquis actibus bonis comparat & aſſumit. Temporalibus enim æterna ſunt præponenda: caducis ſtabilia: ſollicitis ſecuriora: periculoſis libera: inhonorificis clariora. Igitur cum Chriſtus dixerit: Primum quærite Regnum DEI, & hæc omnia apponentur vobis, nulli dubium fore credo, his copiam neceſſariam Rerum in terris non defecturam, quibus Cœleſtia præparantur. Unde his monitis, & dives remperetur & pauper ſubleveтur. Difficile potentes, & nobiles, & divites, & multo his difficilius eloquentes credunt DEO. Obcæcatur namque mens eorum divitiis, opibus atque luxuria: circundati vitiis non poſſunt videre virtutes.

Felix ergo, qui non in divitiis, non in ſapientia, non in potentia ſæculari & Eloquentia: ſed in Chriſti paſſionibus gloriatur. Ac nihil miſerius quam

Deum

Deum propter nummum contemnere. Ideo quem ſenſeris ſemper aut crebro de nummis loquentem : inſtitorem habeto potius quam Monachum.

De correctione & doctrina Præſidentis.

RECtor quoque honore ſuppreſſo, æqualia ſubditis bene viventibus, & erga profeſſos jura rectitudinis exercere non formidet. Nam liquet quod omnes homines natura genuit æquales : ſed varietate meritorum, ordine alios aliis culpa poſtpoſuit. Sed & arguuntur negligentes rectores Eccleſiæ DEI, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Chriſtiani, cum nec in meditatione legis divinæ, nec cultu pietatis, nec in ſacrarum virtutum exercitio laborare conentur. Tunc enim doctrina doctorum ſuavitas eſt, cum doctrina pariter & vita conſentiant. Sed nec putant ſua Scientia & Sapientia, ſed DEI auxilio pacem Eccleſiis ſuis redditam : qui ſi ſuum ſervaverint gradum, ſunt quaſi domus DEI & quaſi Angelus Domini. Sed ſi plus cupiunt videri noſſe quam cæteri, quandoque patet veritatis Regulam non tenere.

Magiſter quoque diſcipulum corrigit, quem ardentioris cernit ingenii. Nam medicus ſi ceſſaverit curare, deſperat : quoniam non eſt parvi apud Deum meriti bene filios educare. Rectorum quoque eſt, ut laborantium noverint ſudorem : vel lapſis manum porrigere, vel errantibus viam oſtendere. Sed ne glorieris quod multos diſcipulos habeas : filius DEI docuit in Judæa, ut duodecim illum tantum Apoſtoli ſequebantur. Phariſæorum autem Doctrinæ omnis populus applaudebat. Lædit diſcipulus Magiſtrum : ſi per negligentiam ſuam, præcepta ejusque laborem diſperdat.

Ideo non ſit in eis pœnæ diverſitas, in quibus paria ſunt peccata. Nullius Perſonam accipias : quantumcunque ſit potens vel nobilis : ſi peccaverit, corripe eum. Nam confuſionem ſequitur ignominia : ignominiam correctio: correctionem conſolatio: conſolationem ſalus. Vera enim amicitia, quod ſentit, ſimulare non debet. Non eſt crudelitas pro DEO crimina punire, ſed pietas. Nihil tamen crudelius, nihilque miſerius inveniri poteſt : quam ut timore mortis propriæ, ne ſalutem filiorum audeant defendere.

Docente autem te in Eccleſia : non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur : Lachrymæ audientium laudes tuæ ſint. Sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus ſit. Unde & Apoſtolus præcipit : Sermo veſter ſit ſale conditus. Quod ſi infatuetur, foras projicitur, & perdit nominis dignitatem. Nam ſicut victoria Domini, triumphus eſt ſervorum : ſic Magiſtri eruditio, diſcipulorum profectus. Niſi enim caput ſanum ſit, omnia membra ſunt in vitio.

Quando doctrina non erit in Eccleſiis : intelligemus perire pudicitiam : caſtitatem mori, & omnes obire virtutes : quia non comederunt verbum Domini. Tunc Scriptura utilis eſt audientibus : cum absque Chriſto non dicitur : cum ſine Patre non probatur : cum ſine Spiritu Sancto, non jam inſinuat ille, qui prædicat. Sed difficile dignus præco virtutum Chriſti inveniri poteſt, qui in annunciandis illis non ſuam, ſed ejus quærat gloriam, quem prædicat.

Confuſio quoque & ignominia eſt JEſum crucifixum & pauperem & eſurientem fartis prædicare corporibus : & jejuniorum doctrinam per rubentes buccas tumentiaque ora proferre. Non confundant ergo opera ſermonem tuum, ut cum in Eccleſiis loquaris, tacitus quisque reſpondeat : Cur hæc quæ dicis ipſe non facis? Accuſare avaritiam etiam latro poteſt. Sacerdotis vox cum mente concordet. Nam quomodo poteſt Præſes Eccleſiæ malum auferre de medio ejus : qui in delictum ſimile corruerit? Ac qua libertate corripit peccantem, cùm tacitus ipſe tibi reſpondeat eadem admiſiſſe quæ corripit? Perdit enim autoritatem docendi, cujus opere ſermo deſtruitur. Et illud Tullii. Caput artis eſt docere quod facis.

Venerationi mihi ſemper fuit : non verboſa ruſticitas, ſed ſancta ſimplicitas. Qui enim in ſermone ſe dicit Apoſtolos imitari, prius imitetur virtutes & vitam illorum : in quibus loquendi ſimplicitatem, excuſabat ſancti nominis magnitudo. Non enim facit Eccleſiaſtica dignitas Chriſtianum : nec eſt facile ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Chriſto regnantium : ne fortè veniat Angelus Domini, qui ſcindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat.

Igitur ædificaturus turrim, futuri operis ſumptus computa. Sicuti non Jeroſolymis fuiſſe, ſed Jeroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt. Prius ergo faciamus & ſic doceamus : ne doctrinæ auctoritas caſſis operibus deſtruatur. Nam de

ele-

eloquentibus & pronunciantibus plenus eſt orbis. Loquuntur quæ neſciunt: docent quæ non didicerunt. Magiſtri fiunt, cum ante diſcipuli non fuerint.

Sed nec ad ſcribendum cito proſilias, & levi ducaris inſania: Multoque tempore diſce quod doceas, & non ſic temeritate quorumdam doceas quod neſcias: ſed ante diſce quod dicturus es. Nam qui Sapientis verba crebro audire & intelligere negligit: vitam ſuam gubernare non novit: quanto magis nec aliorum regimini proficit? Igitur ſervum ſervis te eſſe convenit: Atque ita in omnibus perdocere: ut quicumque audiunt, converſatione tua magis quam ſermone proficiant. Quoniam quidem non in Sermone eſt Regnum DEI, ſed in virtute.

Sed ne ſtatim multitudinis acquieſcamus judicio: ſed electi in principatum noſcamus menſuram noſtram: & humiliemur ſub potenti manu DEI. Revera nil fœdius præceptore furioſo, cum debeat eſſe manſuetus & eruditus: è contra torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte: effrenatis conviciis: facie inter pallorem, ruboremque variata, clamore perſtrepit: & errantes non tam ad bonum trahit, quam ad malum ſævitia ſua præcipitat: licet non qui iraſcitur iracundus eſt: ſed ille qui crebro hac paſſione ſuperatur. Sunt que multi docentes ea quæ non oportet, turpis lucri gratia: qui totas Domus ſubvertunt: & putant quæſtum eſſe pietatem. Quod plerumque accidit, ut habeamus pugnas legis non ob deſiderium veritatis: ſed ob jactantiam gloriæ: dum apud audientes docti volumus exiſtimari. Feſtino igitur gradu pergamus ad Magiſtros: & eorum teramus limina: & præcepta virtutum ac Myſteria Scripturarum vincula putemus æterna.

De Solitudine.

Revera, ut ſimpliciter motum mentis meæ fatear: Conſiderans & propoſitum tuum & ardorem, quo Sæculo renunciaſti: differentias in locis arbitror: ſi urbibus & frequentia urbium derelicta in agello habites: & Chriſtum in ſolitudine quæras: & ores ſolus in monte cum JESU: Sanctorumque locorum tantum vicinitatibus perfruaris, id eſt, ut & urbe careas, & propoſitum Monachi non amittas. Loquor non de Epiſcopis, non de Clericis: quorum alia cauſa eſt, alia Monachi. Clerici oves paſcunt, ego paſcor: Sed de Monacho loquor, qui pretium poſſeſſionum ſuarum ad pedes Apoſtolorum poſuit: docens pecuniam calcandam: & humiliter & ſecreto victitans, ſemper contemnat quod ſemel contempſit. Nam ſummæ ſtultitiæ eſt, renunciare Sæculo, dimittere patriam, urbes deſerere, Monachum profiteri, & inter majores populos peregrè vivere.

Quia igitur fraterne interrogas, per quam viam incedere debeas: revelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere Presbyteri, ſi Epiſcopatus te vel opus, vel honor fortè delectat: vive in urbibus & caſtellis: & aliorum ſalutem, lucrum fac animæ tuæ. Sin autem cupis eſſe quod diceris, Monachus: quid facis in urbibus: quæ utique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Habet unumquodque propoſitum Principes ſuos. Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium Menandrum, Terentium. Hiſtorici, Thucydidem, Saluſtium, Herodotum, Livium. Oratores, Lyſiam, Grachos, Demoſthenem, Tullium. Et ut ad noſtra veniamus: Epiſcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros: quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum.

Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilarionem, Macarios. Et ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter princeps Elias, noſter princeps Eliſæus, noſtri duces filii Prophetarum: qui habitabant in agris & ſolitudinibus: & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Jordanis. De his ſunt & illi filii Rechab: qui vinum & ſiceram non bibebant, & morabantur in tentoriis: qui DEI per Jeremiam voce laudantur, & promittitur eis, quod non deficiat de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino. Interpretare igitur vocabulum Monachi: hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba qui ſolus es? non tibi eadem cauſa, quæ cæteris. Quodque nemo Propheta in patria ſua honorem habet. Nam ubi honor non eſt, ibi contemptus eſt. Ubi contemptus eſt, ibi frequens injuria. Ubi injuria, ibi indignatio. Ubi indignatio, ibi quies nulla. Ubi quies non eſt, ibi mens ſæpe à propoſito deducitur. Ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex ſtudio: minus fit ab eo quod tollitur. Et ubi minus eſt, perfectum non poteſt dici.

Et

Et hac ſupputatione illa ſumma naſcitur: Monachum perfectum in patria ſua eſſe non poſſe. Perfectum autem eſſe nolle, delinquere eſt. Ubi autem ego nunc ſum: non ſolum quid agitur in patria, ſed an patria anſiſtat ignoro. Imo nec mihi conceditur unus Angelus eremi: quotidie expoſcor fidem, quaſi ſine fide renatus ſim.

De laudibus & utilitate eremi.

Quid igitur agis tu frater in ſæculo, qui major es mundo? Paupertatem times? beatos pauperes Chriſtus appellat. Labore terreris? Sed nemo atheleta ſine ſudoribus coronatur. De cibo cogitas? ſed vera fides famem non timet. Super nudam metuis humum exeſa jejuniis membra collidere? ſed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta Cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas terret? ſed tu Paradiſum mente deambula: quoties illuc conſcenderis, toties in eremo non eris. O deſertum Chriſti floribus vernans. O ſolitudo, in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi civitas magni Regis extruitur. O eremus familiarius DEO gaudens, & cætera. Ad quæ etiam illud Apoſtoli: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Cur igitur timido animo Chriſtianus eſt? filius hominis non habet, ubi caput ſuum reclinet: tu amplas porticus & ingentia tectorum ſpatia metiris: hæreditatem exſpectans ſæculi, cohæres Chriſti eſſe non poteris. Nudos amat eremus. Corpus aſſuetum tunicis, loricæ onus non fert. Caput opertum linteo, galeam recuſat. Mollem otio manum, durus exaſperat capulus. Sed cur, inquit, pergis ad eremum? Videlicet ut te non audiam, non videam, ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.

Reſpondebis: hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Sta in acie, adverſariis armatus obſiſte: ut poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Niſi fugero: aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe eſt certa dimittere, & incerta ſectari? Aut ſcuto, aut pedibus mors vitanda eſt. Tu qui pugnas, & ſuperari potes & vincere. Ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio, ſed ideo fugio ne vincar. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire: poteſt fieri ut me non mordeat: tamen poteſt fieri, ut aliquando me mordeat. Fuga enim non infidelitatis, ſed prudentiæ indicium eſt: ne fruſtra nos offeramus periculis.

Sed nuper Ægypti deſerta vidiſti: intuitus es angelicam familiam: quanti ibi flores ſunt? quam ſpiritualibus gemmis prata vernantia? Vidiſti ſerta quibus Dominus coronatur. Ille tibi ignis in pectore exæſtuet: & illa quotidie cogita, tracta, conſidera, & quaſi quodam carcere tentus exclama: Heu me, quia prolongata eſt peregrinatio mea: & in Paradiſum mente conſcendens, toties in terra non eris, quoties terrena deſpexeris. Eadem nobis certe cum his qui habitant per deſerta conditio eſt: iidem oculi, totidem & manus: iiſdem infirmitatibus vel virtutibus ſubjacemus. Si te aquæ potus vexat: quanti nobiles non dicam vina neſciunt: ſed carnes ignorant, & fuſo tantum legumine ſuſtentantur? Si balnearum te lavacra ſollicitant: quanti Principes civitatum, ſive ob culpam propriam, ſive ob invidiam ad inſulas deportati, ſine æterno præmio perpetuáque mercede abſque balneis perſeverant? Nemo id neceſſitate pati non poteſt, quod pro Deo pati voluntate detrectet.

Habebis cellulam, quæ te ſolum capiat. Imo non eris ſolus: angelica turba verſabitur, tot ſocii, quot ſancti. Leges Evangelicum, fabulabitur tecum JEſus. Replicabis Apoſtolos vel Prophetas: Nunquid poteris talem alium tuis ſermonibus habere conſortem? Terra ſumus & cinis: & per omnia momenta de noſtra ſalute ſuſpenſi, continuo in pulverem diſſolvendi. Quid retractamus facere de neceſſitate virtutem? certe quandóque moriendum eſt. Quam cito mundi derelinquamus anguſtias: & ſi forte ob continentiam, quod tamen raro accidit, dolere ſtomachum, æſtuare febribus cœperimus: perpetuæ vitæ ingreſſuri januam morbum putemus? Quanti enim in mediis opibus, & inter tabulas conſolatus, repentina morte ſubtracti ſunt.

Quid ergo deſideramus urbium frequentiam, quid de ſingularitate cenſemur? Mihi enim oppidum carcer: & ſolitudo Paradiſus eſt. Sæcularium quoque, maximè potentum conſortia devita. Quid tibi neceſſe eſt illa ſæpius videre: quorum contemptu monachus eſſe cœpiſti? Nam monachum ſolitudo facit, non publicum.

De periculo vitæ ſolitariæ.

MOnachi etiam nunc mores diſcutimus, qui jugum Chriſti collo ſuo impoſuit. Primúmque tractandum eſt: utrum ſolus, an cum aliis in monaſterio vivere debeas. Mihi placet, ut habeas Sanctorum contubernium: ne absque ductore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es: ſtatimque tibi in partem alteram declinandum ſit, & errori pateas, plusque aut minus ambules quam neceſſe eſt: & currens laſſeris, morámque faciens obdormitas. In ſolitudine citò ſubrepit ſuperbia; Et ſi parumper jejunaverit, hominémque non viderit, putat ſe alicujus eſſe momenti. Oblitúsque ſui, unde, & quo venerit: intus corde, foris lingua vagatur. Judicat contra voluntatem Apoſtoli alienos ſervos. Quod gula popoſcerit, porrigit manus: dormit quantum voluerit, neminem veretur: omnes ſe inferiores putat: crebriúsque in urbibus quam in cellula eſt: & inter fratres ſimulat verecundiam, qui platearum turbis colliditur.

Quid igitur? ſolitariam vitam reprehendimus? Minime, quippe quam ſæpe laudavimus, licet ut perſertur, ſolitaria vita periculoſa eſt: ne abſtracti ab hominum frequentia, ſordidis & impiis cogitationibus pateant: & pleni arrogantia & ſupercilio, cunctos deſpiciant, arméntque linguas ſuas, vel clericis, vel monachis detrahendo. Sed de ludo monaſteriorum, volumus hujusmodi egredi milites: quos eremi dura rudimenta non terreant: qui ſpeciem converſationis ſuæ multo tempore dederint: qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent: quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperavit: qui paupertate lætantur: quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus doctrina virtutum eſt.

O quoties in eremo conſtitutus eſt in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum monachis præſtat habitaculum: putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus: quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia: & ſqualida cutis, ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie gemitus: & ſi quando me repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet: nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo: cum etiam languentes monachi ibi aqua frigida utantur: & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum, tali me carcere damnaveram, Scorpionum tantum ſocius & ferarum: ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis: & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore: & ante hominem ſua jam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant. Itáque omni auxilio deſtitutus ad JEſu jaciebam pedes, rigabam lachrimis, crine tergebam, repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam. Non erubeſco infelicitatis meæ, quin potius plango me non eſſe quod fuerim, Memini me clamantem & diem crebro junxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus quam rediret Domino increpante tranquillitas. Ipſam quoque cellulam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam: & mihimet iratus & rigidus ſolus deſerta penetrabam. Sic ubi concava vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam: ibi meæ erat orationis locus: ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum collocabam: &, ut mihi teſtis Dominus, poſt multas lachrymas, poſt cælo oculos inhærentes, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum & lætus gaudénsque cantabam: Poſt te in odore unguentorum tuorum curremus.

Dicam & aliud, quod in Ægypto viderim: Græcus erat adoleſcens in cœnobio, qui nulla abſtinentia, nulla operis magnitudine, flammam carnis poterat extinguere. Hunc Pater monaſterii periclitantem, hac arte ſervavit. Imperat viro cuidam gravi ut jurgiis atque conviciis inſectaretur hominem; & poſt irrogatam injuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati teſtes, pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium cœpit. Solus pater defenſionem ſuam callide opponere ſtuduit: ne abundantiori triſtitia abſorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus eſt: quo expleto, interrogatus adoleſcens, ſuper cogitationibus priſtinis: an adhuc moleſtiæ aliquid ſuſtineret. Papæ, inquit, mihi vivere non licet & fornicari libeat? Hic ſi ſolus fuiſſet, quo adjutore ſuperaſſet? ſunt enim meliores duo quam unus: & ſi alter ceciderit, ab altero fulcitur. Funiculus triplex non facile rumpitur: & frater fratrem adjuvans exaltabitur.

Vidi ego quosdam, qui poſtquam renunciaverunt ſæculo, veſtimentis duntaxat & vocis promiſſione, non rebus, nihil de priſtina converſatione mutarunt. Res familiaris magis aucta quam imminuta. Eadem miniſteria ſervulorum: idem apparatus convivii: & nomen ſibi vendicant ſolitarii. Quidam vero pauperes ſunt & tenui ſubſtantiola,

la, videntur ſibi ſcioli: pomparum ſeculis ſimiles procedunt in publicum: ut caninam exerceant facundiam.

Sunt etiam qui humore cellularum immodaratiſque jejuniis: tædio ſolitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus ſuis perſonant: vertuntur in melancholiam: & Hippocratis magis fomentis quàm noſtris monitis indigent. Plerique artibus & negociationibus priſtinis carere non poſſunt: mutatiſque nominibus inſtitorum eadem exercent mercimonia. Non victum & veſtitum quod Apoſtolus præcipit: ſed majora quam ſæculi homines emolumenta ſectantes: & ſub religionis titulo exercentur injuſta compendia: & honor Chriſtiani nominis magis fraudem facit quam patitur. Quodque pudet dicere, ſed neceſſe eſt, ut ſaltem ſic ad noſtrum erubeſcamus dedecus, publice extendentes manus, pannis aurum tegimus? & contra omnium opinionem plenis ſacculis morimur divites, qui quaſi pauperes viximus.

Tibi cum in monaſterio fueris, hoc facere non licebit: & in oleſcente paulatim conſuetudine, quod primum cogebaris velle incipies, & delectabit te labor tuus. Oblitusque præteritorum ſemper priora ſectaberis: nequaquam conſiderans quid alii mali faciant, ſed quid boni tu facere debeas. Neque vero peccantium ducaris multitudine: nec te pereuntium turba ſollicitet, ut tacitus cogites: Quid ergo omnes peribunt, qui in urbibus habitant? Ecce illi fruuntur ſuis rebus: miniſtrant Eccleſiis, adeunt balnea, unguenta non ſpernunt: & tamen in omnium ore verſantur. Ad quod ante reſpondi, & nunc breviter reſpondeo: in præſenti opuſculo non me de Clericis diſputare, ſed Monachum inſtruere.

De periculo habitandi in urbibus.

Conſidera, obſecro, ſatis eſſe difficile locum Stephani implere vel Pauli: & in angelico ſtare miniſterio. Pretioſum Margaritum cito frangitur fractumque inſtaurari non poteſt. Navis quamvis ſit rudis & ſolidis confixa clavis, tumenteſque fluxus non ſentiat, cito ſi periculoſe navigat, perforatur: & licet plenia ventis lucroſus ad optata perveniat, tamen magis ſecura ſunt quæ & tranquilla ſunt. Et ut apertius loquar, plus te quod dicis habere mercedem, ſi in media urbe conſiſteas Monachus victites: & ſunt vera quæ dicis, ſed non tam facile explentur opere quam dicto. Nam ſi aliquis te de optimatibus invitet ad prandium: certe aut eundum eſt, aut negandum. Si ieris, aut iiſdem cibis veſceris, aut aliis, ſi aliis, convivarum offenduntur oculi. Si iiſdem perit abſtinentia. Quod ſi non ire volueris, miſer comederis in prandio ad ſingulas quaſque phialas: & ad delibuta melle vina potaberis: alius tuum vultum cavillabitur, ille inceſſum irridebit, hic habitum: & imitatores ſurſitan Judæorum, Nonnè, inquient, hic eſt fabri filius? Nonne Fratres ejus apud nos ſunt? ego illum memini ante tot ferme annos illud feciſſe turpe, dixiſſe turpius. Alius furem clamabit, & tecum ſe ſceleris finget eſſet participem. Omnia prandia pariter conſonabunt, in te temulentum convivium diſſolvetur.

Quod ſi ullis abſtinueris carnibus & non crebro balnea frequentes: tunc vero per omnes columnas Manichæi titulus aſcribitur. Si volucrum edulium refutaveris, & tenellas columbas craſſoſque turtures expetenti gutturi durior dominus, denegaveris: Sacrilegii crimen affingitur: ſtatimque ajunt: Hi ſunt, qui creatorem mundi condemnant: in uſus noſtros facta ſunt omnia. Audivi Domino teſte, non mentior, quemdam in ſua gula diſertum, cum rumore cognoſceret me cibis eſculentioribus abſtinere, ſe dicere: Nunquid porcellus ideo factus eſt, ut togatus in ſenatu ſententiam diceret? Quod videlicet me ſtultitiæ condemnaret: qui me putaret ea, quæ ſunt in uſus creata non ſumere.

Quod ſi pulla fuerit tunica, etiam prætereuntium digitis denotaberis. Ac ſic niſi formoſus fueris, ſanctus eſſe non poteris. Hæc & iſtiusmodi cum vitam lacerent bonam: quid facis frater in medio? Aut vitiis, aut anathemati colla ſubmittes, id eſt, ſectaberis ea quæ ſunt adverſa continentiæ. Aut ſi facere nolueris, tempore damnaberis.

Prætermitto crebras ſalutationes, obſequia matronarum: variaſque illecebras, quibus etiam rigidiſſimi molliuntur, cum & ſirenæo cantu ad naufragia pertrahuntur. Nunc autem illud affirmo, quod etiam ſi iſta non eſſent, ad comparationem tamen ingentis boni, majora deſerere deberes. Cum enim tanta reperimus in cœlo: parva & caduca nos quæſiſſe doleamus in terra. Ambitio namque, potentia, magnitudo urbis, videri & videre, ſalutare & ſalutari, laudare, vel detrahere, vel audire, vel proloqui: & tantam hominum frequentiam ſaltem invitum videre, à Monachorum propoſito & à quiete ſunt alie-

aliena. Aut enim videmus ad nos venientes,& ſilentium perdimus. Aut ſi non videmus, ſuperbiæ arguimur. Interdum ut vicem reddamus ad ſuperbas fores pergimus: inter linguas rodentium miniſtrorum, poſtes ingredimur deauratos. In Chriſti vero villa, ut didicimus, totum ruſticitas. Itaque propter occupationes, aut nobis claudendum eſt oſtium, aut Scripturarum propter quas aperiendæ ſunt fores ſtudia relinquenda.

His igitur rationibus invitati, multi Philoſophorum relinquerunt frequentias urbium, & hortulos ſuburbanos: ubi ager irriguus, arborum comæ, & ſuſurrus avium, frontis ſpeculum immurmurans & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & per abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, & ejus pudicitia conſtupraretur. Inutile quippe eſt crebro videre, per quæ captus aliquando ſis: & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam quos Sæculi carcer includit, nunc ira, nunc avaritia, nunc aliorum incentiva vitiorum pertrahit ad ruinam.

Ideoque obterendæ ſunt animi voluptates, relinquenda delectationum ſtudia: quoniam hæc eſt circumciſionis veritas, non figura. Nitendum in ſumma: ut naturalibus amputatis, converſatio noſtra tendat ad cœlum. Quod fiet, ſi ludi, ſi jocus, ſi convivi, aſi ſermo pene familiarium deſeratur: & quæ circumciduntur, areſcant, non viſu, non auditu, non tactu, non ſapore, aut capiet in natura corporis naturam corpoream non habere. Nam ſi velimus deſpicere quod ſumus, meremur melius eſſe: quam igitur non temere offeramus nos periculis: ſed quantum in nobis eſt, inſidias declinemus.

De abſtinentia, & præcipue à carnibus.

SAlvator noſter, Attendite, inquit, vobis, ne fortè graventur corda veſtra Crapula, & in ebrietate & curis hujus vitæ. Modicus enim ac temperatus cibus & carni & animæ utilis eſt. Balnearum fomenta ne quæras, qui calorem corporis jejuniorum cupis frigore extinguere: quæ & ipſa moderata ſint, ne nimia debilitent ſtomachum, & majorem refectionem poſcentia erumpant in cruditatem: quæ parens libidinum eſt. Ajunt enim medici, qui de humanorum corporum ſcripſere naturis: præcipue Galenus in in libris, quorum titulus περὶ ὑγιεινῶν, puerorum & juvenum, ac perfectæ ætatis virorum mulierumque corpora, inſito calore fervere: & noxios his eſſe ætatibus cibos qui calorem augent: ſanitatique conducere, frigida quæque cibo & potu ſumere. Sicut è contrario ſenibus, qui pituita laborant & frigore calidos cibos, & vetera vina prodeſſe: Et etiam Comicus cujus finis eſt humanos mores noſſe atque deſcribere, dixit: ſine Cerere & Libero friget Venus.

Nihil itaque ſcias conducere Chriſtianis adoleſcentibus ut eſum olerum. Nam ardor corporum frigidioribus epulis temperandus eſt. Nobis enim non corporum cultus, ſed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate fit fortior: Inde eſt quod nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt: dum ſolam abſtinentiam putant carnium, & leguminibus onerant ſtomachum, quæ moderate parceque ſumpta innoxia ſunt: & ut quod ſentio loquar: Nihil ſic inflammat corpora, & titillat membra genitalia: ſicut indigeſtus cibus ructusque convulſus. Quod enim ſeminarium voluptatum eſt, venenum puta.

Eſt autem eſus carnium ſeminarium libidinis. Et non ſolum de carnibus loquor: Sed in ipſis leguminibus inſtantia gravia declinanda ſunt. . Parcus cibus & venter eſuriens, triduanis jejuniis præfertur. Multo enim melius eſt quotidie parum, quam raro ſatis ſumere. Pluvia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terras. Subitus & nimius imber in præceps, arva ſubvertit. Refectio itaque ſaturitatem fugiat. Nihil prodeſt biduo triduoque tranſmiſſo vacuum portare ventrem: ſi pariter obruatur: ſi compenſetur ſaturitate jejunium. Illico mens repleta torpeſcit: & irrigata corporis humore, ſpinas germinat libidinum.

Plures quoque ſunt, qui cum vino ſint ſobrii, ciborum tamen largitate ſunt ebrii. Omnes enim qui ebrietatem ſectantur, filii Belial vocantur. Nam venter mero æſtuans faciie deſpumat in libidinem. Unde Noë nudavit ebrietate femora. Lot quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Venter quoque plenus facile de jejuniis diſputat. Qui enim Chriſtum deſiderat, & illo veſcitur pane, non quærit magnopere, de quam precioſis cibis ſtercus conficiat. Quidquid poſt gulam non ſentitur, idem fit quod panis & legumina. Omne enim quod in hoc mundo laborant homines, ore quaſi conſumitur: & attritum dentibus, ventri traditur digerendum: & tan-

tandiu tribuit voluptatem, quandiu gutture detinetur. Cum vero in alvum tranſierit, deſinit inter cibos eſſe diſtantia.

Nec hoc dicimus, quod negemus piſces: ſed quomodo nuptiis virginitatem, ita ſaturitati jejunia præferimus. Sed non ideo te carnes veſci non putes, ſi ſuum, leporum, atque cervorum & quadrupedum animantium eſculantiam reprobes. Non enim hæc pedum numero, ſed ſuavitate guſtus comprobantur. Scimus ab Apoſtolo dictum. Omnis creatura DEI bona: quæ cum gratiarum actione percipitur. Sed idem loquitur: Bonum eſt carnem non manducare. Comedant carnes, qui carnibus ſerviunt. Quorum fervor deſpumat in coitum, eorum & inteſtina carnibus repleantur.

Tu vero nihil habeas tam neceſſe, quam in jejunio perſeverare. Pallor & ſordes tuæ gemmæ ſint. Igitur cum mihi dixeris: cur porcus creatus eſt? ſtatim tibi reſpondebo puerorum more certantium: Cur viperæ & ſcorpii: Nec Deum ſuperfluorum judicabis artificem: cum plurimæ & beſtiæ & volucres ſunt, quas tuæ fauces recuſant. Sed ne contentioſum hoc, & pugna magis videatur eſſe quam verum. Audi idcirco ſues & apros & reliquas animantes creatas: ut milites, athletæ, nautæ, rhetores, metallorumque foſſores, & cæteri duro operi mancipati haberent cibos: quibus fortitudo corporum neceſſaria eſt: qui portant arma & cibaria: qui pugnis & calcibus ſua invicem membra debilitant: qui remos trahunt: quorum latera ad clamandum dicendumque ſunt valida: qui ſubvertunt montes, & ſub divo & imbribus dormiunt.

Sed quid ad nos, quorum converſatio in cœlis eſt? Cæterum noſtra religio non athletam, non nautas, non milites, non foſſores: ſed Sapientiæ eruditi Sectatorem: qui ſe Dei cultui dedicavit, & ſcit cur creatus ſit, cur verſetur in mundo: quo abire feſtinet. Unde & Apoſtolus loquitur: Quando infirmor, tunc potens ſum: & ſi exterior noſter homo corrumpitur, ſed interior renovatur de die in diem: Et, cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Et, carnis curam ne feceritis: Quodque ſine quatuor ſenſibus vivere poſſumus: id eſt, ſine aſpectu, auditu, odoratu, atque complexu. Abſque guſtu autem & cibis impoſſibile eſt humanum corpus ſubſiſtere.

Adeſſe ergo debet ratio: ut tales & tantas ſumamus eſcas, quibus non oneretur corpus: nec libertas animæ prægravetur: Quia & comedendum eſt, & deambulandum, & dormiendum, & digerendum, & poſtea inflatis venis incentiva libidinis ſuſtentantur. Sunt quidem ſenſus noſtri portæ, per quas ad animam noſtram Sæculi blandimenta deſcendunt: & per quas ſenſus carnis introeunt. Per quas niſi lata ſtrage facta viam virtutibus potius quam impietati fecerimus: nunquam ad Regem pietatis pervenire poterimus.

Dicat enim unusquisque quo dolet: ego loquor conſcientiam meam. Scio mihi abſtinentiam, &nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam. Nec tales ergo recipiamus cibos: quos aut difficulter digerere, aut comeſtos magno partos & perditos labore doleamus. Olerum & pomorum ac leguminum, & facilior apparatus eſt: & arte impendiisque coquorum non indigent: & ſine cura ſuſtentant humanum genus moderateque ſumptus, quia nec avidè devoratur. Quod irritamentum gulæ non habet, leviori digeſtione decoquitur. Nemo enim uno & duabus cibis, hisque vilibus usque ad inflationem ventris oneratur, quæ diverſitate carnium & ſaporis delectatione concipitur: cum variis nidoribus fumant patinæ, & ad eſum ſui expleta eſurie quaſi captivos trahunt. Unde & morbi ex ſaturitate nimia concitantur. Multique impatientiam gulæ vomitu remediantur: & quod turpiter ingeſſerunt, turpius egerunt.

Poſt enim venit Chriſtus in fine temporum: & revolvit ω ad alpha: id eſt, finem ad principium, ut in prima ætate non circumcidimur: nec repudium dare permittimur: nec carnes comedimus. Hippocrates in aphoriſmis docet craſſa & obeſa corpora, quæ creſcendi menſuram impleverint: niſi cito ablatione ſanguinis minuantur: Paralyſim & peſſima morborum genera parere. Et idcirco eſſe neceſſariam demptionem: ut rurſum habeant,in quæ poſſint creſcere. Non enim manere in uno ſtatu naturam corporum: ſed aut creſcere, aut decreſcere: nec poſſe vivere animal, niſi creſcendi capax ſit. Unde & Galenus ille doctiſſimus Hippocratis interpres, Athletas quorum vita & ars ſagina eſt, dicit in exhortatione medicinæ, nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe: animasque eorum ita nimio ſanguine & adipibus quaſi luto involutas, nihil tenue, nihil cœleſte: ſed ſemper de carnibus & ructu & ventris ingluvie

cogitare. Diogenes tyrannos & ſubverſiones urbium bellaque hoſtilia vel civilia non pro ſimplici victu olerum pomorumque, ſed pro carnibus epularumque deliciis aſſerit excitari. Quodque mirandum ſit, Epicurus voluptatis aſſertor, omnes libros ſuos replevit oleribus & pomis & vilibus cibis: dicens ita eſſe vivendum: quia carnes & exquiſitæ epulæ ingenti cura ac miſeria præparantur, majoremque pœnam habeant in quærendo, quam voluptatem in abutendo. Bibere & comedere non deliciarum ardorem debet excitare: Sed ſitim famemque reſtinguere. Qui carnibus veſcuntur, indigent etiam his quæ ſunt carnium. Qui autem ſimplici victu utuntur, eos carnes non requirere.

Sapientiæ ergo operam dare non poſſumus, ſi menſæ abundantiam cogitemus: quæ labore nimio & cura indigent. Cito expletur naturæ neceſſitas: frigus & fames, ſimplici veſtitu & cibo expelli poteſt. Deliciæ & epularum varietas, fomenta ſunt avaritiæ. Quod ſi quis exiſtimat ſe abundantia ciborum potionum que perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ: hoc eſt verſari inter delicias, & deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit. Senſus noſter illud cogitat, quod vitet, audit, odoratur, guſtat, attrectat: & ad ejus trahitur appetitum, cujus capitur voluptate. Difficile, imo impoſſibile eſt, divitiis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus. Fruſtraque quidam ſimulant ſalva fide & pudicitia & integritate mentis ſe abuti voluptatibus: cum contra naturam ſit, copiia voluptatum, ſine voluptate perfrui. Senſus corporum quaſi equi ſunt, ſine ratione currentes: Anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium.

Grandis exultatio animæ eſt, cum parvo contentus fueris, mundum habere ſub pedibus: & omnem ejus potentiam epulas, libidines, propter quæ divitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & craſſiori tunica compenſare. Tolle epularum & libidinis luxuriam: nemo quæret divitias: quarum uſus aut in ventre, aut ſub ventre eſt. Qui ægrotat, non aliter recipit ſanitatem, niſi tenui cibo & caſtigato victu. Quibus ergo cibis recipitur ſanitas, his & ſervari poteſt: ne quis putet morbos oleribus concitari, ſi autem vires Olera non miniſtrant, quæ naſcuntur & aluntur carnibus: quid eſt ſapienti viro & Philoſopho Chriſti tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus neceſſaria eſt, quam cum habuerit, ad vitia provocetur? Illi arbitrantur carnes ſanitati congruas: qui volunt abuti libidine: & in cœnum demerſi voluptatum, ad coitum ſemper exæſtuant. Chriſtiano ſanitas abſque viribus eximiis neceſſaria eſt.

Nec turbare nos debet, ſi rari ſunt hujus propoſiti ſectatores, quia rari ſunt & amici boni & fideles & pudici, & continentes, ſemperque virtus rara eſt. Legimus quoſdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam & ad pauperes cibos redactos, convaluiſſe. Caruerant enim ſollicitudine diſpenſandæ domus, & epularum largitate: quæ & corpus frangunt & animam.

Irridet Horatius appetitum ciborum, qui conſumpti relinquunt pœnitentiam. Sed etiam ex viliſſimis cibis vitanda ſatietas. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter & æſtuans, & huc illuc ſe vertens, & in ructus, & in crepitus ventorum efflatione reſpirans. Quale autem illud jejunium, aut qualis refectio poſt jejunium cum pridianis epulis diſtendimur: & guttur noſtrum meditatorium efficitur latrinarum? Dumque volumus prolixioris inediæ famem quærere: tantum voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam jejunium appellandum eſt, quam crapula ac fœtens & moleſta digeſtio.

De abſtinentia Philoſophorum, antiquorum Sacerdotum, aliorúmque Sanctorum.

Dicæarchus in libris antiquitatum & deſcriptione Græciæ, refert ſub Saturnio, cum omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes: & univerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſponte terra gignebat. Chæremon quoque Stoicus vir eloquentiſſimus narrat de vita antiquorum Ægypti ſacerdotum: qui omnibus mundi negotiisque cariſque poſtpoſitis, ſemper in templo fuerint: & rerum naturas cauſaſque ac rationes ſiderum contemplati ſint: nunquam ſe mulieribus miſcuerint, numquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint: & ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſemper abſtinuerint propter tenuitatem ſenſus, & maxime propter appetitus libidinis: quæ ex his cibis & ex hac potione naſcuntur. Pane vero non veſcebantur: ne onerarent ſtomachum: & ſi quando comedebant, tunſum pariter hyſſopum ſumebant in cibo: ut

eſcam

eſcam graviorem, illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant: verum & ipſum parum propter nauſeam & aſperitatem gutturis leniendam.

Quid loquar, inquit, de volatilibus: cum ova quoque pro carnibus vitaverint & lac? quorum alterum carnes liquidas: alterum ſanguinem eſſe dicebant colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum contextum erat. Scabellum acclive ex una parte obliquum in terra pro pulvillo capiti ſupponebant: bidui triduique inediam ſuſtinentes: & humores corporis qui naſcuntur ex otio, & ex manſione unius loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant. Item Joſephus in ſecunda Judaicæ captivitatis hiſtoria, & in decimo octavo antiquitatum libro, tria deſcribit dogmata Judæorum, Phariſæos, Sadducæos, Eſſæos: quorum noviſſimos miris effert laudibus: quod & uxoribus, vino & carnibus ſemper abſtinuerint: & quotidianum jejunium verterint in naturam. Super quorum vita & cibo, Philo vir doctiſſimus proprium volumen edidit.

Eubulius narrat apud Perſas tria genera Magorum: quorum primos qui ſunt doctiſſimi & eloquentiſſimi: excepta farina & olere, nihil amplius in cibo ſumere. Orpheus quoque in carmine ſuo eſum carnium penitus deteſtatur. Pythagoræ etiam, Socratis, Antiſthenis, & reliquorum fraugalitatem referrem in confuſionem noſtram, niſi & longum eſſet, & proprii operis indigeret: ut qui paupertatem Apoſtolorum & crucis duritiem, aut neſciunt, aut contemnunt: imitentur ſaltem gentilium paupertatem.

Ad ea venio, quæ Aſella poſt duodecimum annum ſudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, implevit. Unius cellulæ clauſa anguſtiis, latitudine paradiſi fruebatur. Idem terræ ſolum, & orationis locus extitit & quietis. Jejunium habuit pro ludo, inediam pro refectione. Et cum eam non veſcendi deſiderium, ſed humana confectio ad cibum traheret: pane & ſale & aqua frigida concitabat magis eſuriem, quam reſtringebat: & operatur manibus ſciens, ſcriptum eſſe: Qui non laborat, non manducet. Et ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret ſtomachus, non viſcerum cruciaretur injuria: non ſicca humus jacentia membra confringeret: non ſacco aſperata cutis, fœtorem aliquem ſitúmque contraheret: ſed ſana corpore anima ſanior, ſolitudinem putaret eſſe delicias: & in urbe turbida inveniret eremum monachorum.

Paulo quoque cibum & veſtimenta palma præbebat: & ne cui impoſſibile videatur, JEſum teſtor & Angelos ejus: quod in parte eremi, quæ juxta Syriam Saracenis conjungitur, monachum vidi, qui per triginta annos incluſus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vivebat. Alter in ciſterna veteri per dies ſingulos quinque carycis ſuſtentabatur. Unde ſi mihi Dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli cum meritis, quam Regum purpuras cum regnis ſuis. Quid tamen nos ventris animalia, tale unquam fecimus? quos ſi vel ſecunda hora legentes invenerit, oſcitamus, manu faciem defricantes, continemus ſtomachum: & quaſi poſt multum laborem, mundialibus rurſus negotiis occupamur.

Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam ſalutandi: qua aut ipſi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros expectamus. Deinceps itur in verba, ſermo teritur, lacerantur abſentes, vita aliena deſcribitur: & mordentes invicem conſumimur ab invicem. Talis non cibus occupat & dimittit. Cum vero amici receſſerint, ratiocinia ſupputamus. Nunc ira perſonam leonis nobis inducit: nunc cura ſuperflua in annos plurimos duratura præcogitat. Nec recordamur Evangelii dicentis. Stulte hac nocte auferent animam à te, quæ autem præparaſti cujus erunt?

Nec verò hoc dicens contemno cibos: quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione, ſed juvenibus incentiva eſſe aſſero voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Veſevus Olympúsque tantis ardoribus æſtuant: ut juveniles medullæ vino plenæ, dapibus inflammatæ. Avaritia calcatur à pleriſque, & cum marſupio deponitur. Maledicam linquam indictum ſilentium emendat: cultus corporis, & habitus veſtium unius horæ ſpatio commutatur. Omnia alia peccata extrinſecus ſunt: & quod foris eſt, facile abjicitur. Sola libido inſita eſt: & quadam lege naturæ in coitum geſtit erumpere. Grandis igitur virtutis eſt & ſollicitæ diligentiæ ſuperare quod natus ſis: & in carne non carnaliter vivere.

De temperatis jejuniis.

TAntum tibi jejuniorum aſſume, quantum ferre potes: diverſus eſt enim hominum ſtomachus. Alii amaris, alii dulcibus, alii auſterioribus, alii levibus delectantur cibis. Ideo non tibi immoderata imperamus jejunia & enormem cibo-

ciborum abſtinentiam, quibus ſtatim corpora delicata frangantur. Philoſophorum quoque Sententia eſt, moderatas eſſe virtutes, excedentes modum atque menſuram inter vitia deputari. Unde & unus de ſeptem ſapientibus: Ne quid, ait, nimis. Novi enim ego in utroque ſexu propter nimiam abſtinentiam cerebri ſanitatem quibusdam fuiſſe vexatam: præſertim qui in humidis & frigidis habitavere cellulis: ita ut neſcirent quid agerent, quove ſe verterent, quid loqui, quid tacere deberent.

Sic ergo debes jejunare, ut non palpites, & reſpirare vix poſſis: ſed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigiliis ſolito quid minus facias. Jejunium non perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio atque pudicitia: & ſine qua nemo videbit Deum. Nam Chriſtus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. Diſplicent namque in teneris maxime ætatibus longa & immoderata jejunia, quibus junguntur hebdomades: & oleum in cibo ac poma vetantur. Experimento didici, aſellum in via cum laſſus fuerit diverticula quærere. Hoc enim in perpetuo jejunio præceptum eſt: ut longo itineri vires perpetes ſuppetant, ne in prima manſione currentes corruamus in mediis.

Cæterum in quadrageſima continentiæ vela pandenda ſunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus: quamquam alia ſit conditio Sæcularium, alia monachorum. Sæcularis homo in quadrageſima ventris ingluviem decoquit, & in cochlearum morem, ſucco victitans ſuo, futuris dapibus ac ſaginæ aqualiculum parat. Monachus in quadrageſima ſuos dimittat equos: ut ſibi meminerit ſemper eſſe currendum. Finitus labor major, infinitus moderatior eſt. Ibi enim reſpiramus: hic perpetuo incedimus. Sic tamen comedas, ut ſtatim poſt cibum poſſis legere, orare, & pſallere. Ideo ſint tibi caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa jejunia.

Sed quid prodeſt oleo non veſci: & moleſtias quaſdam difficultatesque ciborum quærere, caryças, piper, nuces, palmarum fructus, ſimilam, &mel? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario pane non veſcamur: & dum delicias ſectamur, à Regno Cœlorum retrahimur. Nec ſi biduo aut tribuo jejunaveris: putes te non jejunantibus eſſe meliorem. Tu jejunas & iraſceris: ille comedit & forte blanditur. Tu vexationem mentis & ventris eſuriem jejunando digeris, ille moderatus alitur & gratias agit Deo. Unde quotidie clamat Iſaias: Non tale jejunium elegi, dicit Dominus: & iterum: In diebus jejuniorum veſtrorum inveniuntur voluntates veſtræ: & omnes qui ſub poteſtate veſtra ſunt, ſtimulatis: In judiciis & litibus jejunatis, & percutitis pugnis humilem: ut quid mihi jejunatis? Quale illud poteſt eſſe jejunium, cujus iram non dicam nox occupat: ſed luna integra derelinquit?

Teipſum conſiderans noli in alterius ruina, ſed in tuo opere gloriari: nec illorum tibi exempla præponas: qui carnis curam facientes, poſſeſſionum reditus & quotidianas domus impenſas ſupputant. Nec enim undecim Chriſti Apoſtoli Judæ proditione ſunt fracti. Nec Philegio & Alexandro naufragium faciente cæteri à curſu fidei ſubſtiterunt. Convivia quoque tibi ſunt vitanda Sæcularium: maxime eorum qui honoribus tument. Nam pinguis venter, non gignit ſenſum tenuem.

Docet Æſopi fabula, plenum muris ventrem per anguſtum foramen egredi non valere. Quoſcumque namque formoſos, calamiſtratos, crine compoſitos vel, buccis rubentibus videris: de armento Joviniani ſunt: inter quos grunniunt ſues. De noſtro grege, triſtes, pallidi, ſordidi, & quaſi peregrini hujus ſæculi, licet ſermone careant, habitu loquuntur & geſtu: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt. Unde Saccas & jejunium arma ſunt pœnitentiæ, & alia peccatorum. Et ſi è duobus neceſſariis unum eſt ſubtrahendum: magis eligam jejunium abſque ſacco, quam ſaccam abſque jejunio. At vero hi quibus pœnitentia præcipitur, conſequenter ad jejunum ſaccum copulant. Non quidem ſanat oculum, quod calcaneo adhibetur. Jejunio paſſiones corporis, oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. Igitur per jejunium oſtenditur nos poſſe ire in Paradiſum, unde per ſaturitatem fuetamus ejecti. Nam jejunium curat vulnera delinquentis: curatoſque ſanctificat.

De contemplatione, oratione, & lectione.

SI Monachus eſſe vis, non videri: habeto curam non rei familiaris, cui renunciando hoc eſſe cœpiſti, ſed animæ tuæ. Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Corpus pariter animusque tendantur ad Dominum.

Sic

Sic teipſum in Cœlo animo geſtiente procures: ut dum corpore moraris in terra, jam ad Chriſtum mente pervenias. Aſſueſcas quoque ad orationes & Pſalmos nocte conſurgere, mane Hymnos canere: tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie quaſi bellatorem Chriſti, accenſáque lucerna reddere Sacrificium veſpertinum. Sic dies tranſeat, ſic nox inveniat laborantem: orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio. Præcipue ea quæ Sancti faciunt, in conſpectu DEI faciunt: & pleniorem ſcientiam DEI accipiunt: & plenius divinis imbuti ſunt diſciplinis. Si enim ægrotus & æſtuans febribus aquam frigidam poſtulet, & dicat ad medicum: Vim patior, crucior, exanimor, usquequo medice clamabo, & non exaudies? Et reſpondeat ſapientiſſimus & clementiſſimus medicus: Scio quo tempore debeam dare quod poſtulas, non miſereor modo: quia miſericordia iſta crudelitas eſt: & voluntas tua contra te petit. Ita Dominus noſter ſciens clementiæ ſuæ pondera atque menſuras, interdum non exaudit clamantem: ut eum probet, & magis provocet ad rogandum: & quaſi igne excoctum, juſtiorem & puriurem faciat.

Ad orationem nocte conſurgenti non indigeſtio cibi ructum faciat, ſed inanitas. Nam quidam vir inter paſtores eximius: ſicut fumus, inquit, fugat apes: ſic indigeſta ructatio avertit Spiritus ſancti chariſmata. Ructus autem dicitur proprie digeſtio cibi: & concoctarum eſcarum in ventum efflatio. Quomodo ergo juxta qualitatem ciborum de ſtomacho ructus erumpit: & vel boni, vel mali odoris flatus indicium eſt: ita interioris hominis cogitationes verba proferunt ex abundantia cordis os loquitur. Juſtus comedens replet animam ſuam Cumque ſaccris doctrinis fuerit ſatiatus, de boni cordis theſauro profert ea quæ bona ſunt.

Crebrius lege & diſce quam plurima & tenente te codicem ſomnus obrepat: & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Et quanquam Apoſtolus ſemper orare nos jubeat: & ſanctis etiam ipſe ſomnus oratio ſit: tamen diviſas orandi horas debemus habere: ut ſi aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Nec cibi ante ſumantur, niſi oratione præmiſſa. Nec recedatur à menſa, niſi referantur gratiæ creatori. Egredientes hoſpitium armet oratio: & Ingredientibus occurrat oratio antequam ſellio: nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima pauſetur.

Ad omnem actum, ad omnem inceſſum, manus pingat crucem. Dominicis diebus orationi & lectioni vacetur. Quod quidem in omni tempore completis opuſculis faciant. Quotidie de ſcripturis ſanctis aliquid dicatur. Providendum etiam ut diem ſolennem, non tam ciborum abundantia, quam ſpiritus exultatione celebremus: quia valde abſurdum eſt, nimia ſaturitate velle Martyrem honorare, quem ſcias DEO placuiſſe jejuniis.

Sacerdotes quoque pro omnibus orare debent, quorum Eleemoſynas oblationeſque recipiunt. Sæpe in manibus tuis divina ſit lectio & crebræ orationes, ut omnes cogitationum ſagittæ, quibus adoleſcentia percuti ſolet, hujuscemodi Clypeo repellantur. Quoniam difficile imo impoſſibile eſt perturbationum vitiis carere quempiam. Nam frequens lectio & quotidiana meditatio ſolet magis labor mentis eſſe quam carnis. Quomodo enim quod manu & corpore fit, manus & corporis labore completur: ita quod ad lectionem pertinet, magis mentis eſt labor. Literæ namque marſupium non ſequuntur: Sudoris tamen comites ſunt & laboris, Sociæ jejuniorum non ſaturitatis; continentiæ, non luxuriæ. Unde quidam Origenis diſcipulus dixit: nunquam ſe cibum Origene præſente ſine lectione ſumpſiſſe: nunquam eveniſſe ſomnum, niſi unus è Fratribus ſacris literis perſonaret.

Edentes autem cucullis capita ſua velent: ne alter alterum aſpiciat manducantem: ne loqui quidquam liceat dum manducant. Igitur quando comederis, cogita quod ſtatim tibi orandum illico, & legendum ſit.

De Scripturis ſanctis habeto fixum verſuum numerum. Iſtud penſum Domino tuo redde. Nec ante membra quieti concedas quam palladium pectoris tui hoc ſub tegmine compleveris. Poſt ſanctas Scripturas, doctorum hominum tractatus lege eorum duntaxat, quorum fides nota eſt: Quoniam eruditio timorem creat imperitia confidentiam. Sed tunc Scriptura proderit legenti: ſi quod legerit, opere compleatur.

Illorum igitur tractatibus, illorum delecteris ingeniis & libris; quorum pietas fidei non vacillat. Cæteros ſic lege, ut magis judices quam ſequaris. Caveas omnia apocrypha: & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem legere volueris: ſcias non eorum eſſe quorum titulis prænotantur: multaque in his & mix-

mixta vitioſa : Et grandis prudentiæ eſt aurum in luto quærere. Quid enim facit cum Pſalterio Horatius ? cum Evangeliis Maro ? cum Apoſtolo Cicero? quæ ſocietas lucis ad tenebras ? Ne ergo legas Philoſophos , oratores , poëtas , ne in eorum lectione requieſcas : ne nobis blandiamur : ſi his quæ ſcripta ſunt non credimus : cum aliorum conſcientia vulneretur : & putemur probare quæ dum legimus non reprobamus. Abſit ergo ut de ore Chriſtiano ſonet Jupiter omnipotens , & me Hercule & me Ecaſtor : & cætera magis portenta quam numina.

At nunc etiam Sacerdotes DEI omiſſis Evangeliis & Prophetis videmus comædias legere : amatoria Bucolicorum verſuum verba cantare : tenere Virgilium : & id quod in pueris neceſſitatis eſt , crimen in ſe facere voluntatis. Scientia autem pietatis eſt , noſſe legere Scripturas : Prophetas intelligere : in Evangelio credere : Apoſtolos non ignorare. Nec putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium , ſed in ſenſu : Non in ſuperficie , ſed in medulla : Non in ſermonum foliis , ſed in radice rationis.

Si quid autem ignoras , ſi quid de Scripturis dubites : interroga eum quem vita commendat , excuſat ætas , fama non reprobat. Aut ſi non eſt qui poſſit exponere : melius eſt aliquid neſcire , quam cum periculo diſcere. Memento quia in medio laqueorum ambulas. Malo enim apud te verecundia parumper quam cauſa periclitari. Qui tamen quod novit interrogat , non modo diſcendi , ſed ſtudio cognoſcendi , an noverit ille qui reſponſurus eſt in ſimilitudinem Phariſæorum : non quaſi diſcipulus , ſed quaſi tentator accedit. Plerique etiam detractorum , dum verba ſacri eloquii plus quam debent diſcutiunt , in carnalem intellectum caduot.

In divinis autem Scripturis & libris: melius eſt obſcura relinquere ut ſunt , quam aliquid temere , vel prave imitari quod neſcias. Sunt quoque non nulli , qui rugata fronte , demiſſo ſupercilio , verbiſque trutinatis autoritatem doctorum ſibi vendicant. Non quod ipſi dignum aliquid arrogantia noverint: ſed quod ſimplices Fratres quædam videntur ſui comparatione neſcire. Evenit etiam interdum , ut cum modicum ſcientiæ quis habuerit , elatus in ſuperbiam diſcere deſiſtat : & paulatim eo quod nihil additur, ſubtrahitur , ut vacuus diſciplinis penitus remaneat : ferrumque quod acutum erat, hebetetur. Sed & jam Prophetam horrere , eloquentis eſt , non Chriſtum ſapere, ſapientis: injuriam feciſſe, virtutis : aliena poſſidere , potentiæ: innocentem circumvenire , aſtutiæ: humilem deſpexiſſe , nobilitatis. Sic erroribus plena ſunt omnia : & ad hoc uſque veritas obſcuratur , ut in mortis gremio jacuiſſe beatitudo dicatur.

Nobis vero nil placet , niſi quod Ecclesiaſticum eſt : & quod publice in Eccleſia non timemus. In his tamen ita facere ſolemus. Quando enim Philoſophos legimus ; quando in manus noſtras libri veniunt Sapientiæ ſæcularis , ſi quid in eis utile reperimus : ad noſtrum dogma convertimus. Si quid vero ſuperfluum , de idolis , de amore , de cura ſæcularium Rerum : hæc radimus , his calvitium inducimus , hæc in unguium morem ferro acutiſſimo deſecamus.

Referam tibi meæ infelicitatis hiſtoriam. Cum ante annos plurimos domo , Parentibus , ſororibus , cognatis : & quod his difficilius eſt , conſuetudine lautioris cibi , propter Cœlorum me Regna caſtraſſem : & Jeroſolymam militaturus pergerem : Bibliotheca , quam mihi Romæ ſummo ſtudio confeceram , carere non poteram. Itaque miſer ego lecturus Tullium jejunabam. Poſt noctium crebras vigilias , poſt Lachrymas , quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intimis viſceribus fluebant , Plautus ſumebatur in manus. Si quando in memetipſum reverſus Prophetam legere cœpiſſem , ſermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam : non oculorum putabam culpam eſſe , ſed ſolis. Dum ita me antiquus ſerpens illuderet : in media ferme quadrageſima medullis infuſa febris , corpus invaſit exhauſtum , & ſine ulla requie , quod dictu quoque incredibile ſit, infelicia membra depaſta eſt , ut oſſibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor , toto jam corpore frigeſcente , in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat : cum ſubito raptus in ſpiritu ad tribunal Chriſti pertrahor : ubi tantum luminis erat , & tantum ex circumſtantium claritate fulgoris , ut projectus in terram ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione , Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille qui præſidebat: Mentiris , ait : Ciceronianus es , non Chriſtianus. Ubi enim eſt theſaurus tuus , ibi & cor tuum. Illico obmutui , & inter verbera , (nam cædi me juſſerat ,) conſcientiæ magis igne torquebar : illum mecum verſiculum repetens : In inferno autem quis confitebitur tibi ? Clamare tamen cœpi , & ejulans dicere : Miſerere

rete mei. Hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad præſidentis genua provoluti qui aſtiterant, præcabantur ut veniam tribueret adoleſcentiæ: & errori locum pœnitentiæ daret, exacturus deinde cruciatum, ſi gentilium aliquando literarum libros legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo, vellem etiam majora promittere: dejerare cœpi, & nomen ejus obteſtans dicere: Domine, ſi unquam habuero codices ſæculares: aut ſi legero, te negavi. In hæc ſacramenti verba dimiſſus, revertor ad ſuperos & mirantibus cunctis, oculos aperui: tanto lachrymarum imbre perfuſos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod jacui, judicium teſtis quod timui: Ita mihi nunquam talem contingat incidere quæſtionem. Nam fateor vulneribus habuiſſe plenas Scapulas: plagas ſenſiſſe poſt ſomnum: & tanto dehinc ſtudio divina legiſſe, quanto mortalia ante non legeram.

Quodque præter Pſalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperum, media nocte & mane ſemper exercendum eſt: ſtatue quot horis Scripturam ſanctam ediſcere debeas, quanto tempore legere: non ad laborem ſed ad delectationem & inſtructionem animæ. Cumque hæc finieris ſpatia: & frequenter ad figenda genua ſollicitudo animi ſuſcitaverit: aut texenda compone, aut quæ ſunt texta reſpice, quæ errata reprehende, quæ ſunt facienda conſtitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupatus nunquam tibi dies longi erunt. Sed quamvis æſtivis tendantur ſolibus: breves videbuntur, quibus aliquid operis prætermiſſum eſt. Hæc obſervans, teipſum ſalvabis & alios: & eris magiſter ſanctæ converſationis, multorumque caſtitatem lucrum tuum facies.

Dicas Pſalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, ſed mentis quæratur, ſcribente Apoſtolo: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Legerat enim præceptum, pſallite ſapienter. Nam clamor in ſcripturis non eſt vocis, ſed cordis. Sed nunquid verborum multitudine flecti Deus, ut homo poteſt? Non enim verbis, ſed corde orandus eſt Deus. Melior eſt ſeptem pſalmorum decantatio cum puritate & ſerenitate, & ſpiritali hilaritate, quam totius pſalterii modulatio cum anxietate cordis & triſtitia. Cantor quoque pellatur ut noxius: tibicinas & pſaltrias & iſtiusmodi quaſi mortifera ſirenarũ carmina proturba ex ædibus.

Sic autem erudienda eſt anima, quæ futurum eſt templum DEI, quod nihil aliud diſcat audire, nihil loqui, niſi quod ad timorem DEI pertinet: turpia non intelligat: cantica mundi ignoret. Non ſunt contemnenda quaſi parva ſint, ſine quibus majora conſtare non poſſunt. Græca narrat Hiſtoria Alexandrum potentiſſimum regem orbiſque domitorem, & in moribus, & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuerat infectus.

Dæmonum itaque cibus eſt carmina Poëtarum, ſæcularis Sapientia, rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſua omnes ſuavitate delectant, & dum verſibus aures dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt. Verum ubi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud niſi inanem ſonum & ſermonum ſtrepitum ſuis lectoribus tribuunt. Nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla juſtitiæ refectio reperitur. Studioſi earum in fame veri & virtutum penuria perſeverant. Mihi autem curæ, non quid Ariſtotelis, ſed quid Paulus doceat. Ornat enim doctrinam DEI, qui ea quæ conditioni ſuæ apta ſunt, facit: & è converſo confundit illam, cui conditio ſua diſplicet. Monachus autem non doctoris, ſed plangentis habet Officium, qui vel ſe vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtolatur adventum; qui ſciens imbecillitatem ſuam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat & corruat & frangatur, ſeque Monachum eſſe non loquendo & diſcurſando, ſed tacendo & ſedendo noverit. Sit quoque tibi ſermo ſilens, & ſilentium loquens, nec citus, nec tardus inceſſus.

Ac unusquisque quando ad communionem ingreditur, cum cuculla tantum accedat. Habeant qui volunt ſuas opes, vaſe gemmato bibant, ſerico niteant, plauſu populi delectentur: & per varias voluptates divitias vincere nequeant. Noſtræ divitiæ ſunt in lege DEI meditari die ac nocte, januam pulſare, & Sæculum præeuntes calcare. Præparemus igitur nobis fortitudinem, aſſumamus nobis perfectum robur: ut inter errorum tenebras & confuſionem, in noctis ſcientia Chriſti lumen appareat. Dieſque noſter nubem habeat protegentem: ut his ducibus ad terram ſanctam pervenire valeamus. Quid enim eruditione melius? Quid ſuavius diſciplina? quid dulcius Domino? ſit autem convivium Chriſtus: lectio Chriſtus: quies Chriſtus: cogitatio Chriſtus. Quæ enim poteſt

teſt eſſe vita ſine ſcientia Scripturarum : per quam etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur ? Qui cibi, quæ mella ſunt dulciora, quam DEI ſcire prudentiam ? ſapiens quoque nunquam ſolus eſt : habet ſecum omnes qui boni ſunt & fuerunt : & animum liberum quocumque vult transfert : quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur. Et ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo : nec unquam eſt minus ſolus, quam cum ſolus fuerit. Prima namque Sapientia eſt, caruiſſe ſtultitia : ſed ſtultitia caruiſſe non poteſt, niſi qui intellexerit illam. Sed vera quidem Sapientia eſt, nupet factum ſe noſſe : & ut ſic loquar in carne juſtorum imperfecta perfectio eſt. Parum tamen eſt ſcire quod neſcitis : ſed prudentis hominis eſt noſſe menſuram ſuam : quam qui ignoraverit, quanto ampliora quæſierit, tanto magis ad inferiora collocabitur. Diſcamus igitur in terris : quorum nobis ſcientia perſeveret in Cœlis.

De vigiliis.

DIgnum eſt Fratres aptumque prorſus ſatisque conveniens, de ſanctis Vigiliis nunc dicere & proferre ſermonem : quando ipſa lucubratio exigitur à ſollicitis. Nox ecce eſt caligo corporibus; non ſolum homines, ſed etiam cunctos in ſomno detinet animantes : ut reformatis viribus per ſoporem, poſſint diuturnum ſuſtinere laborem viventes. Bonus Deus qui Ita proſpexit, ita conſtituit, ut homo exiturus ad operationem ſuam usque ad veſperum, haberet vicarium tempus, in quo à duris laboribus, & multa fatigatione tequieſcere præſtitit.

Novimus autem multos hominum : ut aut majoribus ſuis placeant, aut ſibi aliquid peculiariter proſint, noctis particulam ad aliquod opuſculum ſegregare : id pro lucro ducere, quod furati de ſopore ſuo operari potuerint. A Salomone vero laudatur & fœmina, quæ penſa & lanificium ad lucernam vigilanter exercet. Addidit etiam quod ex hoc laus viro ejus In portis & gloria magna naſcatur. Quod ſi in carnalibus Inſtrumentis : id eſt, victui & veſtitui neceſſariis, qui vigilat non teprehenditur, imo laudatur, & mirari me fateot eſſe aliquos, qui ſacras vigilias tam ſpirituali opere fructuoſas, orationibus, Hymnis, lectionibusque fœcundas, aut ſuperfluas æſtimant, aut otioſas, aut quod his deterius eſt, importunas.

Et quidem ſi ſunt homines à noſtra Religione alieni qui iſta ſic ſentiant, non eſt mirum. Quomodo enim prophanis Religioſa placere poſſunt, quibus ſi placerent, noſtri eſſent : quia ſumus utique Chriſtiani ? ſi vero noſtri ſunt, quos vigiliarum ſalutifer actus offendit : ut nihil de his deterius ſuſpicer : Aut pigri ſunt, aut ſomniculoſi, aut quod his eſt proximum, ſenes vel infirmi : ſi pigri ſunt; erubeſcant, quia illis inſonant proverbia Salomonis : Vade ad formicam ò Piger, & æmulare vias ejus. Si ſomniculoſi ſunt, expergiſcantur Scriptura proclamante : O Piger, quouſque dormis ? Quando autem de ſomno ſurges ? paululum quidem dormis, modicum ſedes, puſillum autem dormitas : puſillum vero complecteris manibus pectus. Si ſenex es, quis te compelſit ut vigiles ? quamquam & non compulſus pro ætate tamen vigilas. Et ſi ſtare non potes, ſed tuam cogitas impoſſibilitatem, non debes juvenes & valentes ad tuum revocare torporem : quos propter varias tentationes juventutis, ſe ipſos propenſioribus macerare decet vigiliis. Nam athletæ ſuis incitatoribus fortiores ſunt : & tamen monet debilior, pugnat ille qui fortior eſt : Maxime quia & ſancti corruunt, ſi fuerint negligentes : Et peccatores priſtinum recipiunt, ſi ſordes fletibus laverint.

Hoc ideo dico, ut te non terreant deſcendentes, ſed provocent aſcendentes. Nihil tam facile, quam otioſum & dormientem de aliorum labore & vigiliis diſputare. Si vero infirmus es membris, quod facere potes, noli reprehendere : Imo riga & tu ſecundum prophetam lachrymis ſtratum tuum, & dic : ſic memor fui tui ſuper ſtratum meum. Injunge te etiam vigilantibus, ut te ſuis precibus juvent : quo adjutus à Domino ſuper lectum doloris tui canere poſſis : ut & tu quandoque merearis dicere : In matutinis meditabor in te : quia fuiſti adjutor meus. Alioquin ſtultum & ſatis extraneum eſt : ut quia ipſi currere non valemus, bene currentibus derogemus. Nam & ſi non poſſumus, debemus congratulari potentibus. Sicut enim de conſenſu malitiæ participatur cum facientibus pœna, ſic participatio gloriæ ſperanda eſt de conſenſu bonitatis. Alios enim effectus coronat : alios voluntas pia lætificat. Nec ſane oneroſum vel difficile videri debet, etiam delicatis corporibus in ſeptimana duarum noctium, id eſt Sabbati atque dominicæ portionem aliquam DEI miniſterio deputare. Iſta enim quaſi purificatio eſt dierum quinque vel noctium, quibus ſtupore carnali ingraveſcimus, ac mundanis actibus oſcitamus.

Nec

Nec erubeſcat aliquis in bono ſtudio ſanctitatis, cum non erubeſcant improbi in perpetrando opere fœditatis. Merito erga Scriptura in Proverbiis ingerit: Eſt confuſio quæ ducit ad peccatum. In bono enim opere confundi peccatum eſt: ſicut in malo faciendo non confundi pernicies eſt. Si ſanctus es, ama vigilias, ut theſaurum tuum vigilando cuſtodias, & ipſe in Sanctitate ſerveris. Si peccator es, magis cura, ut vigilando & orando purgeris: dum tunſo pectore frequentius clames: Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſervo tuo. Guſtandum enim videtur, quia ſuavis eſt Dominus, ſicut ſcriptum eſt. Qui ergo guſtavit, intelligit & ſentit, quantum pondus pectoris vigilando deponitur: quantus mentis ſtupor excutitur, quanta lux animam vigilantis & orantis illuſtrat: quæ gratia, quæ viſitatio membra univerſa lætificat. Vigilando omnis timor excluditur, fiducia naſcitur, caro maceratur, vitia tabeſcunt, charitas roboratur, recedit ſtultitia, accedit prudentia, mens acuitur: error obtunditur, criminum caput diabolus, gladio ſpiritus vulneratur.

Quid hac utilitate magis neceſſarium? quid iſtis lucris commodatius? quid hac dilectione ſuavius? quid hac felicitate beatius? teſte etiam Propheta, qui in principio Pſalmorum ſuorum beatum virum deſcribens, ſummam beatitudinem ejus in hoc verſiculo collocavit: ſi in lege DEI meditatur die ac nocte. Bona eſt quidem diurna meditatio, ſed efficacior eſt nocturna. Quia per diem neceſſitates obſtrepunt, occupationes diſtrahunt mentem: ſenſum duplex cura diſpergit. Nox autem ſecreta, nox quieta, opportunam ſe præbet orantibus, aptiſſimam vigilantibus: dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum ſenſum in totum hominem divinis conſpectibus ſiſtit. Curandum etiam ne nimietate cibi vel potus vigilaturi pectus oneretur: ne cruditate eructantes & crapulam, non ſolum ipſi nobis, ſed etiam gratiæ Spiritus indigni judicemur. Ergo tanquam divino functuri miniſterio ante nos per abſtinentiam parare debemus: ut ingravati expeditius vigilare poſſimus.

Cogitatio quoque mala pellatur, ne male vigilantis oratio fiat, ſicut legitur, in peccatum. Sunt enim & ex maligno vigiliæ, ſicut in Proverbiis legitur: Ablatus eſt ſomnus ab oculis eorum: Non enim dormiunt, inquit, niſi malefecerint. Abſint, abſint ab hoc conventu tales vigiliæ: ſit potius vigilantibus pectus clauſum diabolo, apertum Chriſto: ut quem labiis ſonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles noſtræ vigiliæ: tunc pernoctatio ſalutaris: ſi competenti diligentia & devotione ſincera, miniſterium noſtrum divinis obtutibus offeratur.

De veſtibus.

Fuſca tunica veſtiaris, vilis tunica contemptum mundi probet: Ita duntaxat ne animus tuus tumeat: ne habitus ſermoque diſſentiant. Nam veſtis ipſa vilis & pulla, animi tacentis indicium eſt. Qui enim mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Tales namque veſtes habeas, non quibus veſtita corpora nudentur, quæ nec ſint mundæ, nec ſordidæ & nulla diverſitate notabiles: quia nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ conveniunt Chriſtiano. Sed ne hoc ipſum jactantiam tibi generet, quod ſæculi jactantiam contempſiſti: ne cogitatio tacita ſubrepat: ut quia forſitan inauratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordibus. Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid poſſumus.

At nunc pleroſque videas armaria ſtipare veſtibus: tunicas mutare quotidie, & tamen tineas non poſſe ſuperare. Et qui te Religioſior eſt, unum exerit veſtimentum, & plenis arcis pannos trahit: inficiuntur membranæ colore purpureo: aurum liqueſcit in literas: gemmis codices veſtiuntur: & nudus ante fores eorum Chriſtus moritur. Pulla enim tunica minus cum humi jacuerit ſordidatur. Sit cingulum laneum cum tota ſimplicitate puriſſimum: & quod poſſit adſtringere veſtimenta magis quam ſcindere. Idem ſemper habitus, neglecta mundities, inculta veſtis, & cultus ipſe ſine cultu: plumarum quoque mollicies juvenilia membra non foveat.

De laboribus manuum.

Ne vacet mens tua variis perturbationibus, quæ ſi pectori inſederint, dominabuntur tui: & deducent te ad delictum maximum. Facito aliquid operis: ut ſemper te diabolus inveniat occupatum. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Evangelio vivere, laborabant manibus ſuis, ne quem gravarent: & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in uſus tuos ceſſura non præparas? vel fiſcellam texe junco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus: ſarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur: in quibus cum olerum jactata fuerint ſemina, vel

vel plantæ poſitæ per ordinem aquæ ducantur irriguæ. Inſerantur infructuoſæ arbores, vel gemmis, vel ſurculis, ut parvo poſt tempore dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quos te mittunt Salomonis proverbia: & Monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam in parvis diſce corporibus.

Texantur & lina pro capiendis piſcibus. Scribantur & libri: ut & manus operetur cibum, & anima lectione ſaturetur. Nam in deſideriis eſt omnis otioſus. Ægyptiorum Monaſteria hunc morem tenent: ut nullum abſque labore atque opere ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſalutem. Ne vagetur pernicioſis cogitationibus meos, & ad inſtar fornicantis Jeruſalem, omni tranſeunti divaricet pedes ſuos. Nec idcirco tibi ab opere ceſſandum eſt: quia DEO propitio nulla re indiges. Sed ideo cum omnibus laborandum eſt: ut per occaſionem operis nihil aliud cogites, niſi quod ad Domini pertinet ſervitutem. Simpliciter loquar, quamvis omnem cenſum tuum in pauperes diſtribueris: nihil apud Chriſtum erit pretioſum, quam quod manibus tuis ipſe confeceris: ſudore enim & labore nimio ad ubertatem fructuum perveniemus.

De laude Religionis, & de inductione ad eam.

EXtruis quidem Monaſteria, & multus à te per inſulas Dalmatiæ ſanctorum numerus ſuſtentatur? ſed melius feceris, ſi & ipſe ſanctus inter ſanctos viveres. Difficile imo impoſſibile eſt: ut & præſentibus quis & æternis fruatur bonis: ut & hic ventrem, ibi mentem impleat, & de deliciis tranſeat ad delicias: ut in utroque Sæculo primus ſit, & in Cœlo & in terra glorioſus appareat.

Quod autem aſſeris eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis & paulatim fructus poſſeſſionum pauperibus dividant: quam illos qui poſſeſſionibus venditis ſemel omnia largiantur: non à me, ſed à Domino reſpondeatur: ſi vis perfectus eſſe, &c. Nec à ſuo ſtudio Monachi retrahendi ſunt lingua viperea, morſu ſæviſſimo: quibus argumentaris & dicis: ſi omnes ſe clauſerint & fugerint in ſolitudinem, quis celebrabit Eccleſias, quis ſæculares homines lucrifaciet, quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, ſi omnes tecum fatui fuerint: ſapiens eſſe quis poterit: ſi virgines omnes fuerint, nuptiæ non erunt, interibit genus humanum.

Sed rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur. Et utinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt. De quibus dicitur: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. Ideo licet parvulus ex collo pendeat nepos: licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus, ubera quibus te nutrierat, mater oſtendat: licet in limine Pater jaceat: per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Gladium tenet hoſtis, ut me perimat: & ego de Matris lachrymis cogitabo? Delicatus es Frater chariſſime: ſi hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. Multa nos facere cogit affectus. Et dum propinquitatem reſpicimus corporum: & corporis & animæ offendimus creatorem. Qui amat Patrem, aut Matrem ſuper Chriſtum, non eſt DEO dignus. Unde diſcipulus ad ſepulturam Patris ire deſiderans, Salvatoris prohibetur imperio. Quanti Monachorum dum Patris matriſque miſerentur, ſuas animas perdiderunt? Super Patre & Matre pollui non licet: quanto magis ſuper Fratre, ſororibus, conſobrinis, familia, ſervulis? Genus Regale & Sacerdotale ſumus: illum attendamus Patrem, qui nunquam moritur: & qui ideo vivens mortuus eſt, ut nos mortuos vivificaret.

Sola cauſa pietatis eſt, ubi nulla carnis notitia eſt. Honora Patrem tuum, ſi te à vero Patre non ſeparat. Tandiu ſcito carnis copulam, quandiu ille ſuum noverit creatorem. Alioquin David protinus tibi canet: Obliviſcere populum tuum & domum Patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Grande præmium eſt parentis obliti: quia concupiſcet Rex decorem tuum. Solent etenim miſeri parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes & aliquo membro debiles filios, quia dignos Matrimonio non inveniunt, Religioni tradere. Sed ſi tu perfectus eſſe deſideras, exi cum Abraham de Patria tua & de cognatione tua: & perge quo neſcis. Et ſi habes ſubſtantiam: vende, & da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es: nudus Chriſtum nudum ſequere. Durum, grande, difficile, ſed magna ſunt præmia. Magis enim quilibet labor ſuſcipitur, ſi ante oculos præponatur ipſius laboris utilitas. Sed & navigantibus longa ſerenitas ſpem pollicetur: navis valida & diuturna tempeſtas.

Sectemur ergo nos mulierculas, ſexus nos doceat infirmior. Quantæ divitiis pariter ac nobilitate pollentes

(no-

(nolo earum vocabula dicere, ne videar adulari) relictis facultatibus, pignoribúsque contemptis, hoc facto facile judicârunt, quod tu putas proprio timore difficile? Unde habeto ſimplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & ſerpentis aſtutiam, ne aliorum ſupplanteris inſidiis. Non multum diſtat in vitio, vel decipere, vel decipi poſſe Chriſtianum. At illa tibi ad hoc de variis floribus lumen exornent. Coluber ad bibendum veniens, in aqua venenum deponit, ne eum venenum aquâ concretum occidat. Nudum hominem timet: caput tamen ſuum cælat, quando percutitur, ubi ſcit eſſe mortem ſuam. Serpens quidem, ſi calamo percutitur, moritur; ſi verò iterum percutiatur, confirmatur. Hyemali tempore infirmior efficitur, & à ſoricibus devincitur. Igitur ante hyemem circa ſe ſegetes colligit, ut illis eſcam præbeat.

Anguis quando ſenuerit, perdit aſpectum: & ſi voluerit redire ad juventutem, jejunat quadraginta diebus, ut laxetur pellis ejus: & ſic anguſtum foramen perquirit, ut, dum nititur inde exire, pellem ſenectutis dimittat. Pellicani, cùm ſuos à ſerpente filios mortuos inveniunt, lugent, & ſe, & ſua latera percutiunt, & ſanguine excuſſo, ad corpora mortuorum ſic reviviſcunt. Aquila quoque cùm ſenuerit, gravantur ejus pennæ & oculi, & quærit fontem, & erigit pennas, & colligit in ſe calorem: & ſic oculi ejus ſanantur, & in fontem ter ſe mergit: & ita ad juventutem redit.

Multa dicuntur in Scripturis, quæ videntur impoſſibilia: & tamen vera ſunt. Nihil enim dicas impoſſibile, ubi eſt virtus Altiſſimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo adeſt Deitatis. Sed quid te ad jugum Domini præſentis vitæ provocare exemplis conor: cùm nullum penè ſciamus fuiſſe Sanctorum, qui procelloſum hujus temporis agonem abſque tribulatione & tempeſtate tranſierit? Sic etenim bellator vulneris dolorem aut contemnit, aut neſcit, dum vivacitatis ſenſibus ſolam videtur cogitare victoriam. Et qui hyemis tempore vadit ad balnea, priùs aſperitatem frigoris nudus patienter excipit, quia eum futura calefactio conſolatur, omniúmque creaturarum difficilè propter Deum exultatio aliqua niſi mœrore præeunte ſuccedit. Sit ergo in nobis tanta futurorum fides, ut admodum non ſentiamus nos illa ſuſtinere, quæ patimur; ſed ea potiùs arbitremur nos obtinere, quæ credimus.

Quanta autem apud Deum merces, ſi in præſenti homines pretium non ſperarent? Quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur? minori pretio margaritum Chriſti emi poterat. Finis militiæ tuæ erit regnum non terræ & temporis, ſed æternitatis & cæli. Nihil eſt, fili, quod poſſit aut debeat præferri ei, qui eſt verus Dominus, & verus Pater, & Imperator æternus. Cui enim rectiùs vitam noſtram impendimus, quàm illi, à quo ipſam accepimus: & cui eam debemus uſque ad finem, quia ipſius beneficio vivimus? Unde ſi maluerimus Cæſari militare, quàm Chriſto, poſtea non ad Chriſtum, ſed ad gehennam transferemur.

Igitur nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias præferre debemus, quia ſcriptum eſt: Præterit hujus mundi figura. Et: Qui hunc mundum dilexerint, cum mundo peribunt. Illi ergo militemus, qui militantibus ſibi gloriam vitæ æternæ, honorem regni cæleſtis, divitias hæreditatis ſuæ, & divinæ cognitionis conſortium perenne largitur. Nam nullus Rex terrenus totius orbis Dominus eſt. Chriſtus autem totius mundi Rex eſt, quia omnia per Chriſtum facta ſunt. Et quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: talis violentia Deo grata eſt, quæ neminem concutit, nullius damno nititur. In hanc rapinam manus tuas mitte, quæ crimen non habet, & confert ſalutem. Sollicitudines enim noſtræ carnales quantò chariores ſunt, tantò plus nos diſcruciant & fatigant. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus ita requieſcit animus, ut cruciatu careat, dum neceſſitudines ſuas aut bonas amet cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto: in utroque ſuſtinendis miſeriis ſemper obnoxius eſt. Commuta ergo in melius vitam tuam, ut æterno Deo incipias militare, & Deum habeas protectorem. Sunt tamen multi, qui non metu pœnarum, ſed benedictionum & repromiſſionum deſiderio veniunt ad ſalutem. Nihil enim eſt dignius, quàm ut homo ſit Autoris imitator, & ſecundùm modum propriæ voluntatis divini ſit operis executor. Nam qui edere vult nucleum, frangat nucem. Apoſtolus ait: Rectius enim fuerat, hominem ſubliſſe conjugium, & ambulâſſe per plana, quàm altiora tendentem, in profundum inferni cadere.

De laude & detractione vitanda, & periculis hujus vitæ.

NOn credas laudatoribus tuis, imò irriſoribus aurem ne libenter accommodes.

modes. Omnis falſa prædicatio ſectatur lucra, & gloriam quærit humanam, ut per gloriam naſcantur compendia. Laudent te eſurientium viſcera, non ructuantium opulenta convivia: adulator quippe blandus inimicus eſt: naturali ducimur malo. Adulatoribus noſtris libenter favemus; quanquam nos reſpondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat: tamen ad laudem ſuam intrinſecùs anima lætatur. Sed veritas angulos non amat, nec quærit ſuſurrones. Laus quippe juſtos cruciat, iniquos exaltat; ſed juſtos dum cruciat, purgat; iniquos dum lætificat, reprobos monſtrat.

Nulli detrahas, nec in eo te ſanctum putes, ſi cæteros laceres. Accuſamus ſæpe, quod facimus, & contra noſmetipſos diſerti, in noſtra vitia invehimur, muti de eloquentibus judicantes. Nunquam hujuſcemodi hominibus applicеris, ne declines cor tuum in verba malitiæ, & audias: Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris, & adversùm filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Et apertiùs in Eccleſiaſte: Sicut mordet ſerpens in ſilentio, ſic & qui fratri ſuo in occulto detrahit. Sed dicis: ipſe non detraho: aliis loquentibus quid facere poſſum? Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus. Chriſtus arte non deluditur; nequaquam mea, ſed Apoſtoli ſententia eſt: Nolite errare, Deus non irridetur: ille in corde, nos videmus in facie.

Salomon loquitur in Proverbiis: Ventus Aquilo diſſipat nubes, & vultus triſtis linguas detrahentium. Sicut enim ſagitta, ſi mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat vulnerantem, juxta illud: Facti ſunt mihi in arcum pravum. Et alibi: Qui mittit in altum lapidem, recidit in caput ejus: ita detractor, cùm triſtem viderit faciem audientis, imò non audientis quidem, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat judicium ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur. Unde idem Vir ſapiens: Cum detractoribus (inquit) ne miſcearis, quoniam repentè veniet perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit? tam ſcilicet ejus, qui loquitur, quàm illius, qui audit loquentem. Et Timotheo dicitur: Adversùs Presbyterum accuſationem ne acceperis. Peccantem autem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant. Non eſt facile de perfecta ætate credendum, quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Si me igitur vis corrigi delinquentem, apertè increpa: tantùm occultè ne mordeas. Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Nam in comparatione duorum malorum levius malum eſt apertè peccare, quàm ſimulare & fingere ſanctitatem.

Quid vulneribus tuis prodeſt, ſi ego fuero vulneratus? an ſolatium percuſſi eſt, amicum ſecum videre morientem? Quid enim mihi prodeſt, ſi aliis mala mea referas, ſi me neſciente, peccatis meis, imò detractionibus tuis alium vulneres: & cùm certatim omnibus narres, ſic ſingulis loquaris, quaſi nulli alteri dixeris? Hoc non eſt me emendare, ſed vitio tuo ſatisfacere. Præcepit enim Dominus, peccantes interdum arguere debere ſecretò, vel adhibito teſte: & ſi audire noluerint, referri ad Eccleſiam, habendóſque in malo pertinaces, quaſi Ethnicos & Publicanos. Nam ingenia liberaliter educata faciliùs verecundia, quàm metus ſuperat: & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor, licèt multò melius eſt timore pœnarum emendare peccata, quàm ſpe proſperorum divinæ ſubjacere ſententiæ. Qui enim non ſenſerit Deum per beneficia, ſentiet per ſupplicia.

Cæterùm grande peccatum eſt, odiſſe corripientem, maximè ſi te non odio, ſed amore corripiat. Contra nos autem omnis conſonat chorus, & latrant univerſa ſubſellia: junguntur & noſtri Ordinis, qui & roduntur, & rodunt, adversùm nos loquaces, pro ſe muti, quaſi ipſi alii ſint, quàm Monachi. Et non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Clericos, qui Patres ſunt Monachorum. Detrimentum pecoris paſtoris ignominia eſt: ſicut è regione illius Monachi vita laudanda eſt, qui venerationi habet Sacerdotes Chriſti, & non detrahit gradui, per quem factus eſt Chriſtianus. Nam quando & inimicis præbemus beneficia, ipſorum malitiam noſtrâ bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam, & iratum animum ad benevolentiam flectimus.

Sed nec ille abſque invidiæ infectione eſſe poterit, qui ſoli Deo placere geſtierit: invidia enim non tam humanas amicitias, quàm ſolam juſtitiam perſequitur. Qui invidus eſt, alienâ felicitate torquetur, quoniam virtus ſemper invidiæ patet. Difficilè quoque evadit opprobria, cui eſt amica juſtitia: imò ſi quis piè vivere voluerit, iniqui protinus irriſione blaſphemant. Hæc quoque eſt conſuetudo detrahentis, ut malum

lum ſuum ſemper velit negando geminare, & dicere, aut non feciſſe, quod fecit, aut bono operatum zelo. Nihil mirum ergo, ſi contra me parvum homunculum immundæ ſues grunniunt, & pedibus margaritas conculcant, méque procul ab urbibus, foro, litibus, turbisque remotum, ſicque latentem reperit invidia. Tantum enim me diligunt Hæretici, quòd ſine me eſſe non poſſunt. Omittam perſonas, rebus tantùm & criminibus eſſe reſpondendum.

Nihil cauſæ prodeſt maledicentibus maledicere, & adverſarios talione mordere, cùm præceptum ſit, malum pro malo non reddi: unde non de adverſario victoriam, ſed contra mendacium quærimus veritatem. Sed nec timeamus odia ſubire quorundam. Non enim hominibus debemus placere, ſed Deo. At ſcitote, me nunquam Hæreticis pepercisse, ſed omni ſtudio peregiſſe, ut hoſtes Eccleſiæ mei fierent hoſtes. Unde meam injuriam patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui. Latrant canes pro Dominis ſuis: tu non vis me latrare pro Chriſto? Falſus rumor citò opprimitur, & vita poſterior judicat de priore. Fieri quidem non poteſt, ut abſque morſu hominum vitæ hujus curricula quis pertranſeat.

Malorúmque ſolatium eſt, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen citò ignis ſtipulæ conquieſcit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Nam ſi antè anno præterito fama mentita eſt, aut ſi certè verum dixit: ceſſet vitium, ceſſabit & rumor. Prima namque virtus Monachi eſt, contemnere hominum judicia. Igitur non timebo hominum judicium, habiturus Judicem meum. Cupiunt enim vicini non ſuam, ſed alienam diſcutere vitam. Sed qui amicus eſt, etiam prava recta judicat. Inventi ſunt enim ſcioli tantùm ad detrahendum, qui eo ſe doctos oſtentare volunt, ſi cunctorum vitam lacerent. Sed nihil Deo clauſum eſt, & tenebræ lucent apud eum.

Fuge tamen eos, in quibus poteſt malæ converſationis eſſe ſuſpicio, nec paratum habeas illud: Sufficit mihi conſcientia mea: non curo, quid de me loquantur homines. Certè Apoſtolus providebat bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blaſphemaretur in Gentibus: nec volebat ſe judicari ab infideli conſcientia: Si ſcandalizat (inquit) eſca fratrem; in æternum carnem non manducabo. Tolle igitur occaſionem, volentibus occaſionem. Nam caſtigare videtur alium, quiſquis ab ejus converſatione diſſentit.

Sic & nos in iſta Provincia ædificato Monaſterio, & diverſorio propter exſtructo, ne fortè & modò Joſeph cum Maria Bethlehem veniens, non inveniat hoſpitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, ut nec cœptum opus deſerere, nec ſupra vires ferre valeamus. Unde quia nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non antè computaremus impenſas, compulſi ſumus Fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut ſemirutas villulas, quæ Barbarorum manus effugerunt, & parentum communium cineres venderet, ne cœptum Sanctorum miniſterium deſerentes, riſum maledicis & æmulis præbeamus.

Unde omnia plena periculis, omnia plena ſunt laqueis. Incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. Amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec ſemper veracia ſunt ora laudantium: inde ſævit, & odit, hinc decipit officium: & facilius eſt, vitare diſcordem, quàm declinare fallacem. Sylva ſuccreſcit, ut poſtea reſcindatur: ideo ager ſeritur, ut metatur. Jam plenus eſt orbis: terra nos non capit, quotidie bella ſecant, morbi ſubtrahunt, naufragia abſorbent, & nihilominus detrahimus, & litigamus.

Vides quoque in Eccleſia imperitiſſimos quoſque florere. Et quia nutriverunt frontis audaciam, & mobilitatem linguæ conſecuti ſunt: dum non recogitant, quid loquantur, prudentes ſe & eruditos arbitrantur, maximè ſi vulgi favorem habuerint, qui magis dictis levioribus commoventur. Et è contrario vides eruditum virum in obſcuro latere & perſecutiones pati, & non ſolùm in populo gratiam non habere, ſed inopia & egeſtate tabeſcere. Hæc autem fiunt, quia non eſt hic meritorum retributio, ſed in futuro.

De juramento, vindicta, mendacio, ſtultiloquio prohibendo.

Dixiſti enim (ni fallor) jure te mala malis reddere, & cum jurantibus jurare debere, quia aliquandò juravit Dominus, aut mala malis reſtituit. Scio primùm, non omnia nobis convenire ſervis, quæ Domino conveniunt, ne in comparatione famulorum, Domini videatur injuria. Alioquin forſitan reclamare incipimus: cur non de virginibus, ſed de aliis mulieribus generamur? aut cur mortui noſtri tertia die non reſurgunt?

gunt? Juravit, ſcio, ſæpe Dominus, qui nos jurare prohibuit. Nec ſtatim ex hoc temerè blaſphemare debemus eum, quòd alios vetuerit Dominus, quod ipſe faciebat, quia dici nobis poteſt: Juravit Dominus, quaſi Dominus: quem jurare nemo prohibebat. Nobis quaſi ſervis non licet, qui Domini noſtri lege jurare vetamur.

Verùm ne in ejus exemplo ſcandalum patiamur, ex quo tempore nos jurare noluit, nec ipſe juravit. Et qualiter de juramenti cauſa brevi ſermone ſatiſfactum eſt: ita etiam ad vindictæ negotium hunc eundem ſenſum facilè proſpicis poſſe ſufficere: quia aliud eſt nunc tempus gratiæ, in quo plenitudo profectionis advenit: aliud fuit Legis, aliud Prophetarum, dicente Domino: Audiſtis, quia dictum eſt Antiquis, ne occiderent. Ego autem perfectiora præcipio, quæ in ordine Evangelii digeſta, ſuo loco Lector inveniet. Ex quo enim Filius Dei, filius hominis factus eſt: ex quo vetus fermentum Judaicæ Traditionis eſt factum nova conſperſio, ex quo agnus non in figura, ſed in veritate comeditur: ex quo ſecundùm Apoſtolum vetera tranſierunt, & facta ſunt omnia nova, ex quo juſſum eſt imaginem terreni hominis deponere, & aſſumere formam cœleſtis: ex quo commortui ſumus: ex quo virtutibus conſurreximus in Chriſto, jurare non diſcas: mentiri ſacrilegium putes.

Admonendi itaque ſunt omnes, ut diligenter perjurium caveant, non ſolum in altari, ſeu Sanctorum Reliquiis, ſed etiam in communi loquela. Omne enim, quod non ædificat audientes, in periculum loquentium vertitur. Veritas quidem claudi & ligari poteſt, vinci non poteſt, quæ & ſuorum paucitate contenta eſt, & multitudine hoſtium non terretur. Poſſunt homines, quamvis juſti, aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam, aliorumque ſalutem. Conſideremus ergo, quid loquamur: quia pro omni verbo otioſo reddituri ſumus rationem in die judicii. Verbum quidem otioſum eſt, quod ſine utilitate dicentis & audientis profertur. Stultiloquium autem æſtimo non illorum tantùm, qui aliqua turpia narrant, unde riſum moveant, & fatuitate ſimulata, magis illudant illis, quibus placere deſiderant: ſed etiam illorum, qui prudentes ſæculi putantur: & de rebus phyſicis diſputantes, dicunt ſe arenas littorum, guttas Oceani, & cœlorum ſpatium, terræque punctum liquidò comprehendiſſe.

De patientia, reconciliatione, & mortuis non lugendis.

NUnc jam nobis de patientia, & ejus bonis loquendum eſt. Eſt igitur patiéntia omnium injuriarum & paſſionũ tolerantia, & exſpectationum omnium ſine præcipitatione ſufficientia: quam ſi quis intellexerit & habuerit, contraria vitæ gravia bajulat, bona omnia continet. Sororem habet ſpem, & affines ejus ſunt res bonæ omnes: patitur enim libentèr, quia ſperat, ſperando tolerat. Impatienter enim fertur, quod non ſperatur. Omni autem virtute patientia perfert, quod ſpe præeunte dignoſcitur: aut ſi ſpes fructus patientiæ ſubſequitur. Hæc matre gaudet fide, & gubernaculum habet Deum, conſcientiam, genus, & propinquitatem; Inde glorioſi teſtes efficiuntur, dum fide pleni, dum DEI timore ſolliciti, dum continentiæ diſcipuli, dum filii ſpei, duce patientiâ reperiuntur. Deinde cohæredes Chriſti, dum illum usque ad mortem patientiæ virtutibus imitantur.

Unde tu paſſus injuriam taceas, iram vince patientia. Sanctus enim amor impatientiam non habet; manſuetudo namque nulla paſſione turbatur, & ſpecialiter ira & furore non rumpitur: Quam qui habuerit, beatitudinem conſequetur voce Domini promiſſam: ut terram poſſideat, id eſt, imperet & dominetur corpori ſuo. Nulla enim res ita inebriat, ut animi perturbatio. Eſt triſtitia, quæ ducit ad mortem: eſt quædam ira, quæ juſtitiam DEI non operatur, & furori proxima mentis ſuæ impotem facit: in tantum, ut labia tremant, dentes concrepent, vultus quoque pallore mutetur. Animi vera lætitia interdum dolores corporis mitigat. Quod ſi ad ægrotationem corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas. Dicit quoque Apoſtolus: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

Quid agemus in die judicii, ſuper quorum iram non unius diei: ſed tantorum annorum ſol teſtis occubuit? Igitur miteſcat ſævitia, manſueſcat iracundia, remittant ſibi invicem culpas ſuas: nec ſit exactor vindictæ, quæ petitor eſt veniæ, Grandis offenſa eſt, nolle placare offenſum: quamquam affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo hujus corporis habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere poſſumus, amputare non poſſumus. Ideo Pſalmiſta dicit: Iraſcimini, & nolite peccare. Quia iraſci hominis eſt, & finem iræ ponere, Chriſtiani. Unde quidam ait: Jam te verberibus enecaſſem, niſi ira-

tus

tus eſſem. Inde enim juſti dicuntur, dum omnia opera patienter operantur.

Multò quoque melius eſt, ſtomachum te dolere, quàm mentem greſſu vacillare, quàm pudicitia: nec ſtatim nobis pœnitentiæ remedia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Cavendum eſt vulnus, quod dolore curatur: nec ſcire poſſumus ægrotationis mala, niſi cùm fuerit ſanitas ſubſecuta: & quantum boni virtus habeat, vitia demonſtrant: clariúsque ſit lumen comparatione tenebrarum. Sed conſideremus, quid ethicus ille Pſalmus ſonet: Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum. Hodie non poteſt dicere, niſi ille, qui ad univerſa, quæ patitur, magnificat Dominum, & ſuo merito imputans in adverſis de ejus clementia gloriatur. Neceſſe eſt enim, ut, qui ſe credere dicit in Chriſto, in omnibus Chriſti judiciis gaudeat, dicens: Sanus ſum, gratias refero creatori. Langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem. Quando enim infirmor, tunc fortior ſum; & virtus ſpiritûs in carnis infirmitate perficitur. Nam fortitudo corporis, imbecillitas animæ eſt. Patitur & Apoſtolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur: ſed dicitur ei: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur: Cur igitur durum ſit, quod aliquando patiendum eſt?

Dolemus autem quemquam mortuum? Ad hoc enim nati ſumus, ut maneamus æterni. Lugeatur mortuus, ſed ille, quem gehenna ſuſcipit, quem tartarus devorat, in cujus pœna æternus ignis exæſtuat. Nam mors noſtra peccatum eſt. Nos verò, quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus Chriſtus occurrit obviam, gravemur magis, ſi in tabernaculo iſto mortis habitemus. Cæterùm nonne veteris, ne tibi Salvator dicat: Iraſceris, quia Frater tuus, meus factus eſt Filius? Indignaris de judicio meo, & rebellibus lachrymis, facis injuriam poſſidenti? Cibum tibi negas, non jejuniorum ſtudio, ſed doloris. Non amo frugalitatem iſtam. Jejunia iſta adverſarii mei ſunt. Nullam animam recipio, quæ me nolente ſeparitur à corpore. Tales ſtulta philoſophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, & Catonem. Si viventem crederes Fratrem, nunquam plangeres ad meliora migraſſe. Nam ſicut præter hanc vitam, eſt vita alia Beatorum: ita præter hanc mortem, eſt mors alia impiorum.

Adverſum mortis ergo duritiam & crudeliſſimam neceſſitatem hoc ſolatio erigimur, quòd in brevi viſuri ſumus eos, quos dolemus abſentes: neque enim mors, ſed dormitio & ſomnus appellatur. Nos dolendi magis, qui quotidie ſtamus in prœlio, & peccatorum vitiis ſordidamur, & accipimus vulnera. Abſit tamen à fide noſtra, ut aliquam plagam dicam eſſe, quæ non habeat conſolationem, cùm Propheta proclamet: Nunquid Medicus non eſt in Galaad: Deus enim permiſit te iſtius ſæculi fluctibus, ventisque jactari, ut expertus naufragium, de cætero ſimiliter periclitari caveas. Ita cuncta, quæ paſſus es, ſicut intelligis vulnera corporis tui: Sic animæ remedia ſunt. Brevis enim vitæ ſpatium æterna memoria compenſat.

De tribulationibus & opprobriis perferendis.

Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum. Beati eſtis, cùm vos maledixerint homines, & perſecuti fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos: gaudete ergo & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Futuræ vitæ gloria, præſentis vitæ incommodis comparatur: præcipue quia non qui patitur, ſed qui facit injuriam, miſer eſt. Unde & Chriſtianis vexilla Crucis ſunt deliciæ: trophæa noſtræ vitæ non pompis, ſed miſeriis reportantur. In noſtra claſſe viri fortes opprobria ſciunt portare, non munera. Nam Chriſti vincula voluntaria ſunt, & vertuntur in amplexus.

Si quis autem corpore imbecillis eſt. Si abſit Sapientia, non adverſarii certamina vincit: maximè quoniam liberi arbitrii ſumus: ſed ipſum DEI nutritur auxilio. Paupertati, non nobilitati futurorum beatitudo promittitur. Retrahit quidem verecundia Senatorem, ne ſequatur pauperem Chriſtum: Sed audiat à Chriſto: Qui me confeſſus fuerit, & mea verba in generatione hac adultera & peccatrice: & Filius hominis confitebitur eum in gloria Patris ſui, cum Angelis ſanctis. Turpe eſt inter parentes ſenatores pro Chriſto voluntaria humilitate eſſe dejectum. Diſplicet amicis, ſi poſt ambitioſi habitus cultum plebeia & ignobilia veſtimenta mutentur. Sed ſi hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem, inquit Apoſtolus: & Propheta in pſalmo: Quoniam Deus diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos. Quantum bona & humana offenſio, per quam invenitur ſervitus Chriſti: tantum pernicioſa eſt amicitia, quæ DEI præſtat offenſam: ſicut ſcriptum eſt: Qui vo-

voluerit amicus fieri hujus mundi, inimicus DEI conſtituetur.

Dicat unuſquiſque, quod velit: ego interim de me pro ſenſus mei parvitate judicavi, melius eſſe confundi coram peccatoribus ſuper terram, quàm coram Angelis ſanctis in cœlo: vel ubicumque judicium ſuum voluerit demonſtrare. Unde Iſaias, vir ſua gente nobiliſſimus, qui ſocer regis Ezechiæ fuiſſe refertur: juſſu Dei depoſito cilicio nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deterritus eſt: quo minus DEI imperium ſequeretur: quia nihil honeſtius eſſe homini, quam ſuo Creatori parere judicabat. Joannes quoque Baptiſta nobilis & in carne & in ſpiritu natus: cilicium à pueritia in habitum elegit, & locuſtas in cibum: qui nec peccati conſcientiá, nec paupertatis inopiâ ad hujus gloriam oneris, ſed ſola futuri ſæculi beatitudine trahebatur. Unde & Apoſtoli ſtulti & inutiles, & tenues fidei arguuntur.

Unde Paulum Apoſtolum proferam: quem quoties lego, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua, qui oculo mentis futura contemplans, dicebat: Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti: tribulatio, an anguſtia? an perſecutio? an fames, an nuditas? an periculum? an gladius? Illos pericula non ſeparant, nos verò voluptates. Illi catenas bajulant innocentes: nos aurum circumferimus criminoſi. Illi in carceribus vincti, nos in tricliniis delicati. Illi in nervo poſiti, Deum puro corde & ſincera cogitatione laudantes: nos fortè in ipſa Eccleſia de forenſibus calumniis cogitamus. Et cùm omnibus æqualiter legis data ſit gratia, gehenna ſeu regula promiſſa ſint, alii de divitiis, alii de virtutibus meditantur. Cùmque dictum ſit generaliter omnibus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: aliis innocentia, miſericordia, caſtitate, jejuniis DEO fideliter & ſine fine ſervientibus, nos nobis adulteros eligimus, quibus ſervire volumus. Siquidem juxta Evangelii ſententiam: Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Revera ſi amator pecuniæ ſum, ſi gloriæ, ſi ſuperbiæ, ſi ambitionis, aut pompæ: dum illi omne ſtudium meæ voluntatis impendo, Domino ſervire non poſſum: Quia duobus Dominis neminem ſervire poſſe, ſcriptum eſt. Non eſtis veſtri, dicit Apoſtolus: Empti eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Clementer Spiritus ſanctus jure noſtro nos convenit, ſciens, hoc in uſu publico apud omnes homines cuſtodiri: ut tanto ſervus in opere Domini eſſet cautior, quanto majori peculio eſſet comparatus: ut intelligamus, quàm ſtrenui eſſe debeant in opere Domini, qui redempti ſunt ſanguine Chriſti: vel quàm criminoſi debeant judicari, qui, cùm ſciant pro pretio ſuæ ſalutis Chriſti ſanguinem eſſe datum, alteri, qui nihil præſtitit, magis præbeant ſervitutem. Rogo, quo pudore obſequii aut laboris ſui mercedem ſperabit à cœlo: cujus fuerit ſollicitudo omnis in terra? Mercenarius ſæculi non poteſt accipere Chriſti mercedem. Omnis miles in caſtris jure ſpectat annonam, qui fortiter in prælio pro civibus laboraverit. Et dignus eſt quidem mercenarius mercede ſua. Nemo tamen militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut placeat ei, cui ſe probavit, eſt Apoſtoli vox.

Amplectenda eſt igitur triſtitia, quæ gaudium parit: nec ejus conſideranda materia, quia ſæpe per dulcedinem fructus placent, quorum amarum horruit in radice: & qui literarum ſcientiam habere deſiderat, ſi diſcendi non ſuſceperit tædia, peritiæ gaudia adipiſci non poterit: nec cujusquam eruditionis quisquam habere ſufficiet gloriam, niſi æſtus fuerit antè perpeſſus. Cùmque nos Dei auxilio deſtitutos hoſtis invaſerit, duxeritque captivos, non deſperemus ſalutem, ſed iterum armemur ad prælium. Poteſt fieri, ut vincamus, ubi victi ſumus: & in eodem loco triumphemus, ubi fuimus aliquando captivi. Nam ſi juvat Dominus miſeros, habemus ſalutem; ſi deſpicit peccatores, habemus ſepulchrum.

Multò gravior exſpectata mors, quàm illata. Ad hoc enim laboremus, & in ſæculi periclitemur militia, ut in futuro ſæculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cùm Dominus ipſe tentatus ſit. Et de Abraham Scriptura teſtetur, quòd Deus tentaverit eum. Quam ob cauſam Apoſtolus loquitur: Gaudentes in tribulatione & ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem: probatio ſpem: ſpes autem non confundit. Scriptum eſt etiam: quia propter te mortificamur tota die: & æſtimati ſumus, ut oves occiſionis. Sed magna miſeriæ conſolatio eſt, quando in tormentis quis poſitus, ſcit proſpera ſecutura.

De timore ultimi judicii, & defectu hujus vitæ.

Unde ſatis timeo, ne in illa tribulationis die, quando ante tribunal Chriſti unicuique ſecundùm ſua facta reddendum eſt: his, qui in terrenis magis negotiis, quàm in cœleſtibus laborârunt, juſti judicii

dicit reſponſione dicatur: Ite, ſi poteſtis, & illic, ubi tota devotione ſerviſtis, mercedem exigite. Talis cauſa virginum eſt in Evangelio quinque ſtultarum; quæ, dum ſollicitudine ſæcularium vanitatum ſe contra profeſſionis ſuæ ordinem occuparent, oleum, unde verum lumen accenderent non habentes, in tenebris remanſerunt. Ecce enim ſi umbrato repentè cælo, Solis claritas noſtris aſpectibus denegetur, & productæ in noſtram humilitatem pluviæ terris immineant: ſi commotis (ut aſſolent) elementis, ut in rotam ſui curtus tonitrua concitentur, & dehinc fulgurum jacula palpebris terribiliter objecta coruſcent: quanquam & conſuetudine iſta contingant, pavemus, contremiſcimus, & proni ad terram, depoſitâ ſuperbiâ, cervices ſubmittimus.

Quid faciemus in illa die miſeri, quando revoluto cælo cum angelicis virtutibus igneus Dominus totus adveniet? Quando cadentibus deſuper ſtellis, Sol in tenebras, & in ſanguinem Luna mutabitur? Quando montes ſicut cera liqueſcent? Quando terra ardebit, & areſcent flumina, & maria ſiccabuntur contra rerum naturam, inſumpto divinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores dicent montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Tegite nos? Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet? Quando diſcrimina vertentur in vota, & quod ſemper oderunt homines, concupiſcent? Quando illud implebitur tempus, quod lugubri Jeremias dicit affectu, dicens: Reſpexi in terram, & ecce non erant lumioaria: Vidi montes, & ecce erant trementes, & univerſos colles turbari: intendi aërem, & ecce non erat, homo, & omnes volucres cæli pavebant. Vidi, & ecce Carmelus deſertus: & omnes civitates ſuccenſæ igni à facie Domini, & à facie iræ & indignationis ejus, interierunt univerſa.

Verùm ne ex ſuggeſtione diaboli hæc ad terrorem dicta non ad veritatem credantur, de præteritis futura probantur, quando talia in Diluvio, in Sodomis, in Ægypto, in Jeroſolymis ſæpe ob delicta hominum facta referuntur. Sed veniet illa dies, qua corruptivum hoc & mortale incorruptionem induet & immortalitatem. Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicaturò Domino, lugubre mundus immugiet: tribus ad tribus ferient pectora. Potentiſſimi quondam Reges nudo pectore palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole ſua Venus. Tunc ignitus Jupiter adducetur, & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis: Ariſtotelis argumenta non proderunt: tunc ruſticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce Judex, qui involutus pannis in præſepio vagiit; hic eſt ille operarii & quæſtuariæ filius: hic, qui matris geſtatus ſinu, hominem Deus fugit in Ægyptum: hic veſtitus coccino: hic, qui ſentibus coronatus. Cerne manus Judæe, quas fixeras: cerne latus Romane, quod foderas. Vide corpus, an idem ſit, quod dicebatis clam nocte tuliſſe diſcipulos.

O quot Virgines, & quantarum infamata pudicitia à Deo Judice coronabitur! O quantis in illa die expediſſet, ſi membrorum ſenſu, & viſcerum vigore in hac vita caruiſſent: & quanti illic elingues & muti feliciores loquacibus erunt: & quanti Paſtores Philoſophis, quanti ruſtici Oratoribus, & quanti hebetes argumentis præferendi ſunt Ciceronis. Ibi enim cùm ante tribunal Chriſti venerimus, ſcimus nec Job, nec Danielem, nec Noë rogare poſſe pro quoquam; ſed unumquemque portare onus ſuum.

Igitur ſive leges, ſive dormies, ſive ſcribes, ſive vigilabis, Amos tibi ſemper buccina in auribus ſonet: & Apoſtoli, qui hunc horrendum diem impiis & peccatoribus prævidere meruerunt; humiles erant, mortuos ſuſcitantes: & nos ſuper omnes erigimur, qui peccando quotidie noſmetipſos occidimus, non reſpicientes flebilem, infirmámque naturam, quæ in adverſis fortis, & nec in proſperis aliquando ſecura. Si enim intemperatè cibus ſumptus, aut immoderatè potus acceptus levem corpori febriciunculam concitaverit, dejicimus animum, affligimur, ſuſpiramus. Nulla cura tunc ſæculi eſt, nulla villarum: nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro. Omnes calumniæ, omnia lucra in periculo corporis conquieſcunt. Curritur ad Medicos: & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum & argentum: interdum & mancipia traduntur, & penè totum patrimonium aut negligitur, aut donatur, ut conſuletur vitæ quandoque perituræ. Et pro æterna ſalute omnis admodum homo negligens eſt, omnis avarus.

Illic omnis frugalitas Largitoris animi tenacitate conſtringitur, ubi promptior voluntas, & copioſior largitas deberet operari. Et cùm Scriptura dicat: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: ſic humana concupiſcimus, ſic amamus, quaſi aliquid naſcen-

tes intulerimus in ſæculum, aut recedentes de ſæculo nobiſcum auferre poſſimus. Nemo ad brevitatem temporis, nemo ad naturæ reſpicit conditionem: nemo conſiderat, nemo retractat, vana eſſe omnia, quæ aliquo fine clauduntur. Labuntur enim tempora, & præterita relinquentia ad futura feſtinant. Sed & Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Cúmque omnia cogitaverint per triginta annos, una febriciuncula venit, & tollit omnes cogitationes eorum. Nam ſicut manè virens herba & florens delectat oculos contemplantium, paulatimque marceſcens, pulchritudinem perdit, & in fœnum, quod conterendum eſt, tranſit: ita ſpes hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: & repentè dum ſeneſcit, incaneſcit caput, rugatur facies, cutis priùs extenſa contrahitur.

Hoc etiam languor facit & inedia, ut vultus primò pulcherrimus ad tantam tranſeat fœditatem: tamen qui quotidie recordatur, ſe eſſe moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat. Sed quantò in hoc ſæculo perſecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum cruciatibus fuerimus afflicti; tantò poſt reſurrectionem in futuro majora præmia conſequemur. Igitur in die judicii ſecurus invenietur, ſi nulla DEI offenſa reperiatur. De his ergo tantùm ſollicitudinem habere debemus. Ambiant terrena Gentiles, quibus cæleſtia non debentur. Concupiſcant præſentia, qui futura non credunt.

De virtute humilitatis & ſimplicitatis, ac tumenti animo vitando.

CAve, ne rumuſculos hominum aucuperis, ne offenſam Dei populorum laude commutes. Per bonam & malam famam à dexteris & à ſiniſtris Chriſti miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit & triſtia. Nam juſti & fortis viri eſt, nec adverſis frangi, nec proſperis ſublevari; ſed in utroque eſſe moderatum. Nolo te orare in angulis platearum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias, & oſtentui habere phylacteria, & conſcientia repugnante, phariſaica ambitione circumdari.

Fidelis mecum Lector intelligis, quid taceam, & quid tacendo magis loquar. Quantò melius erat, hæc in corde portare, quàm in corpore, & Deum habere fautorem, non aſpectus hominum? Quamvis enim aliis vitiis carere poſſumus, hypocriſeos tamen maculam non habere, aut nullorum, aut paucorum eſt. Sed ſicut deprecantis humilitas meretur præmia; ita ſuperbia confidentis, Dei auxilio deſeritur. Tu autem frater inferiùs accumbe, ut minore veniente, ſurſum jubearis aſcendere. Super quem enim (ait Dominus) requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea?

Sed vis ſcire, quales ornatus Dominus quærat? habeto prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem. His plagis cæli includere, hæc te quadriga, velut aurigam Chriſti, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili pretioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius, & omni parte decori & ornamento tibi ſint & tutamini. Philoſophorum ſententia eſt, ſibi hærere virtutes; & Apoſtoli Jacobi: Cui una defuerit, omnes deeſſe. Et ſicut quatuor ſunt virtutes, quibus pugnamus & regimur: ſic quatuor vitia ſunt, quibus ab hoſte percutimur: ſtultitia, iniquitas, luxuria, formido; ſed malitia finem non habet. Cognatæ quoque ſibi ſunt virtutes, rectitudo, & ſimplicitas: nec ab invicem ſeparari queunt. Simplex & humilis & ruſticus, qui arcana ſapientiæ comprehendere nequit, ſi tamen Sapientum exempla in vivendo ſectetur, jure inter Sapientes connumerabitur. Melius eſt enim, parva bona cum charitate facere ſine ſcientia, quàm magnis effulgere virtutibus cum admixtione diſcordiæ. Excelſa namque periculoſiùs ſtant, & citiùs corruunt, quæ ſublimia ſunt.

Sed perſpicuum eſt, omnem creaturam, quamvis ad perfectionem venerit, tamen indigere miſericordiâ Dei, & plenam perfectionem ex gratia Dei, non ex merito poſſidere. Nihil ſic placet Deo, ſicut ſimplicitas & innocentia. Unde Spiritus ſanctus in volatilibus non apparuit, niſi in columba, propter ſimplicitatem: in quadrupedibus in ove, propter manſuetudinem. Illud quoque tibi vitandum eſt cautiùs, ne vanæ gloriæ ardore capiaris. Cùm facis eleëmoſynam, Deus ſolus videat. Cùm jejunas, læta ſit facies tua, ne ad te obvia prætereuntium turba conſiſtat, & digito demonſtreris. Nec ſatis religioſus velis videri, nec plus humilis, quàm neceſſe eſt: ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, miſericordiæ, ac jejunii arbitros declinantes, hoc ipſo placere cupiunt, quod placere contemnunt: & mirum in modum laus, dum vitatur,

appe-

appetitur. Cæteris perturbationibus, quibus mens hominis gaudet & ægreſcit, ſperat & metuit, plures invenio extraneos. Hoc vitio pauci admodum ſunt, qui caruerint.

Igitur non quæras gloriam: & cùm inglorius fueris, non dolebis. Qui enim verba increpantis humiliter recipit, jam propinquam habet veniam reatus, quem geſſit. Gravius eſt enim, perficere malum, quàm facere. Non eſt tamen tantæ virtutis, ab aliis factam injuriam ſuſtinere, quantæ gratiæ Domini eſt, mitem atque tranquillum injuriam facere non poſſe. Neque verò te moneo, ne de divitiis glorieris, ne de generis nobilitate jactes, ne te cæteris præferas. Scio humilitatem tuam, ſcio ex affectu te dicere: Domine! non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Stultiſſimum quippe eſt docere, quod noverit ille, quem doceas. Vox ex induſtria quaſi confecta jejuniis tenuis non ſit & deficiens. Sont quippe nonnulli exterminantes facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes, qui ſtatim, cùm aliquem viderint, ingemiſcunt, demittunt ſupercilium, & operta facie, vix liberant unum oculum ad videndum. Veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidis manibus pedibúſque, venter ſolus, quia videri non poteſt, æſtuat cibo. His quotidie Pſalmus ille cantatur: Deus diſſipavit oſſa hominum ſibi placentium. Triſtitiam ſimulant, & quaſi longa jejunia furtivis noctium cibis protrahunt. Pudet reliqua dicere: ne videar potiùs invehi, quàm monere: omnia hæc argumenta ſunt diaboli.

Imitare igitur eum potiùs, cujus pallor ex jejuniis, eleëmoſynæ in pauperes, obſequium in ſervos Dei, humilitas & cordis, & veſtium, ac in cunctis ſermo moderatus. Trade quoque te illi, cujus ſermo & habitus & inceſſus, doctrina virtutum eſt. Non cothurnatam affectes eloquentiam, nec more puerorum argutas ſententiolas in clauſulis ſtrues.

Hæc prætериens tetigi, ut eruditis contentus auribus, non magnopere cures, quid imperitorum de ingenio tuo rumuſculi jactitent: ſed Prophetarum quotidie medullas bibas. Quòd Patricii generis inter Monachos eſſe cœpiſti, non tibi ſit tumoris, ſed humilitatis occaſio, ut imiteris Filium hominis, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Quantò enim humilior, tantò ſublimior es: lucet margarita in ſordibus. Quantumcunque enim te dejeceris, humilior Chriſto non eris. Ideo quanquam mihi multorum ſum conſcius delictorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: Delicta juventutis meæ ne memineris Domine. Unde ſciens dictum ab Apoſtolo: Ne inflatus in ſuperbia incidat in judicium diaboli. Et in alio loco ſcriptum: Superbis Deus reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.

Nihil ita à pueritia vitare conatus ſum, quàm tumentem animum, & erectam cervicem, Dei contra ſe odia provocantem. Novi enim Magiſtrum Dominum & Deum meum in carnis humilitate dixiſſe: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Et antè per os David ceciniſſe: Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus. Et in alio loco legimus: Ante gloriam humiliatur cor viri, & ante ruinam elevatur. Nihil enim (ut crebrò diximus) tam periculoſum eſt, quàm gloriæ cupiditas, & jactantia, & tumens animus, conſcientia virtutum. Idcirco plus eſt, animum depoſuiſſe, quàm cultum. Difficiliùs arrogantia, quàm auro caremus & gemmis. Nil itaque prodeſt vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, ſimulata paupertas, ſi nominis dignitatem operibus deſtruas, ſi inter ſordes & inopiam peccata non caveas. Fidele namque teſtimonium eſt, ſi non habet cauſas mentiendi. Cui enim plus creditur, ab eo plus exigitur. Potentes potenter tormenta patientur. Nec ſibi quiſquam de corporis tantummodo caſtitate ſupplaudat, cùm etiam convicium in fratrem homicidii ſit reatus. Cadit quidem mundus, & cervix erecta non flectitur. Pereunt divitiæ, & nequaquam ceſſat avaritia. Congregare quàm multi feſtinant, quæ rurſus ab aliis occupentur.

De humilitate Chriſti, quam imitari debemus.

CHriſtus baptizatur à ſervo, & à Deo Filius appellatur: inter publicanos, meretrices, & peccatores ad lavacrum venit, & ſánctior eſt Baptiſta ſuo, qui de cælo venit in uterum, de utero in præſepe, de præſepe in crucem, de cruce in ſepulchrum, de ſepulchro ad inferos, de inferis victor remeavit ad cælos. Imitemur ergo Salvatorem noſtrum, quia ipſe mitis & humilis Paſtor, Agnus, & Aries appellatur. Qui pro nobis immolatus eſt. Qui ab Iſaac cornibus tenetur in ſentibus. Ex quo nil hac humilitate ſublimius. Qui Bethlehem in hoc parvo terræ foramine cælorum Conditor natus eſt: hic involutos pannis, hic viſus à paſtoribus, hic monſtratus à ſtella, hic adoratus à Magis. In Baptiſmo humilitas Chriſti, noſtra ſublimitas: illius

crux,

crux, noſtra victoria: illius patibulum, noſter triumphus eſt.

Cùm igitur lavacrum, & ſignum Crucis in frontibus dæmon aſpexerit, contremiſcit. Qui aurea Capitolia non timent, Crucem timent. Qui contemnunt ſceptra regalia, & purpuras Cæſarum, & dapes Chriſtianorum, ſordes tamen & jejunia pertimeſcunt: jubet enim Chriſtus, ne quis diſcipulorum dicat, quia ipſe eſt Chriſtus. Mira ratio, non vult prædicari, qui gaudet intelligi: agnoſci amat, & odit oſtendi: magis vult ſe inventum eſſe, quàm proditum, ut virtus ſua illum, non favor oſtenderet alienus. Quæ autem major poteſt eſſe clementia, quàm ut Filius Dei filius hominis naſceretur, decem menſium faſtidia ſuſtineret, partûs exſpectaret adventum, involveretur pannis, ſubjiceretur parentibus, per ſingulas adoleret ætates, & poſt contumelias vocum, alapas, & flagella, crucis quoque nobis fieret maledictum, ut nos à maledicto Legis abſolveret. Patri factus eſt obediens uſque ad mortem, ut id opere impleret, quod antè ex perſona Mediatoria fuerat deprecatus, dicens: Pater, volo, quomodo ut ego & tu unum ſumus: ita iſti in nobis unum ſunt.

Ergo quia ad hoc venerat, ut, quod impoſſibile erat legi (quia nemo juſtificabatur) ineffabili miſericordia vinceret: Publicanos & peccatores ad pœnitentiam provocabat. Unde novum & mirabile eſt apud nos. Dominus ſolus petentes ſe amat, ſolus iraſcitur, niſi petatur. Illo enim tempore, quo ſupplicia merebantur, Deus argumentum ſalvationis oſtenditur: intelligere poſſumus, quantum valeret præſtare non læſus, qui tantum donaret iratus. Amemus & nos Chriſtum, ejúſque ſemper quæramus amplexus: & facile videbitur omne difficile: brevia putabimus univerſa, quæ longa ſunt. Quódque beata Dei Genitrix à Filio ſuo non didicit, cælos fabricare, Angelos creare, mira Deitatis inſignia operari: ſed tantùm humiliari, cæteráque virtutum documenta intra humilitatis cuſtodiam aggregare.

De juſtitia, & vitæ rectitudine.

ET jam de juſtitia diſſeramus, quæ eſt ſingularum rerum & perſonarum æquiſſima diſtributio: quam quis obtinens, & cui quis adhærens, vitam ſuam diſpoſitè, & ſine turbatione conſervat: cuſtodit in omnibus æquitatem: ſcit, quid Deo debeat, quid Sanctis, & quid æqualibus reddat, quid non deneget poteſtatibus hujus ſæculi, quid ſibi retineat, quid proximo competat, quid alienis concedat aut congruat. Juſtum eſt enim, Deum colere & diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: Sanctos & coæquales honorare, & tributa impendere Poteſtatibus: ſuperbum non eſſe, ſed magìs mitem & humilem: proximos tanquam ſe diligere: alienos & inimicos non proſequi odio, ſed amore: ſubjectum eſſe prioribus, vel ætate majoribus, quia & Dominus, dum eſſet omnium Dominus, à Joanne, qui major eſt in natis mulierum, quia prior illo in nativitate hominum erat, baptizatur: & ſic adimpleri omnem juſtitiam proteſtatur. Et hac miſericordia naſcitur, obſequium deificum generatur.

In his omnibus qui invenitur, non immeritò in Chriſto dicitur permanere, quoniam hæc omnia ipſe Chriſtus eſt. Paulus nos glorioſus informat & inſtruit de Chriſto, dicens: Qui eſt factus nobis à Deo juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Item in alio loco: Qui eſt miſericordia, & pax, & dilectio, quam Græci ἀγαπὴν vocant. Iniquus enim, ſi ſequitur juſtitiam, negat iniquitatem. Stultus, ſi ſequatur Dei ſapientiam, negat ſtultitiam: quódque ſapientia, fortitudo, temperantia, & caſtitas ſolùm prodeſt habentibus; juſtitia verò aliis & miſeris prodeſt, quæ patrem vel fratrem non novit, ſed novit veritatem: perſonam non accipit, & Deum imitatur. Diſcite ergo bene facere. Virtus enim dicenda eſt. Nec naturæ tantum bonum ſufficit ad juſtitiam, niſi quis erudiatur congruis diſciplinis. Diſcenda eſt ergo juſtitia, & Magiſtrorum terenda ſunt limina. Secularis autem Judex acceptis muneribus condemnat inſontem, & reum liberat. Quod interdum de Eccleſiæ Principibus dici poteſt, quòd propter munera lacerent legem, & non perducunt judicium ad finem.

De Fide, Spe, & Timore.

SI autem Fides (ut inquit Apoſtolus Paulus) eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, quas ſperamus, & index rerum, quas non videmus: credere & fidere quis debet, quòd Deus ea, quæ promittit, potens eſt adimplere, & ſpem ſuam in futurum transferre: & tunc plena fide poterit ad ea, quæ promiſſa ſunt, facilè pervenire. Hæc nobis univerſa inviſibilia ante oculos ponit. Ad hanc ingreſſi, diaboli & poteſtatum hujus mundi, & harum tenebrarum univerſa deſerimus, Deo cum fiducia proximamus.

Credere

Credere enim & ſperare neceſſe eſt, quæ Deus juſſit: cùm, quæ diabolus inſeruerat, abnegamus. Fidem ſpes ſequitur: itaque de ipſa loquamur. Eſt igitur, ſpes expectatio rerum omnium futurarum, quam in fide habemus, quâ ſalvamur, Paulo ſcribente Apoſtolo: Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Quod autem videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus.

Hæc in ſe habet timorem, non illum, cujus oblivìſci, & quem foràs debet mittere, quisquis in fide vivit: ſed qui unus eſt de ſpiritibus, quibus impletur JEſus, ſicut Iſaias teſtatur: Exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini: illum ſpiritum, quem David canit, dicens: Timete Dominum juſti ejus. Unde & beati efficiuntur eodem proteſtante & dicente: Beatus vir, qui timet Dominum: illi dicit timorem, qui caſtus eſt & pudicus. Quoniam Timor Domini caſtus, loquit David, manet in ſæculum ſæculi.

Ergo eſt duplex timor: unus appetendus, alius fugiendus eſt. Igitur appetendus timor, admonitio & cuſtodia omnium rerum, quas credimus aut ſperamus. Timemus enim judicium, quia ſperamus: & metuimus Dominum, quia fortem illum Judicem credimus. Vera namque vita eſt, Deum noſſe, timere ejus potentiam, amare pietatem. Timor namque virtutum eſt cuſtos, ſecuritas ad lapſum facilis. Si pavorem habueris, ſollicitus eris: & ſi ſollicitus fueris, leo in caulas ovium tuarum intrare non poterit. Quod ad Præpoſitos Eccleſiarum vel ad animæ Cuſtodem pertinet. Qui cautus eſt & timidus, poteſt ad tempus vitare peccata: qui ſecurus eſt de juſtitia, repugnat: illiusque auxilio deſtitutus, inſidiis hoſtium patet. Nunquam tuta eſt humana fragilitas: & quantò magis virtutibus creſcimus, tantò magis timere debemus, ne de ſublimibus corruamus. Si juxta Eccleſiaſten, Radix ſapientiæ eſt timere Deum: fructus ſapientiæ quis eſt, niſi videre Deum? Bonum autem diligit, qui non invitus, aut neceſſitate, aut legum metu facit bonum; ſed idcirco, ut mercedem bonam operis habeat.

De charitate, & pace.

AD charitatem nunc tranſitum faciamus, quia omnibus major eſt: . In- ter cætera ſic fatetur Paulus: Manent autem tria hæc: Fides, ſpes, & dilectio; ſed major his dilectio eſt. Eſt ergo dilectio vinculum animorum, caſta, & ſincera, & ſine æmulatione charitas: conſummatio omnium mandatorum, brevis omnium præceptorum: quam cùm quis habuerit, omnia habet; ſine hac in aliis remanet imperfectus. Et ut cognoſcat veſtra prudentia, quantum charitas valeat: legimus reſponſum Domini in Evangelio dicentis, cùm interrogaretur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: Et diliges proximum tuum, tanquam teipſum, in his duobus præceptis pendet Lex & Prophetæ.

Vides in hoc ſola univerſa legis contenta pendere? Verè quisquis hanc habet, jam DEUS & DEI Filius dici poteſt: ex hac ſola poterit Deo ſimilis eſſe. Conſidera, qui Deum diligit: nunquid ſperat, nunquid timet, nunquid fidit? Non, ſed tantùm diligit. Deus, inquit Paulus, cùm dilexiſſet mundum, miſit unicum Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato condemnaret peccatum in carne: qui præponit eam rebus omnibus, dicens: Et ſi linguis loquar hominum & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum ſicut æramentum tinniens, aut cymbalom concrepans; Et ſi habuero Prophetiam, & cognovero omnia myſteria, & omnem ſcientiam: Et ſi habuero fidem, ita ut montes transferam: Et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habeam, nihil ſum.

Charitas magnanima eſt; charitas benigna eſt, charitas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non irritatur, non confundit, non quærit, quæ ſua ſunt, non cogitat malum, non gaudet ſuper injuſtitia; gaudet autem de veritate. Omnia ſuſtinet, omnia credit, omnia ſperat: charitas nunquam excidit. Nihil enim amantibus durum eſt, nullus difficilis eſt cupientibus labor. Solus tamen ille amor probabilis eſt, qui Deo & virtutibus animæ coaptatur. Nihil eſt enim, quod non toleret, qui perfecte diligit. Qui autem clementiam non habet, nec indutus eſt viſcera miſericordiæ & lachrymarum, quamvis ſpiritualis ſit, non adimplevit legem Chriſti. Unde legitur, quod beatus Joannes Evangeliſta, cùm Epheſi ſenex vix inter diſcipulorum manus deferretur, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi, Filioli mei, diligite alterutrum. Diſcipulis autem petentibus, quare ſemper id diceret, reſpondit, quia præceptum Domini eſt, & ſi fiat ſolum, ſofficit. Sed obſecro, ne

ne amicus, qui diu quæritur, vix invenitur, difficile ſervatur, pariter cum oculis amittatur. Nam amicitia, quæ deſinere poteſt, nunquam vera fuit: vera namque amicitia nullo livore, in quanto augetur numero, tanto creſcit & robore.

Declina igitur à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam. Niſi oderimus malum, bonum amare non poſſumus. Quin potiùs faciendum eſt bonum, ut declinemus à malo. Pax quærenda eſt, ut fugiamus bella: nec ſufficit eam quærere, niſi inventam, fugientemque omni ſtudio perſequamur: quæ exſuperat omnem ſenſum, in qua habitatio DEI eſt, Propheta dicente: Et factus eſt in pace locus ejus. Infernus itaque inter fratres dividit. Quicquid igitur ſeparat inter fratres, infernus dicendus eſt. Concordia enim parvæ res creſcunt: ſic & diſcordia maximæ dilabuntur. Pulchrè igitur perſecutio pacis dicitur, juxta illud Apoſtoli: Hoſpitalitatem perſequentes, ut non leni uſitatoque ſermone, &, ut ita loquar, ſummis labiis hoſpites invitemus: ſed toto mentis ardore teneamus, quaſi auferentes ſecum de lucro noſtro atque compendio.

De infirmis & pauperibus recreandis.

SI quis cœperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confoveatur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. Nec liceat dicere cuiquam: tunicam & ſagum textaque juncis ſtrata non habeo: Ita œconomus univerſa moderetur, ut nemo, qui poſtulet, habeat. Servias fratribus, hoſpitum lava pedes, pauperibus & fratribus refrigeria exhibe: ſumptum manu propria diſtribue. Quoniam quicquid habent Clerici, pauperū eſt, & domus eorum omnibus debent eſſe communes. Suſceptioni enim peregrinorum & hoſpitum invigilare debent.

Docet Salomon miſericordiæ operidus inſiſtendum: nec noſtris fidendum viribus, ſed à Deo eſſe auxilium flagitandum. Sed eſto, quòd æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, manus debilium ſis, aquam portes, ligna concidas, focum extruas: ſed ubi vincula? ubi alapæ? ubi ſputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi murs? Et cum hæc omnia, quæ dixi, feceris, ab Euſtochio Paulaque vinceris. Hæc dico, non quòd de ardore mentis tuæ quicquam dubitem, ſed quòd currentem impellam, & acriter dimicanti fervorem augeam.

De pœnitentia, & miſericordia Dei.

ARripe quæſo occaſionem, & fac de neceſſitate virtutem. Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bene finivit. Judæ laudantur initia, ſed finis proditione damnatur. Et licèt Deus non velit mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat: tamen tepidos odit, & citò ei nauſeam faciunt. Cuique plus dimittitur, plus diligit. Unde meretrix illa Chriſti dilectrix in Evangelio baptizata, lachrymis, & crine, quo multos antè ceperat, pedes Domini tergens, ſalvata eſt. Non quidem habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fuliginatos. Nam quantò fœdior, tantò pulchrior: quæ demum plorat ad crucem, unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, pergit ad Apoſtolos, repertum nuntiat: illi dubitant, iſta confidit.

Non enim tam peccati crimen arguitur, quàm velox converſio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Nec Deus cogeret pœnitere, ſi non eſſet pœnitentibus veniam conceſſurus. Nihil enim tam repugnat Deo, quàm cor impœnitens. Hoc ſolum crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt: præcipuè quia non injuſtus, ut propter multa mala paucorum oblivilcatur bonorum: imo de nullo ſic iraſcitur Deus, quomodo ſi peccator ſuperbiat, & erectus & rigidus non flectatur in fletum, nec miſericordiam poſtulet pro delicto. Nihil ſic offendit Deum, ſicut erecta cervix poſt peccata, & ex deſperatione contemptus. Unde & vos non deſperetis veniam ſcelerum magnitudine: quia magna peccata, magna delebit pœnitentia. Nam Deus non vult inferre ſupplicia, ſed terrere paſſuros. Ipſeque ad pœnitentiam provocat, ne faciat, quod comminatus eſt.

Dæmonum enim nullus eſt, quin pareat. Omnes ad prædam feſtini veniunt: ante faciem ipſorum ventus urens. Et quicqnid aſpexerint, quicquid vultui eorum obvium fuerit, urere deſiderabunt & perdere. Sed nec quiſquam per patientiam bonitatis Dei, de peccatorum ſuorum impunitate contendat, nec illum non æſtimet offenſum, quia necdum expertus iratum. Imo magna eſt ira, quando peccantibus non iraſcitur Deus: unde in Ezechiele ad Jeruſalem: Jam non iraſcar tibi, Zelus tuus receſſit à me. Sed revera Deus hominibus non iraſcitur, ſed vitiis: quæ cùm in hominibus non fuerint, nequaquam punit.

Ha-

Habetautem ira Dei menſuras, quantſi, & quanto tempore, & ob quas cauſas, & quibus inſeratur, juxta illud, quod ſcriptum eſt: Cibabis nos pane lachrymarum in menſura. Miſericordiam igitur à Deo conſequitur, qui ſe putat eſſe miſerum. Nam Deus, qui nullis viribus ſuperari poteſt, Publicani tamen precibus vincitur. Quanto ergo tempore te errare noſti, quanto tempore deliquiſti: tanto tempore humilia teipſum Deo: & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ. Quoniam qui peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici. Igitur quia erravimus juvenes, emendemur ſenes, jungamus gemitus, & lachrymas copulemus, culpam ſimpliciter confitendo. Nam qui poſt lapſum peccatorum ad veram pœnitentiam ſe convertit: citò à miſericorde Judice veniam impetrabit: quoniam apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris: nec abſtinentia tantùm ciborum, quantùm mortificatio vitiorum.

Sed & magnum peccatum magnis, diuturniſque cruciatibus luitur, culpáque levis præſenti ſupplicio compenſata ſit. Et ſic magnum peccatum magna indiget miſericordia. Concluſit enim Deus omnia ſub peccato, ut omnibus miſereatur. Sed fruſtra voce aſſumitur, ſi permanent opera. Sed ne diutiùs protraham: habeto pauca pro pluribus, in quibus non tam ordo quæritur, quàm profectus. Age ergo tu, cave, curre, feſtina. Age, ut in hac ſpiritualitate perficias: Cave, ne, quod accepiſti bonum, incautus & negligens cuſtos amittas: Curre, ut non negligas: feſtina, ut celeriùs comprehendas. Nam cœpiſſe, multorum eſt: ad culmen perveniſſe paucorum; tribuat tibi Chriſtus, ut audias & taceas, & intelligas, & ſic loquaris.

Finis Concludens Regulam.

Et quoniam ita ſe natura habet, ut amara ſit veritas, & blanda vitia exiſtimentur, ut Paulus ait Apoſtolus: Inimicus vobis factus ſum verum dicens: Unde & quia Salvatoris dura videbantur eloquia, plurimi diſcipulorum retrorſum abierunt: non mirum eſt, ſi & nos ipſi vitiis detrahentes, offendimus plurimos. Diſpoſui tamen naſum ſecare fœtentem: timeat, qui ſtrumoſus eſt. Quid tamen ad te, qui intelligis te innocentem? Nemo reprehendat, quòd aliquos aut laudamus, aut carpimus: cùm & in arguendis malis ſit correptio cæterorum, & in optimis prædicandis boni ad virtutum ſtudia concitentur. Nos enim, ut ſcitis, Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem induximus: in tantum, ut loquentibus quoque ſtridor quidam non Latinis interſtrepat. Unde ignoſce ariditati. Etſi imperitus ſum ſermone, inquit Apoſtolus, ſed non ſcientia. Illi utrumque non deerat, & unum humiliter renuebat. Nobis utrumque deeſt: quia &, quod pueri plauſibile habueramus, amiſimus: nec ſcientiam, quam volebamus, conſecuti ſumus, juxta Æſopianam fabulam: Dum magna ſectamur, etiam minora perdimus.

Non prolongabuntur ultra ſermones mei, quoſcunque loquor: Ea propter moneo, & flens gemensque conteſtor, ut, dum hujus mundi viam currimus, non duabus tunicis, id eſt, duplici animo veſtiamur: non calceamentorum pedibus, videlicet operibus prægravemur: non divitiarum onera ad terram premant: non virgæ, hoc eſt, potentiæ ſecularis, quæratur auxilium: non pariter Chriſtum velimus habere & ſæculum: ſed pro brevibus & caducis æterna ſuccedant. Sed & precor, qui fideles eſtis, ut ita vitam noſtram & converſationem ſervetis, ne in ipſa, vel ipſi ſcandalum patiamini, vel aliis ſcandalum faciatis: ſed ſit in vobis ſummi ſtudii, ſummæque cautelæ, ne quis in hanc Sanctorum congregationem pollutus introëat, ne quisquis Jebuſæus habitet in vobis. Dominus JEſus conterat ſatanam ſub pedibus veſtris, & incolumes vos, & prolixa ætate florentes, Chriſtus Deus noſter tueatur omnipotens. Sed & Spiritus ſanctus nobis præſtare dignetur, ut in hoc ſæculo factores mandatorum ſuorum effecti, in hujus vitæ agone probati, & fideles inventi ſpiritualibus fructibus dilatati, his continentibus mereamur adjungi: ipſi gloria & imperium cum eodem Spiritu ſancto in cuncta ſæcula ſæculorum: Amen.

Finis regulæ Monachorum.

ADDITAMENTUM XXVII.

REGULÆ
ORDINIS FRATRUM MINIMORUM
S. FRANCISCI DE PAULA

OBSERVATIO CRITICA.

1. *Hujus Sacri Ordinis exordium referunt nonnulli, ad annum MCCCCL. alii autem protrahunt ad an. MCCCCLXXIV. quorum diverſæ ſententiæ haud adeo diſcrepare videntur, ſi Acta ſanctiſſimi Inſtitutoris ritè pertractemus. Cum enim* S. Franciſcus Paulanus, *circa primam epocham in eremum ſeceſſerit, ſic rectè dici poteſt, illum, tunc prima poſuiſſe Ordinis fundamina, quamvis haud ante ultimum notatum terminum, ſacer hic Ordo approbatus fuerit, & à Xyſto IV. Papa confirmatus, anno MCCCCLXXIV.*

2. *Natus eſt enim* S. Franciſcus Paulanus, *ab oppido* Paula, *in Calabriæ Provincia, ſic cognominatus, anno MCCCCXXXVII. quem pij Parentes ætatis annum XIII. ingreſſum Deo conſecrandum obtulerunt, apud* Fratres Franciſcanos S. Marci, *in eadem Provincia. Qui emenſo Tyrocinij anno, nullis votis obſtrictus, arctiorem vitæ normam aggreſſus, in ſolitudinem ſeceſſit, circa annum MCCCCLIV. quando eremiticum vivendi modum ducere incæpit, ubi divinis contemplationibus abſorptus, miræ abſtinentiæ, & ſanctæ Religionis exempla dedit. Quibus admirandis virtutibus illecti quidam vicini homines, ſub ejusdem ſarcta diſciplina vitam degere proponebant, atque prope* Paulam, *erecto humili cœnobio, Alumnos ſuos in omni pietatis genere erudivit.*

3. *Verùm, quemadmodum circa exordium Ordinis variant inter ſe Scriptores, ſic etiam maxime diſcrepare videntur, circa hujus ſanctiſſimi Legislatoris annos ætatis, dum nonnulli, eidem XCI. annos ætatis aſſignent, adeoque natum anno MCCCCXVII. eſſe volunt, cùm tamen alii & rectius, eum, haud ultra Septuageſimum ætatis annum, vitam prorogaſſe aſſirment, unde & anno MCCCCXXXVII prognatum eſſe volunt, quia annus obitualis, ab omnibus referri ſolet ad annum MDVII. Hanc accuratam vitæ* S. Franciſci Paulani *chronotaxin, à doctiſſimo Papebrochio acceptam referimus, qui, in Bollandianis Sanctorum Actis, ad diem ſecundum Aprilis, irrefragabilibus argumentis, ſanctum hunc, natum anno MCCCCXXXVII. atque circa annum MCCCCLV. erigere cœpiſſe* Heremitorium Paulanum, *adeoque & prima Ordinis poſuiſſe fundamenta affirmat, quamvis haud ante annum MCCCCLVII. Diſcipulos ad ſe venientes, in ſuum conſortium non admiſerit.*

4. *Utut ſit hoc unum certum videtur, anno MCCCCLXVII. ſolenni ritu conſecratum fuiſſe primum Monaſterium, à Pyrrho Archiepiſcopo Conſentino, ſub cujus Diœceſi oppidum* Paulæ *ſimulac territorium ſtetit. Poſt hunc conſecrationis publicum actum, & alia Monaſteria ædificari cæpta ſunt, præſertim* Spetianum *ſive* Spezzianum, *dein apud Siculos,* Mylazzanum, *ac denique* Corilianum *cœnobium eſt erectum. Cum igitur ſanctiſſimus Fundator ob ubique patrata miracula, verus Thaumaturgus deprædicaretur, ſic ad eum confluebant Diſcipuli quibus præſcripſit Regulam à ſummo Pontifice Romano Xyſto IV. approbatam, anno MCCCCLXXIV.*

5. *Et*

5. *Et quidem, in confeſſo eſt apud omnes hunc ſacrum Ordinem, ſi arctam diſciplinam paupertatis & humilitatis aſpicias, ad modum* Fratrum Minorum *fuiſſe erectum, quorum ſanctiſſimum Patriarcham & ipſe piiſſimus Fundator ab incunabulis imitari conatus eſt, idem cum illo nomen ſortitus, &* Franciſcus *nominatus, quem à Deo acceptum interceſſione* S. Franciſci Aſſiſinatis *agnoſcebant Parentes atque Franciſcanis Fratribus educandum tradiderunt. Hinc, ſub Ordinis initio, ejuſdem Alumni nuncupari ſolebant* Eremitæ S. Franciſci, &, *ne cum Fratribus Minoribus & Franciſcanis confundarentur, à ſummo Pontifice Romano appellantur* Minimi Fratres, *quos proin & ipſe Fundator nominavit* Minimos Miolmorum.

6. *Interea, poſtquam* S. Franciſcus Paulanus, *horum* Fratrum Minimorum *glorioſus Patriarcha, in Gallias vocatus à Ludovico XI. Francorum Rege, atque ibidem eximia Ordinis ſui cœnobia erexerat, videtur* Regulam *à ſummis Pontificibus Romanis,* Xyſto IV. Innocentio VIII. & Alexandro VI. *confirmatam, quodammodo mitigaſſe, atque hanc ſequentem Regulam decem Capita complectentem,* Julio II. Papæ *obtuliſſe, cum tamen prima Regula XIII. Capitulis conſtitiſſe dicatur. Per hanc Regulam, Alumnos ſuos, præter tria ſolennia Obedientiæ, Caſtitatis & Paupertatis vota, etiam quarto voto adſtringit, ad obſervandam perpetuam abſtinentiam Quadrageſimalem, exceptis ægrotis.*

7. *Adeoque, ſacer hic Ordo, ab omnium carnium & lacticiniorum comeſtione abſtinens, vere* vitam Quadrageſimalem *obſervat, cum ejuſdem Alumni, nec carnem, nec ova, nec caſeum, nec lac, aut butyrum comedere permittantur, niſi ægrotantes, aut in longo itinere conſtituti. Scripſit quoque Regulam ſanctimonialibus fœminis adaptatam, ſed eadem auſteritate refertam, quarum curam commiſit Superiorißæ, à quolibet conventu ſingulis trienniis eligendæ, quam &* Correctricem *appellat. Denique ad exemplum S. Franciſci Aſſiſinatis, paulo ante mortem, nimirum, anno MDVI. compoſuit Regulam utrique fidelium ſexui communem, per quam conſtituitur* Tertius Ordo Fratrum Minimorum, *quem excolentes, non in clauſtris, ſed in privatis domibus habitare potuerunt.*

8. *Has tres diſtinctas Regulas ex Proſpero Stellartio deſumptas hic exhibemus, ex quibus arctam abſtinentiæ & paupertatis diſciplinam percipere poſſumus, quam quidem optimi hi Religioſi Viri per Europam jam dilatati etiamnum hodie cum eximia ædificatione obſervant. Diximus quidem ſuperius, ſanctiſſimum Legiſlatorem, mitigaſſe ſuam primam præſcriptam Regulam, verum, non ſemel, ſed ſæpius, Regularum rigorem remiſit, prout ex Lanovio Ordinis Chronographo inſtruimur, qui tres primas Regulas, deinde & hanc viris datam ſicuti & reliquas duas adducit, omnes à Julio II. Papa approbatas adducit.*

REGULA
SS. ORDINIS MINIMORUM
S. FRANCISCI DE PAULA

De ſalutifera præceptorum obſervantia, de obedientia præſtanda ſummo Pontifici, ac Generali & 4. votis.

CAPUT I.

HUjus Ordiois Minimorum univerſi Fratres ſalutis æternæ viam, Regulam, & vitam imitantes, ac decem mandata divioa & Eccleſiæ præcepta ſalubriter obſervantes, & ad ſacra Conſilia ſcandere contendentes, ſaoctiſſimo Domino noſtro Domino Julio Papæ II. & ejus ſucceſſoribus canonicè intrantibus, fideliter obediant, ac ſub Obedieotiæ, Caſtitatis, Paupertatis, & Quadrageſimalis vitæ, & modificationibus infrà ſciptis modificatæ, ſacris votis perſeveranter vivere promittant. Ioſuper Fratri Fraociſco de Paula & illius pro tempore ſucceſſoribus Generalibus Corre-

rectoribus ſimiliter pareant & ab hac Regula & vita nunquam recedant memores, quod fruſtra bonum inchoatur, ſi ante vitæ terminum deſeratur, ſoliſque perſeverantibus corona datur.

De qualitate & ætate recipiendorum ad hunc Ordinem.

CAPUT II.

AD hunc Ordinem Minimorum quadrageſimalis vitæ Zelo & majoris pœnitentiæ intuitu migrare cupientes, per ejusdem Ordinis Generalem Correctorem, vel per Vigiles aut Provinciales, vel per aliquos idoneos Fratres ab eis ſubſtitutos recipiantur in Fratres Clericos vel Fratres Laicos aut Fratres Oblatos: dummodo tales noviter recipiendi, requiſitis conditionibus apti exiſtant & ad minus 18. annum attingant.

Præterea, elapſo continuæ probationis anno & non antea (quacunque diſpenſatione Superioribus dicti Ordinis ſuper hoc penitus interdicta) ſi à Fratribus profeſſis & potiſſimùm ab Informatore ſuo bonum teſtimonium habuerint, ad profeſſionem recipi poterunt. Ipſi verò taliter recepti, in ſtatu profeſſionis ſuæ perpetuò remaneant.

De Congregationis hujus indumentis, tonſura & capillis.

CAPUT III.

HUjus parvulæ Congregationis cuncti Clerici profeſſi, & omnes in Majoribus ordinati, gerant uniformem Tonſuram latitudine unius mediocris palmæ commenſuratam: verumtamen neque ipſi neque Fratres Laici, nec Fratres Oblati capillos nutriant, ſed crebriùs tondeantur, vel abradantur. Inſuper omnium ipſorum Fratrum Clericorum & Laicorum habitus, ſit talaris & honeſtus, de panno abjecto, ex lana naturaliter nigra, & ſine tinctura contexto. Illorum etiam capucium ejuſdem coloris exiſtat, & antè ac retrò uſque ad medium femoris vel circa protendatur.

Habeant præterea *Rotundum Cingulum Laneum* ſimilis coloris prænodatum, *Quinque* ſimplicibus *Nodis*; quod quidem cingulum, ſimul cum habitu & capucio prædictis Fratribus ipſis die, noctúque dimittere non licebit, niſi cauſâ mutationis, mundationis, aut reparationis, vel alicujus evidentis infirmitatis, ſuper hoc tamen primitùs onerata Medici conſcientia.

Inſuper ad nutum utantur Zocolis aut ſoleis factis vel palmis aut ſtramine vel funibus aut juncis, vel etiam calceis deſuper apertis, juxta Provinciarum varietates: niſi ubi neceſſitas urgens, vel Superioris diſcreta diſpenſatio relaxaverit à pedum nuditate. Similibus indumentis utantur cuncti Fratres Novitii Clerici & Laici: Excepto quod eorum cingulum rotundum *Nodis* tantum tribus notabitur, & ipſorum capucium uſque ad cingulum ipſum duntaxat, ita quod cingi non valeat, protendatur.

Fratres autem Oblati, deferant habitum coloris præfati, uſque ad ſuram vel circa & non ultra protenſum habeant etiam cingulum rotundum *Nodis* ſolùm quatuor prænodatum, ipſi prætereà utantur integra calceatura, & decenti capucio adjuncta corneta, vel convenienti byrro, ſecundùm exigentiam Regionum.

Dicti etiam Oblati, tam ante quàm poſt Profeſſionem poterunt in Proviſores eligi, & intus prout cæterii unum vel plura officia minora exercere, juxta Capituli localis ordinationem.

Poterunt inſuper ſinguli prout exegerit neceſſitas ſuo ſub habitu portare tunicellas, ex humili panno & de ſtaminea; & ſimiliter fæmoralia & caligas ſuper genua competenter porrectos. Poterunt etiam ipſi cuncti ad libitum Clamyde coloris ſui habitus nuſquam rugata vel criſpata, uſque ad ſuram vel circa protenſa, intus & foris uti.

Soli autem Fratres profeſſi, habeant *Cucullum* ad caput tegendum aptum ſuis clamydibus poſterius conſutum. Præfati verò Fratres Oblati, intus & extra ad nutum utantur mantello clauſo, ad modum ſui habitus, vel circa longo abſque aliquo capucio ſeu cucullo.

Cunctorum inſuper Fratrum ſupra dictorum conſiderata qualitate illis omnibus ad minus (de Correctoris localis licentia) ſuper aſinum incedere licebit memores, quòd humilitas Redemptoris taliter incedere non renuit.

De officio divino ſine notulis.

CAPUT IV.

LAudibus divinis Fratres hujus Ordinis in Clericos aſſumpti, cum tremore alacriter intendentes ſimpliciter explicando ſeu computando, abſque notulis reverenter, ac ceremonialiter perſolvant divinum officium, juxta Romanæ Eccleſiæ ritum.

Ipſi

Ipſi & ſinguli per univerſum Ordinem uniforme Calendarium à Romana Eccleſia illis nunc approbatum uniformiter teneant, & Miſſam eum expedierit etiam ſimpliciter computando ſeu explicando, ſine notulis depromant, uno tantùm vel duobus aut ad ſummum tribus adhibitis Miniſtris: occurrente verò aliquo feſto ſpecialiter ſolemni poterit eorum Miſſa conventualis de illo celebrari, cum commemoratione feſti diei Calendarii aut vice verſa.

Inſuper anniverſarium Dedicationis omnium Eccleſiarum Ordinis, prima vacante Dominica Menſis Julii, omnes hujus Ordinis Fratres Clerici pariformiter celebrent.

Ad nullas verò Miſſas, nec ad quæcunque ſuffragia ſe obligent ipſi Fratres, niſi tantum in genere ſeu ſub generalitate omnium Miſſarum & ſuffragiorum Ordinis: aut ſolum pro quinquaginta annis vel citra.

Præterea Fratres Laici ſeu Converſi, pro Matutinis trigeſies, pro Laudibus decies, pro Veſperis duodecies & pro qualibet reliquarum horarum ſepties orationem Dominicam, & totiens ſalutationem Angelicam dicant, verſiculis *Gloria Patri* & *ſicut erat*, ſingulis cujuslibet horæ ſalutationibus additis. Et pro Defunctorum Officio, decies *Pater noſter* ac totiens *Ave Maria* quotidie recitent verſiculo *Requiem æternam*, ultimo *Ave Maria* ſubjuncto. Fratres autem Oblati, pro Matutinis viginti, pro Laudibus ſeptem, pro Veſperis decem, & pro ſingulis cæterarum horarum quinque *Pater noſter* & totidem *Ave Maria* depromant, verſiculis *Gloria Patri* & *ſicut erat* ſingulis ultimis *Ave Maria* pariformiter ſubjunctis, & pro Defunctorum officio alia quinque *Pater noſter* & totidem *Ave Maria* quotidie dicant, verſiculo *Requiem æternam*, ultimo *Ave Maria* ſimiliter addito.

Dicti autem Oblati in actibus Capitularibus vocem non habeant, quin potiùs circa frequens miniſterium Fratrum ſollicitè ſatagant, & in die profeſſionis ſuæ in Capitulo fidelitatem Ordini promittant. Ac (prout Fratres) ad quatuor ejusdem Ordinis vota ſe obligent. Nihilominus tamen pecunias quascunque tangere ac ſuper ſe portare & de Correctoris licentia ſoli ambulare, licite valebunt.

Præterea ſingulis Hebdomadis Fratres hujus Ordinis (legitima cauſa ceſſante) ſaltem ſemel ſibi deputatis ſeu permiſſis confeſſoribus devotè confiteantur. Inſuper diebus ac feſtis Natalis Domini, Purificationis Glorioſæ Virginis Mariæ, Cœnæ ipſius Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis ejusdem Virginis Mariæ & Dedicationis S. Michaelis Archangeli, atque in omnium Sanctorum ſolemnitate, ad minus ſinguli non ſacerdotes (legitima cauſa ceſſante) capitulariter ſe reconcilient, & ita reconciliati communionem devotè ſumant.

De Obedientia & reverentia ac benedictione petenda.

CAPUT V.

Voluntatem propriam ſe abnegaſſe non ignorantes, hujus Ordinis Fratres, in cunctis, quæ ſuæ animæ & huic ſacræ Regulæ non adverſantur, ſuis Superioribus humiliter obediant: illos etiam humili affatu ac reverentiali geſtu venerentur: & benedictionem ab eis ſuppliciter expoſcant, cum ipſorum licentia bini & bini extra Conventum proficiſcantur, eandem etiam benedictionem, cùm redierint, petant.

Inſuper quamdiu foris exſtiterint (prout eorum Superior ipſis ordinaverit) illorum alter Correctoris vice fungatur. Præterea in perpetua Caſtitate viventes, oculum ſcandalizantem eruant, & omnem compaternitatem, ac ſuſpectum conſortium, & pravum conſilium penitus fugiant.

Inſuper Sanctimonialium Monaſteria intrare non audiant, niſi ad Eccleſiam & ad crates extra clauſuram exiſtentes, & hoc duntaxat prædicationis ratione: vel cauſa Eleemoſynæ petendæ; durante verò hujusmodi prædicatione aliquam cortinam taliter extendant ipſæ Sanctimoniales, quod neminem (præter prædicatorem) videant. Prædicti etiam Fratres cum ipſis Sanctimonialibus, ſuper aliis quàm ſuper præfatis in longum ſermonem non protendant.

Nec Mulieres aliquas in hujus Ordinis Conventus ullatenus intrare permittant, verumtamen ſingulæ Dominæ de ſtirpe Regia procreatæ, ac etiam hujus Ordinis Fundatrices (quæ locorum ejusmodi Ordinis ſepta communiora videre poſtulaverint) eadem cum ſua Comitiva honeſtè intrare, ac devotè viſitare tolerentur.

Præterea ſub paupertate Evangelica perpetuò militantes omnes Fratres Clerici & Laici pecunias nullatenus tangant: nec illas ſcienter deferant. Neque ipſi in Judicio

dicio aut extra contendendo repetant Eleemoſynas temporaneas, vel annuas, aut perpetuas huic Ordini quomodolibet oblatas: cum illæ ab eis in toto vel in parte auferentur. Inſuper tam Eccleſiæ reparationi, quàm etiam ipſorum Fratrum debitè ſubventioni juxta facultatem cujusque Conventus per Correctoris & Capituli localis ordinationem, piè ſubveniatur.

De modo vivendi in quadrageſimali cibo.

CAPUT VI.

Singuli Fratres hujus Ordinis à cibis carnalibus omnino abſtineant, & dignos pœnitentiæ fructus in cibo quadrageſimali taliter agant, quod ipſi carnes, ac omnia ſementinam originem à carnibus ipſis trahentia, penitus vitent. Carnes igitur & pinguedo, ova, butyrum, caſeus & quævis lacticinia ex eisdem congeſta, & producta quæcunque intus, ac extra (ſalvis modificationibus infrà ſcriptis) omnibus ac ſingulis Fratribus ipſis & Oblatis ſint omninò & irrefragabiliter interdicta.

Quam primùm verò quis eorum in ægritudinem inciderit, ad Infirmariam clauſtralem per Infirmarium deducatur, & ibidem primitùs de cibis quadrageſimalibus illius infirmati (juxta medicinalem artem congruentioribus prout loci ſuppetit facultas) diligenter ac ſollicitè, ipſi per obedientiam ſubveniatur. Si autem talis ægritudo ſic examinata invaluerit, Medici conſilio deducatur talis ægrotus ad Infirmariam exteriorem intra Conventus clauſuram ſitam. Et inibi (juxta ordinationem dicti Medici) de Correctoris juſſione, vigilanter & charitativè illi ſuccurratur, de quibusvis cibariis pro ſanitate celerius reſtituenda. Et fiat hoc ſecundùm facultatem loci: ac per miniſterium Oblati, ſi adfuerit. In ejus verò abſentia fiat per obſequium Procuratorum & aliorum devotorum Ordinis.

Caveant autem omnes ipſi Fratres, ac Oblati, ne quemquam Medicorum, pro quadrageſimali vita deſerenda & Paſchali ſeu pingui aſſumenda, per ſe, nec per interpoſitam perſonam inducant; præſertim cum & eisdem Medicis de jure prohibeatur, ne pro corporali ſalute, aliquid ægrotis ſuadeant, quod in periculum animæ convertatur. At ubi ægrotum ipſum ita conſtiterit evidenter convaleſcere, quod quadrageſimalibus cibis conſuetis ſuſtentare queat (matura deliberatione prævia) ad priſtinæ vitæ ſanctinrem conſuetudinem redeat, memor ſalutiferæ Profeſſionis ſuæ. Nulli itaque omnium ipſorum aliter quàm hac ſtabili lege ſancitum eſt, dictis cibis Paſchalibus ſeu pinguibus, videlicet carnibus, ovis, caſeo, butyro, nec quibusvis lacticiniis, nec ex eisdem congeſtis ſeu productis, quovis tempore veſci: neque talium quidquam victui conveniens & aptum intro deferre, neque deferri facere ullatenus permittatur.

Cum autem talibus (ùt dictum eſt) veſci oportunum fuerit, aliunde quàm per clauſtrum ſeu Conventum deferantur ad ipſam exteriorem Infirmariam: quæ ad minus quinquaginta pedum ſpatio (ubi locus compatitur) providè ſeparetur, & cum interioribus Conventus officinis nullo pacto ſtare permittatur. Quam etiam absque Superioris licentia reſidentibus ibidem Infirmis nullus iogrediatur.

De corporali jejunio Fratrum.

CAPUT VII.

Quoniam Jejunium corporale mentem purgat, ſenſum ſublevat, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ pabula diſpergit, atque libidinum ardores extinguit, & Caſtitatis lumen accendit: ea propter ſinguli Fratres Clerici & Laici membra cum viriis & concupiſcentiis cruçifigentes, uniformiter jejunent à ſecunda feria poſt Quinquageſimam uſque ad Sabbatum ſanctum incluſivè: & à feſto omnium Sanctorum uſque ad Natalis Domini excluſive: aliis enim diebus, quibus eſt ab Eccleſia indictum jejunium, & ſimiliter omnibus quartis & ſextis feriis totius anni, exceptis duntaxat ſingulis quartis feriis inter Paſchæ & Pentecoſtes, & inter ipſius D. Natalis, & Purificationis B. Mariæ Virginis feſta, annuatim occurrentibus, etiam ipſo die Natalis ejusdem Domini, feria ſexta pro tempore cadente. Oblati verò, tantummodo ſextis feriis totius anni, & à feſto B. Catharinæ Virginis excluſive, uſque ad ſupra dictum diem Natalis Domini, nec non ſingulis præfatis Eccleſiæ jejuniis pariformiter jejunent.

Inſuper à cunctis prædictis jejuniis nullus corpore ſanus eximatur, peregrinationis tempore duntaxat excluſo. Poterunt nihilominus Superiores Ordinis, ſuper ſingulis jejuniis cum ipſis Fratribus & Oblatis rationabiliter diſpenſare.

Præ-

Præterea charitativè ſemper obſervetur, quod cuncti diutino, ac naturali languore cælitùs viſitati, nedum in dictis jejuniis, ſed etiam in cunctis vigiliis, & quibuſcumque Ordinis hujus oneribus benigne ſupportentur, & cibis quadrageſimalibus abundantius, quàm ſani refocillentur. Ipſi verò taliter viſitati de tempore adhuc ſibi ad pœnitentiam peragendam commodato gaudeant & gratulentur.

Ut autem efficacius omnis crapulæ tollatur occaſio non permittitur quibuſcumque ſanis extra refectionis ordinariæ ſolitam horam, ſine Superioris licentia comedere, nec in ſecularium domibus reficiendi cauſa recumbere, nec inibi pernoctando dormire, cùm ipſi ad ſuum Monaſterium commodè poſſint redire.

Præterea furtivarum comeſſationum latibula ſingulis interdicuntur. Verumtamen Hoſpites hilari corde & vultu placido recolligantur, ac juxta cujusque loci facultatem cibis quadrageſimalibus, & non aliis per eos, quibus Superior id ipſum mandaverit, & non per alios benignè tractentur.

De orationis ſtudio.

CAPUT VIII.

Hortentur ulteriùs ſinguli, ut orationis ſanctæ ſtudium non prætermittant: memores, quòd puræ & aſſiduæ orationis Juſtorum magna ſit virtus, ac velut fidelis nuntius mandatum peragit, & penetrat, quo caro non pervenit.

Ut autem illis omnibus potior orandi detur occaſio, moneantur ſinguli, quatenus ſollicitè dent operam Evangelico ſilentio: ita quod in Eccleſia, clauſtro ac dormitorio, omni tempore: in refectorio verò in prima & ſecunda Menſis, & à Completorio uſque ad Primam, ſilentium ſervare ſtudeant: aliàs ſubmiſſè ac religioſè loqui ſtudentes. Nihil ominus tamen, ſi quid in ipſis temporibus & locis ſilentio dedicatis neceſſariò loquendum contigerit, verbis paucis ac demiſſis, quæ dicenda fuerint, breviter concludantur.

Hortentur inſuper cuncti, ut ſint benigni, modeſti, & exemplares non alios, ſed ſe ipſos judicantes, ac multiloquium (quod ſine culpa eſſe non poteſt) fugientes.

Hujus etiam Ordinis Generalem & Vigiles, ac Provinciales (cùm ad eos diverterint) reverenter ſuſcipiant, & illis debitum honorem humiliter impendant.

De Congregationis hujus Prælatis & quando præeſſe Fratres poſſunt.

CAPUT IX.

Hujus Religionis vitæ regimini intendentes, cæteris in victu & veſtitu ſe juxta poſſe conforment, & Virgam cum Manna, ac oleum cum vino, id eſt, juſtitiam cum Miſericordia, & econtra in eorum correctionibus proinde adhibeant. Et quoniam experientiæ defectu illi, qui priùs tentationis bella expertus non fuerit, vel Diſcipulum non ſe noverit, Correctoris onus ſubire, Congregationisque Fratrum curam ſuſcipere non expedit: eapropter nullus in hoc Ordine præficiatur, nec in Superiorum electione, neque depoſitione vocem habeat, niſi ad minus per triennium in hoc ipſo Ordine jam profeſſus laudabiliter vixerit. Nec etiam poſt ipſum triennium hoc idem facere quiſquam valeat, demptis ſolis Presbyteris tantùm in hoc Ordine profeſſis, & vigeſimum quintum annum ad minus attingentibus, niſi Generalis vel Provincialis Capituli conſenſu interveniente.

In Seniores verò quicunque capitulariter aſſumpti ſuis Correctoribus conſilium & auxilium in cunctis ad hanc Regulam & vitam quomodolibet ſpectantibus maturè præbeant.

Omnes inſuper Lectores ita ſuas forment lectiones, quòd eorum auditores ad ædificatoriè prædicandum, & confeſſiones audiendum idoneos & aptos efficiant. Ubique tamen obſervetur, quòd nullus ad Magiſterii, ſeu alium gradum aſſumatur.

Præterea Prædicatores & ſecularium Confeſſores in ſuis officiis non ordinentur & confirmentur, niſi per hujus Ordinis Generalem Correctorem, aut per Vigiles vel Provinciales, aut illorum Vicegerentes idoneitate ac ſufficientia proinde conſideratis, Novitiorum etiam Confeſſor, & eorum Informator per ſupradictos Prælatos ſimiliter aſſignentur.

Sacriſta verò, ac cæteri cuncti Conventuũ Officiarii per localem Correctorem & Capitulum Conventus eligantur, vel per alios ſuperiores Prælatos in eorum viſitationibus maturè deputentur: ipſi autem taliter electi ſeu deputati ſibi commiſſis officiis vigilanter incumbant.

De Congregationis hujus Superiorum intitulatione.

CAPUT X.

Hujus denique Ordinis Minimorum directioni incumbentes, ſinguli Correctores non immeritò veniunt nuncupaodi: ut ſe ipſos primitus corrigentes, compaſſivè ſibi commiſſos Fratres ita corrigant, quòd fraternis defectibus piè condoleant, & ipſorum emendationem potiùs, quàm punitionem prætendant, ac requirant.

Præterea ſingulis trienniis in feſto Dominicæ Aſcenſionis (ubi priùs per aliud præcedens Generale Capitulum fuerit ordinatum) fiat Fratrum hujus Ordinis Generalis Congregatio: quam ſinguli Vigiles & Provinciales cum ſuis Collegis ſeu ſociis, & de cunctis Proviociis duo commiſſi ex omnibus commiſſis cujuſlibet Provinciæ decenter electi capitulariter conveniant, & ex hujus Ordinis univerſitate unum ibidem maturè eligant io Generalem Correctorem: veluti ſervum bonum & fidelem, honeſtum, virtuoſum, ac prudentem pro tribus duntaxat annis ſibi iovicem ſubſequentibus providè conſtituendum, omni ſiniſtro favore ac livore prorſus ſecluſis.

Quatuor inſuper aut plures Vicecorrectores Vigiles (prout juxta regionum varietates ſuccedente tempore videbitur expedire) pro tribus etiam annis duntaxat ibidem eligantur: ac ſuper certas Ordinis correctorias maturè deputentur, & io ſuis tantùm vigilantiis, Generalis Correctoris auctoritate plenaria potiantur. Hoc nihilominus non obſtante licitè poterit ipſe Generalis Corrector, ſuper omnes prædictos Vigiles tranſmittere oculatos viſitatores, qui taliter in lucernis ardentibus Fratrum ſuorum iniquitates viſitent & emendent in vera juſtitia, quòd miſericordiam non diſpergant ab illa: & ita miſericordiam faciant, quòd juſtitiam ab ea non dividant.

Inſuper ibidem eligantur, vel jam electi confirmentur aliqui Fratres *Zeloſi* ſcientes hujus Ordinis negotia, convenienter expedire, qui & in loco noſtro Romano, vel in aliis locis ſeu Conventibus urbi propinquis (proot expedieos fuerit) moram pertrahant.

Propterea Correctores Provinciales de trienoio in triennium ſimilitèr innovandi in convocationibus provincialibus die penultima menſis Septembris (ubi expedierit) annuatim aſſigoandis etiam Capitulariter eligantur.

Locales verò Correctores ſenſus exercitatos habeotes ibini pariter aſſignentur, facta prius in quolibet Conventu ipſorum electione. Ipſi Correctores locales (revoluto ſui Correctoriatus anno) ſemper ad minus per annum ſubjecti remaneant: niſi per ipſum Capitulum Provinciale, vel Generale ad altiora officia noviter eligerentur. Cæteri autem Superiores quicunque ſaltem tanto tempore, quanto illi prius Prælati extiteriot, poſtea ſubjecti manebùnt, niſi etiam ipſi (ùt præmittitur) ad altiora officia de novo eligerentur.

Dictis etiam Correctoribus localibus ſui Correctoriatus tempore (ut commiſſum ſibi gregem ab inviſibilibus nequitiarum ſpiritualium beſtiis vigilantiùs cuſtodiant) Conventum exire non licebit, niſi pro juſta cauſa, & de Capituli ſcientia & aſſenſu Seniorum. Ioſuper ſingulis præintitulatis hujus Ordinis Superioribus maturè deputentur tres timoroſi ſocii, qui Seniores nuncupeotur. quorum provido ſuffulti conſilio, commiſſa ſibi Religionis negotia diſcretè ac ſapienter diſcernant, & efficaciter tractent, atque diffiniant. Quamprimùm autem (ùt præmittitur) electi fuerint prædicti Superiores ac illorum ſocii, ſimiliter & Fratres *Zeloſi* Romæ vel in circuitu reſidere habentes, in ipſorum electionibus ſi ſint præſentes: in ſui verò officii executioois primordio, ſi ſint abſentes, In Capitulo fidelitatem Ordini præmittant.

Præterea quidquam facto vel ſcripto cootra hanc Regulam & vitam impetrare, ſeu impetrari facere, aut etiam ioposterum ulla ſtatuta componere vel innovare, ſeu etiam componi aut innovari facere, neque ipſi neque alii qoivis Fratres quovis modo præſumant.

Inſuper cuncti ſimplices vices gerentes ſeu Viſitatores peractis eorum viſitationibus, nulla prorſus auctoritate neque præeminentia fuogantur.

Ut autem hæc Regula pariter & Correctorium meliùs obſerventur, petatur à Domino noſtro Papa uous de ſacroſancto Reverendiſſimorum Cardinalium Collegio, qui hujus parvulæ Religionis Zeloſus Protector benignus Amator, pervigilque Cuſtos exiſtat, & quidquam, quod hujus ſacræ vitæ ac Regulæ puritatem enervet, aut pœnitentiæ robur evertat, nullatenus admittat. Hæc eſt chariſſimi Fratres lex ac Regula mitis & ſancta, quam vos hortamur humiliter ſuſcipere, ac fideliter cuſtodire: quatenus per ipſius obſervantiam tandem de manu Domini pro benedictione perenni gratiam & gloriam ſempiternam feliciter conſequamini. Ameo.

RE-

REGULA
SORORUM ORD. MINIMORUM
S. FRANCISCI DE PAULA

De ſalutifera præceptorum & votorum obſervantia ſummo Pontifici exhibenda: ac clauſura perpetua.

CAPUT I.

HUjus Ordinis Minimorum univerſæ Sorores ſalutis æternæ viam, Regulam & vitam imitantes, ac decem mandata, & Eccleſiæ præcepta ſalubriter obſervantes, & ad ſacra conſilia ſcandere contendentes ſanctiſſimo D. N. Julio Papæ II., ejus ſucceſſoribus canonicè intrantibus fideliter obediant: ac ſub Obedientiæ, Caſtitatis, Paupertatis, & quadrageſimalis vitæ, modificationibus infrà ſcriptis modificatæ, ſacris votis perſeveranter vivere promittant, & ſub decenti clauſura recluſæ permaneant.

Inſuper Generali, ac Provincialibus ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentibus, & ſoæ matri Correctrici humiliter pareant, & ab hac Regula & vita nunquam recedant: memores, quod fruſtra bonum inchoatur, ſi ante vitæ terminum deſeratur, ſolisque perſeverantibus corona datur.

De cunctis aptis ad hanc Ordinem recipiendis.

CAPUT II.

AD hunc Ordinem Minimorum quadrageſimalis vitæ Zelo, & majoris pænitentiæ intuitu migrare cupieotes, per Matres Correctrices recipiantur in Sorores vel Oblatas: dummodo tales noviter recipiendæ requiſitis conditionibus aptæ exiſtant, & ad minùs decimum quintum annum attingant.

Præterea elapſo continuæ probationis anno, & non antea (quacunque diſpenſatiône Correctricibus ejuſdem Ordinis ſuper hoc penitus interdicta) ſi à Sororibus profeſſis, & potiſſimùm ab Informatrice ſua bonum teſtimonium habuerint, ad profeſſionem recipi poterunt. Ipſæ verò receptæ in ſtatu profeſſionis ſuæ perpetuò remaneant.

Formam profeſſionis vide in Correctorio num. 18.

De capillatura, habitu, capucio & cingulo.

CAPUT III.

HUjus parvulæ Congregationis cunctæ Sorores & Oblatæ capillos non nutriant, ſed crebriùs tondeantur vel abradantur. Inſuper omnium ipſarum Sororum habitus ſit talaris & honeſtus de panno abjecto ex lana naturaliter nigra ſine tiocturâ contexto. Præterea illarum capucium ejuſdem coloris exiſtat, & uſque ad ſcapulas, vel circa ſuper honeſta velaria protendantur: & ad præſtringendum aptetur. Habeant etiam rotundum cingulum laneum ſimilis coloris, prænodatum quinque ſimplicibus nodis. Quod quidem cingulum cum habitu & capucio prætatis, iiſdem Sororibus die, noctùque dimittere non licebit, niſi cauſa mutationis, mundationis, aut reparationis, vel alicujus evidentis infirmitatis, ſuper hoc tamen primitus oneratâ Medici conſcientiâ.

Inſuper ad nutum utantur Zocolis. aut ſoleis factis ex ſparto, vel palmis, vel ſtramine, vel funibus, aut juncis, vel etiam calceis deſuper apertis juxta Provinciarum varietates, niſi ubi neceſſitas urgens, vel Superioris diſcreta diſpenſatio relaxaverit à pedum nuditate. Similibus indumentis uti habebunt Sorores Novitiæ: excepto, quòd ipſæ & pariformiter Oblatæ Novitiæ loco cinguli rotundi Zonam coloris habitus ſui ſimpliciter portabunt. Capuciom autem non deferant ipſæ Novitiæ, ſed loco ipſius birrhum humilis coloris, & deſuper velum honeſtum. Dictæ etiam Oblatæ poſt earum Profeſſionem rotundo cingulo utantur, ſicut & Sorores profeſſæ unico nodo duntaxat excluſo. Præterea ſuum habitum Sororum habitu paulò breviorem deferant, & honeſta velaria cum decenti birrho portent.

Poterunt inſuper ſingulæ Sorores ac Oblatæ (ut exegerit neceſſitas) ſub dicto habitu portare tunicas & tunicales ex humili panno, ac de ſtamineа ſimiliter & caligas honeſtas ſuper genua competenter porrectas licitè portare, & chlamyde coloris habitus ſui abſque aliquo cuculo ad libitum uti. Hujuſmodi verò chlamydem Sorores ipſæ uſque ad nodum pedis, Oblatæ autem præfatæ illam uſque ad ſuras, vel circa protenſam humiliter portabunt. Poterunt ulteriùs omnes ipſæ Oblatæ tam ante, quàm poſt earum Profeſſionem, prout cæteræ unum vel plura officia minora juxta Capituli localis ordinationem licite exercere. Præterea ipſæ Sorores ac Oblatæ extra ſuos Conventus (abſque Correctricis licentia) nullas litteras tranſmittant.

De officio divino, & de Miſſa, ac prædicatione, quomodo audienda.

CAPUT IV.

Laudibus divinis Sorores hujus Ordinis, pro debitis horis ſolvendis tanquam idoneæ deputatæ, cum tremore alacriter intendentes ſimpliciter explicando ſeu computando abſque notulis reverenter, ac cæremonialiter perſolvant divinum officium juxta Romanæ curiæ ritum. Ipſæ etiam ſingulæ per univerſum Ordinem uniforme Calendarium, à Romana Eccleſia illis nunc approbatum, uniformiter teneant. Poterit inſuper coram ipſis Sororibus ac Oblatis, diebus ſingulis Miſſa celebrari, quam illæ de ſuo clauſo choro debitè videant, & audiant. Nunquam tamen coram ipſis cantando, nec explicando ſeu computando Miſſa celebretur: nec ad aliquam à quibuscunque perſonis in earum Eccleſiis taliter reſpondeatur. Occurrente verò aliquo feſto ſpecialiter ſolemni poterit Miſſa conventualis coram eis de ipſo celebrari cum commemoratione feſti diei Calendarii aut vice verſa. De dicto etiam ſuo clauſo choro prædicationes audire valeant.

Inſuper Anniverſarium Dedicationis omnium Eccleſiarum Ordinis prima vacante Dominica menſis Julii omnes pariformiter celebrent. Ad nulla etiam ſuffragia ſe obligent ipſæ Sorores, niſi tantùm in genere ſeu ſub generalitate omnium ſuffragiorum Ordinis, aut ſolùm pro quinquaginta annis, vel citra.

Præterea cunctæ Sorores ad ipſum divinum officium perſolvendum non idoneæ, Congregationi ſanctæ diligenter obſequentes, pro Matutinis trigeſies, pro Laudibus decies, pro Veſperis duodecies, & pro qualibet reliquarum horarum ſepties Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam dicant, verſiculis *Gloria Patri* & *ſicut erat*, ſingulis ultimis cujuſlibet horæ ſalutationibus additis. Et pro Defunctorum Officio, decies *Pater noſter*, & toties *Ave Maria* quotidie recitent, verſiculo *Requiem æternam*, ultimo *Ave Maria* ſubjuncto. Sorores autem Oblatæ pro Matutinis viginti, pro Laudibus ſeptem, pro Veſperis decem, & pro ſingulis reliquarum horarum quinque *Pater noſter* & totidem *Ave Maria* depromant, verſiculis *Gloria Patri* & *ſicut erat* ultimis *Ave Maria* ſubjunctis, & pro Defunctorum officio alia quinque *Pater noſter* & totidem *Ave Maria* quotidie dicant, verſiculo *Requiem æternam*, ultimo *Ave Maria* ſimiliter addito.

Dictæ etiam Oblatæ in actibus Capitularibus vocem non habeant: ſed circa frequens miniſterium Sororum ſollicitè ſatagant, & in die profeſſionis ſuæ in Capitulo fidelitatem Ordini promittant. Et (prout Sorores) ad quatuor ejuſdem Ordinis vota, ſuo modo ſe obligent. Nihilominus tamen pecunias quaſcunque tangere, & illas de licentia Correctricis à quibuſcunque perſonis (quoties opus fuerit) per ſtrictas Conventus craticulas recipere licite valebunt. Quibus ſic per eas receptis, ad ordinationem dictæ Correctricis, de illis omnibus diſponant: ſui tamen Conventus clauſuram nullatenus exeant, prout nec Sorores. Dicti etiam Procuratores, ſeu quævis aliæ devotæ perſonæ per prædictas craticulas eiſdem Sororibus & Oblatis ſuper cunctis ſibi neceſſariis juxta illarum facultatem provideant.

Præterea ſingulis Hebdomadis, legitima cauſa ceſſante, dictæ Sorores ac Oblatæ ſaltem ſemel ſibi deputatis Confeſſoribus devotè confiteantur. Et ter in hebdomada, videlicet ſecunda, quarta & ſexta feriis, pro dicendis culpis ſuis, etiam pro Conventus negotiis expediendis, capitulariter conveniant. Quibus ita congregatis ſingulæ ipſarum decenti religionis ordine, primùm quidem Novitiæ, poſtmodum Oblatæ jam profeſſæ, & deinde Sorores profeſſæ coram Matre Correctrice publicas culpas ſuas reverenter dicant. Et injunctam ſibi providè pœnitentiam ſalutarem benignè ſuſcipiant.

Inſuper diebus, ac feſtis Natalis Domini, Purificationis Glorioſæ Virginis Mariæ, Cœnæ ipſius Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Virginis Mariæ, ac Dedicationis ſancti Michaelis Archangeli, atque in omnium Sanctorum ſolemnita-

nitate, ad minus ſingulæ Sorores, ac Oblatæ, legitima cauſa ceſſante, capitulariter ſe reconcilient, & ita reconciliatæ ſacram Communionem reverenter ſumant.

De Obedientia, reverentia & caſtitate.

CAPUT V.

Voluntatem propriam ſe abnegaſſe non ignorantes, hujus Ordinis Sorores ac Oblatæ ſuæ Matri Correctrici, in cunctis, quæ ſuæ animæ, & huic ſacræ Regulæ non adverſantur, humiliter obediant: & illam humili affatu & reverentiali geſtu venerentur. In perpetua etiam caſtitate viventes oculum ſcandalizantem eruant, ac ſuſpectum conſortium, & pravum conſilium penitus fugiant.

Præterea ſub paupertate Evangelica militantes prædictæ Sorores pecunias nullatenus tangant: nec illas ſcienter ullo modo deferant. Inſuper tam Eccleſiæ reparationi, quàm debitæ ipſarum Sororum & Oblatarum ſubventioni, juxta facultatem cujuſque Conventus per Correctricis & Capituli localis ordinationem charitativè ſubveniatur.

Ipſis inſuper cunctis Sororibus, ac Oblatis quaſcumque promiſcui ſexus perſonas intra quemcumque hujus Ordinis Conventum hoſpitio ſuſcipere, nec perſonas ipſas etiam proprios Infirmarum Confeſſores, vel corporales Medicos, aut quoslibet Eccleſiæ Prælatos, vel alios quoſcunque Dominos, ad ſe, nec ad ſuos hortos ingredi quovis modo permittant: ſed duntaxat ad quaslibet ſtrictas & duplices, ſeu combinatas craticulas Eccleſiæ Conventus, ac Infirmariæ, (quarum quidem craticularum in eodem pariete, una ſit extrinſecùs, altera remanente intrinſecùs) quantum ſub Deo poſſimus, ſtrictè prohibemus. Cùm autem pro nonnullis hujus Ordinis Sororibus aut Oblatis alloquendis, quasdam perſonas ad præfatas craticulas ire contigerit, ipſæ Sorores ac Oblatæ (ſumpta primitus Correctricis benedictione) cum decenti ſocietate, illis ab eadem Correctrice tradita, perſonas ipſas breviter alloqui tollerentur: ita tamen, quòd eas videndi facultas penitùs interdicatur.

Permittatur etiam pro dictarum Infirmarum conſolatione, ac neceſſaria viſitatione, quòd ipſarum Confeſſores & Medici corporales (quoties opus fuerit) accedant ad ante dictam ſtrictam Infirmariæ craticulam, ad quam infirmæ præfatæ ſe ipſas approximare, ac ſi opus ſit, cum ductili lectulo honeſtè deferri facere poterunt: quatenus ipſe Medicus illos ibidem videre ac tangere queat.

De modo vivendi in quadrageſimali cibo.

CAPUT VI.

Singuli Sorores hujus Ordinis, à cibis carnalibus omninò ſe abſtineant, & dignos pœnitentiæ fructus in cibo quadrageſimali taliter agant, quòd ipſæ carnes & omnia ſementinam originem à carnibus ipſis trahentia penitus vitent. Carnes igitur & pinguedo, ova, butyrum, caſeus, & quævis lacticinia, ac ex eisdem congeſta, & producta quæcunque, ſalvis modificationibus infrà ſcriptis, ipſis omnibus & ſingulis ſint omninò & irrefragabiliter interdicta.

Quam primùm verò aliqua earum in ægritudinem inciderit, ad Infirmariam clauſtralem per Sororem ſeu Oblatam pro Infirmaria deputatam, ſeu deputandam benignè deducatur: & ibidem primitùs de cibis quadrageſimalibus illius infirmitati juxta medicinalem artem congruentioribus (prout loci ſuppetit facultas) diligenter ac ſollicitè, ipſi per obedientiam ſubveniatur.

Si autem talis ægritudo ſic examinata invaluerit, Medici conſilio deducatur ipſa ægrotans ad exteriorem Infirmariam juxta clauſuram Conventus ſitam: & inibi juxta ordinationem ipſius Medici, de Correctricis juſſione, vigilanter & charitativè, ſuccurratur de quibusvis cibaris pro ſanitate celeriùs reſtituenda: & hoc quidem fiat ſecondùm loci facultatem & per miniſterium Ordinis Procuratorum vel Procuratricum.

Caveant autem omnes ipſæ Sorores, ac Oblatæ, ne quemquam Medicorum pro deſerenda quadrageſimali vita & Paſchali ſeu pingui aſſumenda, per ſe, nec per interpoſitam perſonam inducant; præſertim cùm & eisdem Medicis de jure prohibeatur, ne pro corporali ſalute, aliquid ægrotis ſuadeant, quod in periculum animæ convertatur. At ubi ægrotam ipſam ita conſtiterit evidenter convaleſcere, quòd quadrageſimalibus cibis aſſuetis ſuſtentari queat, matura deliberatione prævia ad priſtinæ vitæ ſanctiorem conſuetudinem redeat, memor ſalutiferæ Profeſſionis ſuæ.

Nulli itaque Sororum omnium aliter, quàm hac ſtabili lege ſancitum eſt, dictis cibis Paſchalibus, ſeu pinguibus, videlicet carnibus, ovis, caſeo, butyro,

tyro, nec quibusvis lacticiniis, neque ex eiſdem congeſtis ſeu productis, quovis tempore veſci: neque talium quidquam victui conveniens & aptum intrò deferre, neque deferri facere ullatenus permittatur. Cum autem talibus (ùt dictum eſt) veſci opportunum fuerit, aliunde, quàm per clauſtrum ſeu Conventum deferantur ad ipſam exteriorem Infirmariam, quæ muris undique circumdetur, & aliquanto ſpatio ab ipſo Conventu ſeparetur, atque cum interioribus ejusdem Conventus officinis nullo pacto ſtare permittatur, atque etiam abſque Correctricis licentia, reſidentibus ibidem Infirmis, nulla Ingrediatur.

De corporali Jejunio.

CAPUT VII.

QUoniam corporale jejunium mentem purgat, ſenſum ſublevat, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ pabula diſpergit, atque libidinum ardores extinguit, & caſtitatis lumen accendit: eapropter omnes hujus Ordinis Sorores membra ſua cum vitiis & concupiſcentiis crucifigentes, uniformiter jejunent à ſecunda feria poſt Quinquageſimam uſque ad Sabbatum ſanctum incluſivè, & à feſto Omnium Sanctorum uſque ad diem Nativitatis Domini excluſivè, aliis etiam diebus, quibus eſt jejunium ab Eccleſia indictum: & ſimiliter omnibus quartis & ſextis feriis totius anni, exceptis duntaxat ſingulis quartis feriis inter Paſchæ & Pentecoſtes, & inter Nativitatis ipſius Domini, & Purificationis Beatæ Mariæ Virginis feſta annuatim occurrentibus, etiam ipſo die Natalis Domini ſexta feria pro tempore cadente; Oblatæ verò ſextis tantummodo feriis totius anni, & à feſto Beatæ Catharinæ Virginis excluſivè uſque ad prædictum diem Dominici Natalis ſingulis etiam præfatis Eccleſiæ jejuniis pariformiter jejunent.

Inſuper à cunctis prædictis jejuniis nulla corpore ſana eximatur. Poterunt nihilominus Prælatæ ſeu Correctrices ſuper ſingulis prædictis jejuniis cum ipſis Sororibus ac Oblatis rationabiliter diſpenſare. Præterea charitativè ſemper obſervetur, quòd cunctæ diutino ac naturali languore cælitùs viſitatæ nedum in dictis jejuniis, ſed etiam in cunctis vigiliis, & quibuſcunque Ordinis oneribus benignè ſupportentur, & cibis quadrageſimalibus abundantiùs, quàm ſanæ, refocillentur; ipſæ verò taliter viſitatæ de tempore adhuc ſibi ad pœnitentiam peragendam commodato gaudeant & lætentur.

Ut autem efficaciùs omnis crapulæ tollatur occaſio, non permittatur quibuſcunque ſanis extra refectionis ordinatæ ſolitam horam, ſine Correctricis licentia, comedere. Præterea furtivarum comeſſationum latibula ſingulis interdicuntur.

De puræ orationis ſtudio, & ſervando ſilentio.

CAPUT VIII.

HOrtentur ulteriùs ſingulæ, ut ſanctæ orationis ſtudium non prætermittant, memores, quòd puræ & aſſiduæ orationis Juſtorum magna ſit virtus: ac velut fidelis nuntius mandatum peragit, & penetrat, quò caro non pervenit. Ut autem ipſis omnibus potior orandi detur occaſio, moneantur ſingulæ, quatenus dent operam Evangelico ſilentio. Ita quòd in Eccleſia, clauſtro, ac dormitorio omni tempore; in refectorio verò in prima & ſecunda menſis, & à Completorio uſque ad Primam ſilentium ſervent, aliàs ſubmiſsè ac religioſè loqui ſtudentes; ſi quid tamen in prædictis temporibus & locis ſilentio dedicatis neceſſariò loquendum contigerit, verbis paucis ac demiſſis, quæ dicenda fuerint, breviter concludantur.

Hortantur inſuper cunctæ, modeſtæ ac exemplares, non alias quaſcunque perſonas, ſed ſe ipſas judicantes, & multiloquium, quod ſine culpa eſſe non poteſt, fugientes.

De Congregationis hujus Prælatis ſeu Correctricibus, quo anno eligendis.

CAPUT IX.

HUjus Ordinis & vitæ regimini intendentes, cæteris in victu ac veſtitu ſe juxta poſſe conforment, & virgam cum manna, & oleum cum vino, id eſt, juſtitiam cum miſericordia, & econtra in ſuis correctionibus proinde adhibeant. Et quoniam experientiæ defectu illa, quæ priùs tentationis bella experta non fuerit, vel diſcipulam non ſe noverit, correctionis onus ſubire, Congregationisque curam ſuſcipere non expedit: eapropter nulla Sororum in hoc Ordine præficiatur, nec in Prælatarum ſeu Correctricum, & antiquarum Sororum electione, nec diſpoſitione vocem habeat, niſi ſaltem per biennium in hoc Ordine jam profeſſa laudabiliter vixerit, & vi-

& vigeſimum quintum annum ad minus attigerit.

In antiquiores verò Sorores quæcunque capitulariter aſſumptæ ſuis Correctricibus in earum Conventu conſilium & auxilium in cunctis ad hanc Regulam & vitam ſpectantibus maturè præbeant. Præterea Soror Sacriſta, & cæteræ cunctæ Conventuum Officiariæ per prædictas earum Correctrices unà cum Capitulo locali in uno quoque Conventu ejus Ordinis debitè eligantur. Ipſæ etiam taliter electæ ſibi commiſſis officiis vigilanter incumbant.

De Congregationis hujus Prælatarum intitulatione & juſtitia.

CAPUT X.

HArum denique Sororum Ordinis Minimorum directioni incumbentes ſingulæ Correctrices non immeritò veniunt nuncupandæ, ut ſe ipſas primitùs corrigentes, compaſſivè ſibi commiſſas Sorores & Oblatas ita corrigant, quòd ſuper earum defectibus piè condoleant, & ipſarum emendationem potiùs, quàm punitionem prætendant ac requirant.

Inſuper ſingulis trienniis in feſto Dominicæ Aſcenſionis in cunctis Conventibus ejuſdem Ordinis, & in quolibet ipſorum fiat Sororum ſpecialiſſima Congregatio, qua cunctæ Sorores profeſſæ capitulariter convenientes unam è ſuæ Congregationis univerſitate maturè eligant in ſuam Matrem Correctricem, veluti ſervam bonam & fidelem, honeſtam, virtuoſam, ac prudentem, pro tribus duntaxat annis ſibi invicem ſubſequentibus providè conſtituendam ſuper earum conventualem Congregationem omni ſiniſtro favore ac livore prorſus excluſo.

Ipſa etiam Correctrix ſic electa per ejuſdem Ordinis Minimorum Generalem, vel per ejus Provinciæ Correctorem Provincialem pro tribus dictis annis debitè confirmetur. Taliter verò confirmata ſic omnium ſibi commiſſarum Sororum & Oblatarum iniquitates corrigat in vera juſtitia, quòd miſericordiam non diſpergat ab illa, & ita miſericordiam faciat, quòd juſtitiam ab ea non dividat. Ipſi etiam Correctrici in quovis Conventu maturè deputentur tres timoroſæ ſociæ, quæ antiquiores Sorores nuncupentur: quarum provido ſuffulta conſilio, commiſſa ſibi Religionis negotia diſcretè ac ſapienter diſcernat, & efficaciter tractet, atque diffiniat. Cumprimùm verò (ut præmittitur) electæ fuerint Mater Correctrix, & ejus ſociæ, in Capitulo Conventus ſui fidelitatem Ordini promittant, ipſarum etiam Prælatarum dicto triennio finito, antequam ad alterius electionem procedatur, ſibi commiſſis prælationis officiis humiliter renuncient, & ſaltem pro triennio immediatè ſequenti officio careant, ac ſubditæ remaneant.

Præterea neque ipſis Correctricibus, neque ullis Sororibus, nec Oblatis liceat Conventus ſui clauſuram uſquam exire, niſi alicubi contigerit aliquem novum Conventum ipſius Ordinis erigi, & tunc per ejuſdem Ordinis Minimorum Generalem, vel per talis Provinciæ Correctorem Provincialem, ſeu per eorum juſſionem & ordinationem poterunt aliquæ Sorores ac Oblatæ hujus Ordinis de ſuis Conventibus extrahi, & ad ipſum Conventum ſic noviter erectum licitè tranſmitti, quatenus illum inſtaurent, & ibidem Novitias Sorores ac Oblatas convenienter recipiant, & juxta ejuſdem Ordinis Correctorium illas ſalubriter inſtruant, dirigant, & informent.

Præterea quidquam verbo vel ſcripto contra hanc Regulam & vitam impetrare, ſeu impetrari facere, aut aliqua ſtatuta componere vel innovare, ſeu etiam componi, aut innovari facere, neque Correctrices ipſæ, neque aliæ quævis Sorores, nec Oblatæ aliquatenus præſumant.

Tandem ſingulis hujus Ordinis Conventibus prædictarum Sororum confeſſionibus audiendis, ejuſdem Ordinis Minimorum Generalis, vel talis Provinciæ Corrector Provincialis maturè deputent Presbyteros idoneos, & honeſtos Confeſſores, per eundem Generalem, vel per proprium Vigilem, aut Provincialem ad nutum amovibiles, annum quinquageſimum ad minus agentes: ſalva tamen moderatione per ipſum Correctorem Generalem, aut per proprium Vigilem, vel Provincialem uſque ad conſtitutos in quadrageſimo anno facienda: ſalva etiam locorum neceſſitate Confeſſores Inferioris ætatis aſſumi cogente. Ipſi verò Confeſſores ſingularum prænominatarum Sororum & Oblatarum confeſſiones vigilanter audiant, illiſque pro commiſſis delictis pœnitentiam injungant ſalutarem. Hæc eſt, Sorores chariſſimæ! Lex & Regula mitis ac ſancta, quam vos hortamur humiliter ſuſcipere, & fideliter ac perſeveranter cuſtodire: quatenus per ejus obſervantiam tandem de manu Domini pro benedictione perenni gratiam & gloriam fideliter conſequamini.

REGULA
Utriusque Sexus Fidelium
ORDINIS MINIMORUM
S. FRANCISCI DE PAULA.

De DEI & Eccleſiæ mandatorum ſalubri obſervatione.

CAPUT I.

QUoniam ad æternam vitam ingrediendam, & obtinenda ſempiterna præmia neceſſariò ſunt obſervanda divina præcepta: vos autem utriuſque ſexus Fideles hujus Ordinis Minimorum cæleſti Regi ſub hac Regula militantes, ac per ipſius obſervantiam ad æternam vitam intrare ſperantes, ante omnia Dei & Eccleſiæ ſanctæ mandata debitè cuſtodiatis, ac unum in Trinitate Deum reverenter honoretis, & cum toto corde, totiſque viſceribus ſuper omnia diligatis, ac eidem fideliter ſerviatis, & cor veſtrum ipſo fixè reponatis.

Illius etiam ſanctum nomen in vanum non aſſumatis, quin potiùs in ſingulis dictis & factis veſtris vos ac omnes proles veſtras, nec non ſervos & ancillas ab omni prorſus juramento cohibere procuretis. Et cùm hujus veſtræ Congregationis Fratres aut Sorores jurantes audieritis, eoſdem in charitate corripere ſtudeatis, attendentes Chriſti conſilium dicentis: Sit ſermo veſter: Eſt, Eſt: Non, Non; vix enim recedet malum ab eo, qui aſſueſcit juramento.

A maledicto inſuper & omni convitio vigilanter abſtineatis, ac ſacrum diem Dominicum, & reliqua ſanctæ Eccleſiæ feſta debitè ſanctificetis: in ipſis etiam feſtis, ſalubribus operibus, ac piis exercitiis attentè meditando & orando, ac legendo, & Miſſas, ac divinum officium & ſermones audiendo vos Domino dedicetis.

Veſtros inſuper Patres, ac Matres tam ſpirituales, quàm corporales, & Correctores atque Correctrices, & omnes Eccleſiaſticas Perſonas humiliter honoretis, & homicidium fugiatis. Præterea illos, qui vobis ſubjiciuntur, in bonis operibus ſapienter inſtruatis, & odium ac rancorem & indignationem ſimiliter declinetis. Vobis etiam maledicentibus benedicatis, ac pro perſequentibus vos oretis: inſuper pro viribus furtum, rapinam, uſuram, ac illicitos quoſcunque contractus, & omnem avaritiam ſalubriter reſpuatis. Cæterùm quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſi quid de alieno habueritis, idipſum, quàm citiùs poteritis, reſtituere procuretis.

De divino officio Clericorum.

CAPUT II.

EVangelicam doctrinam vigilanter obſervantes primùm quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus. Inſuper laudis cantica pro univerſis vobis collatis beneficiis Domino ſapienter recitetis. Inprimis vos omnes hujus Ordinis in ſacris Ordinibus conſtituti divinum officium perſolvatis, juxta ritum Eccleſiæ Romanæ, vel ſecundùm morem Eccleſiæ, cujus beneficium obtinueritis, aut prout ipſum meliùs dicere conſueveritis. Ita quòd hujuſmodi veſtrum beneficium relinquere non teneamini, veſtra etiam profeſſione præſentis Regulæ nullatenus obſtante.

Vos autem quæcunque aliæ utriuſque ſexus perſonæ ejuſdem Ordinis pro Matutinis ſeptem, pro Laudibus tria, pro Veſperis quinque, pro Completorio autem, & pro qualibet reliquarum horarum tria *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, cujuslibet talium horarum verſiculis *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, debitè ſubjunctis. Et quoniam ſancta, ſalubrisque eſt cogitatio, pro Defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur, pro ipſis Defunctis etiam ter *Pater noſter*, & toties *Ave Maria* quotidie recitetis, verſiculo *Requiem æternam*, ultimo *Ave Maria* ſimiliter addito.

In

In morte etiam cujuſvis hujus Societatis Fratris aut Sororis vos omnes ejuſdem Congregationis Fratres ac Sorores illius villæ vel oppidi, ubi talem decedentem ſepeliri contigerit (legitima cauſa ceſſante) pariter convenīatis, ac pro tali decedente ſaltem ſemel infra octo dies, inprimis vos omnes ſubſcripti in ſacris conſtituti, ſi Sacerdotes fueritis, unam Miſſam celebretis; vos verò Diaconi & Subdiaconi Vigilias cum novem lectionibus: vos autem reliquæ ſingulæ ejuſdem Ordinis utriuſque ſexus perſonæ quindecim *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria* devotè dicatis. Præterea pro ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis Minimorum taliter decedentibus etiam ſemel in proximiori loco, ubi talium Fratrum & Sororum Congregatio habebitur: & pariformiter; in die Commemorationis Defunctorum etiam ſemel pro cunctis fidelibus Defunctis: ſimiliter & infra totam Quadrageſimam etiam ſemel, & infra Domini Adventum iterum ſemel alia quindecim *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria* pro cunctis ejuſdem Ordinis Fratribus ac Sororibus, & aliis cunctis fidelibus Defunctis devotè recitetis.

Inſuper pro gratiis ac indulgentiis quamplurimis acquirendis, præſertim diebus feſtivis, in Laude B. Mariæ Virginis, circa exercitium ſuæ devotæ Coronæ, ſexaginta tria *Ave Maria*, & ſeptem *Pater noſter* continentis, vos crebriùs occupetis. Ad ſanctiſſimæ etiam Trinitatis honorem vos omnes hujus Congregationis Fratres ac Sorores, qui & quæ legitis, quotidie dicatis devotè Antiphonam ipſius Beatiſſimæ Trinitatis, videlicet: *Benedicta ſit Sancta Trinitas* &c., ſubjuncto verſiculo: *Benedicamus Patrem* &c., addito etiam Reſponſorio: *Laudamus* &c., unà cum oratione: *Omnipotens ſempiterne Deus* &c.

De Confeſſione & Communione.

CAPUT III.

Quoniam dilectus & amœnus, ac totus floridus Chriſtus in virtutum floribus delectatur, eapropter vos omnes hujus Congregationis Fratres ac Sorores humiliter exhortamur, ut debita confeſſione ſacramentali reverenter facienda, Confeſſoribus, vobis per ejuſdem Ordinis Minimorum Generalem Correctorem, aut per aliquem Vigilum vel Provincialium maturè deputatis, conſcientias veſtras mundetis ac decoretis. Et ſaltem quater ſingulis annis, videlicet in Cœna Domini, vel in ipſius Reſurrectione, & in ejuſdem Natali, ac in Pentecoſte, & in Aſſumptione glorioſæ Virginis Mariæ ſacroſanctam Communionem devotè ſumatis, omnium decimarum Parochialibus debendarum jure ſemper ſalvo.

Præterea Miſſas reverenter audiatis, ut Chriſti acerbæ Paſſionis, quæ in eisdem Miſſis recolitur, ſalutaribus armis muniti, in obſervantia mandatorum Dei fortes exiſtatis, ac firmi. In ipſis etiam Miſſis vos devotè precari conſulimus, ut Chriſti mors pretioſa fiat veſtra vita; & ejuſdem dolor, veſtra medicina; ipſius quoque labor, requies æterna.

De mundo non diligendo, & inhoneſtis officiis reſpuendis.

CAPUT IV.

Præcipuum dilectionis diſcipuli dogma ſalvificum ſalubriter adimplentes, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Qui enim mundi hujus voluerit eſſe amicus, Dei conſtituetur inimicus. Eapropter vos omnes hanc Regulam ſuſcipientes charitativè in Chriſto hortamur, ne mundalia publica, nec inhoneſta officia exerceatis, neque arma invaſiva deferatis, niſi pro ſanctæ Eccleſiæ ſalubri tuitione, aut pro Fidei vel juſtitiæ defenſione.

Præterea nuptialia, & alia quæcunque convivia, niſi conſanguineorum, juxta poſſe devitetis. Mundi etiam vanitates & honores, ac rumores, labentiſque ſæculi pompam & gloriam, ac perituras opes ſalubriter reſpuatis. Omnes inſuper publicos ac prohibitos & ſcandaloſos ludos ſummopere declinetis, quatenus tandem de manu Domini immarceſcibilem æternæ gloriæ palmam, & regnum decoris feliciter recipiatis: hujus enim fallax ſæculi eſt gloria, & divitiæ fallaces. Sunt autem procul dubio feliciores, qui plus de virtuoſa, quàm de longæva vita; & potiùs de conſcientia pura, quàm de arca plena excogitant.

De jejuniis & abſtinentiis, ac precibus Feriæ ſextæ.

CAPUT V.

Apoſtolicum documentum ſapienter exequentes, mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; *ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Hac ex re vos omnes Chriſto ſub hac Regula militantes, veſtram ob eundem Chriſtum carnem domantes, à car-

nibus abſtineatis, à feſto B. Luciæ excluſivè uſque ad Domini Natalem, tribus etiam diebus ante prædictos cunctos Communionum dies, & ſingulis quartis feriis totius anni. Inſuper à dicto beatæ Luciæ feſto excluſivè uſque ad præfatum Domini Natalem, & ſingulis ſextis feriis totius anni jejunare ſolliciti ſitis, & eiſdem ſextis feriis in ipſius Chriſti Paſſionis memoriam devotè dicatis quinquies *Pater noſter*, ac toties *Ave Maria*.

A dictis autem jejuniis & abſtinentiis piè ſecludantur ex vobis omnes in puerperio jacentes, prægnantes, lactantes, ac itinerantes, ſimiliter & ſenes, & debiles, & in gravi labore deſudantes, priùs poſtulata à propriis Confeſſoribus licentia. Ipſi etiam Confeſſores veſtra prædicta jejunia juxta omnium veſtrûm qualitates, ſeu conditiones & complexiones vobis licitè commutare poterunt in aliqua pietatis opera, ur certas devotiones & orationes.

Præterea vos omnes erga Pauperes & Orphanos, Viduas & Impotentes pia miſericordiæ opera juxta poſſe complectis, ac ſacris Eccleſiæ jejuniis vos benignè conformetis. Inſuper ſi devotionis gratia ſanctam quadrageſimalem vitam perpetuò ducere volueritis, illam cum Dei benedictione laudabiliter ducatis. Veruntamen unuſquiſque veſtrûm in ſpiritu libertatis plenæ ac integræ dimittatur.

De Congregationis hujus veſtimentis, cingulo, & profeſſione.

CAPUT VI.

OMnium veſtrum exteriora veſtimenta juxta cujuſpiam ſtatum & conditionem ſint veſtibus Fratrum ejuſdem Ordinis Minimorum penitus, aut quaſi ſimilibus, vel ſint alterius decentis & honeſti coloris. Præterea vos omnes hujus Congregationis Fratres ac Sorores cingulum, duobus nodis duntaxat nodatum, ab ejuſdem Ordinis Minimorum Correctoribus, vel ab eis commiſſis devotè recipiatis, & in illorum manibus opportuno tempore profeſſionem emittatis, ſi ſub hac ſalubri *Regula* perſeveranter militare volueritis.

Poteritis inſuper ob Chriſtum à juvenilibus annis in hac ipſa *Regula* & vita vos ſalubriter exercere, ſupradictúmque *Cingulum* de dictorum Correctorum, vel ab eis commiſſorum manibus ſuſcipere ac deferre, & in quinto decimo veſtræ ætatis anno (& non antea) debitam profeſſionem emittere; ſi verò aliquando (dæmone procurante) hujus veſtræ Congregationis aliqui vel aliquæ quaſdam inhoneſtas aut prohibitas artes exercerent, vel aſſidui blaſphematores eſſent, per aliquem ſeu aliquos veſtrum charitativè ter moneantur: qui ſi trina (ut decet) facta monitione ſe non correxerint, nec emendaverint, per ſupradictos ejuſdem Ordinis Minimorum Correctores de Seniorum conſilio, præmemorato cingulo, & cunctis ejuſdem Ordinis gratiis ac privilegiis penitus priventur.

Nihilominus noverint tales ex privatione hujuſmodi ſe à præſentis *Regulæ* obſervantia nullatenus abſolvi, neque liberari, quin potiùs ipſi præfato cingulo, & omnibus prædictis gratiis ac privilegiis indignos ſe recognoſcant, & judicent. Digna tamen ipſorum contritione exigente, ac humilitate poſcente, poterunt ab eis ablata cingula illis benignè reſtitui, & ad pœnitentiam ſalutarem, ac priorem laudabilem vitam intra præſentem fraternitatem valebunt ipſi recipi.

De Fraternitatis hujus Correctoribus & Correctricibus.

CAPUT VII.

HOrum denique utriuſque ſexus Fidelium cuilibet Congregationi Provinciales hujuſmodi Ordinis Minimorum Correctores, aut eorum vices gerentes vel eis Superiores deputent Correctorem vel Correctricem, per eoſdem (quoties expedierit) amòvibilem. Cùm etiam ipſi Provinciales ad Fratrum ejuſdem Ordinis Minimorum, vel ad Fratrum & Sororum hujus Congregationis loca declinaverint, poterunr in die opportuno convocare, ſeu convocari facere omnes ejuſdem Societatis Fratres ac Sorores, & per ſe, vel per alios eiſdem ſermonem facere, illas ad Dei mandatorum obſervantiam, & in bono perſeverantiam ſalubriter exhortando.

Præterea vos omnes hujus Congregationis Correctores & Correctrices exortas veſtros inter Fratres ac Sorores lites quaſcunque pro viribus extinguatis, & ad veram concordiam & pacem illos charitativè reducatis. Mutuam inſuper charitatem vos omnes ad invicem ſervantes, & vos mutuò *Fratres*, ac *Sorores* vocare non verentes, in veſtris tribulationibus, & adverſitatibus, ac infirmitatibus vos invicem in Domino viſitetis, & conſolemini.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt, Chariſſimi! quæ tanquam ſalubria, & ad ſempiternam vitam recto calle ducentia vos ſalubriter obſervare monemus. Fideles namque ſi fueritis in obſervando, fidelis erit Dominus in remunerando. Et ne forſan oblivio, vel ignorantia vobis ſint delinquendi cauſa: cùm opportunitas aderit, ſaltem ſemel in quolibet menſe vulgariter, ac intelligibiliter vobis hæc REGULA legatur, ut per ejus frequentem intelligentiam cordibus veſtris firmiùs imprimatur, ac per hoc conſequenter à vobis meliùs obſervetur: quatenus per illius obſervantiam tandem de manu Domini pro benedictione perenni gloriam ſempiternam & gratiam feliciter conſequamini. Amen.

* * *

De Lectura Regulæ.

IN Capitulo apud Toloſam celebrato Num. 20. decernitur, quòd legatur *Regula* noſtra in Refectorio diebus capitularibus, videlicet die Lunæ, die Mercurii, & die Veneris uniuſcujuſque hebdomadæ: ita, quòd ad minus in die ultimo tota *Regula* terminetur. Et idem decernitur in Capitulo, apud Romam ſecundò celebrato Num. 17.

Forma Profeſſionis Tertii Ordinis utriuſque ſexus Fidelium.

EGo N. promitto DEO omnipotenti, totique Curiæ cæleſti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam meam in melius emendare, & Ordinis Minimorum utriuſque ſexus Fidelium *Regulæ* per S. D. N. Julium Papam II. confirmatæ ſalutifera præcepta pro poſſe obſervare, & ſancto Franciſco de Paula, ſuiſque Succeſſoribus ejuſdem Ordinis Minimorum Generalibus Correctoribus pro tempore exiſtentibus obedire, nec non prædictæ Regulæ ſalubribus conſiliis ac monitis me conformare, & prædicti Ordinis honorem & utilitatem fideliter procurare. Amen.

Catalogus Generalium Correctorum, qui huic Ordini Minimorum præfuerunt uſque ad annum 1593.

I. BEatus *Franciſcus de Paula*, natione Italus, ex Provincia Calabriæ, ejuſdem Ordinis Inſtitutor, de beneficio Sedis Apoſtolicæ, quamdiu vixit, illius Moderator extitit: & dum obitus ſui diem adeſſe cognoſceret, vocatos ad ſe Fratres ad mutuam charitatem cohortatus, quem ſibi Succeſſorem deligerent (quouſque generalis Fratrum Conventus Romæ celebraretur) nominavit: nimirum R. P. F. *Bernardinum de Cropulatu*, natione Italum, à Calabria, Confeſſorem ſuum, qui præfuit à die ſecunda menſis Aprilis anni 1507. uſque ad 28. Decembris ejuſdem anni; nam tunc temporis electus fuit in Capitulo primo Romæ habito, qui ſequitur.

II. Pater Frater *Franciſcus Binet*, natione Gallus, ex Provincia Turonenſi, Prior quondam Monaſterii Mamertini, Ordinis S. Benedicti, à B. Franciſco in ſuum Ordinem receptus, illum ſecundus Generalis præclarè rexit, electus Romæ in primo Capitulo Generali anno 1508. die prima menſis Januarii. Hic coactus à Summo Pontifice Julio II. hanc primam Provinciam humiliter ſuſcepit.

III. Pater Frater *Germanus Lionet*, natione Gallus, ex Provincia Turonenſi, Turonis electus anno 1511.

IV. Pater Frater *Franciſcus Binet*, electus Toloſæ anno 1514., ſecunda vice rexit Ordinem.

V. Pater Frater *Franciſcus Cerdonius*, natione Gallus, ex Provincia Turoniæ, Romæ electus anno 1517. Hic moriens intra triennium, ſubſtituit ſibi Vicarium P. F. *Michaëlem Comitem*, ejuſdem Provinciæ Præfectum.

VI. Præfatus Pater *Binet* Pariſiis tertiò electus anno 1520.

VII. Pater Frater *Martialis de Vicinis*, Gallus, ex Provincia Toloſana, Romæ electus anno 1523.

VIII. Pater Frater *Joannes Sutoris*, Gallus, ex Provincia Pariſiana, Malchæ electus anno 1526.

IX. Pater Frater *Deſiderius de Mota*, Gallus, Pariſienſis Provinciæ, Gratianopoli electus anno 1529.

X. Pater Frater *Franciſcus Bellamater*, Gallus, ex Provincia Pariſienſi, anno 1532. Januæ electus.

XI. Pater Frater *Gaſpar de Foſſo*, Italus, ex Provincia Calabriæ, anno 1532. ad Generalatum Paulæ aſſumptus eſt.

XII. Pater Frater *Bernardus de Fabro*, Gallus, ex Provincia Toloſana, Bononiæ electus anno 1538.

XIII. Idem Pater Frater *Gaſpar de Foſſo* iterum Ordini præficitur anno 1541., abſens Valentiæ electus à Paulo III., Epiſcopus Scalæ poſtea factus, à Julio III. translatus ad Epiſcopatum Calnenſem, & à Pio Papa IV. demum Archi-Epiſcopus Reginus confirmatus.

XIV. Pater Frater *Marcellus Palmerius*, Italus, ex Provincia Calabriæ, aſſumptus Bononiæ anno 1544.

XV. Pater Frater *Simon Guichardus*, Gallus, Provinciæ Franciæ, præfuit Ordini, anno 1ſ47. Forojulil electus.

XVI. Pater Frater *Joannes Malras*, Gallus, Toloſanæ Provinciæ, Valentiæ electus anno 1ſſo.

XVII. Pater Frater *Hugo de Calce*, Gallus, ex Toloſana Provincia, electus Januæ 1ſſ3.

XVIII. Pater Frater *Hieronymus Arnonus*, Italus, ex Provincia Calabriæ, Forojulii electus anno 1ſſ6.

XIX. Pater Frater *Joannes de Belriguardo*, Gallus, Pariſienſis Provinciæ, Januæ electus anno 1ſſ9.

XX. Pater Frater *Joannes Juda*, Gallus, ejusdem Provinciæ, electus Valentiæ anno 1ſ62.

XXI. Pater Frater *Joannes de Flumine Frigido*, Italus Calaber, Forojulii electus anno 1ſ6ſ.

XXII. Pater Frater *Marcellus Palmerius* prædictus, iterum electus Romæ anno 1ſ68.

XXIII. Pater Frater *Gaſparus Paſſavellus*, Italus, ex Provincia Apuliæ, die 2ſ. Maji anni 1ſ71. Valentiæ electus.

XXIV. Pater Frater *Valentinus à Maſſa*, Italus, ex Provincia Neapolitana, electus Januæ 20. Maji anno 1ſ74.

XXV. Pater Frater *Joſephus Tellerius*, Gallus, Pariſienſis, Ordini præpoſitus in urbe Avenionenſi 23. Junii anno 1ſ78.

XXVI. Pater Frater *Alphonſus Villamajor*, Hiſpanus, ex Provincia Andaloſiæ, in Capitulo Barchinonæ inchoato die ultima Aprilis anno 1ſ81. electus.

XXVII. Pater Frater *Stephanus Carnevalius*, Italus, ex Provincia ſuperioris Calabriæ, in Generalem datus Januæ die ſ. Maji anno 1ſ84.

XXVIII. Pater Frater *Gregorius Carbonellus*, Italus, ex inferiori Calabria, clavum tenuit regiminis ſex annos, Romæ electus 16. Maji anno 1ſ87.

XXIX. Pater Frater *Iſidorus Sablaſius*, Italus, ex Provincia S. Franciſci in Calabria, 20. Maji anno 1ſ93. Valentiæ electus.

(*Hucuſque Scriptoris innotuit diligentia.*)

ADDITAMENTUM XXVIII.

REGULA SANCTI SALVATORIS, *SIVE* CONSTITUTIONES S. BIRGITTÆ VIDUÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

C*Irca medium Sæculi XIV. magnæ pietatis & virtutis famâ ab incunabulis floruit, ac crebris divinis viſionibus honorata inclaruit* Sancta Birgitta, *quæ &* Brigitta, *ac aliquando* Brigida *nominatur; ab illa ſanctiſſima Thaumaturga* S. Brigida, *natione* Scota, *omnino diverſa, quæ jam exeunte Sæculo quinto floruit, & ſanctimonialium fœminarum multarum Mater extitit. Nata autem eſt noſtra* S. Birgitta *anno MCCCII. apud* Suecos *Regio Gothorum ſanguine prognata,* Birgerii & Sigridis *filia, & à piiſſimis, ſimul ac nobiliſſimis Parentibus ſanctiſſimè educata, ad eorum exemplum ab unguiculis, inter alia pietatis opera, ſpeciali cultu Paſſionem Chriſti, mundíque Salvatorem in Cruce pendentem ſemper excoluit, atque ſanctiſſimam Deiparam Virginem honoravit.*

Hinc,

Hinc, inſtituendo novum Ordinem Monaſticum, ad hæc duo præcipua Chriſtianæ Religionis myſteria maximè reſpexit, Aſſeclas ſuas erudiens, ut ſacra Chriſti ſtigmata cum S. Paulo jugiter in mente portarent, ac ſacræ Virginis Mariæ laudes indies cantarent, prout ex ſacra Regula ipſis præſcripta omnino pateſcit.

Interim piiſſima Birgitta tenellos annos omnimodis virtutibus exornans, dum perpetuam virginitatem Deo conſecrare meditatur, vix decimum tertium ætatis annum egreſſa, matrimonium cum Wulphone Nericiæ Principe inire ab optimo Patre inducitur, Matre jam dudum defuncta. Ob teneram autem ætatem, aſſentiente lectiſſimo Marito, per aliquot annos caſtitatem excoluit, Regulam Tertii Ordinis S. Franciſci profeſſa, ac tandem Peregrinationem ad S. Jacobum Apoſtolum cum piiſſimo Marito ſuſcipiens, crebris Revelationibus divinis viſitata, & ex Hiſpaniis in Patriam reverſa, facilè Wulphonem Conjugem ad contemnendam mundi pompam perducere potuit. Qui quidem Ciſtercienſem Ordinem ingreſſus, tyrocinium religioſum in Monaſterio Alvaſtra ſubire voluit; ſed haud ita diu pòſt ex hac vita in cælum vocatus, Faſtis Ciſtercienſibus adſcribi meruit, quamvis ante annum ſolennis Profeſſionis defunctus ſit.

Sanctiſſima ergo Birgitta conjugio ſoluta, pietati excolendæ ſeſe totam dedit, ſuſceptáſque ex legitimo matrimonio proles piiſſimè educavit, ipſis bona temporalia (ſecundùm Regni leges) diſtribuens, ſed præcipuè ſalutaria vitæ ſpiritualis monita inculcans. Octo autem erant ſoboles, quatuor filii, totidémque filiæ, omnes pietate & virtute præclari, præſertim junior filia Beata Catharina, maternarum peregrinationum individua comes, & poſtea Waſtenenſis Monaſterii piiſſima Abbatiſſa, prout mox dicetur. Poſtquam enim ſanctiſſima Mater Birgitta per biennium in cellis prope Alvaſtrum Ciſtercienſe Cœnobium, juxta ſacras Mariti exuvias, delituiſſet, de erigendo Monaſterio Waſtenenſi cogitavit; quod & perfeciſſe exiſtimatur paulò poſt Mariti obitum, licèt annus determinatus aſſignari nequeat. Eſt autem Waſtena (vulgò Vuatzſten) locus in Sueciæ Regno receſſui aptiſſimus, Diœceſis Lincopienſis, ubi prima futuri Ordinis jecit fundamenta, ibidem ſexaginta ſacras Virgines cum tredecim Sacerdotibus, & quatuor Diaconis, ac octo Fratribus laicis collocans; quibus Regulam ab ipſo mundi Salvatore dictatam tradidiſſe dicitur, unde ſacer Ordo nomen Sanctiſſimi Salvatoris ſuſcipere meruit.

Hunc igitur ſacrum Ordinem ita inſtituit S. Birgitta, quòd Viri Religioſi Auctoritati Abbatiſſæ ſubjicerentur, quemadmodum olim Beatus Robertus de Abrizellis omnia ſua utriuſque ſexus Monaſteria juriſdictioni Abbatiſſæ Fontis Ebraldi ſubmiſerat, quod & Beatus Gilbertus de Sympringham præſtitit, quamvis Viri diverſam à Monialibus Regulam profeſſi ſint. Ita tamen Waſtenæ Monaſterium conſtructum erat, & ad ejuſdem exemplum reliqua omnia Ordinis Cœnobia, quòd nulla inter ſacras Virgines, & Viros Religioſos intercedere potuerit converſatio, etiamſi ſub uno quaſi præcinctu omnes ſimul viverent, clauſtris quidem ſeparatis, & cellis disjunctis, cuique ſexui aſſignatis. Sacræ enim Virgines ſemel Deo conſecratæ nunquam de ſuo clauſtro egredi potuerunt, & ipſa Monaſterii Eccleſia ita ordinabatur, ut in inferiori choro Viri ſoli divinum celebrarent officium; in ſuperiori autem choro ſanctimoniales fœminæ orarent, & divinas laudes Deo cantarent, ab omni hominum conſortio, ac conſpectu ſeparatæ. Hæc omnia, quemadmodum & arctam Diſciplinam Monaſticam ibidem obſervatam pleniùs explicant ipſæ Conſtitutiones in modum Regulæ ordinatæ, quas, inſpirante Deo, ſanctiſſima Mater Birgitta condidit, ſuíſque Aſſeclis obſervandas inviolabiliter præſcripſit. Cùm verò certum ſit, ſanctiſſimam Ordinis hujus Fundatricem nunquam habitum Religionis induiſſe, nec ſtabilitatem Monaſticæ Diſciplinæ obſervaſſe, quia illa crebris Revelationibus divinis viſitata, varias ad ſacra loca peregrinationes ſubire debuit (Deo ipſo mandante) ſic haud ante annum MCCCLXIII. hic ſacer Ordo in Monaſterium Waſtenæ introductus eſt; cùm plures anni in conſtruendis ædificiis, & in ordinandis ſexaginta Sororum, & viginti quinque Fratrum Statutis neceſſariis conſummandi fuerint. Et quamvis ante hunc annum hæc ſequens Regula apud Waſtenenſes promulgata fuerit, ſub ipſius S. Birgittæ primaria directione; attamen ignoramus, cui novi Monaſterii Regimen commiſit ſanctiſſima Inſtitutrix, prædicto anno Romam accedens, nec unquam in Sueciam reverſa. Poſt cujus mortem piiſſima filia Beata Catharina habitum Ordinis, & Regimen Monaſterii ſuſcepit, ſolennémque Ordinis approbationem à Summo Pontifice Urbano Sexto impetravit anno MCCCLXXIX., prout ipſa Bulla Pontificia teſtatur, utpote data anno primo Pontificatus ſui.

Bulla URBANI VI. Pontificis Maximi ſuper Confirmatione Regulæ S. Salvatoris.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum DEI. Ad perpetuam rei momoriam. His, quæ pro divini cultûs augmento, & Religionis propagatione providè ordinantur vel ſtatuuntur, libenter præſtamus aſſenſum, & ab eis, ut illibata conſiſtant, firmiùs obſerventur, cùm illud à nobis humiliter expoſcitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte Dilectæ in Chriſto Filiæ Nobilis Mulieris Catharinæ natæ quondam Vulphonis Domini loci de Vulphaſon Lincopenſis Diœceſis petitio continebat, quod olim quondam Brigitta de Suetia ipſius Catharinæ Mater, quæ, dum vixit, in ſpiritu humilitatis laudabilem vitam duxit, Monaſterium S. Mariæ de Waſtena Ordinis S. Auguſtini dictæ Diœceſis ſub vocabulo S. Salvatoris de bonis ſibi à Deo collatis de licentia felicis recordat. Urbani Papæ quinti Prædeceſſoris noſtri fundavit, & conſtitui fecit, ac ſufficienter dotavit. Et quod eadem Birgirta, dum vixit, quaſdam Conſtitutiones circa modum vivendi regularem, obſervantiam tenendi in eodem Monaſterio ex Revelatione divina (ùt creditur) fecit & ordinavit. Quodque poſtmodum dicta Birgirta vita functa pro parte ipſius Catharinæ humiliter ſupplicato piæ memoriæ Gregorio Papa undecimo Prædeceſſore noſtro, ut dictas Conſtitutiones approbare ac fundationem, conſtructionem, & dotationem hujusmodi confirmare de ſpeciali gratia dignaretur. Idem Prædeceſſor quibusdam Prælatis apud Sedem Apoſtolicam conſtitutis commiſit, ut prædictas Conſtitutiones examinarent, & de fundatione, conſtructione, & dotatione hujusmodi informarent. Ea, quæ pro hujusmodi informatione reperirent, eidem Prædeceſſori referrent. Et ſubſequenter antequam in hujusmodi approbationis vel confirmationis negotio procederetur ulterius, dicto Gregurio Prædeceſſore, (ſicut Domino placuit,) ab hac luce ſubtracto, Nobisque divina favente Clementia ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpto, pro parte dictæ Dominæ Catharinæ nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut fundationem, & conſtructionem, & dotationem præfatas confirmare, & Conſtitutiones hujusmodi approbare auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur Dilecto Filio noſtro Elyzario Tituli S. Balbinæ Presbytero Cardinali commiſimus oraculo vivæ vocis, ut ſe de hujusmodi fundatione, conſtructione & dotatione informaret, ac dictas Conſtitutiones diligenter examinaret. Et ſi inveniret dictum Monaſterium canonicè fundatum, conſtructum, & ſufficienter dotatum. Et dictas Conſtitutiones juſtas & rationabiles fore, fundationem, conſtructionem & dotationem hujusmodi auctoritate noſtra ratificaret & probaret. Et prædictas Conſtitutiones declararet eſſe juſtas & rationabiles. Idemque Cardinalis ſuper præmiſſis debita informatione recepta, & habito ſuper hoc conſilio cum nonnullis aliis S. R. E. Cardinalibus, & aliis Prælatis ac Magiſtris in ſacra Theologia & Decretorum Doctoribus, fundationem, conſtructionem & dotationem prædictas ratificavit, & approbavit, & declaravit præfatas Conſtitutiones, juſtas, & rationabiles & nihil in eis contineri, quod obviet canonicis Inſtitutis, prout in quibusdam litteris inde confectis ipſius Cardinalis ſigillo munitis prædictas Conſtitutiones de verbo ad verbum continentibus, quarum quidem tenorem litterarum inſeri fecimus, pleniùs continetur. Quare pro parte dictæ Catharinæ Nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut hujusmodi approbationem, & ratificationem ac declarationem ejusdem Elyzarii Cardinalis auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, ac de ſpeciali gratia confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus inclinati, approbationem, ratificationem per eundem Cardinalem (ut præfertur) factas ac omnia & ſingula in dictis litteris contenta, rata habentes grata illa auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo homini liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere; vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctam Mariam in Tranſtyberim, tertio Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

Fatendum tamen eſt, S. Birgittam *jam anno MCCCLXX. ab* Urbano V. *Pontifice obtinuiſſe novæ Religionis in* Monaſterio Waſtenenſi *obſervatæ confirmationem, quatenus ejus incolæ* ſecundùm Regulam S. Auguſtini viverent. *Sic enim, apud Franciſcum Pagium*, Brev. Hiſt. Tom. 4. pag. 200. *Auctor ſecundæ vitæ dicti Urbani Papæ exertè aſſerit :* De menſe Julio eodem anno fuit apud Sedem

Apo-

Apoſtolicam Domina Brigida de Regno Sueciæ, petens confirmari Regulam ſibi revelatam à Deo, ſecundùm quam volebat vivere Moniales & Fratres in Monaſterio à ſe fundato in dicto Regno in loco de VENTENA; & obtinuit, quòd SECUNDUM REGULAM S. AUGUSTINI VIVERENT. *Et quidem omnes Bullæ Pontificiæ, aliique illorum temporum Hiſtorici agnoſcunt, hunc ſacrum Ordinem inſtitutum fuiſſe*, juxta communem S. Auguſtini Regulam, *quem ſanctiſſimum Eccleſiæ Doctorem, tanquam primarium Legiſlatorem ipſa ſancta Birgitta*, cap. 8. Regulæ genuinæ *confeſſa eſt, præcipiens, ut in vigilia ejusdem Sancti omnes Sorores & Fratres jejunarent in pane & aqua, quia ejus Regulam profitentur. Deinde* cap. 9. ejusdem Regulæ *præſcribitur, ut in ſolenni Profeſſione religioſa omnes vota emittant ſecundùm eandem Regulam in hunc modum*: Ego Soror vel Frater N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, & Beatæ Mariæ ſemper Virgini, BEATO AUGUSTINO, Beatæ Birgittæ, & tibi Epiſcopo ex parte eorum, & Abbatiſſæ vel Generali Confeſſori & ſucceſſoribus tuis vivere ſine proprio, & in caſtitate ſecundùm REGULAM SANCTI AUGUSTINI, & Conſtitutiones ſanctæ Birgittæ, uſque ad mortem.

Adeoque perſpicuum videtur, ſanctam Birgittam *obtinuiſſe quidem ab* Urbano V. *confirmationem novi Ordinis in Monaſterium Waſtenenſe jam introducti ſecundùm* Regulam Auguſtinianam; *nuſquam tamen legimus* ejusdem Conſtitutiones *ante* Urbanum VI. *à Sede Apoſtolica confirmatas fuiſſe, quamvis ipſa ſanctiſſima Inſtitutrice adhuc florente*, Gregorius XI. Papa, *easdem Cardinalibus piis & doctis examinandas tradiderit. Hæc omnia clarius pateſcunt ex ſuprà relata* Urbani VI. *authentica Bulla hunc ſacrum Ordinem cum ſua Regula ſive Conſtitutionibus ſolenniter confirmante. Quod autem ipſas Conſtitutiones in modum Regulæ divinitùs dictatas attinet, & illas diverſimodè ordinatas & exſcriptas reperimus. Impreſſæ enim communiter XXXI. Capita complectuntur, inter quæ prima tria Capita quendam Prologum continent, quemadmodum & quatuor ultima explicationem ipſius Prologi fuſiorem inducere videntur*: De vineis diſſipatis, *ſive* de Religionibus Regulam primævam negligentibus, *variam doctrinam exhibentia, ubi etiam agitur de mirabili modo acceptæ Regulæ ab ore Chriſti, quam Domino Papæ confirmandam præſentare ab ipſo Deo mandatur. Hinc communiter hunc præferunt titulum:* Regula S. Salvatoris data divinitùs ab ore JESU Chriſti devotæ Sponſæ ſuæ ſanctæ Birgittæ Capitibus XXXI. comprehenſa. *Manuſcripti autem Codices aliter* has Conſtitutiones *ſive Regulam diſponunt, nec ultra viginti quatuor Capitula admittunt in titulis & contentis omninò ab impreſſis diverſi, prout ſequens exemplar monſtrabit, quod quidem ex authentica copia ipſius Regulæ ab* Urbano VI. *approbatæ deſumptum exiſtimamus, ob ſequentes rationes. In primis enim pallidus & ſufflavus atramenti color, continuum literarum ſibi connexarum involutarumque chaos, atque ingentes ſine numero abbreviaturæ, imò characteres omnino monſtrant, ipſum Codicem manuſcriptum exaratum fuiſſe exeunte ſæculo XIV. aut ineunte ſequenti. Deinde Codex ille pertinebat ad Monaſterium* Montis-Gratiæ, *vulgò* Gnaden-Berg *appellatum, prout in primo ligaturæ latere Codicis ſcripta hæc ſequentia verba teſtantur:* Frater Jacobus in Cœnobio Montis Gratiæ profeſſus hujus libelli eſt ex gratia ſui Prælati & licentia occupator. *Quod quidem Monaſterium in ſuperiori Palatinatu ſitum pro hujus Ordinis inquilinis, anno MCCCCXXXVI. fundatum à Joanne III. Palatino Rheni & Bavariæ Duce ad Inſtantiam Conjugis ſuæ Dominæ Catharinæ, Pomeranorum Duciſſæ. Quod ſanè Cœnobium primum in Germania pro Brigittinis Monialibus & Fratribus fundatum videtur, quia teſte Caſparo Bruſchio primæ religioſæ perſonæ ex Suecia & Dania in hunc locum accitæ ſunt. Et ipſa piiſſima Fundatrix* Monaſterium Waſtenenſe *ante initum matrimonium ingredi cogitaverat. Denique Titulus ipſe Regulæ præfixus oſtendit, eandem eſſe, quam confirmavit* Urbanus VI.; *ſic enim ſonat:* Incipit Regula S. Salvatoris à Sede Apoſtolica pro Conſtitutionibus approbata, anno Domini MCCCLXXIX. per Urbanum VI. tertia Menſis Decembris.

Qui quidem titulus vocabulo ſancti Salvatoris *utitur, ſed interim* Regulam pro Conſtitutionibus approbatam *fuiſſe aſſerit, quaſi ſupponeret aliam Regulam, nimirum Auguſtinianam fore præcipuam normam ejusdem Ordinis. Quæ omnia cum Bulla Urbani VI. jam relata conveniunt, ubi* Waſtenenſe Monaſterium *à S. Birgitta inſtitutum fuiſſe dicitur*, juxta Regulam S. Auguſtini & Conſtitutiones ab ipſo Mundi Salvatore revelatas. *Unde hujus Codicis Scriptor immediatè poſt ſanctæ Birgittæ Conſtitutiones ſubjungit Regulam communem S. Auguſtini, quæ ſic incipit:* Ante omnia Fratres chariſſimi diligatis Deum &c. *quaſi inſinuaret,*

S. Bir-

S. Birgittam ſuis Aſſeclis has Conſtitutiones *à Deo acceptas tradidiſſe, tanquam* Regulæ Auguſtinianæ *neceſſarium ſupplementum ad vitam religioſam ritè ducendam. Notum quippe eſt, ſanctiſſimum Eccleſiæ Doctorem nunquam ſcripſiſſe propriè dictam Regulam Monaſticam, illamque, ineunte Sæculo XI. promulgatam, deſumptam ex ipſius Epiſtola ad Sororem, fore nimis vagam & imperfectam, ad dirigendum cœtum religioſum. Hinc omnes Virorum ſimul ac Mulierum Congregationes ſub* Regula Auguſtiniana *exortæ, varias Conſtitutiones perſonis & temporibus adaptatas condiderunt, quarum exemplaria hoc opere jam adducta ſunt, quæ ſæpiùs nomen* Regulæ *merentur.*

Cùm igitur ſancta Birgitta novum Ordinem Religioſum utrique ſexui communem, apud Waſtenam *in patria ſua inſtituerit, ſub* Regula Auguſtiniana, *jamdudum à Pontificibus Romanis approbata, ſic neceſſe erat, Conſtitutiones Religioſas tam pio utriusque ſexus cœtui adaptatas condere, quæ tandem à Sede Apoſtolica approbatæ, meritò nomen* Regulæ Monaſticæ *obtinere poſſunt. Quisquis enim* hanc Regulam pro Conſtitutionibus approbatam *diligenter perlegerit, eandem cæleſti doctrina repletam, & afflante divino ſpiritu conditam agnoſcere debet; ita ut digniſſima ſit, quòd* Regula ſanctiſſimi Salvatoris *appelletur, à cujus cæleſti ore dictata dicitur, & piè creditur. Nullus quippe inficias ibit, ſanctiſſimam Inſtitutricem crebris Revelationibus divinis viſitatam fuiſſe, quarum grande volumen octo Libris comprehenſum adhuc ſupereſt, variis Doctorum Theologorum Commentariis exornatum. Has divinas S. Birgittæ Revelationes ſummis Pontificibus Gregorio XI. & Urbano VI. examinandas ſimul ac ipſas* Conſtitutiones *exhibuit Beata Catharina ejusdem filia ſanctiſſima, & à Sede Apoſtolica poſt ſtrictum Cardinalium, aliorumque Prælatorum examen approbatas, fidelium lectioni tradidit. Poſtea autem easdem Revelationes ad incudem revocare voluit Concilium Baſileenſe, à quo tamen per publicum Decretum à Patribus Concilii anno MCCCCXXXV. & XXVI. Martii ab omni errore immunes declaratæ ſunt, atque pietati & devotioni fidelium tanquam utiles & proficuæ denunciantur. Hinc* Revelationum Libri octo *per Alphonſum Epiſcopum Gyennenſem in Ordinem redacti, cum aliis ſanctiſſimæ Ordinis hujus Inſtitutricis ſcriptis, variè prodierunt typis impreſſi; imprimis* Lubecæ 1492. *deinde* Norimbergæ 1521. Romæ 1557. Antverpiæ 1611. Coloniæ 1628. Monachii 1680. Quam editionem nos ſecuti ſumus.

Interea, ut ad ipſam Regulam *revertamur, & illam variis in locis propagatam reperimus, quamvis, vivente ſancta Birgitta, à ſolis* Waſtenenſibus *quodamodo acceptam exiſtimamus. Sanctiſſima enim Inſtitutrix, prout ſuprà dictum eſt, nec habitum Ordinis induere, nec Clauſtro ſeſe includere valuit, perpetuis peregrinationibus ad loca ſacra, ex ipſius Dei mandato occupata; donec ex Terra ſancta Romam reverſa, anno MCCCLXXIII. & XXIII. Julii*, in Monaſterio ſancti Laurentii de Panis-Sperna *dicto Ordinis S. Claræ piiſſimam animam Deo reddidit ante & poſt mortem miraculis clara, atque anno MCCCXCI. per ſummum Pontificem* Bonifacium IX. *Sanctorum Faſtis ſolenniter inſcripta. Mortuam autem ſanctiſſimam Matrem habitu Ordinis induit piiſſima Filia* Beata Catharina, *ſacrasque exuvias in* Sueciam *transferri curavit, &* Waſtenæ Cœnobii *conſtituta Abbatiſſa illud piiſſimè gubernavit, arctiſſimam diſciplinam ubique obſervans. Hinc* Waſtenenſe Cœnobium *evaſit celeberrimum totius Ordinis caput, & primaria ſedes, à quo & Regula mirificè propagata eſt, quod juxta laudabilem ejusdem obſervantiam, apud exteras Gentes, plura erecta ſint Monaſteria, quæ quidem poſtea, ob exortam in variis borealibus Europæ Regionibus hæreſim, ad incitas redacta, ultimam plerumque paſſa ſunt ruinam, prout mox videbimus. Nam poſtquam* Guſtavus Eriſco *Regnum Sueciæ uſurpaverat, atque Lutheraniſmum introduxerat circa annum MDXXIV. non ſolum hujus Ordinis Monaſteria, ſed & omnium aliorum ſacrorum Ordinum Aſceteria, extincta ſunt, excepto* Waſteno Cœnobio, *magnanima pietate* Religioſæ Abbatiſſæ Catharinæ Benedittæ, *aliárumque ſacrarum Virginum conſtantia, ad tempus in avita Religione conſervato. Waſtenenſium enim Virginum pietate & conſtantia captus* Joannes Finlandiæ Dux *anno MDLXVIII. in thronum Sueciæ evectus, ipſis antiqua privilegia atque alienata bona reſtituit, immo Catholicam & Orthodoxam fidem ubique introducere cogitavit. Verùm, Rex ille inſtabilis, in antiquos errores lapſus, nunquam tamen ſacris illis Virginibus moleſtias intulit, quæ arctiſſimam primævi Inſtituti diſciplinam obſervantes, & anno MDLXXXII. à Nuncio Apoſtolico celeberrimo* Antonio Poſſevino *Societatis IESU Presbytero viſitatæ, & litteris Apoſtolicis roboratæ, in Religionis obſervantia firmiter perſeveraverunt, donec, mortuo* Joanne

III.

III. Rege, & ſuperſtites Religioſæ fœminæ Cœnobium Waſtenæ, ſimul ac Patriam relinquere coactæ ſunt. Talem ergo finem apud Suecos habuit Regula S. Birgittæ ab ipſo Mundi Salvatore dictata, & ideo Regula S. Salvatoris appellata, quæ à primævo Inſtituto apud Sueciæ & Daniæ Regna in omnimodo Religionis & virtutis odore floruit, quamdiu Catholica & Orthodoxa Fides apud Septentrionales populos integra manſit. Tale enim fatum ſubierunt, & alia hujus Ordinis Monaſteria per Germaniam, Belgium, & Angliam fundata. Inter quæ celebre erat Cœnobium SION appellatum, unicum quidem apud Anglos hujus Ordinis Monaſterium, ſed poſt Waſtenenſe, ampliſſimum, anno MCDXIII. per Henricum V. Regem, erectum. Situm erat hoc Cœnobium apud Civitatem Londinenſem ab altera parte ripæ Thameſis fluminis, haud procul à Carthuſianorum Aſceterio, quod ab Henrico VIII. & Eduardo VI. ſuppreſſum, iterum piiſſimis ſuis Inquilinis Maria Regina reſtituere voluit, ſed illa mortua, & has Religioſas fœminas Regno expellere, & in exilium mittere decrevit Eliſabetha, illegittima Henrici VIII. proles, Regnum Angliæ uſurpans. Quæ, ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem, confugientes, ſecurum invenerunt aſylum, à quo, Olyſipone, vulgò Lysbonæ, locum habitationis invenerunt, ubi etiamnum hodie, ſacræ Virgines, Anglicæ nationis, arctiſſimam Religioſæ Diſciplinæ obſervantiam cuſtodiunt, juxta Conſtitutiones à ſanctiſſima Matre Birgitta olim traditas, quamvis illæ non duplex, ſed ſimplex Monaſterium poſſideant, in ſtrictiſſima clauſura ſub directione unius Confeſſarii de eadem natione piiſſimè viventes.

Duplex autem Monaſterium propriè dictum appellamus illud, quod ita ædificabatur, ut ibidem exiſterent duo diſtincti & ſeparati Conventus, unus ſexaginta ſanctimoniales fœminas continens, alter verò viginti quinque Viros Religioſos, juxta primævum Regulæ Inſtitutum. Sunt etiam & alia Monaſteria, quæ duplicia nominari debent ob utriuſque ſexûs habitationem, ordinatam quidem juxta Regulæ præſcriptum, ſed cùm ob defectum ſufficientium redituum, tantus numerus utriuſque ſexus in illis rarò inveniatur, ſic propriè duplicia Monaſteria nominari nequeunt. Dein ſimplex Monaſterium nominamus illud, ubi ſolæ ſacræ Virgines habitant, vel ſoli Viri Religioſi, ita quòd vix duodecim ſanctimoniales fœminæ in uno Monaſterio vivere poſſint, neque in tali Monaſterio ſimplici, ſolis Viris adaptato æqualem numerum reperire ſemper poſſumus. Et quidem pauca Monaſteria duplicia primi generis inveniuntur, cùm, injuriis temporum, ampliſſimi reditus ſint adeo diminuti, quòd non ſufficiant ad ſuſtentandum octoginta quinque Perſonas Religioſas. Hinc plerumque Cœnobia hujus Ordinis per Germaniam diſperſa, ad ſecundum genus Duplicis Monaſterii reducuntur. Sic S. Altonis Monaſterium in Bavaria, vulgò Altenmünſter nominatum, quod olim, ante medium ſæculi octavi, ſanctus Alto, natione Scotus, anno 755. defunctus pro Monachis Benedictinis erexit, ſed jam antiquitate dirutum Georgius Bavariæ Dux anno MCCCCLXXXVII. reædificare voluit, ibique introducens utriuſque ſexus Religioſas perſonas Ordinis Birgittinæ, nimirum ſexaginta ſanctimoniales fœminas & viginti quinque Viros Religioſos, qui quidem numerus anno MDCXXIV. adeo diminutus eſt, quòd, teſte Radero Bav. ſanct. pag. 199. ibidem ſolummodo triginta ſex Virgines, & tredecim Fratres habitarent. Ex quo Monaſterio prodiit Vir Religioſus, & Concionator eximius Frater Simon Herman, prædicti loci Confeſſarius generalis, qui opera S. Birgittæ edidit Monachii 1680., cujus editionem & nos ſecuti ſumus. Monaſteria etiam ſimplicia plura ſunt in Belgio, ubi ſex Virginum, totidemque Fratrum numerantur, in quibus ſalubres primæ Inſtitutricis Conſtitutiones haud obſervari ad amuſſim poſſunt, ſed tam Viri, quàm Religoſæ Fœminæ appellatæ quidem Birgittinæ ſtrictiſſimè obſervant Reguiam Auguſtinianam, Conſtitutionéſque S. Birgittæ, in quantum puſillus numerus permittit.

Unde hujus ſacri Ordinis Monaſteria, in multis locis per hæreſim extincta, & in aliis per bella ab Hæreticis excitata adeo ad incitas redacta ſunt, quòd in pluribus Monaſteriis Regulam S. Salvatoris, ſive Conſtitutiones Birgittinas ubique ſtudioſè obſervare impoſſibile fuerit. Sic Clemens VIII. ſummus Pontifex Romanus circa annum MDCIII, & poſt ipſum Gregorius XV. novas Conſtitutiones condiderunt, cum rigore primævi Inſtituti diſpenſantes, atque circa Divinum Officium ordinantes, ut illud ab omnibus deinceps peragatur juxta ritum Romanum, cùm antea ſacræ Virgines ſolummodo curſum Marianum cantare obligarentur, quem tamen adhuc in choro recitare ſine cantu debent. Hoc tamen huic ſacro Ordini peculiare videtur, quòd, tam in Eccleſia, quàm in choro organa, aliáque omnia inſtrumenta muſica prohibeantur. Deinde, quòd qualibet die dominica & diebus

feſtivis Sacerdos Miſſam ſolennem celebrans, Evangelium vernacula lingua legere debeat, prout ex ipſa Regula cap. 13. inſtruimur. Quod tamen ita intelligendum ſupponimus, Sacerdotem nimirum, poſt lectum Evangelium in lingua latina, aſcenſo ambone, illud iterum lingua vernacula proponere, & concionem ad Sorores habere debuiſſe; prout etiamnum hodie in parochialibus Eccleſiis moris eſt & conſuetudinis. Et quidem piiſſimi Religioſi utriusque ſexus, ab omni hominum conſortio ſegregati, quàm maximè indigebant Eccleſiaſticis publicis inſtructionibus, vernacula lingua prolatis, cùm plerique linguam latinam, aliáſque peregrinas loquelas ignoraverint. Ob quam etiam rationem legimus apud Surium 23. Julii, ſanctiſſimam Inſtitutricem procuraſſe, ut ſacra Biblia Idiomate Gothico prodirent ſuiſque Religioſis ad legendum traderentur, quod tamen ſine licentia Epiſcopi (in cujus Diœceſi eorum Monaſteria ſita erant) facere non potuerunt.

Aſt præter alia Monaſteria apud Gallos & Italos fundata, quorum pauca hodie ſuperſunt, erat in civitate Roma inſigne Hoſpitale pro natione Suecica erectum, ubi duo Patres hujus Ordinis ex Monaſterio Waſtenenſe miſſi, liberaliter ſuſcipiebant omnes Suecos, ſacra corpora Apoſtolorum viſitantes, pauperes & divites, illiſque auxilia humana & ſpiritualia exhibere debuerunt, prout ſalubres Conſtitutiones ab Abbatiſſa & Conventu præſcriptæ teſtantur, quas, immediate poſt ipſam Regulam, hic exhibemus, deſumptas quidem ex ſæpe laudata operum S. Birgittæ editione. Erat autem hoc Hoſpitale jam anno MCCCLXXXIII. B. Catharinæ primæ Waſtenenſis Cœnobii Abbatiſſæ donatum ab lectiſſima Matrona, Domina Franciſca, filia quondam Nardi Marci, & uxore quondam Petri Jacobi Papazurii de Papazuris, prout ex authentico inſtrumento deſuper confecto, ſimul ac ſolenni Bulla Eugenii IV. Papæ hic exhibendis clariſſimè conſtat. Hinc communiter cæpit appellari Domus, ſive Hoſpitale S. Birgittæ, pro cujus directione ſequentes Conſtitutiones condidit Soror INGEGD, Abbatiſſa ſecunda Monaſterii Waſtenenſis circa annum MCDXXXIII. Ac ſanè providè facta eſt talis pia fundatio, cùm non ſolùm florente Catholica Religione apud Suecos, iſtius Regni Incolæ Romam peregrinantes, honeſtum hoſpitium invenire potuerint, verùm etiam, extincta in illo Regno orthodoxa Fide, plures ob avitam Religionem exules, ſecurum ibidem reperiverint aſylum, ſic circa annum MDXXXVI. ſub Paulo III. ſummo Pontifice celeberrimus ille Suecorum Hiſtoricus Olaus Magnus, ultimus Upſalenſis Archiepiſcopus Catholicus, ob Catholicam Fidem à Patria exul, in hoc S. Birgittæ Hoſpitali per plures annos ſecurum aſylum invenit, atque inter alia monumenta doctiſſimus Scriptor in gratiarum actionem edidit Epitomen Revelationum S. Birgittæ. Verùm, extincto Waſtenæ Cœnobio, paucisque Suecis Romam accedentibus, utpote Hæreſi Lutherana obrutis, & hoc Hoſpitale ad incitas eſt redactum, donec ineunte hoc præſenti ſæculo, optimus ſummus Pontifex Clemens XI. ad Inſtantiam Magnanimi & Sereniſſimi Electoris Bavariæ Maximiliani Emmanuelis, illud reparare, & ſacro Ordini Birgittino reſtituere mandavit, cujus tamen ſtatus nobis modò ignoratur.

Ex quibus quidem omnibus perſpicuum eſt, ruinam hujus ſacri Ordinis ex graſſante apud Septentrionales populos hæreſi exortum fuiſſe, cujus incolæ tam ſanctimoniales, quàm Viri Religioſi opimis Cænobiis expulſi, & in Catholicas Regiones profugi, nunquam propriè dicta duplicia Monaſteria obtinere potuerunt, quatenus arctam diſciplinam in hac Regula præſcriptam obſervare valuerint, ob defectum ſufficientium redituum neceſſariorum ad ſuſtentandas octoginta quinque Perſonas Religioſas. In Belgio enim plurima ſunt, in quibus ſolummodo reperiantur ſex Viri Religioſi; in aliis verò totidem ſanctimoniales fœminæ. Et quamvis per Germaniam exiſtant circiter tredecim Cænobia, in quibus Virgines & Viri ſecundùm primævum Inſtitutum religioſiſſimè vivunt, attamen pauca requiſitum numerum ſuſtentare poſſunt. Eſt autem Dantiſci plenarium duplex Monaſterium, ſicuti & Genuæ duo ſumptuoſiſſima Cænobia, unum Virorum & Mulierum alterum, in quo ſolæ de prima nobilitate ſacræ Virgines habitare ſolent. Et quamvis ſacer hic Ordo tardè in Hiſpaniis penetraverit, attamen circa exordium elapſi ſæculi apud Valladolidum ad imitationem S. Birgittæ ſurrexerunt quædam ſacræ Virgines, quæ vivere voluerunt juxta Statuta cœlitùs eidem tradita, quibusdam quidem mutatis, ita ut ſolæ quaſi in Monaſterio ſimplici vivant ſub directione Patris ſpiritualis, extra clauſtrum degentis, quæ vocari amaverunt: Religioſæ Ordinis S. Birgittæ de Recollectione. Hujus novi Birgittini Ordinis Fundatrix exſtitit piiſſima Virgo Marina de Eſcobar, nobili loco nata, quæ ſub piiſſima directione Religioſiſſimi Viri Ludovici de Ponte Societatis JESU Presbyte-

byteri, Actiones ſuas ordinans, tandem pro ſacris Virginibus in eadem civitate eximium Cœnobium erexit, iisdémque pro vitæ Regula præſcripſit ſacras Conſtitutiones à mundi Salvatore olim S. Birgittæ *dictatas. Hujus ſacræ Virginis veſtigia ſequentes & aliæ, plura Cœnobia exorta ſunt, quæ tandem conficiunt* Congregationem Otdinis S. BIRGITTÆ de Recollectione.

Sunt etiam nonnulli Auctores, qui S. Birgittæ *adſcribunt cujusdam Ordinis Militaris Inſtitutionem, prout Hermantius & Schoonebeckius aſſerunt, ob quasdam Revelationes ipſi à Deo factas circa vitam & mores Ordinum Militarium. Verùm nullatenus ſupponere poſſumus, ſanctiſſimam Viduam voluiſſe ſe talibus rebus militaribus immiſcere, poſt beati Mariti mortem tota occupata in ædificando & ordinando Waſtenenſi Monaſterio, quod omnem ſubſtantiam ſibi relictam exhaurire debuit, præſertim nulli certo loco addicta, ſed perpetuis peregrinationibus ad loca ſacra viſitanda uſque ad mortem dedita. Interim ad exhibendam ipſam* Regulam pro Conſtitutionibus approbatam *properemus, quam ex MS. Codice in Archivo Principalis Monaſterii ad S. Emmeramum Ratisbonæ exſcripſimus, cujus quidem arcta diſciplina plures Sanctimoniales Fœminas, & Religioſos Viros, pietate & morum ſanctitate præclaros produxit. Nec magni refert, ex hoc ſacro Ordine prodiiſſe famoſum illum Hæreticum* Joannem Oecolampadium, *qui (fatente Luthero) miſerè periit, à dæmone ſuffocatus, anno 1551. apud Baſileenſes ab ipſo ſeductos ſepultus; cùm inter Apoſtolos Judas Proditor extiterit, & ex aliis ſacris Ordinibus plures orthodoxæ Fidei inimici prodierint.*

Incipit REGULA SANCTI SALVATORIS,

à Sede Apoſtolica pro Conſtitutionibus approbata, Anno Domini MCCCLXXIX. per URBANUM VI. tertia menſis Decembris.

CAPUT I.

De Humilitate, Caſtitate, & Paupertate.

PRincipium Religionis & ſalutis eſt vera humilitas, & pura caſtitas, atque voluntaria paupertas. Ideo nulli licitum ſit, habere aliquid proprium, nullam omnino tem, quamvis minimam, ſed nec obulum quidem poſſidere, vel attrectare manibus, nec auri quid habere vel argenti (niſi fortè pro intextura alicujus operis, auri vel argenti tactu opus ſit) & hoc etiam non abſque conſilio & licentia Abbatiſſæ. Omnia autem neceſſaria de Abbatiſſa ſpèranda ſunt, ſcilicet. Indumenta regularia, lectiſternia, & inſtrumenta operis; nec quidquid habeant, quod Regula non permittit.

CAPUT II.

De Lectiſterniis.

SCiendum eſt autem, quòd lectiſternia regularia debeant eſſe de ſtraminibus; ſuper illo verò habeant duo thoralia de burello, ſine linteaminibus, & culcitris, ſub capite verò habendus eſt cuſſinus tela coopertus, & cervical ſimiliter coopertum tela.

CAPUT III.

De Indumentis Sororum.

INdumenta Sotorum ſint duæ Camiſiæ de albo burello, una propter quotidianum uſum, alia propter lotionem. Una tunica de burello griſeo, & una cuculla, cujus manicæ non longiùs, quàm ad ſummitatem medii digiti protendantur, & dependentes ſinus circa manum, quando manualia ſervitia exercebunt, cum nodo inſtar aliarum manicarum, moderatè ad brachia conſtringantur. Unum etiam mantellum habendum eſt de burello griſeo, ſicut tunica & cuculla. Quod quidem mantellum non ſit deſoris corrugatum, nec accuratè compoſitum,

ſed ex parte ſtrictum & planum, totum habens utilitatis, & nihil vaoitatis. Quod etiam in æſtate debet eſſe ſimplex; in hyeme verò ſuſſuratum non pellibus delicatis, ſed agninis, vel ovinis; de pellibus etiam hujuſmodi pellicium in hyeme haberi poteſt. Ipſum quoque mantellum ab uno palmo terram non pertingat, & nodo ligneo in pectore colligetor. Ad calceamenta autem pedum in æſtate habeant ſotulares uſque ad talos, & pedules uſque ad genua; in hyeme verò ſotulares uſque ad genua altos ſuſſuratos burello, & pedules æquè altos. Ornamenta capitis erit vitta, qua frons & genæ circumdentur, & ex parte operiatur facies, cujus extremitates una acus in occipite conjungat, ſuper hanc ponatur velum de tela denigrata, quod ne defluat, tres acus adaptabunt, una circa frontem, & duæ circa ambas aures; deinde ſuper velum ponatur corona de tela alba, cui aſſuantur quinque particulæ de panno rubeo, quaſi quinque guttæ: Prima particula ſit in fronte, altera in occipite, tertia & quarta circa aures, quinta in medio capitis ad modum Crucis. Hanc coronam uoa acus in medio capitis ſtabiliet, & capiti coaptabit. Iſtam autem coronam tam Viduæ, quàm Virgines portabunt in ſignum continentiæ & caſtitatis.

CAPUT IV.

De Divinis Horis Sororum.

Sorores omni die ob reverentiam Virginis Mariæ cantabunt ſolemniter horas ipſius, cum tribus lectionibus, tam feſtis, quàm privatis diebus. Omni etiam die, ſigno facto ad Veſperas Sorores conveniant ad invicem, & primò dexter Chorus legat unum *Ave Maria*, & inclinans ſe alteri Choro, profundè dicat: *Indulgete nobis propter Deum, & piiſſimam Matrem ejus Mariam, ſi vos verbo vel facto, ſigno vel nutu offendimus; nos enim, ſi in nobis eſt aliquid, delictum contra nos libentiſſimè dimittimus.* Et altero Choro ſimiliter inclinante, & legente, veniámque petente, ſic accedant ad Veſperas. Ad finem verò omnium horarum cantabunt Antiphonam *Ave Maria*, cum Collecta ſub hac forma: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui pro nobis de caſtiſſima Virgine naſci dignatus es, fac nos, quæſumus, tibi caſto corpore ſervire, & humili mente placere. Oramus & te, piiſſima Virgo Maria, mundi Regina, & Angelorum, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, juſtis in bono perſeverantiam, nos quoque fragiles ab inſtantibus defende periculis, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Omnibus quoque diebus feſtivis & privatis Miſſa de Beata Virgine per Sorores cantetur, & omni Sabbato Sorores poſt Miſſam Beatæ Virginis cantabunt *Salve Regina.*

CAPUT V.

De Silentio.

AD conſervandam gravitatem ſilentii, à ſummo mane uſque poſt Miſſam cantatam de Beata Virgine, nulli loqui aliquid licitum ſit, niſi in caſu neceſſitatis, & de licentia Abbatiſſæ; finita autem illa Miſſa, In locis debitis inter horas, uſquequo legantur benedictiones menſæ, de collatione ſpirituali, & obſervantia Ordinis, & de quibuſcunque veris neceſſariis licentia loquendi conceditur; ſcurrilia verò & otioſa verba in omni loco, omnique tempore penitus caveantur. Deinde lectis gratiis in Eccleſia, inter ſe Sorores loqui poſſunt, donec Veſperas incipiant, & tunc etiam ſilentium, donec gratias poſt cœnam legant, eſt ſollicitè tenendum. Illo quoque modico intervallo, quod eſt inter gratias & collationem, loquendi licentia condonatur. Incepta verò collatione, omni ſtudio ſilentium teneatur, donec in die ſequenti uſque ad finem Miſſæ cantatæ de beata Virgine glorioſa. Et ad omnia ſilentia jam conſcripta Sorores ſingulariter aſtringantur, præter illas, quæ ad officia talia deputantur, quæ ſine loquela competenter non poſſunt exequi. Omnia enim rationabiliter debeot fieri, ut occaſio à pravis excludatur.

CAPUT VI.

Quòd nulli liceat ingredi Monaſterium.

REmota omni occaſione cujuſcunqoe neceſſitatis, ſive ſupplicationis, nullus ſæcularium Virorum ſeu Mulierum, nullus Religioſorum, vel aliorum Clericorum Clauſuram Monaſterii Monialium Ingrediatur, colloquium quoque omne, niſi certis temporibus, eis interdicitur.

CAPUT VII.

Quibus diebus & modis licet Monialibus loqui ad cratem cum perſonis ſæcularibus.

HIs autem temporibus Moniales cum ſæcularibus loqui poſſunt, ſemper ſint tamen aſſociatæ, & de licentia Abbatiſſæ loquantur, ſcilicet à Nona uſque ad Veſperas, & hoc tantùm Dominicis diebus,

diebus, & magnis feſtivitatibus Sanctorum, non tamen exeundo, ſed ad feneſtras deputatas ſedendo. Nulli enim poſt introitum ſuum licebit de Monaſterii clauſtris exire: ſi qua fortè à parentibus, vel aliis honeſtis & charis videri deſiderat, aperiri poteſt feneſtra de licentia Abbatiſſæ, & hoc aliquoties in anno; ſi autem non aperit feneſtram, eò copioſior merces ei repromittitur in futuro.

Caput VIII.

De Jejuniis.

IN Adventu Domini omnes in cibis quadrageſimalibus jejunabunt uſque ad diem Nativitatis Domini, & feria quoque ſexta proxima ante Dominicam Quinquageſimæ jejunare incipiant uſque ad Paſcha in cibis quadrageſimalibus. Feria verò ſexta proxima poſt Aſcenſionem Domini uſque ad feſtum Pentecoſtes jejunabunt in piſcibus & lacticiniis. A feſto autem Exaltationis ſanctæ Crucis uſque ad feſtum ſancti Michaëlis jejunabunt in piſcibus & lacticiniis. A feſto etiam Omnium Sanctorum uſque ad Adventum jejunabunt in piſcibus & lacticiniis. His autem diebus infraſcriptis debent jejunare in pane & aqua, ſcilicet ante quatuor ſolemnitates beatæ Mariæ Virginis, *Purgationis*, *Annunciationis*, *Aſſumptionis*, & *Nativitatis*. In Vigiliis omnium Apoſtolorum, hoc excepto, quòd ubicunque duo Apoſtoli in una ſolemnitate combinantur, ut puta *Petri & Pauli*, *Philippi & Jacobi*, *Simonis & Judæ*, jejunium unius diei ſtabit pro ambobus, *Joannis ante Portam Latinam*, *Joannis Baptiſtæ*, *beati Michaëlis Archangeli*, *Omnium Sanctorum*, *Paraſceves ante ſolemnitatem Corporis Chriſti*, & *in Vigilia ſancti Auguſtini*, *cujus Regulam profitemur*, his diebus omnes in pane & aqua jejunabunt. Et eſt ſciendum, quòd in omnibus jejuniis excipiendæ ſunt ægrotæ & antiquæ, ſic & taliter, quòd in jejuniis Eccleſiæ forma Eccleſiæ ſervetur. In jejuniis verò iſtarum Conſtitutionum excipere & diſpenſare poteſt Abbatiſſa ſecundùm ſuam diſcretionem; illis quoque compatiendum eſt, quæ intelliguntur ad peragenda officia ſua verè debiles exiſtere, dum jejunant. Cæteris autem temporibus totius anni in omni hebdomada quater veſcantur carnibus, ſcilicet die Dominica, die Lunæ, die Martis, die Jovis; in cœnis autem horum dierum piſcibus veſcantur & lacticiniis. Die verò Mercurii abſtinebunt à carnibus tam in prandio, quàm in cœna; licebit tamen eo die veſci piſcibus & lacticiniis. In ſextis feriis totius anni jejunabunt in cibis quadrageſimalibus, Sabbatis quoque in piſcibus & lacticiniis. Præterea omnibus aliis diebus jejunalibus ſecundùm ſtatuta Eccleſiæ jejunabunt.

Caput IX.

De Modo Receptionis Monialium & Fratrum.

SI qua ad Religionem ſuſcipi rogavit, nunquam ante unum annum integrum recipiatur, ſed dicatur ei primò: *Revertere ad nos poſt tres menſes, & interim deliberabimus de te.* Cùmque ſtatuto tempore redierit, requirat ab ea Abbatiſſa, quo deſiderio petat Religionem, quibúsve vinculis teneatur in mundo, & auditis cauſis ejus & propoſito, dicatur ei: *Filia! quandoque ſub ſpecie boni latet falſitatis laqueus, & inconſideratio futurorum multos ſupplantat; revertere ergo ad nos poſt aliquos menſes, & oſtende nobis deſiderium tuum, ſi perſeverat in bono.* Revertente ergo illa, & humiliante ſe, ſicut priùs, prædicentur ei dura & aſpera Ordinis, contemptus mundi, & oblivio Parentum: quæ omnia ſi ſe ſervaturam promiſerit, tunc circa finem anni omnis Congregatio conſentiat in eam. Quæ ſi talis perſona fuerit, quòd de ejus vita non eſt dubium in ipſo principio petitionis ejus, omnes conſentire poſſunt in eam, ſed ante annum ad introitum & profeſſionem, vel habitus receptionem nullatenus admittatur. Et tunc in fine anni quando recipitur, utraque pars renunciet anno probationis, qui conſuevit fieri in aliis Religionibus infra Monaſterium. Adepto itaque conſenſu ingreſſionis, mittatur pro Epiſcopo Diœceſano, qui vocatus veniens conſecrabit eam; ſed antequam præſentetur Epiſcopo conſecranda, tondeatur capillis ab Abbatiſſa ſecundùm morem Monialium. Veniens autem Epiſcopus, vel alius Epiſcopus de licentia, vel alterius, qui juriſdictionem ordinariam tunc habet in ea Diœceſi, deſcendat ad januam Eccleſiæ, & eam, quæ Religionem ingreſſura eſt, exſpectantem Epiſcopus ante fores interroget, dicens: *Es tu libera, & ab omni vinculo Eccleſiæ immunis, ſcilicet conjugii, voti, & excommunicationis?* Quæ ſi reſponderit: *Verè libera ſum*, ſubjungat Epiſcopus: *Nunquid pudor, aut fortè dolor mundanæ adverſitatis compellit te ad Religionem? aut forſitan copia debitorum tuorum non ſolutorum coarctat te?* Reſpondente illa: *Nequaquam dolor aut pudor aliquis incitat me ad iſta, ſed fervens amor Chriſti, & omnia debita mea juxta facultatem meam jam ſolvi.* Tunc adhuc addat Epiſcopus: *Petis* (inquit) *ingreſſum hujus Religionis in Nomine*

JEſu Chriſti, & in honorem ſanctiſſimæ Matris ejus Mariæ Virginis? Dicente illa: *Peto*, inducat eam tunc Epiſcopus in Eccleſiam, dicens: *Ecce nunc illa dignè ingreditur hanc Religionem*; & cùm ingreditur Eccleſiam, feratur ante illam vexillum rubrum, quo imago Corporis Chriſti paſſi depicta ſit ex parte una, & imago beatæ Virginis Mariæ ex parte altera, ut aſpiciens nova Sponſa ſignum novi Sponſi in cruce paſſi, diſcat patientiam & paupertatem, & aſpiciens Virginem Matrem, diſcat caſtitatem & humilitatem. Introducta igitur illa in Eccleſiam, ſtatuatur circa fores Eccleſiæ, & Epiſcopus in aliam partem modicùm ab ea ſecedens, conſecrabit annulum ejus. Accenſis igitur duabus faculis, quæ ante vexillum ad eam accenſæ portabuntur, & ardebunt, quamdiu Miſſa celebratur, dicat Epiſcopus orationem.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui deſponſaſti tibi Sponſam novam in miſericordia, & miſerationibus, bene † dic annulum iſtum, ut ſicut exteriùs famula tua ſignum novæ Sponſa portat in manibus, ſic interiùs fidem & charitatem tuam portare mereatur. In Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †. Deinde benedicto annulo Epiſcopus appropinquans ad famulam Dei, dicat: *Tu debes promittere DEO, & mihi etiam ex parte ejus, te obedire Prælatis tuis, & ſecundùm Regulam ſancti Auguſtini, & Conſtitutiones iſtas beatæ Birgittæ vivere uſque ad finem vitæ tuæ.* Et tunc Monialis, vel Frater recipiendus reſpondeat ſic: *Ego Soror, vel Frater N. facio Profeſſionem, & promitto obedientiam DEO omnipotenti, & beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Auguſtino, beatæ Birgittæ, & tibi Epiſcopo ex parte eorum, & Abbatiſſæ, vel Generali Confeſſori, & Succeſſoribus tuis vivere ſine proprio, & in caſtitate ſecundùm Regulam ſancti Auguſtini, & Conſtitutiones ſanctæ Birgittæ uſque ad mortem.* Ac tunc ſubjungat Epiſcopus: *Tali intentione oportet te dare fidem Deo tuo, & vovere, ut nihil omnino ſicut Deum tuum diligas, & toto deſiderio convenit tibi aſſentire in ipſum.* Tunc illa reſpondeat: *Aſſentio in Deum meum toto corde, & tota mente, offerens me illi in omni ſimplicitate cordis.* Tum ſic iterum reſpondeat Epiſcopus: *Et ego ex parte omnipotentis DEI, & Unigeniti Filii ejus Domini noſtri JEſu Chriſti aſſentio in te.* Et legat iſtam orationem: *DEUS omnipotens, JESUS Chriſtus verus DEUS, & verus homo, qui in uterum Virginis deſcendere dignatus es, firmetur in anima tua, & tu in ipſo. In Nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †.* Deinde imponat annulum digito dexteræ manus ejus, dicens: *Benedico te in Sponſam Dei; & in perpetuam ejus poſſeſſionem. In Nomine Patris* &c. Poſt hæc Epiſcopus accedens ad Altare, incipiat Miſſam, cantando de ſanctiſſima Trinitate, & famula Dei interim ſtabit inferiùs juxta Sanctuarium, cùm autem incipit Offertorium, ipſa procedens ad Altare offerat, & ſtatim redeat ad locum ſuum; dicto verò Offertorio, veſtimenta ejus, quæ Regula jubet habere præparata à Conventu, portentur ad Altare ante Epiſcopum, quæ Ipſe benedicit, legens iſtam orationem: *Domine JESU Chriſte, qui non vis mortem peccatorum, ſed deſideras pœnitentiam; quæſumus Clementiam tuam, ut hæc veſtimenta, quæ in ſignum humilitatis & pœnitentiæ hæc famula tua ferre proponit, tu benedicere digneris, ut vanitate hujus ſæculi relicta, te per veram humilitatem induere mereatur. In Nomine Patris* &c. Veſtimentis ergo ſanctificatis, unus Clericorum vocabit famulam Dei ad Altare ante Epiſcopum, quæ nudis pedibus incedens, & exterioribus veſtimentis ante Altare ſe exuens, in una tunica remaneat, conſecratum habitum ſuſceptura. Induatur deinde per Epiſcopum tunica regulari, dicente Epiſcopo: *DEUS omnipotens det tibi veram pœnitentiam in tua conſcientia, & perfectam contritionem in corde. In Nomine Patris* &c. Deinde ipſa muniat pedes ſuos ſotularibus, dicente Epiſcopo: *Dominus noſter JESUS Chriſtus faciat rectum greſſum pedibus tuis, & det tibi, ſicut nunc, procedere in viam ſalutis, ut nunquam ampliùs conſentias peccato, donécque tibi de peccatis commiſſis emendationem veram, & de futuris cautelam. In Nomine Patris* &c. Cùm autem induitur cucullâ, dicat Epiſcopus: *Dominus JEſus Chriſtus, ſpes omnium Chriſtianorum, det tibi ſpem & fiduciam in animo tuo, ut ſic ſperes de Dei miſericordia, ut non obliviſcaris ejus juſtitiam; & ſic timeas ejus ſeveritatem, quòd non obliviſcaris ejus pietatem & bonitatem. In Nomine Patris* &c. Deinde adaptato mantello dicat Epiſcopus: *Dominus Deus omnipotens, principium veræ fidei, corroboret & confirmet animam tuam, & det tibi, quæ credenda ſunt, credere, & uſque ad finem vitæ in bono perſiſtere incepto. In Nomine Patris* &c. Deinde conjungatur mantellum cum nodo ligneo, dicente Epiſcopo: *Dominus noſter JEſus Chriſtus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ligno Crucis affixus eſt, & amariſſima morte damnatus, ipſe animam tuam configat, & tranſverberet memoria Paſſionis ſuæ, ut charitas tua ad ſolum Deum ferveat, & ignis charitatis divinæ amplexans te, tribuat tibi requiem in ſuo benedicto brachio, in quo omnes Sancti requieſcunt. In Nomine Patris* &c. Poſtea ipſa velabit caput ſuum vitta Epiſcopo imponente acum, & dicente: *Do-*

minus

minus noſter JEſus Chriſtus ſit anima tua in umbraculum & refrigerium, ut nulla ei nociva nocere valeant. In Nomine Patris &c. Imponente autem velo, dicit Epiſcopus: *Dominus JEſus Chriſtus det intellectui tuo ſpirituale lumen, & ſapientiam, ut terrena omnia, & quæ animæ tuæ ſunt nociva, ante oculos tuos ſint mortua; & via, quæ ducit ad cæleſtia, illuminet animam tuam, quatenus eum, qui te elegit, cognoſcere poſſis. In Nomine Patris* &c. His autem finitis, revertatur famula Dei ad locum, ubi ſtabat priùs, & Epiſcopus ſequatur Miſſam ſuam, qui cùm venerit ad partem eam Miſſæ, in qua Sacerdos in ſponſali Miſſa ſolet ſe convertere, & benedicere Sponſum & Sponſam, convertet & ipſe ſe Epiſcopus, & uno Clerico vocante famulam Dei ad Altare, imponit ei coronam ſuper velum, dicens: *Dominus noſter JEſus Chriſtus ſtabiliat ſignum ſuum in te, quod capiti tuo impono, & dirigat voluntatem tuam in omnibus, quæ nunc voviſti, ut firma ſis & conſtans, & faciat te coronari corona lætitiæ juxta benignam voluntatem ſuam, ut ei, qui in tribus Perſonis eſt unus Deus, uniat inſeparabiliter animam tuam. In Nomine Patris* &c. Deinde Epiſcopus mittat acum in corona, dicens: *JEſus Chriſtus configat dilectione ſua cor tuum, & animam tuam, ut nullius tentationis ſtimulos expaveſcat. In Nomine Patris* &c. His finitis, revertatur famula Dei ad locum ſuum priorem uſque ad finem Miſſæ; qua finita, unus Clericorum vocet eam ad Altare, dicens: *Procede Sponſa Chriſti ad Altare Chriſti*, ipſa igitur procedens humiliet ſe ad veniam ſuper faciem ſuam, & Epiſcopus flexis genibus cum Clericis ſuis legat Litanias, orando omnes Sanctos pro famula Dei; finitis autem Litaniis, Epiſcopus ſurgens ad famulam Dei accedat, & legat ſuper eam abſolutionem peccatorum. Et ſic abſolutione percepta, illa ſurgens ſumat Corpus Chriſti. Quo ſumpto, quatuor Sorores aperta janua, quam famula Dei intratura eſt, exeant celeriùs, & feretrum, quod terra ſuperjecta ante januam, ut ante inchoationem Miſſæ ſtatuendum eſt, inſerant in Monaſterium. Deinde Epiſcopus accedens ad eandem januam ſubſequente famula Dei cum duabus faculis, & Clericis hymnum: *Veni Creator Spiritus* decantantibus, aſſignabit eam Abbatiſſæ exſpectanti ad januam cum Conventu dicente Epiſcopo Abbatiſſæ hæc verba: *Ecce! coram DEO, & omnibus Sanctis & facie Eccleſiæ ſanctæ commendo animam illius Sponſæ Dei in manus cuſtodiæ tuæ, quæ ſi per negligentiam tuam lapſa fuerit, Sponſus ſuus JEſus Chriſtus requiret eam à te; conſerva igitur, & cuſtodi depoſitum Dei, ut, cùm ratiocinatio quæritur, eam ſanctiorem reddas, quam ſanctam ſuſcepiſti.* Cui reſpondet Abbatiſſa: *Grandis theſaurus iſte eſt, Pater chariſſime! & labor difficilis, nec ad iſta vires meæ ſuppetunt; veruntamen precibus tuis adjuta, & de adjutorio Dei confidens, faciam, quod jubes.* Et ſic famula Dei protinus introducta, claudatur janua, & ipſa ſtatim ducatur ad Capitulum, & deinde per octo dies nulla arctabitur diſciplina, ſed inferiùs ſtabit in Choro. Completis autem diebus octo, aſtringatur, ſicut cæteræ, ad obſervantiam Ordinis, & juxta ultimam in Choro, & in menſa ſtatuatur.

Caput X.

De Numero Sororum, Sacerdotum, Diaconorum, & Laicorum.

SOrores erunt ſexaginta, & non plures, quæ Clericos habebunt, qui quotidie de tempore Miſſam, & officium (quod habetur in Eccleſiis Cathedralibus illarum terrarum, in quibus hujuſmodi Monaſteria ſunt) decantabunt. Ipſi quidem à Monaſterio Sororum omnino ſint ſeparati, unam habentes pro ſe curiam, in qua habitabunt, & de curia introitum ad Eccleſiam, & Chorum inferiorem habebunt. Chorus verò Sororum erit ſuperiùs ſub tecto, ita tamen, quòd Sacramenta videre, & Officium audire valeant. Ipſi ſiquidem Sacerdotes debent eſſe tredecim, juxta numerum tredecim Apoſtolorum, quorum Paulus tertius decimus non minimum laborem ſuſtinuit. Deinde quatuor Diaconi, qui etiam Sacerdotes eſſe poſſunt, ſi volunt, & ipſi figuram habent quatuor præcipuorum Doctorum, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, & Hieronymi. Deinde octo Laici, qui laboribus ſuis Clericis neceſſaria miniſtrabunt. Computatis igitur ſexaginta Sororibus, tredecim Sacerdotibus, quatuor Diaconis, & octo eorum Servitoribus, tantus omnium perſonarum erit numerus, quantus erat tredecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum.

Caput XI.

De Habitu omnium Fratrum.

SAcerdotes omnes & Fratres duo ſubtunicalia alba de burello, & unam tunicam de griſeo burello habere poſſunt, & cucullam de burello griſeo, cui aſſutum ſit caputium, & ſuper cucullam mantellum de griſeo burello. Pellicium quoque & foratura ſub mantello de pellibus agninis, vel ovinis, dum neceſſe fuerit, habeantur. Ipſi ſiquidem Sacerdotes tredecim ob reverentiam Paſſionis

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti portabunt in mantellis ſuis ad ſiniſtram partem Crucem rubeam de panno aſſutam, & in medio Crucis modicum rotundum albi panni propter Myſterium Corporis Chriſti, quod quotidie immolant. Diaconi autem quatuor portabunt in mantellis ſuis circulum album propter incomprehenſibilem ſapientiam quatuor Doctorum, quorum figuram gerunt. In quo circulo quatuor particulæ rubeæ factæ in modum linguarum aſſuantur, quia Spiritus ſanctus inflammabit eos de excellentia Deitatis, de Myſterio Incarnationis Chriſti, de vanitate & contemptu mundi, de præmiis Juſtorum, & pœnis malorum. Fratres autem Laici in mantellis ſuis crucem albam portabunt propter innocentiam, in qua cruce ſint quaſi quinque particulæ rubeæ, ob reverentiam quinque Vulnerum Chriſti. Sacerdotes verò & Fratres calceos habeant uſque ad talos, & caligas in æſtate; in hyeme autem ſotulares ſuffuratos burello, & caligas. Et ſciendum, quòd iſti Fratres nunquam debent eſſe plures in Monaſterio, quàm viginti quinque, qui eodem modo, & eisdem locis & benedictionibus per Epiſcopum recipiendi ſunt, & conſecrandi, quibus Sorores; excepto, quòd pro annulo recipiat Epiſcopus manus Fratrum cum benedictione, qua imponitur Sororibus annulus. Et pro velo imponat Epiſcopus manus ſuas ſuper capita eorum iisdem verbis, quibus imponitur Sororibus velum. Pro corona verò fiat Crux cum benedictione, qua imponitur corona. Tonſuram etiam habeant Fratres, ſicut in aliis Monaſteriis. Poſt Miſſam autem locabit eos Epiſcopus in curia Fratrum, de qua nunquam egredientur, niſi in Eccleſia, præterquam in gravi, & inevitabili caſu mittantur.

Caput XII.

De Electione Abbatiſſæ, & Confeſſoris Generalis.

Abbatiſſa eligatur à Conventu, legitimè verò electa ab Epiſcopo confirmetur, quæ ob reverentiam beatiſſimæ Virginis, cui hic Ordo dedicatus eſt, Caput & Domina eſſe debet, quia ipſa Virgo, cujus Abbatiſſa gerit vicem in terris, aſcendente Chriſto in cælos, Caput & Regina extitit Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti. Abbatiſſa etiam unum de tredecim Sacerdotibus, in quem ipſa unà cum omni Congregatione Sororum & Fratrum conſentit, in Confeſſorem omnium eligat. Ipſum quoque Epiſcopus Confeſſorem Generalem Monaſterii conſtituat, & confirmet. Cui auctoritate ligandi atque ſolvendi, corrigendi & reformandi plenariè ab Epiſcopo conceſſa, omnes Sacerdotes & Fratres, ſicut Sorores, Abbatiſſæ in omnibus obediant, contra præceptum ejus nihil omnino, vel ne quidem minimum facientes. Qui tamen Generalis Confeſſor, præter judicia Fratrum, & converſationem Ordinis, abſque conſilio Abbatiſſæ nihil omnino faciat, quæ, quia Caput Monaſterii eſt, de negotiis & bonis Monaſterii ordinandis eſt conſulenda.

Caput XIII.

De Officio Prædicationis, & Confeſſionum Sacerdotum.

Sacerdotes verò iſti tredecim tantummodo divino officio, ſtudio quoque & orationi vacare debent, nullisque aliis ſe implicare negotiis vel officiis. Qui quidem omni die Dominica, Evangelium illius diei, in ipſa Miſſa, omnibus audientibus, in materna lingua exponere teneantur, cunctisque ſolennitatibus, quarum Vigiliæ ſeu Pro-Feſta jejunantur in pane & aqua, atque aliis quibuſcunque feſtis vigiliam habentibus debent publicè prædicare. Confeſſori etiam Generali ad minus ter in anno omnium Sororum, Sacerdotum, & Fratrum conſcientiæ per confeſſionem pateſiant; & quia omnium conſcientiæ pluries in anno per confeſſionem ſunt purgandæ, licitum ſit ipſi Generali Confeſſori de duodecim Sacerdotibus, quotquot voluerit, eligere, ad confeſſiones audiendas, qui omni die ad ſatisfaciendum de hoc Sacramento unicuique confiteri volenti ſint parati.

Caput XIV.

Quibus diebus Moniales communicare debent.

Omnibus diebus feſtivis, quorum Vigiliæ vel Pro-Feſta in Monaſterio jejunantur in pane & aqua, in Cœna Domini, & in die Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & in Nativitate Domini, omnes communicabunt. Aliæ autem Moniales, quibus Deus majorem devotionem inſpiravit, ſi ferventi deſiderio petunt, cum conſilio Confeſſoris ſui, omni Sabbato poſſunt communicare.

Caput XV.

De Capitulo tenendo, & de pœna imponenda habenti proprium.

Omni quinta feria teneatur Capitulum, ubi, ſi quæ deliquerit in alliquo,

quo, corrigatur. Soror autem quæ in infirmitate deprehenditur, aut confitetur aliquod habere proprium, abſolvatur quidem à Coofeſſore, ſed pœnitentiam ſuſtineat & compleat, recepta ſanitate. Illa verò, quæ ſana eſt, & deprehenditur habere quid proprium, nec ſe ipſum prodiderit, & à tribus fuerit convicta, ſedebit in pavimento, habitura primo die Capituli, ſcilicet feria quinta præbendam, ſicut aliæ Sorores, & feria ſexta ſit in paoe & aqua. Iſtis autem duobus diebus non ingrediatur Eccleſiam, & horis, quibus celebratur opus DEI, in ambitu manens, & nulli Sororum aliquid loquens, omnium exeuntium de Eccleſia veſtigiis ſe provolvat: Veſperis autem dictis in ſexta feria, exeunte Cooventu in ordine ſub Abbatiſſa ſequens Conventum, cùm ad illam Monialem jacentem in pavimento venetit, erigat eam, & dara manu ducat ad Altare in Choro Sororum, ſequente Conventu, & orante pro ea. Ubi abſolutione percepta à Sacerdote extra crateres exiſteote, revertatur ad ordinem ſuum. Si autem aliqua moritur, habeos quid proprium, & confeſſa non fuerit, loto corpore ejus, & poſito in ſeretro, portetur ante ſores Eccleſiæ, & dicat Abbatiſſa, præſente & audiente Cooventu: *Hæc per proprietatem (fallente diabolo) graviter contra DEUM & Ordinem peccavit, Oremus igitur pro ea, ut remittat ei DEUS peccatum hoc, qui miſericors eſt.* Et dicto ab omnibus *Ave Maria*, abſolvatur à Confeſſore. Deinde corpus ejus ſtatuarur in medio Chori Sororum, & circa finem Miſſæ portetur à Sororibus ad januam Eccleſiæ. Qua aperta, Fratres ingredientes deſerant corpus, & debito more ſepeliatur.

Caput XVI.

Quòd non recipiant Moniales jocalia, vel aliqua dona.

SI aliqua dona ſeu jocalia à Parentibus vel amicis alicui fuerint tranſmiſſa, nequaquam ſuſcipiantur propter votum & Profeſſionem ſanctam, ſed nec ipſa Abbatiſſa licentiam habendi aliquid proprium alicui concedat, licèt à Parentibus ejus, cujuſcunque dignitatis exiſtant, ſuper hoc ſollicitata fuerit. Quia ſicut à ſcintilla generatur ignis, ſic à proprietate damnatio, quæ laudabilem in Monaſterio reſcindit unitatem, & communem corrumpit æquitatem. Caveat ergo ſollicitè ipſa Abbatiſſa, oe quaſi libera utens poteſtate, hoc delectetur peccato, aut notabilis in habitu præcæteris appareat, quia quantò prælata cæteris, tantò ſollicitiùs debet præcepta Regulæ obſervare.

Caput XVII.

De Conſtructione Monaſterii & dotatione, & qualiter omni anno computatis expenſis Monaſterii omnia ſuperflua pauperibus largiantur.

COnſtruenda quippe primò eſt Eccleſia, & Monaſterium Sororum, atque curia Sacerdotum io ſuis locis, ut dictum eſt ſuperiùs. Et poſtea introducendus eſt ibi Conventus. Et ſi Fundatores fortè in brevi perplenè totum Monaſterium & curiam perficere in ædificiis nequiverint, tunc omnino cavendum eſt, ne unquam ibi inſtituatur Conventus, antequam in tantum fabricatæ ſuerint ibi tantæ domus, & æidiſicia, quòd ſine perturbatione & metu poſſint Moniales & Fratres intùs habitare ſecurè. Sed nec patıciores ibi Sorores antea ſunt introducendæ, quàm ut ſufficientes ſint ad officium ſuum decantandum. Nec pauciores Sacerdotes, quàm quod ipſi etiam decantandum omol die Officium de tempore ſint valentes. Tunc autem liberè in Monaſterio collocentur. Et poſtea tot aliæ perſonæ, quo numerus perſonarum Fratrum & Sororum compleatur. Deinde poſtquam Monaſterium conſtructum & dotatum fuerit per Fundatores vel Fundatrices, ad ſuſtentationem prædicti numeri dictarum perſonarum, taliter, ut tam in anno ſertili, quam ſterili habeant proventus & redditus ſufficientes, & etiam ad ſupportationem onerum præfatorum, nequaquam poſtea ab aliis intrantibus ipſum Monaſterium vel ab aliis perſonis prædia vel redditus eidem Monaſterio tribuantur. Nam cùm aliqua perſona ſuerit in ipſo Monaſterio mortua, recipiatur alia loco ejus ſecundùm ordinem ſupradictum; ſed veſtimeota perſonæ mortuæ unà cum præbenda ejus in cibo & potu, omni die, quouſque alia lo locum ſuum iotraverit, pauperibus erogentur. Aote ſeſtum omnium Sanctorum annuatim computari & præſciri debent victualia & neceſſaria anni ſequentis; & omnia, quæ tunc remanent de victualibus, ſeu pecunia anni tunc inſtantis, in craſtioo omnium Sanctorum, hoc eſt, in die Commemorationis animarùm, pauperibus indigentibus largiantur. Et propter hoc non oportet, Monaſterium aliqua hoſpitalitate gravari. Sciendum eſt etiam, quòd ſi aliqua victualia ſequentis anni videntur non ſufficere, tuoc de pecunia & victualibus imminentis anni, tan-

tum ſequenti anno addatur, quantum neceſſe eſt, & non plus, ſi Abbatiſſa animæ ſuæ periculum voluerit evitare. Et poſtea quidquid remanſerit, egenis tribuatur. Quotieſcunque verò nova veſtimenta aſſumuntur, vetera pauperibus erogentur. Sciat etiam Abbatiſſa, quòd ſi plures domos fabricare fecerit, quàm inhabitantium Monaſterium vera neceſſitas exigit, ſive etiam domos ſuperbas exſtrui fecerit, tam grave hoc tibi computabitur peccatum, ſicut ſi à pauperibus Chriſti victum & veſtimenta per violentiam exſpoliaſſet. Deinde cùm offert aliquis filium ſuum, vel filiam in Monaſterium, aliquid (ſi ſibi placet,) offerat Monaſterio pro Eleemoſyna, ſed non redditus aut prædia, poſtquam Monaſterium jam ſufficienter fuerit dotatum de prædiis tempore dotationis Monaſterii prius datis: ſed ne vacuæ appareant in conſpectu Dei ſui, decens eſt, ut offeratur aliquid; oblatio autem illa non ſit coacta, nec à Conventu præfixa, aut pactionata, ſed ſit in voluntate & beneplacito offerentis, ut, quantum poterit aut voluerit dare, cum gratiarum actione recipiatur. Perſonæ verò, quæ ex toto ſunt pauperes, etiamſi nihil offerant, gratis recipiantur. Porrò quæcunque ſic oblata fuerint, nullatenus in utilitatem Monaſterii convertantus, ſed pauperibus & Eccleſiis indigentibus erogentur, niſi fortè Monaſterium legitime & inevitabili neceſſitate coarctetur. Præterea à quocunque aliqua conventui oblata fuerint præter oblationem perſonarum Religionem intrantium, quæ vacuæ non debent ingredi, nullatenus recipiantur. Si verò Conventus legitima & intolerabili neceſſitate gravatus oblata recipere compellitur, tunc attendatur providè, & curioſè inquiratur, ſi forſitan illa oblata ſint de malè acquiſitis, & habita deliberatione ſuper hoc, dicat Abbatiſſa offerenti: *Præceptum nobis eſt, nihil debere recipere, niſi de certis & bene acquiſitis, rogo te, revertere tali die, & examinata ſollicitè oblatione tua, offer eam DEO tuo coram teſtibus.* Quo reverſo cum teſtimonio, recipiatur oblatio ejus, & Conventus orabit pro eo, & inter Benefactores reputetur. Si autem dubium eſt, utrùm illa oblatio ſit bene acquiſita, an malè, aliis ſentientibus ſic, aliis verò ſic, nullatenus ſuſcipiatur, quacunque neceſſitate cogente, tamen voluntate ejus indicata Conventui, orabunt omnes pro eo propter charitatem. Qui verò ex ferventi deſiderio offerunt aliqua Conventui, nec tamen Conventus eis indiget, dicatur eis à Conventu: Nos quidem libenter ſuſcipimus dona tua, & te in charitatem noſtram colligimus; verùm quia iſtis tuis oblatis non indigemus, ſuademus tibi, & humiliter ſupplicamus, ut oblata iſta ex parte noſtra, & ſub nomine noſtro tribus, pauperibus aut Eccleſiis, quibus tibi dicemus. Et ſi hoc promiſerit, & fecerit, petitio ejus exaudiatur, ſecundùm quod particeps ſit orationum Conventus.

Caput XVIII.

De Numero Altarium & Ornamentorum Eccleſiæ.

Sciendum eſt etiam, quòd tredecim debent eſſe Altaria, & quodlibet Altare uno contentabitur calice, ſummum verò Altare duos Calices habeat cum duobus paribus ampullarum, & duobus paribus Candelabrorum, unam quoque crucem, & tria thuribula, quorum unum habendum eſt pro ſingulis diebus ferialibus, duo verò in feſtivitatibus, & unam pixidem pro Corpore Chriſti. Inſuper omnino caveatur, ne plura de argento, vel de auro in poſſeſſione habeat Monaſterium, quoniam nec aurum, nec argentum, ſeu gemmas, ſed gratias divinas continuis ſtudiis, & devotis Orationibus, & divinis Laudibus ſibi coacervabunt pro theſauro. Licebit etiam Reliquias Sanctorum auro vel argento, ſeu gemmis ſecundùm ipſarum menſuram ſine omni ſuperfluitate operiri. Libri quoque, quotquot fuerint neceſſarii ad Divinum Officium peragendum, habendi ſunt; plures autem nullatenus. Illos verò libros, quotquot voluerint, habeant, in quibus addiſcendum eſt, vel ſtudendum. Præterea unumquodque Altare duobus ornamentis, & duobus paramentis propter dies feſtivos & feriales contentetur. Plura quoque nunquam in poſſeſſione propria Monaſterii habeantur, inſimiliter de omnibus rebus ſuprascriptis.

Caput XIX.

De Ætate intrantium iſtam Religionem.

Nulla Sororum ante decimum octavum annum ætatis unquam ad iſtam Religionem ſuſcipiatur, nec ante conſecrationem Monaſterium ingrediatur, etiamſi omnes in eam conſenſerint ante annum. Sed nec aliquis Clericorum ſeu Fratrum ante vicesimum quintum annum ætatis profiteatur in iſta Religione.

CA-

Caput XX.

Quòd Sorores non ſint otioſæ, ſed laborent tempore debito.

MAter DEI omne tempus ſuum tribus diſtinxit temporibus: unum, quo laudarit Deum ore ſuo; aliud, quo manibus ſuis ei ſerviebat; tertium, quo corporis infirmitati compatiens, neceſſaria tribuebat ei juxta modum. Sic Sorores omnl tempore, quo Divinis non interſint, vel lectioni, & ſi tale tempus fuerit, quo licitè laborare poſſint, tunc etiam manibus ſuis laborent, ut ſicuti DEO ſerviunt ore, ſic ſerviunt religuis membris. Et iſte labor non ſit ad aliquam mundi Vanitatem, non ad aliquod lucrum proprium, ſed ſicut labor Matris Chriſti pto honore DEI & Eccleſiarum, pauperumque utilitate. Omnia tamen opera ſua faciant cum licentia Abbatiſſæ. Nunquid ipſe Chriſtus Dominus omnium ſuit in mundo ſine labore? nunquid non laboravit eundo, docendo, patiendo? Nunquid Apoſtoli fuerint ſine labore, quibus omnia bene potuiſſet Deus ſufficienter dediſſe? tamen ipſi omnibus membris ſuis ſervierunt DEO ſuo, ut per laborem corporalam aptiores eſſent ad laborem ſpiritualem.

Caput XXI.

De Menſura Ciborum taxanda.

SAncti DEI non ideo affligebant corpus ſuum, quia odiebant illud, ſed ut idem temperarent ad ſervitium DEI ſui, ad quod ſactum erat. Nec ideo affligebant, quòd ctederent ſe ex ejus afflictione dignos eſſe abſque DEI miſeticordia ad regnum ipſius, quia ſi homo etiam centies occideret corpus ſuum, non tamen meritis ſuis eſſet dignus habere regnum DEI, ſi cum juſtitia procederet DEUS contra ipſum. Ideo hoc DEO charum eſt & acceptabile, ut homo ſic indulgeat corpori ſuo, tanquam jumento infirmo, prout ſtare poteſt in ſervitio DEI. Non ut luxurietur, vel delciis diſſolvatur, ſed neceſſitati cum diſcretione ſatisſaciat, & quemadmodum natura infirma petit. Sed quia difficulter omnes ſervant modũ, ideo ut occaſionem majorem boni habeant, menſura omnibus conſtituatur æqualis, nobili, pauperi & diviti, cujus menſuræ quantitatem noverit ille ordinare, qui in ſe infirmitates per patientiam maturam in vita ſpirituali jam didicerat. Quia menſura probatione addiſcitur, & patientia, & diſcretione conſummatur.

Caput XXII.

De Loco, ubi confiteri, communicare, & loqui debent Moniales, & de Rota Monaſterii, per quam accipienda & mittenda ſunt neceſſaria.

SOrores confeſſiones ſuas faciant ad feneſtras, ſive crates ſerreas, ita ordinatas, quòd audiri quidem poſſint, minimè verò videri. Communicare verò debent ad feneſtras, ubi audiri poſſint pariter, & videri, per quas Corpus Domini poſſit eis liberè miniſtrari. Sed quando de aliis corporis aut animæ commodis Confeſſori, aut alicui Presbyterotum, ſeu Fratrum loqui voluerint, tunc ad alias feneſtras, ubi audiri etiam poſſint, ſed non videri ſedeant, ibi prope parietem, ubi rota quædam habeatur, pet quam accipienda ſunt & mittenda neceſſaria. Nulla tamen Sororum vel aliqua audire, vel loqui præſumat, nec accipere aliqua vel emittere ſine ſcitu & licentia Abbatiſſæ. Excepta illa Moniali, quæ deputata eſt ad cuſtodiam ejusdem Rotæ, quæ officium ſuum ſaciat ſecundùm formam, per Abbatiſſam ſibi traditam. Caveatur etiam ibi, & in omni loco, niſi dum confeſſiones ad feneſtras deputatas audiuntur, ne aliqua Soror ad audiendum, ſive loquendum alicui, ſine præſentia aliquarum Sororum inveniatur ſola, quæ omnia verba audiant, ſicut ipſa. Prohibeatur etiam, ne unquam confeſſa, vel aliquis Presbyterorum aut Fratrum Monaſterium ingrediatur, niſi quando donanda ſunt infirmis Sacramenta. Tunc autem ingrediatur Confeſſor, ſed nullo modo ſolus, imò aliquibus honeſtis Fratribus ipſum ſequentibus. Mortua autem aliqua Sorore omnes Præsbyteri & Fratres cum Confeſſore ingrediantur cum cantu & Orationibus corpus ad ſepulchrum deſerendo.

Caput XXIII.

Quòd Diœceſanus Epiſcopus ſit Viſitator hujus Religionis.

EPiſcopus, in cujus Diœceſi Monaſterium eſt, ſit tam Sororum, quàm Fratrum Pater & Viſitator, nec non & Judex in omnibus cauſis & caſibus Sorores aut Fratres tangentibus. Ipſum denique oportet continuò ſollicitum & diligentem Speculatorem eſſe, ſi Regula & Conſtitutiones iſtæ in omnibus punctis obſerventur, ne contingat hæc ſalubria ſtatuta ab aliquibus Sororum aut Fratrum parvipendi. Princeps regni ſeu terræ, in qua eſt Monaſterium, erit eis

Reſponſalis, & Defenſor in omnibus neceſſitatibus. Papa verò ſuper utrumque, ſcillicet Principem & Epiſcopũ, erit eorum Tutor Charitativus, ſi ejus auxilium poſtulaverint, neceſſitate aliqua compellente. Quicunque Monaſterium hujus Religionis conſtruere voluerit, nullatenus ſine voluntate & licentia Papæ hoc præſumat. Deinde iſtis Conſtitutionibus per Papam confirmatis, inquirantur aliqui devoti Fratres de Regulis Benedicti vel Bernardi, qui iſtis conſtitutionibus addendo inſcribant, qnomodo exceſſus ſunt emendandi in Monaſterio, & quomodo ſepeliendæ ſunt perſonæ Monialium & Fratrum, ibi morantium. Et qualiter viſitabit Epiſcopus, & pro quibus caſibus ingrediatur Epiſcopus, vel aliæ perſonæ, nt puta Medicus, vel Magiſtri, qui debent aliquid laborare, vel reparare in Monaſterio. Addatur etiam de forma electionis Abbatiſſæ, de modo inſtitutionis Officialium. Et exprimantur loca, in quibus ſilentium eſt ſervandum, ſicut Eccleſia, Chorus, Refectorium, Dormitorium, & loca alia, in quibus ſilentium ſervandum eſt. Et omnia alia neceſſaria ad obſervationem regularem, quæ in his Conſtitutinnibus non contiuentur, ad earum perfectionem & roboratinnem aſſumantur de Regulis ſupra dictis.

Caput XXIV.

Quòd quædam foſſa debet eſſe ſemper aperta in Monaſterio, & quoddam feretrum ante ingreſſum Eccleſiæ, in Clauſtro.

FOſſa quædam in Monaſterio ad inſtar ſepulchri loco debito habeatur quotidie aperta, ad quam poſt Tertiam omni die feſto & privato egrediantur Sorores, & ejiciente Abbatiſſa modicum terræ dnobus digitis legant pſalmum *De Profundis* &c., cum Collecta ſub forma:

Domine ſancte Pater, qui corpus, quod Filio tuo de Virgine Maria ſumpſiſti & illæſum in tumulo conſervaſti, incorruptum ſuſcitaſti: conſerva, quæſumus, corpora noſtra munda & immaculata in tuo ſanctiſſimo ſervitio, & dirige viam noſtram in hoc tempore, ut, cùm dies judicii magnus & terribilis advenerit, inter Sanctos tuos reſuſcitentur, & animæ noſtræ tecum æternaliter gaudeant, & Electis tuis ſociari mereantur. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Amen.

Feretrum quoque, cui modicum terræ ſuperimponitur, ante ingreſſum Eccleſiæ jugiter ſtatuatur, ubi ab ingredientibus ſemper videri poſſit, nt videntes hoc, memoriam mortis in mente habeant, & cogitent in cordibus ſuis, quod terra ſint, & in terram revertentur.

DEO GRATIAS.

Inſtrumentum Donationis Domus Sanctæ BIRGITTÆ, ſitæ prope Palatium Farneſianum de Urbe.

IN Nomine Dei, Amen. Noverint univerſi præſens publicum inſtrumentum inſpecturi, & etiam audituri, quòd anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo tertio. Pontificatus Domini Urbani Papæ ſexti anno quinto, menſe Januarii die octava ſextæ Indictionis, Romæ in regione Pineæ, in Præſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hæc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum perſonaliter conſtituta nobilis, & honeſta Mulier Domina Franciſca filia, q. Nardi Marci & Uxor, q. Petri Jacobi Papazuri de Papazuris de urbe de regione Arenulæ renuncians auxilio Vellejan. Senat. Conſ. ſua ſpontanea, pura, abſoluta, & mera liberalitate Omnipotentis DEI, & Beatæ Virginis Matris Mariæ, & omnium Sanctorum intuitu, & ob devotionem, quam geſſit, & gerit D. Birgittæ inclitæ memoriæ de Regno Sueciæ, & Monaſterium ſanctæ Mariæ Vuatzſten. Dicti regni fundatum per ipſam, & Filiam ejus Dominam Catharinam, & in remiſſionnm peccatorum, & ejus defunctorum dedit, ceſſit, tradidit, conceſſit, obtulit, & præſenti carta confirmavit, purè, liberè, ſimpliciter, inter vivos, cauſa mortis, & ob cauſam, & ſub modo, vel conditione, irrevocabiliter, perpetuò, proprio jure in dotem dicto Monaſterio, & dictæ Abbatiſſæ dicti Monaſterii abſenti tanquam præſenti, & Succeſſoribus ſuis, & aliis Monialibus ejusdem Monaſterii, qui nunc ſunt, & prn tempore fuerint nomine dicti Monaſterii, totique Conventui abſentibus tanquam præſentibus. Et Venerabili Viro Domino Magno Petri dicti Regni Sueciæ ibidem præſenti, recipienti, & ſtipulanti vice, & nomine dicti Monaſterii, & dictæ Abbatiſſæ, & Conventus dicti Monaſterii, & mihi Notario tanquam publicæ Perſonæ recipienti, & ſtipulanti pro

eo,

eo, & nominibus, quibus ſupra, id eſt unum Palatium Magnum ipſius Dominæ Franciſcæ, & in quo ipſa nunc inhabitat, & hactenus inhabitavit, cum turri, Porticali, horto, ſalis, cameris, & tribus aliis domunculis terrenis collateraliter conjunctis cum dicto Palatio, & cum quadam alia domo, quæ dicitur Turricella, cum platea ante eam, cum introitibus, & exitibus, aceeſſibus, & egreſſibus ſuis, in viis publicis, & aliis, & cum omnibus, & ſingulis, quæ habent ſupra ſe, inrra ſe, vel inter ſe, in iotegrum, & omnia jura, & actiones ſibi ex eisdem domibus, vel pro eis, aut ipſis domibus, vel cuilibet ipſarum modo antiquo pertioentibus. Quæ quidem domus & palatium ſita ſunt in Urbe in dicta regione Arenulæ, inter hos fines, à duobus lateribus ſunt viæ publicæ, ab alio latere tenet domus Dominæ Agneris Butii Odonis, retro tenet Ceccus Simonelli, & horti, q. D. Cardinalis ſancti Petri, & Hoſpitale de Anglia, vel ſi qui ſint ad omnes dictas domus, & palatium plures, vel veriores confines, & ſupradicta omnia, & ſingula, & quodlibet ipſorum ſupradicta Domina Franciſca Donatrix, retento ſibi uſufructu, dum ageret in humanis, donavit prædicto Monaſterio, Abbatiſſæ, & Conventui abſentibus, & dicto Domino Magno præſenti nominibus, quibus ſuprà, ad habendnm, tenendum, locandum, permutandum, ſeu in melius commutandum, vel in Emphyteoſim, vel aliud perpetuum, ad tempus longum, vel breve contractandum, ſeu pactum dandum, & concedendum, & quidquid eis poſt mortem ipſius Dominæ Donatricis placuerit faciendum, excepto duntaxat, quòd easdem domus, & Palatinm, vel ipſarum aliqua vendere, vel aliter alienare non poſſit, niſi pro pecunia habenda ex eis pro fundando, & ædificando in Urbe, vel extra, prope Urbem Monaſterium ſub titulo, & vocabulo dicti Monaſterii Vuatzſten. Et quòd poſt mortem dictæ D. Franciſcæ ſolvere teneantur hæredibus, q. Colæ Papazuri triginta quinque florenos auri, in quibus ipſa tenetur dicta Donatrix ex cauſa promiſſionis & obligationis. Et ipſa D. Franciſca Donatrix ex nunc, quoad vixerit, dictas domos, & Palatium præſati Mooaſterii Abbatiſſæ, & Conventus D. Magni donationis nomine precariò ſe conſtituit poſſidere, donec poſt mortem ipſius Donatricis ipſi Donatarii, vel ejus, vel eorum certum mandatum dictarum domorum poſſeſſionem acceperit corporalem. Quam quidem accipiendi & recipiendi auctoritate ſua poſt ejus obitum eis, & ipſorum cuilibet omnimodam, & liberam licentiam dedit. Promittens pro ſe, & ſuis hæredibus, & Succeſſoribus, & mihi Notario infraſcripto, tanquam publicæ perſonæ, & prænominato Domino Magno ſtipulanti & acceptanti & recipienti nomine dicti Monaſterii Abbatiſſæ, & Conventus ejusdem, & aliis nominibus, quibus ſupra, præmiſſam donationem, & omnia, & ſingula ſupra, & infra ſcripta perpetuo rata & grata, ac firma habere, & tenere, & non contra facere, vel venire per ſe, vel alium vel aliqua alia cauſa, vel ingenio, ſeu colore quæſito de jure, vel de facto, nec ipſam donationem ingratitudinis, vel cauſa aliqua revocarē, ſub pæna quingentorum florenorum auri jure ſtipulationis promiſſa, & refectione damnorum, & expenſarum litis ſub obligatione bonorum ſuorum, qua pæna ſoluta, vel non, prædicta omnia, & ſingula firma perdurent, & ſæpe dicta Donatrix pro ſe, & hæredibus ſuis dixit, & voluit valere dictam donationem tanquam inter vivos, & cauſa mortis, & ob cauſam, ac ſub modo & conditione, & omnibus aliis viis, juribus & rationibus, & conſuetudinibus, quibus melius valere poterit, & eam præſenti (juxta quantum meliùs, & validiùs poterit) perpetuò confirmavit. Et ſupradictam Abbatiſſam, & Moniales tanquam præſentes, & jam dictum D. Magnum præſentem, & hoc acceptantem, & recipientem nomine dicti Monaſterii, & Conventus, & quemlibet ipſorum in ſolidum Procuratores fecit, & Inſtituit in rem ſuam. Conceſſit etiam & voluit Ipſa Donatrix, quòd Abbatiſſa & Conventus, & quilibet alter dicto Monaſterio etiam poſt publicationem iſtius inſtrumenti poſſint ad conſilium ſui ſapientis, ſeu ſapientum addere, dimiouere, ponere & emendare, quæ ſibi placuerit, & eis viſum fuerit ad melius & firmius validandum, ac etiam roborandum hanc donationem, dotem, ſeu donationem inter vivos. Et pro quibus & ſingulis ſupradictis attendendis, implendis, & firmiter obſervandis ipſa Donatrix pro ſe & hæredibus ſuis renunciavit exceptioni S. C. Velleiani expreſſè, doli, vis, metus, fraudis, læſionis, circumventionis, in factum actionis, conditionis, indebiti, ſine cauſa, ob juſtam cauſam, & non ſic celebrati contractus, & aliter fuiſſe dictum, quàm ſcriptum, & cuilibet alteri exceptioni, & dilationi, petitioni, oblationi libelli, & ſimplici petitioni, tranſcripti inſtrumenti, ſeu ejus noti per modum actionis, ſeu alio quocunque modo, & in judiciis, feriis meſſium, & vindemiarum, & aliis quibuſcunque & juris dicendi confeſſionem extra judicium factam non valere, & juribus dicendi, quòd propter ingratitudinem donata poſſunt revocari, omni alii juri canonico, & Civili, Divino & humano, novo, vel veteri uſui, vel con-

ſuetudini, & privilegiis quibuſcunque & ſpecialiter renunciavit in omnibus, quibus ſupra jurisdictioni, & juribus dicendi, generalem renunciationem, ſeu generalem donationem non valere, niſi præceſſerit ſpecialis, & omnibus aliis Juribus, Statutis, Conſuetudinibus, Conſtitutionibus quibuſcunque, & omnibus aliis exceptionibus juris & facti, quibus poſſint deſignari vocabulis, quibus in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum ſe, vel hæredes ſui excuſare, vel contravenire poſſent, vel aliàs quomodolibet adjuvare, etiamſi ſint talia, quibus, ſeu cui in ſpecie non eſſet quis veriſimiliter renunciaturus. Et poſito, quòd ſint paria, vel majora, vel graviora, ſeu exceptiones pares, vel majores, vel graviores, quàm hic fuit expreſſum. Et talia jura, ſeu tales exceptiones, & talis donatio, ſeu tales donationes, quæ in donatione generali, ſeu renunciatione de jure, ſtatuto, conſuetudine, vel conſtitutione non includerentur. Non obſtantibus juribus & opinionibus, Gloſſarum, & Doctorum dicentium, & aſſerentium, quòd non valet generalis renunciatio, ſeu donatio, & quòd ſi invenirentur aliqui caſus, jura, ſeu exceptiones, vel donationes, ut exprimuntur, & poſtea ſequatur clauſula generalis, quòd illa clauſula non extenditur ad paria, ſeu pares, æqualia, vel æquales, & non ad majora, ſeu majores, graviora, ſeu graviores enumeratur, ſeu expreſſatur. Quibus omnibus & ſingulis ſupraſcriptis præfata Domina Franciſca Donatrix, & ſupradictus Magnus, ut Donatrix, & Donatarius nominibus, quibus ſuprà, me Notarium infraſcriptum rogarunt, quòd unum, vel plura publica inſtrumenta, & dicto Monaſterio, Abbatiſſæ, & Monialibus, & Conventui traderem, quatenus per ens, vel aliquem ipſorum ſuper hoc extiterim requiſitus. Acta fuerunt hæc Romæ in domibus habitationis mei Nicolai Notarii infraſcripti poſitum in Regione Pineæ, in Parochia S. Joannis de Pinca, præſentibus Venerabilibus Viris Dominis Ludovico Alphonſi Hiſpano, D. Presbytero Luca Rectore Eccleſiæ ſanctarum Mariæ, & Catharinæ de Urbe, Joanne Verſo de dicta Urbe, & Contrada Campi Floræ, & Venerabili Viro Domino Nicolao Andreæ de Regno Sueciæ, teſtibus ad hæc vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Nicolaus q. Franciſci de Porcariis Civis Romanus, Dei gratia ſacræ Præfecturæ auctoritate publicus Notarius, & Judex ordinarius, quia prædictis omnibus & ſingulis interſui, eáque ſcripſi, & publicari rogatus, meúmque ſignum appoſui conſuetum.

CONSTITUTIONES MONASTERII
SANCTI SALVATORIS
SUPER REGIMINE
PRÆFATÆ DOMUS S. BIRGITTÆ.

Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, vel intereſſe poterit, quomodolibet in futurum *Soror Ingegd* Abbatiſſa, *Frater Gervinus* Confeſſor Generalis, totáque Congregatio Sororum & Fratrum Monaſterii Vuatzſten, Ordinis S. SALVATORIS Lincopen. Diœceſ. ſalutem, & divinum cultum jugiter ampliare.

Cum hominis vita brevis ſit, & torpens negligentia, & multiplex devotorum vacatio, nos pauca recurrere permittant; ideo uſus literarum mortalibus datus eſt, ut, quæ geruntur, à poſteris generationibus ſciantur & ferventur. Hinc eſt, quod Nos ſupradicti, Abbatiſſa, Confeſſor Generalis, & Conventuales Vuatzſten per hæc patentia munimenta literarum noſtrarum poſteris volumus inſinuare, qualiter anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, die octava menſis Martii capitulariter in locutorio congregati tractavimus (ut infrà patebit) de & ſuper gubernio, & durabili ſubſtantia Domus S. Matris noſtræ Birgittæ, de urbe, atque noſtra in regione Arenulæ exiſtente, quam Domum juſto titulo pro fundatione Monaſterii noſtri Ordinis ſupradicti (prout patet in publicis inſtrumentis deſuper confectis) poſſidemus. Sed quia dicta noſtra Religio hactenus ex primaria plantatione, & cum Dei adjutorio eam ſuo tempore dilatandam ſperamus. Verùm etiam ex quo noſtrum Monaſterium nondum in ſtructuris eſt completum, eò minùs ad inſtituendum novum Mona-

Monaſterium in dicta Domo (prout nobis eſt in animo) ſuppetunt facultates. Veruntamen, ut in ea ſaltem aliquod noſtræ Religionis veſtigium permaneat, harum literarum ſerie omnes Poſteros noſtros, Sorores, & Fratres hortamur in viſceribus JEſu Chriſti, quatenus eandem domum ſollicitè manuteneant, & gubernent, & licèt jam fuerit ruinoſa, pro ejus reparatione tamen non deſiſtant extendere manus adjutrices, ut tandem in ea unam Capellam pro divino cultu peragendum valeant inſtaurare, ſcientes, quòd non ſine maximo judicio alicujus futuræ gratiæ tamdiu, antequam dicta ſancta Mater noſtra Birgitta Romam venerat, omnipotens Deus eidem in Attrabato exiſtenti eundem locum, & domum, in qua, & quomodo migratura erat ab hoc ſæculo, præmonſtravit, ac eidem in ea multa ſecreta cæleſtia revelavit, per quæ ejus ſancta vita locum eundem uſque ad mortem inſignivit & ſacravit. Sed quia inconſideratio futurorum multos ſupplantat, nec nos omnes eventus & exitus negotiorum dictæ Domus futuros valemus proſpicere, & cavere: ideo ad confutandas futuræ ætatis actiones & querelas, & ad conſervandum jura noſtra in dicta Domo. Inprimis & ante omnia proteſtamur expreſsè per præſentes, quòd per pœnas infrà ſcriptas, noſtras Conſtitutiones, Ordinationes, & Statuta, non intendimus jus noſtrum, quod in dicta Domo habemus, minimè lædere, vel abrogare, neque alicui, vel aliquibus Perſonis, Communitati, Collegio, Principibus, aut Prælatis cujuſcunque conditionis, ſtatus, gradus, vel dignitatis, aliqualem facultatem in eam concedere, aut tribuere directè vel indirectè. Imò Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, Abbatiſſæ, Confeſſori Generali, & Conventualibus Vuatzſten. pro tempore exiſtentibus reſervamus ex nunc & ſemper in futurum, liberam diſponendi, gubernandi, inſtituendi, regendi, & providendi de dicta Domo, ejuſque annexis, & connexis facultatem, & directum dominium, & jus patronatus. Neque volumus, aut intendimus per has noſtras Conſtitutiones, & Ordinationes Nos aut Poſteros noſtros ad infraſcripta, quacunque occaſione per modum debiti obligari, ſed ex gratuito beneficio, & libero noſtræ voluntatis arbitrio, pro honore Dei, Religionis noſtræ decore, & miſerabilium perſonarum de Regno Sueciæ duntaxat venientium ad urbem commoditate & quiete. Ita ſtatuimus, & ordinamus.

Primò, ut duo Fratres in Monaſterio noſtro profeſſi capitulariter à Conventu pro tempore eligantur, & cum pleno mandato ad gubernandum & regendum dictam domum, res, & poſſeſſiones noſtras in Urbe exiſtentes mittantur. Qui quidem Fratres (prout decet bonos Obedientiarios) ſemper ad nutum Abbatiſſæ, Confeſſoris, & Conventus, ab illius domus gubernio, & adminiſtratione debeant eſſe amovibiles, & in Urbe manentes ſint totius Ordinis noſtri S. Salvatoris Procuratores, & Syndici Generales, habentes commiſſionem & mandatum impetrandi quaſcunque litteras Apoſtolicas, gratiam vel juſtitiam concernentes, ſintque Ordinis noſtri Conſervatores vigilanter attendentes, ſi fortè aliqui Fratres Ordinis noſtri ad Urbem venerint ſine obedientialibus litteris ſuorum Prælatorum vagabundi, & illos ad diſciplinam Obſervantiæ Regularis coërceant, & reducant, etiamſi opus fuerit (juxta Ordinis privilegia) invocato ad hoc brachio ſæculari, carceribus mancipando.

Præterea ſtatuimus, & ordinamus, ut omnes Fratres Ordinis noſtri ad Urbem pro negotiis ſuorum Monaſteriorum venientes, teneantur, & debeant ad dictam domum accedere, ac dictis Procuratoribus negotia ſua aperire, in eadem domo cameram & lectum, quamdiu in Urbe manſerint, expenſas verò per unam ſeptimanam gratis habituri.

Mandamus etiam dictis Procuratoribus domus pro tempore exiſtentibus, ut in exequendis & gerendis negotiis, adventantibus Fratribus fideliter aſſiſtant & procurent.

Statuimus inſuper, & ordinamus, ut prædicti Fratres domus debeant (juxta iſtas noſtras ordinationes) recipere omnes Peregrinos, venientes de Regno Sueciæ cauſa devotionis, ſive voti ſolvendi, viſitantes limina Apoſtolorum, eiſque panem & vinum per tres dies, lectum verò & cameram per unam ſeptimanam miniſtrare. Qui verò fuerint Peregrini divites, & in eadem Domo hoſpitari maluerint, in propriis vivant expenſis, cameram & lectum gratis habituri. Et hæc tam in anno Jubilæi, quàm aliis temporibus, volumus Sueciæ Peregrinis, & Fratribus Ordinis debere obſervari. Si verò aliqui Peregrini fuerint rixoſi, vel aliàs inquieti, & per Procuratores Domus moniti, ſe non emendaverint, de domo ejiciantur.

Et quoniam ſuper Pauperes pia ſemper compaſſio habenda eſt, ideo mandamus dictis Procuratoribus Domus, ut

non

non ſolùm in hoſpitalitate dictorum Peregrinorum de Suecia ſe exerceant; ſed etiam benevolos in audiendis eorum confeſſionibus ſe exhibeant, quando ad hoc fuerint requiſiti, juxta Ordinis noſtri privilegia, beneficium abſolutionis impendendo.

Cæterùm, quia ſancta Mater noſtra Birgitta laudes glorioſæ Virginis Mariæ omni veſpere per ſuos Capellanos, & familiam in dicta Domo cantari fecit, juxta revelationem divinitus deſuper ſibi factam; ideo ſtatuimus & mandamus, easdem laudes, ſcilicet *Ave Maris Stella*, per dictos Procuratores omni veſpere futuris temporibus decantandas ſeu dicendas.

Propterea volumus & decernimus, dictam Domum ex nunc intitulandam *Hoſpitale S. Birgittæ de Regno Sueciæ*, & deſuper expediatur confirmatio ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ in roboratione præmiſſorum.

Et ut dicti Fratres Procuratores in gubernio ſint vigilantiores, volumus, ut Abbatiſſæ, & Confeſſori Generali Vuatzſtenenſi pro tempore exiſtentibus de adminiſtratis teneantur reddere rationem, cùm ad hoc fuerint requiſiti.

Demum inhibemus dictis Procuratoribus, ne intrent obligationes pro alienis negotiis, vel perſonis, nec domos impignorent, ſeu alienent, neque debita contrahant per ſumptus ſuperfluos & inanes; ſed ad bonificationem domus cum timore Dei ſemper intendant vigilantes.

Quotieſcunque aliqui Fratres de novo ad gubernandam dictam domum mittantur, copia horum Statutorum eis aſſignetur, ne ignorantiam prætendere poſſint eorundem. Super quibus omnibus & ſingulis obſervandis volumus, ut promittant fideliter ſe obſervaturos & facturos, prout extat expreſſum.

In quorum omnium præmiſſorum fidem, teſtimonium & noſtris Succeſſoribus notificatione facienda, ſigillo utriuſque Conventus ſecimus & juſſimus appendi.

Confirmatio Donationis & Hoſpitalis Monaſterii S. SALVATORIS de Suecia, facta per EUGENIUM IV. juxta Conſtitutiones prædictas.

EUGENIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii B. Mariæ, & S. Birgittæ Vuatzſten. Ordinis ſancti Auguſtini, ſancti Salvatoris nuncupati, Lincopen. Diœceſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quòd olim quondam Franciſca q. Jacobi Papazurii de Papazuriis de Urbe mulier, cupiens illi aliquid dare de ſuis, qui ſibi contulit univerſa, pro ſuæ, & Parentum ſuorum animarum ſalute, quandam domum in Parochia S. Catharinæ in Regione Arenulæ dictæ Urbis ſitam, & ad eam legitimè pertinentem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, vobis & dicto Monaſterio pia largitione donavit, prout in Inſtrumento publico deſuper confecto pleniùs dicitur contineri. De qua quidem Domo vos poſtmodum Hoſpitale Pauperum dictæ ſanctæ Birgittæ nuncupatum in dicta Urbe, quod nullius Ordinis eſt, erigi feciſtis. Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, donationem & erectionem prædictas, ſicut ritè factæ ſunt, ratas & gratas habentes, eas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, tertio decimo Calend. Septembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

ADDI-

ADDITAMENTUM XXIX.

REGULÆ SOCIETATIS JESU.

OBSERVATIO CRITICA.

S*Anctus IGNATIUS nobilis Cantaber in Hiſpania natus, admirabili pietatis odore floreſcens, prima Societatis JEſu fundamina poſuit, quam anno MDXL. per ſolennem Bullam XXVII. Septembris datam confirmavit ſummus Pontifex Romanus Paulus III., ſanctúmque Ignatium conſtituit primum Societatis Præpoſitum Generalem, ſcriptámque ab ipſo Regulam omnibus Sociis ſtrictiſſimè obſervandam mandavit. In hac ergo Regula jam dudum Hiſpanicè ſcripta, ſed nunc per Joannem Polancum Latinè reddita ſanctiſſimus Legiſlator declarat, ſe Societatem, cui* Nomen JESU *impoſitum, eo fine inſtituiſſe, ut ejuſdem Socii animarum ſaluti, ac Catholicæ Fidei propagationi invigilent, præcipuam in educanda juventute diligentiam adhibeant, tam quoad mores, quàm quoad doctrinam. Deinde omnes quoſcunque ſubditos tribus ſolennibus votis Religioſis obſtrinxit, atque votum ſingulare ſummo Pontifici Romano, & Præpoſito Societatis Generali exhibendum mandavit in iis,. quæ ad præcipuum Societatis objectum pertinent, nimirum circa varias per orbem terrarum ſubeundas Miſſiones ad propagandam Fidem Catholicam neceſſarias. Hanc præſentem* Jeſuitarum Regulam *appellat Philippus Allegambe* Librum Conſtitutionum Societatis JESU, *agnoſcitque primùm anno MDLVIII. in ædibus Societatis Romæ impreſſum fuiſſe, ſed poſtea variis in locis promulgatum, ac ſummorum Pontificum Decretis approbatum, ſæpiùsque in ſolennibus Societatis congreſſibus, rerum & circumſtantiarum varietate requirente auctum, & ſalutaribus Statutis augmentatum. Verùm, præter hanc Regulam, S. Ignatius* Declarationes & Annotationes *paris cum ipſa Regula auctoritatis compoſuit, quæ deinceps cum illa recuſæ ab omnibus Societatis Sociis pro norma vitæ ſunt receptæ. Denique duas piiſſimas Epiſtolas Statui Religioſo maximè conducentes conſcripſit, unam quidem* de Religioſa Obedientia ad Luſitaniæ Socios & Filios, *datam VII. Calend. Aprilis anno MDLIII.; alteram* de Religioſa Perfectione ad Hiſpaniæ Socios *ſcriptam IV. Nonas Martias anno MDXLVII., quibus ſanè tradit doctrinam aſceticam omnibus numeris expletam, quòd hæ duæ Epiſtolæ omnium præceptorum inſtar ſint, quæ de ſacra Obedientia, & Religioſa Perfectione ab aliis tradi ſolent. Has ergo* Conſtitutiones ſalutares, *in modum Regulæ Religioſæ compoſitas, & à ſanctiſſimo Legiſlatore præſcriptas ad amuſſim obſervant celeberrimæ Societatis JESU Patres Religioſiſſimi, eáſque variis Declarationibus ſummorum Pontificum, atque diverſis Congregationum Statutis illuſtratas ſæpiùs promulgaverunt, prout anno quinto hujus Sæculi prodierunt omnes Conſtitutiones, Privilegia, ac Bullæ Pontificiæ ad hanc* Societatem JESU *pertinentes, duobus voluminibus ampliſſimis comprehenſæ, ac typis Univerſitatis Pragenſis editæ. Nos autem præſentem S. Ignatii Regulam nudam quidem, ſed veram & authenticam exhibemus, qualem olim Vir eruditus Proſper Stellartius inter alias ſacrorum Ordinum Regulas collocare voluit.*

REGULÆ SOCIETATIS JESU.

INDEX REGULARUM.

Summarium Conſtitutionum.
Regulæ Communes
Regulæ Provinciales.
Regulæ Præpoſiti.
Regulæ Rectoris.
Regulæ Examinatoris.
Regulæ Magiſtri Novitiorum.
Regulæ Modeſtiæ.
Inſtructio ad reddendam conſcientiæ rationem.
Regulæ Peregrinorum.
Regulæ Miniſtri.
Regulæ Conſultorum.
Regulæ Admonitoris.
Formula ſcribendi.
Regulæ Præfecti rerum ſpiritualium.
Regulæ Præfecti Eccleſiæ.
Catalogus Miſſarum & Orationum.
Regulæ Sacerdotum.
Regulæ Concionatorum.
Regulæ eorum, qui in Miſſionibus verſantur.
Regulæ Procuratoris Generalis.
Regulæ Procuratoris Domus Profeſſæ.
Regulæ Procuratoris Collegii, & Domus Probationis.
Regulæ Præfecti Lectorum ad menſam.
Regulæ Præfecti Sanitatis.
Regulæ Præfecti Bibliothecæ.
Regulæ Subminiſtri.
Regulæ Æditui.
Regulæ Infirmarii.
Regulæ Janitoris.
Regulæ Cuſtodis veſtium.
Regulæ Emptoris.
Regulæ Diſpenſatoris.
Regulæ Præfecti Refectorii.
Regulæ Coqui.
Regulæ Excitatoris.
Regulæ noctu cubicula viſitantis.
Epiſtola P. N. Ignatii de Obedientia.

Summarium earum Conſtitutionum, quæ ad ſpiritualem noſtrorum inſtitutionem pertinent, & ab omnibus obſervandæ ſunt.

Conſtitutionum neceſſitas. *In Proœmio Conſt.* §. 1.

QUamvis ſumma ſapientia, & bonitas Dei Creatoris noſtri ac Domini ſit, quæ conſervatura eſt, gubernatura, atque promotura in ſuo ſancto ſervitio hanc minimam Societatem JESU, ut eam dignata eſt inchoare: ex parte verò noſtra interna charitatis & amoris illius lex, quam ſanctus Spiritus ſcribere, & in cordibus imprimere ſolet, potiùs quàm ullæ externæ Conſtitutiones, ad id adjutura ſit: Quia tamen ſuavis diſpoſitio divinæ providentiæ ſuarum creaturarum cooperationem exigit, & quia Chriſti Domini noſtri Vicarius ita ſtatuit, & Sanctorum exempla, & ratio ipſa nos ita docet in Domino: neceſſarium eſſe arbitramur, Conſtitutiones conſcribi, quæ juvent ad melius in via incepta divini obſequii procedendum, juxta Inſtituti noſtri rationem.

Finis & ratio vivendi Societatis. *In Ex. c.* 1. §. 2.

2) Finis hujus Societatis eſt, non ſolùm ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; ſed --- cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.

3) Noſtræ vocationis eſt, diverſa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur. Par. 7. c. 2. Lit. G. Et Par. 6. c. 3. §. 5.

4) Ratio vivendi in exterioribus juſtas ob cauſas, majus Dei obſequium ſemper intuendo, communis eſt; nec ullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet, ſed illas aſſumere quivis poterit, quæ ſibi videbuntur, cum approbatione Superioris, ad majorem ſui ſpiritus profectum convenire, & quas propter eundem finem Superiores eis poterunt imponere. In Ex. c. 1. §. 6.

Sacramentorum uſus & examen conſcientiæ. In Ex. c. 4. §. 41.

5) Ipſo initio ſui in Societatem ingreſſus debet quiſque generalem totius vitæ confeſſionem apud aliquem Sacerdotem à Superiore aſſignatum facere, & poſt eam ſacratiſſimum Chriſti Domini

noſtri

noſtri Corpus ſumere; & ſic ſexto quoque menſe eodem modo generaliter ab ultima inchoando confitebitur *. Et omnes tam Profeſſi, quàm formati Coadjutores ſemel ſingulis annis parati eſſe debebunt ad confeſſionem generalem, quæ ab ultima generali inchoetur, ei, quem Superior ſibi ſubſtituerit, faciendam.

* Par. 6. c. 1. §. 2.

Par. 3. c. §. 11. * In Ex. c. 4. §. 25. * Par. 3. c. 1. §. 11.

6) Utantur quotidie omnes conſcientiæ ſuæ examinatione conſueta *: ſi Sacerdotes non fuerint, confiteantur oportet, & ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ ſumant octavo quoque die *: & unus omnium ſit Confeſſarius à Superiore conſtitutus, quod ſi fieri non poterit, quiſque certè ſuum ſtabilem habeat Confeſſarium, cui ipſius conſcientia prorſus aperta ſit.

Par. 3. c. 1. Lit. Q. & Par. 6. c. 3. §. 2.

7) Qui autem alii, quàm ſuo Confeſſario deſignato confiteretur, debet poſtmodum (quantum recordari poterit) eidem ſuo Confeſſario totam ſuam conſcientiam aperire, ut nihil ignorando, quod ad eam pertineat, melius in Domino poſſit eundem juvare.

Exuendus inordinatus ſæculi affectus. In Ex. c. 4. §. 7.

8) Unuſquiſque eorum, qui Societatem ingrediuntur, conſilium illud Chriſti ſequendo: Qui dimiſerit Patrem &c., exiſtimet ſibi patrem, matrem, fratres & ſorores, & quidquid in mundo habebat, relinquendum; imò ſibi dictum exiſtimet verbum illud: Qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ita curandum ei eſt, ut omnem carnis affectum erga ſanguine junctos exuat, ac illum in ſpiritualem convertat, eóſque diligat eo ſolùm amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo, ac proprio amori mortuus, Chriſto Domino noſtro ſoli vivit, eúmque loco parentum, fratrum, & rerum omnium habet.

Vera ſui abnegatio. In Ex. c. 4. §. 3.

9) Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad majorem ſubmiſſionem, & humilitatem propriam contentus eſſe quiſque debet, ut omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo, & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur.

In Ex. c. 4. §. 8.

10) Boni etiam omnes conſulant ab aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare, ac manifeſtare ſeſe invicem ſint parati debito cum amore, & charitate, ad majorem ſpiritus profectum: præſertim ubi à Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita præſcriptum, aut interrogatum ad majorem DEI gloriam.

In Ex. c. 4. §. 44.

11) Diligenter animadvertant oportet, magnifaciendo, ſummique momenti id eſſe ducendo, in conſpectu Creatoris ac Domini noſtri, quantopere juvet, ac conferat ad vitæ ſpiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere, & concupiſcere totis viribus, quidquid Chriſtus Dominus noſter amavit, & amplexus eſt. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi ſunt, ſequuntur, diligunt, & quærunt magna cum diligentia, honores ſcilicet, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut mundus eos edocet; ſic qui procedunt in ſpiritu, & ſeriò Chriſtum Dominum noſtrum ſequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria ſunt, induti nimirum eadem veſte, ac inſignibus Domini ſui pro ipſius amore, ac reverentia, adeo, ut, ſi ſine offenſione ulla divinæ Majeſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & injurias pati, ac ſtulti haberi, & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eoquòd exoptant aſſimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ejúſque veſtibus, & inſignibus indui: quandoquidem illa ipſe propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobíſque exemplum dedit, ut in omnibus (quoad ejus fieri poterit) divina gratia aſpirante, eum imitari, & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.

12) Ut meliùs ad hunc perfectionis gradum in ſpirituali vita tam pretioſum perveniatur, majus, ac impenſius ſtudium cujuſque ſit, quærere in Domino majorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus (quoad poterit) mortificationem. In Ex. c. 4. §. 46.

13) In exercendis officiis abjectis & humilibus promptiùs ea ſuſcipi convenit, à quibus ſenſus magis abhorrebit: ſi quidem conjunctum fuerit, ut in eis ſe exerceat. In Ex. c. 4. §. 28.

14) Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis; ut, cùm quis animadvertitur ad ſuperbiam eſſe propenſus, exerceri is debet in rebus abjectioribus, quæ ad humiliandum ipſum utiles futuræ videantur; & ſic de aliis pravis animæ propenſionibus. P. 3. c. 1. §. 13.

Perfectionis, ſolidarúmque virtutum ſtudium. Par. 6. c. 1. §. 1.

15) Omnes conſtanri animo incumbamus, ur nihil perfectionis, quod divina gratia conſequi poſſimus in abſoluta omnium Conſtirutionum obſervatione, noſtrique Inſtituti peculiari rarione adimplenda, prærermittamus.

* Par. 10. §. 2.

* 16) Omnes, qui ſe Societati addixerunt, in virtutum ſolidarum, ac perfectarum & ſpiritualium rerum ſtudium incumbant: ac In hujuſmodi majus momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus, & humanis conſtitutum eſſe ducant: illa enim interiora ſunr, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propoſitum oportet.

P. 3. c. 1. §. 26.

17) Omnes rectam habere intentionem ſtudeanr, non ſolùm circa vitæ ſuæ ſtatum, verùm etiam circa res omnes particulares; id ſemper in eis ſincerè ſpectantes, ut ſerviant & placeanr divinæ Bonitati propter ſe ipſam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum (quamvis hinc etiam juvari debeanr) & in omnibus quærant Deum, exuentes ſe, quantum fieri poteſt, amore omnium creaturarum, ur affectum univerſum in ipſarum Crearorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, juxta ſanctiſſimam & divinam ipſius voluntatem.

Par. 3. c. 1. §. 21.

18) In concionibus domeſticis de iis crebrò tractent, quæ ad ſui abnegationem, & In virtutibus profectùm, & omnimodam perfectionem attinent, ad ea ſe invicem exhortando, & præcipuè ad unionem, & charitatem fraternam.

P. 3. c. 1. §. 22. P. 5. c. 4. §. 5. & in Ex. c. 6. §. 5. & 6.

19) Magnopere conferet, devotè, quoad fieri porerit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas, & chariras. Er in univerſum loquendo, quanrò aliquis ſe arctiùs Deo adſtrinxerit, & liberaliorem crga ſummam Majeſtatem ſe præſtiterit, tanrò eum in ſe liberaliorem eriam experietur, & ipſe in dies magis idoneos erit ad gratias & dona ſpiritualia uberiora recipienda.

Cura interioris hominis. P. 3. c. 1. §. 20.

20) Poſtquam aliquis in corpus Societatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet; ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei & gloriæ ſeſe impendere.

P. 4. c. 4. §. 3. & 4.

21) Omnes ſuum tempus rebus ſpiritualibus impendant, & devotioni quærendæ pro menſura gratiæ Dei ipſis communicatæ inſiſtant.

* P. 3. c. 1. §. 10.

22) * Ab illuſionibus dæmonis in ſuis ſpiritualibus exercitarionibus caveant, & ſe contra omnes renrationes tueantur: ſimul rationes ſcianr, quæ adhiberi poſſinr, ut eas ſuperenr, & ad veras, ſolidáſque virtutes conſequendas inſiſtant: ſive plures adſint viſirationes ſpirituales, ſive pauciores; curenr verò ſemper in via divini ſervitii progreſſum facere.

Paupertas. Par. 6. c. 2. §. 1.

23) Paupertas, ùt murus Religionis firmus, diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum divina gratia aſpirante fieri poterit.

P. 3. c. 1. §. 25. * Ibid. § 7. * P. 6. c. 2. §. 10.

24) Diliganr omnes paupertatem, ùt matrem, & juxta menſuram ſanctæ diſcrerionis ſuis temporibus ejus effectus aliquos experiantur *, nulláque re tanquam propria utantur *, paratique ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget.

In Ex. c. 4. §. 26.

25) Victus, veſtitus, & lecti ratio erit ùr pauperibus accommodata: & unuſquiſque ſibi perſuadear, quòd, quæ viliſſima erunr ex iis, quæ domi ſunt, ei tribuantur proprer ipſius majorem abnegarionem, & ſpiritualem profectum.

P. 3. c. 1. §. 8.

26) Intelliganr omnes, quòd mutuò dare, vel accipere, vel diſpenſare quidquam de iis, quæ domi ſunt, minimè poſſint, niſi Superior conſcius conſenſum præſtiterit.

P. 6. c. 2. § 7. & In Ex. c. 1. §. 3.

27) Omnes, qui ſub obedientia ſunt Societaris, meminerint ſe gratis dare debere, quæ gratis acceperunr, nec poſtulando, nec admirrendo ſtipendium, vel eleëmoſynas ullas, quibus Miſſæ, vel Confeſſiones, vel Prædicationes, vel quodvis aliud officium ex iis, quæ Socieras juxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur: ut ſic majori cum libertare poſſit, & proximorum ædificatione in divino ſervitio procedere.

Caſtitas, ſenſuúmq; cuſtodia. P. 6. c. 1. §. 1.

28) Quæ ad votum caſtitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm conſtet, quàm ſit perfectè obſervanda, nempe enirendo angelicam puritarem imitari, & corporis, & mentis noſtræ munditia.

* P. 3. c. 1. §. 4.

29) * Omnes diligentiſſimè curent portas ſenſuum ſuorum (oculorum præcipuè, aurium & linguæ) ab omni inordinatione cuſtodire, ac ſe in pace, & vera humilitate interna conſervare, & eam In ſilentio, cùm id obſervandum eſt, cùm autem loquendum, in circumſpe-

ſpectione, & ædificatioue verborum, & modeſtia vultus, ac maturitate inceſſus, motuúmque omnium, ſine ullo impatientiæ, aut ſuperbiæ ſigno exhibere: in omnibus procurando, atque optando, potiores partes aliis deferre, omnes in animo ſuo tanquam ſibi ſuperiores ducendo, & exteriùs honorem, ac reverentiam, quam exigit cujuſque ſtatus, cum ſimplicitate, & moderatione religioſa exhibendo: atque ita fiet, ut ſe mutuò conſiderantes in devotione creſcant, Deúmque Dominum noſtrum laudent, quem quiſque in alio, ùt in illius imagine, agnoſcere ſtudeat.

Par. 3. c. 1. §. 5. 30) In refectione corporis curandum eſt, ut temperantia, modeſtia, & decentia interiùs & exteriùs in omnibus obſervetur. Præmittatur benedictio, & ſequatur actio gratiarum; quas omnes agere debent cum ea, qua par eſt, devotione & reverentia. Et dum corpus edendo reficitur, ſua etiam animæ refectio præbeatur.

Obedientia *Par. 3. c. 1. §. 23.* 31) Expedit inprimis ad profectum, & valde neceſſarium eſt, ut omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant, Superiorem (quicunque ille ſit) loco Chriſti Domini noſtri agnoſcentes, & interna reverentia & amore eum proſequentes, nec ſolùm in executione externa eorum, quæ injungit integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, ſine excuſationibus, & obmurmurationibus obediant, licèt difficilia, & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia jubeat, verùm etiam conentur interiùs reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis & judicii habere, voluntatem, ac judicium ſuum cum eo, quod Superior vult, & ſentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) omnino conformantes. propoſita ſibi voluntate, ac judicio Superioris pro regula ſuæ voluntatis & judicii, quo exactiùs conformentur primæ ac ſummæ regulæ omnis bonæ voluntatis & judicii, quæ eſt æterna bonitas & ſapientia.

Par. 4. c. 10. §. 5. 32) Liberam ſui ipſorum, rerúmque ſuarum diſpoſitionem omnes cum vera obedientia Superiori relinquant, nihil ei clauſum, ne conſcientiam quidem propriam, tenendo, non repugnando, non contradicendo, nec ulla ratione judicium proprium ipſius judicio contrarium demonſtrando: ut per unionem ejusdem ſententiæ & voluntatis, atque per debitam ſubmiſſionem meliùs in divino obſequio conſerventur, & progrediautur.

Par. 6. c. 1. §. 1. 33) Omnes obedientiam plurimùm obſervare, & in ea excellere ſtudeant; nec ſolùm in rebus obligatoriis, ſed etiam in aliis, licèt nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris ſine ullo expreſſo præcepto videretur. Verſari autem debet ob oculos Deus Creator, ac Dominus noſter, propter quem homini obedientia præſtatur: & ut in ſpiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur, curandum eſt.

Par 6 c. 1. §. 1. 34) Ad Superioris vocem perinde, ac ſi à Chriſto Domino egrederetur, quàm promptiſſimi ſimus, re quavis, atque adeo litera à nobis inchoata, necdum perfecta relicta.

Ibidem. 35) Ad eum ſcopum vires omnes, ac intentionem in Domino convertamus, ut ſancta obedientia tum in executione, tum in intellectu ſit in nobis ſemper omni ex parte perfecta; cum magna celeritate, ſpirituali gaudio, & perſeverantia, quidquid nobis injunctum fuerit, obeundo: omnia juſta eſſe nobis perſuadendo, omnem ſententiam, ac judicium noſtrum contrarium cæca quadam obedientia abnegando.

Ibidem. 36) Quiſque ſibi perſuadeat, quòd, qui ſub obedientia vivunt, ſe ferri ac regi à divina Providentia per Superiores ſuos ſinere debent perinde, ac ſi cadaver eſſent, quod quoquo verſus ferri, & quacunque ratione tractari ſe ſinit; vel ſimiliter, atque lenis baculus, qui, ubicunque, & quacunque in re velit eo uti, qui eum manu tenet, ei inſervit.

In Ex. c 4. §. 33. 37) Adimplere quiſque debet quaſvis pœnitentias, quæ propter defectus, & negligentiam ſuam, vel quidvis aliud fuerint injunctæ *. Pœnitentias verò hujuſmodi prompta voluntate admittere deberet, cum vero emendationis, & ſpiritualis profectus deſiderio, etiamſi propter defectum non culpabilem injungerentur.

** Par 3. c. 1. §. 15.*

In Ex. c 4. §. 24. 38) Cùm aliquis ad miniſteria culinæ obeunda ingreditur, vel ad eum juvandum, qui coquus eſt, eidem obedire cum magna humilitate in rebus ad ipſius officium pertinentibus debet *. Atque valde neceſſarium eſt, ut omnes non ſolùm Superiori Societatis vel Domus, ſed etiam ſubordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, obediant: & aſſueſcant non intueri, quis ille ſit, cui obediunt, ſed potiùs quis ille, propter quem, & cui in omnibus obediunt. qui eſt Chriſtus Dominus.

** Par. 3. c. 1. §. 24.*

Par. 7. c. 1. Lit. B. & in Ex. c. 4. §. 6.

39) Si aliquis ex iis, qui domi ſunt, cuiquam ſcriberet, non niſi obtenta facultate, & literis ei oſtenſis, quem Superior deſtinaverit, id faciat. Si ad eundem literæ mitterentur, ei primò reddentur, qui à Superiore fuerit conſtitutus: qui eas lectas reddet, aut non reddet illi, ad quem ſunt deſtinatæ, prout in Domino expedire ad majus ipſius bonum, & Dei gloriam exiſtimabit.

Reddenda ſui ratio. *In Ex. c. 4. §. 36.*

40) Quicunque hanc Societatem in Domino ſequi volet, & in eadem ad majorem Dei gloriam manere, ſub ſigillo Confeſſionis vel ſecreti, vel quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipſius conſolationem fuerit, debet conſcientiam ſuam magna cum humilitate, puritate, & charitate manifeſtare, re nulla, qua Dominum Univerſorum offenderit, celata, & totius anteactæ vitæ rationem integram, vel certè rerum majoris momenti Superiori, qui tum fuerit Societatis, vel cui ex præpoſitis, vel aliis ex inferioribus ille injungeret, prout magis convenire videretur, reddat: & ſexto quoque menſe rationem hanc ſui, ab ultima, quam reddiderit, incipiendo quiſque reddet*. Sic etiam videtur, quod Coadjutores Formati & Profeſſi ſingulis annis, vel crebriùs, ſi Superiori videbitur, ſuæ conſcientiæ rationem dicto modo ei reddant.

* *Ibid §. 40. & Par. 6. c. 1. §. 2.*

Par. 3. c. 1. §. 12.

41) Nullam debent celare tentationem, quàm Præfecto rerum ſpiritualium, vel Confeſſario, vel Superiori non aperiant: imò verò totam animam ſuam illis integrè manifeſtam eſſe, pergratum habeant: nec ſolùm defectus aperiant, ſed etiam pœnitentias, vel mortificationes, & devotiones, ac virtutes omnes, voluntate pura optantes ab illis dirigi, ſic ubi à rectitudine deflecterent, nolentes ſuo proprio ſenſu duci, niſi conveniat cum judicio illorum, quos Chriſti Domini noſtri loco habent.

Unio & conformitas mutua. *Par. 3. c. 1. §. 18.*

42) Idem ſapiamus, idem (quoad ejus fieri poſſit) dicamus omnes, juxta Apoſtolum. Doctrinæ igitur differentes non admittantur, nec verbo in concionibus, vel lectionibus publicis, nec ſcriptis libris (qui quidem edi non poterunt in lucem ſine approbatione, atque conſenſu Præpoſiti Generalis) imò & judiciorum de rebus agendis diverſitas, quæ mater eſſe ſolet diſcordiæ, & inimica unionis voluntatum, quantum fieri poteſt, evitari debet. Unio verò & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, nec, quæ ei adverſantur, permittenda: quo juncti invicem fraternæ charitatis vinculo, meliùs & efficaciùs poſſint ſe divino obſequio, & auxilio proximorum impendere.

Par. 10. §. 11.

43) In Societate nec ſit, nec ſentiatur animorum propenſio ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter Principes, vel Dominos Chriſtianos; ſed ſit potiùs quidam univerſalis amor, qui partes omnes (licèt ſibi invicem contrariæ ſint) in Domino noſtro amplectatur.

Otium, & ſæcularia negotia vitanda. *Par. 3. c. 1. §. 6.*

44) Omnes, quamdiu corpore bene valent, in ſpiritualibus, vel exterioribus rebus habeant, in quo occupentur, ne otium (malorum omnium origo) quoad ejus fieri poſſit, domi noſtræ locum habeat.

* *Par. 6. c. 3. §. 7.*

45) * Ut pleniùs poſſit Societas rebus ſpiritualibus juxta ſuum inſtitutum vacare, quoad ejus fieri poterit, à negotiis ſæcularibus abſtineat (qualia ſunt Teſtamentariorum, vel Executorum, vel Procuratorum rerum civilium, aut id genus officia) nec ea ullis precibus adducti obeunda ſuſcipiant, vel in illis ſe occupari ſinant.

Ratio habenda valetudinis. *Par. 3. c. 2. §. 1.*

46) Ut nimia ſollicitudo in iis, quæ ad corpus pertinent, reprehenſibilis eſt: ita cura moderata tuendæ ad divinum obſequium valetudinis, ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda eſt: & ea de cauſa cùm animadverterint aliquid ſibi nocere, vel aliquid aliud neceſſarium eſſe circa victum, veſtitum, habitationem, officium aut exercitationem, & ſic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior conſtituerit, duo interim obſervantes: Primum, ut, antequam ad eum quid referant, ſe ad orandum recipiant, & poſt orationem, ſi ſenſerint rem deferendam ad Superiorem, id faciant: Alterum, ut, cùm verbo aut ſcripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem expoſuerint, ei totam curam rei expoſitæ relinquant: & quidquid ille ſtatuerit, optimum ducant: nec contendere, aut urgere per ſe, vel alium (ſive concedatur, quod petitur, ſive non) pergant: quandoquidem ſibi perſuadere debent, id magis expedire ad divinum obſequium, ac ſuum majus bonum, quod Superiori, re intellecta, in Domino viſum fuerit.

Par. 3. c. 2. §. 4.

47) Ut non expedit, tanto labore corporali quemquam onerari, ut ſpiritus obruatur, & corpus detrimentum patiatur; ita aliqua corporalis exercitatio, quæ utrumque juvet, omnibus communiter convenit, etiam illis, qui menta-

libus

libus exercitiis debent inſiſtere: quæ quidem externis interrumpi deberent, & non continuari, nec ſinè menſura diſcretionis aſſumi.

Par. 3. c. 2. §. 5.

48) Corporis caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta in vigiliis, & abſtinentiis, & aliis externis, ac laboribus, quæ & nocumentum afferre, & majora bona impedire ſolent. Ideò ſuo Confeſſario detegi ab unoquoque convenit, quidquid in hac parte faciat.

In Ex. c. 4. §. 32.

49) Ægritudinis tempore non ſolùm obſervare unusquisque obedientiam magna cum puritate debet erga Superiores ſpirituales, ut ipſius animam regant: ſed cum eadem humilitate erga medicos corporales, & Infirmarios, ut corpus ejus regant.

In Ex. c. 4. §. 32.

50) Qui ægrotat, humilitatem, & patientiam ſuam præ ſe ferendo, non minorem ædificationem, dum morbo laborat, iis, qui ipſum inviſent, & c[…] verſabuntur, & agent, quàm, c[…]lebat corpore, ad majorem DE[…]am præſtare curet, * verbis piis, […] ædificationem facientibus utendo, quæ ſ[…] oſtendant ægritudinem acceptari, ùt donum de manu Creatoris, ac Domini noſtri; quandoquidem non minus donum eſt, quàm ſanitas. *§. 17.*

Conſtitutiones ac Regulæ obſervandæ

51) Aliquoties ſingulis annis omnes à Superiore ſibi pœnitentias injungi propter defectum obſervationis Regularum petant; ut hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in via DEI quisque habet.

Par. 3. c. 1. §. 28.

52) * Omnes demum obſervationi Conſtitutionum ſtudeant; ad quam easdem ſcire, ſaltem quæ ad quemlibet pertinent, neceſſe eſt. Quare legere vel audire easdem ſingulis menſibus oportebit.

Regulæ Communes.

Quæ quisque erga ſe ſervare debeat.

Par. 4. c. 4. §. 3. & 4.

1) Singuli præfinitum ſibi tempus ſuæ conſcientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant, cum omni diligentia in Domino.

** Ibidem.*

2) * Omnes quotidie Sacro decenter interſint: & concionem, lectionemve ſacram, cùm in templo noſtro habebitur, audiant.

Par. 3. c. 1. § 11. & P. 6. c. 3. §. 2. & in Bul. 3. Pauli III.

3) Singuli ſtatuto die, & aſſignato ſibi Confeſſario confiteantur, & non alteri ſinè Superioris facultate.

** Par. 4. c. 4 §. 5. & c. 10 §. 5. & Par. 5. c. 4. §. 6 & Ex. c. 4. §. 38. & 41.*

4) * Omnes (qui Profeſſi aut formati Coadjutores non ſunt) bis in anno ſua vota renovabunt, præmiſſa Confeſſione generali; quo tempore rationem ſuæ conſcientiæ reddent, & quoties etiam Superiori viſum fuerit, juxta morem Societatis.

5) In abſtinentia ſextæ feriæ, Societatis Conſuetudo ſervetur.

In Extra c. 4. §. 4.

6) Nullus mortificationem publicè faciat, nec concionetur, niſi Superiore approbante.

7) Nemo pecuniam apud ſe habeat: apud alium verò nec pecuniam, nec quicquam aliud.

** Par. 4. c. 6. Lit. C.*

8) Libros nemo habeat ſinè facultate: * in iis verò, quibus uti licet, nec ſcribat quicquam, nec notam ullam imprimat.

9) Nemo rem ullam ex domo, vel ex alterius cubiculo ſibi uſurpet, aut ab externo, quovis modo ſibi, aut alii accipiat, ſinè Superioris Licentia.

10) Ad majorem unionem, qui in Societate vivunt, majúsque auxilium eorum, apud quos habitant, ſinguli addiſcant ejus regionis linguam, in qua reſident, niſi fortè ipſorum nativa illic eſſet utilior, * ſalva tamen latini ſermonis lege in iis, qui litteris dant operam. *Par. 4. c. 6. §. 13.*

11) Nullus ita cubiculum ſuum claudat, quin aperiri extrinſecus poſſit; aut arcam, ſeu quicquam aliud habeat obſeratum absque Superioris facultate.

12) Aperta feneſtra nemo noctu dormiat, * nec ſinè indusio, aut non coopertus. *Par. 3. c. 2. Lit. E.*

13) Nemo cubiculo egrediatur, niſi decenter veſtitus.

14) Nemo eorum, qui ad domeſtica miniſteria admittuntur, aut legere diſcat, aut ſcribere, aut ſi aliquid ſcit, plus literarum addiſcat: nec quisquam eum doceat ſinè Præpoſiti Generalis facultate: ſed ſatis ei erit ſancta cum ſimplicitate, & humilitate Chriſto Domino noſtro ſervire. *In Ex. c. 6. §. 6.*

15) Signo campanæ conſtitutis horis audito, omnes ſtatim vel imperfecta litera relecta, ad id, ad quod vocantur, ſe conferant. *Par. 4. c. 10. §. 5.*

16) Ut conſulatur valetndini, nemo extra conſueta tempora bibat, nec extra Domum cibum ſumat abſque facultate Superioris.

Par. 3. c. 2. § 6. 17) Qui malè ſe habere præter ſolitum ſenſerit, id Infirmario, vel Præfecto ſanitatis, aut Superiori referat. Nemo verò medicinam ullam accipiat, aut medicum eligar, vel conſulat, niſi approbante Superiore.

18) Singuli etiam ſi Sacerdotes ſint, cum primùm ſurgunt, lectum operiant, eúmque & reliqua componant hora conſueta, & ſcopis cubiculum verrant, tertio ſaltem quoque die, exceptis iis, qui ob occupationes majoris momenti, aut valetudinis cauſâ, judicio Superioris ſublevandi ſunt.

19) Munditics, quæ & ad valetudinem, & ad ædificationem confert, omnibus curæ ſit, tam circa ſe ipſos, quàm circa alia omnia.

Servanda erga Superiores. 20) Qui gravem tentationem alicujus noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipſe pro paterna in ſuos cura, ac providentia, coovenienti remedio poſſit occurrere.

21) Quæ à Superioribos circa adminiſtrationem agenda ſunt, nemo curioſè ab aliis exquirat, aut conjecturam faciendo de iis ſermonem miſceat; ſed unusquisque ſibi, ac muneri ſuo attendens, quicquid de ſe, atque aliis conſtituendum erit, tanquam de mano DEI expectet.

22) Omnes capot aperiant ſuis Superioribus, & Sacerdotibus ii, qoi Sacerdotes non ſunt: diſcipuli etiam ſuis præceptoribus. Unusquisque autem Superiores alloquatur magna cum reverentia: is verò, qoem Superior alloquitur, aut reprehendit, humiliter, & ſinè interpellatione audiat.

23) Si cui à Soperiore denegatum aliquid fuerit, aliom Superiorem ne adeat ſuper ea re, quio ei aperiat, quid ſibi ab alio fuerit reſponſum, & qoas ob cauſas negatum.

24) Cui fuerit alicojus rei cura commiſſa, ſi impedimentum aliquod intervenerit, maturè admoneat aliquem ex Superioribus, ut provideat.

25) Nemo eùm ex uno loco io alium proficiſcitur, quicquam ſecum aſportet ſinè facultate Superioris.

Servanda erga domeſticos. 26) Extra rempora recreationi aſſignata, hac ratione ſilentium ſervandum eſt, ut nemo loquatur, niſi obiter & perpaucis, aut de rebus neceſſariis, præſertim in Eccleſia, Sacriſtia, & Refectorio: in Miſſa verò, Concione, menſa, lectionibus, & diſputationibus, ſi quid privatim dicere neceſſe erit, breviſſimè & ſubmiſſa voce ſuggeratur.

27) Nemo præter eos, qui à Superiore deputati fuerint, loquatur cum iis, qui in prima probatione verſantur: excipiuntur tamen uſitatæ ſalutationes, quas, cùm alii aliis obvii ſiunt, charitas religioſa exigit. *Par. 1. c. 4. § 4. & Lit. A.*

28) Omnes demiſſa voce, ùt Religioſos decet, loquantur: nullùsque com alio contendat; ſed ſi qua in re nobis eſt diverſa ſententia, eáque videtur manifeſtanda, rationes modeſtè, & cum charitate afferantur, eo animo, ut ſuus veritati ſit locus, non ut in ea re Superiores videantur.

29) Qui facultate accepta ægrotos inviſent, non ſolùm demiſſa voce loquantur, ſed tanta etiam moderatiooe, ut illis moleſti non ſint, atque de iis agant, quæ & exhilarare, & conſolari ægrotos, eircumſtantésque ædificare in Domino poſſint.

30) Caveant ſibi omnes ab illo affectu, quo aliæ de aliis Nationibus ſiniſtrè ſentire, aut loqui ſolent, quin potiùs & bene ſentiant, & peculari affectu diverſas à ſua Nationes proſequantur in Domino, ac proinde nemo bella, contentionésve inter Chriſtianos Principes in colloquium inducat. *Par. 10. § 11.*

31) Nemo præter eos, quibus per Superiorem licet, quicquam aliis jubeat, alióſve reprehendat. *Par. 4. c. 10. § 6.*

32) In alterius Officium nemo ſe ingerat: in locom verò alieno miniſterio deputatum nullus ingrediatur ſinè facultate Superioris, aut Præfecti illius loci, in rebus neceſſariis.

33) Nemo in alienum cubiculum ingrediatur ſinè generali aut ſpeciali Superioris facultate; quod ſi aliquis intus ſit, non prius aperiat oſtium, quàm poſt pulſum audiat: Ingredere; & tamdiu aperta ſit janua, quamdiu intùs unà fuerint. *Par. 3. c. 1 Lit. D.*

34) Ut ea, quæ Religioſos decet, gravitas & modeſtia retineatur, nemo alium etiam joco taogat, præterquàm io ſignum charitatis amplexando, cùm quis aut abit, aut redit peregrè.

35) Ne-

35) Nemo dum menſæ accumbit, cuiquam ex noſtris præterquàm ei Superiori, qui præeſt toti domui aut Collegio caput aperiat. Et cùm aliquid in menſa cuiquam deeſt, is, qui illi aſſidet, admoneat eum, qui miniſtrat.

Servanda erga extraneos, & cùm foras eundum eſt.

36) Domi nemo loquatur cum externis, aut alios ad id vocet ſinè facultate generali, aut particulari Superioris.

37) Nemo cujuſquam externi ad domeſticum aut domeſtici ad externum mandata deferat, aut literas, inſcio Superiore: ſeculares autem rumores, qui foris audiuntur, ne temerè, & ſinè fructu narrentur.

38) Nemo, quæ domi acta, vel agenda ſunt, externis referat; niſi Superiori id probari intelligat. Conſtitutiones verò, alióſve hujuſmodi libros, aut ſcripta, quibus Societatis inſtitutum, vel privilegia continentur, non niſi ex Superioris expreſſo conſenſu, iis communicet.

39) Nemo ſcriptas dabit, aut mittet cuiquam externo vel domeſtico inſtructiones ſpirituales, aut meditationes, nec exercitia ſpiritualia Societatis alicui communicabit, niſi à Superiore id approbetur.

40) Nemo ab externis conſilium petat ſinè facultate Superioris.

Par. 6. c. 3. § 7. & Par. 9. c. 6. § 4.

41) Nemo cujuſquam negotii, etiam pii, ſinè facultate Superioris curam ſuſcipiat, nec ad id operam ſuam promittat, aut ſe propenſum oſtendat: ſecularia verò negotia, ùt quæ ſint à noſtro inſtituto aliena, & vehementer à ſpiritualibus avocant, multò magis averſari convenit.

Par. 7. c. 4. §. 8. & in Ex. c. 6. §. 4.

42) Omnes pro ratione ſui gradus, data commoda occaſione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promovere; & conſilio ac exhortatione ad bona opera, præſertim ad Confeſſionem excitare.

43) Nullus domo egrediatur, niſi quando, & cum quo ſocio Superiori viſum fuerit.

Par. 3. c. 1. §. 9. & in Ex. c. 4. §. 25.

44) Cùm quis facultatem à Superiore petit, aliquò eundi, ſimul etiam aperiat, quo, & cujus rei causâ ire velit, præſertim, ſi Prælatus, aut alius vir primarius conveniendus ſit; eadémque die referat eidem, quid egerit, ſicut ipſum velle intelliget, & res poſtulaverit.

45) Ingreſſuri, egreſſurive domo, tintinnabulum nec vehementiùs, nec crebriùs pulſent, quàm par eſt. Nemo autem niſi conſueta domus janua egrediatur, vel ingrediatur.

46) Qui domo egrediuntur, ſignabunt ſua nomina, quæ propè Oſtium domûs in tabula deſcripta ſunt, & admonebunt janitorem, quò ſint profecturi.

47) Omnes ante noctem, qui foris ſunt, ſe domum recipiant; nec egrediantur ante lucem ſine facultate Præpoſiti vel Rectoris.

Can. 13. Cong. 3.

48) Cùm quis iter faciens tranſit per locum: ubi Domus aut Collegium Societatis ſit, ad aliud hoſpitium ne divertat, * ejúſque, qui illic præeſt, Obedientiæ ſubſit in omnibus, ſicut & reliqui, qui in eadem Domo vel Collegio commorantur. Quod ſi quis etiam ad negotia tractanda venerit, ea non niſi ex ejuſdem conſilio & directione tractabit.

Par. 4. c. 10. Lit. F.

49) Singuli has regulas & officiorum ſuorum habeant, atque intelligant, ſibique faciant familiares, ac earum memoriam menſibus ſingulis eis legendis, vel audiendis renovent: * qui tamen peculiaria miniſteria Coadjutorum obeunt, eas, quæ ad ipſorum officia pertinent, ſingulis hebdomadis repetant.

Regulæ Provincialis.

De iis, quæ ad ejus perſonam & communem totius Provinciæ adminiſtrationem ſpectant.

CAPUT I.

1) Quæ Præpoſitis domorum & Rectoribus, quod ad eorum perſonas attinet, in regulis præſcribuntur, eò diligentiùs ſervare enitatur Provincialis, quo pluribus pro ratione officii ſui, vitæ ſpiritualis ſtudio præire debet.

2) Finem officii ſui (quem ante oculos habebit) in eo poſitum eſſe intelligat, ut Provinciam ſibi commiſſam in acquirenda perfectione, juxta proprii inſtituti rationem, & regulas ipſi datas promoveat.

In Bullis Inſtituti Societatis. 3) Imitetur in gubernatione charitatem, manſuetudinem & benignitatem Chriſti Domini noſtri, ut juxta eam normam, quam tradiderunt Apoſtoli, non dominans, ſed forma factus gregis ex animo, exemplo magis, quàm verbo ſubditos ad perfectionem dirigat.

4) Severitatem ſuo tempore cum benignitate immiſceat, ſuámque auctoritatem per ſolidas virtutes tueatur, ac dilectionem & curam ſuorum præferendo modeſtè, & circumſpectè præcipiendo, ita amabilem ſe reddat, ut omnes fidenter ad illum recurrere poſſint.

Par. 9. c. 6. §. 1. & Lit. A. 5) Solicitè animum ad gubernationem applicet, neque tamen in ea ita diſtrahatur, ut in ſtudio orationis & ſanctis deſideriis, quibus totam ſuſtentare debet Provinciam, intepeſcat: quamvis autem ordinariè concionari non debet, ſi quando tamen per occupationes officii ſui commodè licebit, & hoc & alia Societatis miniſteria exercere poterit.

6) Nullas regulas aut ordinationes, aut conſuetudines toti Provinciæ communes abroget, vel novas inducat inconſulto Generali; ſed ſecundum eas, quas habet gubernet Provinciam.

Par. 9. c. 3. §. 8. & Lit. D. & Par. 4. c. 10. lit. B. 7) Sicut Provincialis, quando neceſſe eſt in regulis, ordinationibus, decretis, & in ipſis etiam Conſtitutionibus cum particularibus diſpenſare poteſt; ſic cùm diſpenſaverit in rebus majoris momenti, quæ videantur urgere, & in quibus ſine gravi incommodo Generalis reſponſum expectari nequeat, debet eum primo quoque tempore de hujuſmodi diſpenſatione, & ejus cauſa admonere.

8) Præter facultates, quæ in his regulis conceduntur, habet etiam eas omnes, quæ in compendio facultatum Societatis Provincialibus conceſſæ ſunt, quas ex compendio ipſo intelliget.

9) Omnes facultates eorum Superiorum, qui Provinciali ſubordinati ſunt, ad ipſum quoque pertinet, ab ipſoque etiam ſuſpendi poterunt, quando ei expedire in Domino videbitur.

Can. 22. Cong. 4. 10) Poteſt Provincialis in abſentia vel in periculo vitæ conſtitutus, nominare Vice Provincialem, ſi Generalis neminem deſignaſſet: quocunque autem modo conſtituatur, eaſdem omninò facultates habeat, quas Provincialis, neſi à Generali, vel Provinciali limitetur: rationem tamen adminiſtrationis non immutabit.

De iis, quæ illum ad bonam Provinciæ Adminiſtrationem juvabunt.

CAPUT II.

11) Conſultores quatuor habebit à Generali deſignatos in iis locis, ubi frequentiùs reſidet, quoad fieri poterit, cum quibus res graviores communicabit: quod ſi abſentes ſint, per tranſmiſſas literas: * quorum unus ab eodem Generali conſtitutus, erit ejus Admonitor, & ſocius. In quavis autem Domo vel Collegio opera Superioris & ejus Conſultorum, quos ad conſultationem adhibendos judicaverit, utatur in rebus iis, de quibus ordinariè conſultandum erit. Par. 9. c. 6. §. 14. Ibidem c. 4. §. 4.

12) Si expediret præter Conſultores, alios etiam nonnunquam ad conſultationem vocare poterit, & eos quidem, quos de rebus propoſitis meliùs judicare poſſe exiſtimaverit; vel ſi abſentes ſint, jubere, ut de rebus iiſdem ſententiam ſuam ad ſe tranſmittant.

13) Literas & ſcripta, quæ pertinent ad rem, de qua conſultatio habenda eſt, oſtendat Conſultoribus (niſi quid obſtet) ut benè informati ſententiam ſuam meliùs dicere poſſint.

14) Cùm ordinationes aliquas communes à Generali acceperit, illas Superioribus ſuæ Provinciæ, & Conſultoribus manifeſtari faciat. Et quæ alicujus momenti fuerint, ad gubernationem vel inſtructionem pertinentes, in libro ad id deſignato deſcribendas curet.

15) In proponenda re, de qua deliberandum eſt, in neutram partem animi ſui propenſionem oſtendat, ne Conſultoribus declinandi in eam partem detur occaſio, ſed quiſque liberiùs in Domino ſuam ſententiam aperiat.

16) Si quando aliquid occurrerit, de quo non liceat cum Conſultoribus agere, poterit juxta primum & ſecundum modum in exercitiis ad electionem faciendam traditum, quid agendum ſit, deliberare.

17) Libenter ſe ab aliis admoneri patiatur de iis, quæ ad officium & perſonam ſuam pertinent, & eum præcipuè, qui Admonitoris Officio fungitur, benignè audiat. Par. 9. c. 4. §. 4.

18)

18) Habeat ſecum literas Apoſtolicas Authenticas, & compendium facultatum Societatis, & conſtitutiones, Decreta, Regulas omnes, & quæ à Generali ordinantur, eáque benè intelligat, & obſervari faciat.

19) In loco, in quo diutiùs ei reſidendum eſt, habebit Archivum, in quo aſſervabit inſtrumenta authentica, libros, & cætera, quæ ad officium Provincialis, & communem uſum Provinciæ pertinent, quæ omnia ex catalogo à ſe ſubſcripto Succeſſori tradet.

20) Habeat libellum, in quem referat ea, quæ conſultanda, vel providenda vel ad Generalem ſcribenda ſunt, ne memoriâ excidant.

** Par. 1. c. 3. §. 2. & Par. 7. c. 2. Lit. M. & c. 4. §. 3. & Par. 10. Lit. B.*

21) * Orationes & Miſſas ad tempus indicere poterit, etiam in tota Provincia, pro cauſis, quæ videbuntur id exigere: modum tamen in ea te non excedat.

De Superioribus et ſubordinatis, & eorum Officialibus.

Caput III.

Par. 9. c. 3. §. 3. & 14.

22) ETſi Præpoſitos domorum & Rectores Collegiorum, & Domorum Probationis ſuæ Provinciæ conſtituere non poteſt; ſi tamen neceſſè eſſet aliquando mutationem facere Superioris alicujus, & periculum eſſet in mora, vel ſi is moreretur, poterit aliquem, qui vices Superioris gerat, interim conſtituere, donec Generalis admonitus provideat. Miniſtros autem, Procuratores, & Præfectos ſtudiorum ipſe deſignabit, ac etiam ſubminiſtros, & Præfectos ſanitatis, ubi opus eſſe judicaverit.

Par. 3. c. 1. §. 12.

23) Conſtituat Magiſtros Novitiorum in locis probationum non ſeparatis, à Generali tamen confirmandos, & eos quidem, qui in rebus ſpiritualibus exercitati ſint, & in modo procedendi Societatis noſtræ benè probati.

Par. 4. c. 10. §. 7.

24) Deſignabit Præfectos rerum ſpiritualium in omnibus Collegiis, & Domibus profeſſis, quales in prima Regula officii illorum præſcribuntur, itémque ordinarios noſtrorum Confeſſarios; ex quibus ferè convenit & Præfectos rerum ſpiritualium deligere.

25) Deligere poterit Conſultores & Admonitores eorum, qui præſunt in Provincia, ita ut ſtatim ſuo officio fungi poſſint; ſcribet tamen de iis ad Generalem, ut ab eo confirmentur.

26) Prædicatores & Confeſſarios ipſe conſtituet, præmiſſo tamen domeſtico examine, & approbatione Ordinariorum juxta formam Concilii Tridentini. *Can. 27. Cong. 2.*

27) Lectores ordinarios in omnibus claſſibus, & primarios Officiales, præter Rectorem & Cancellarium in Univerſitatibus deligat; novas tamen lectiones non addat, * nec ſcholas usquam ullas, & præſertim eas, * in quibus pueri legendo, & ſcribendo inſtituantur (quod nec privatim licebit) ſinè facultate Generalis aperiat. *P. 4 c. 6. Lit. F. & c. 11. §. 3. * Ibidem c. 17 Lit. A. * Ibidem c. 7. Lit. A.*

28) * Tueatur auctoritatem Superiorum immediatorum in ſubditos, ita tamen, ut conſtet poſſe omnes ad mediatos recurrere: ideò quicquid agendum, vel immutandum erit, quod ad Immediatorum officium pertineat, per eosdem fieri curabit. ** Ibidem c. 12. Lit. C. * P. 8. c. 1. § 4 & 6. & Par. 9. c. 9. §. 2.*

29) Si quos ad gubernationem idoneos judicabit, curet de illis paulatim & negotiis tractandis, & domeſticis miniſteriis obeundis experimentum ſumere, ut & ipſi talenti accepti ſpecimen dare, & Societatis officia eis tutò committi poſſint.

30) Obſervet, ſi qui detineantur in miniſteriis aliquibus, qui magis idonei eſſent ad alia: eam tamen habeat cujusque rationem, ut univerſale bonum ſemper præferatur.

31) Neminem ab obedientia Superiorum immediatorum inconſulto Generali eximat, niſi periculum eſſet in mora, & tunc certiorem faciat Generalem de perſona, & de cauſis, propter quas eam exemerit. *Par. 8. c. 1. Lit. E.*

De Admittendis.

Caput IV.

32) EOs ad probationem per ſe, vel per alios admittere poterit, quos ad inſtitutum noſtrum idoneos in Domino judicaverit: cavebit tamen, ne cujusquam admiſſio juſtam aliquam externorum offenſionem, aut Societatis nocumentum pariat, quod cum iis potiſſimum obſervandum erit, qui Scholis noſtris inſtruuntur.

33) Attendat, ne nimii ſint noſtri in hominibus ad Societatem alliciendis, ſed per virtutes, & bonæ vitæ odorem omnes ad Chriſtum trahere ſtudioſè curent.

Par. 10. §. 7. 34) Meminerit, quòd inepta turba ad inſtitutum noſtrum admitti non debeat, & obſervari faciat in hoe diligenter Regulas officii Examinatoris.

In Ex. c. 2. §. & Lit. D. & Par. 1. c. 3. Lit. G. 35) Quod ad prima quinque impedimenta attinet, etſi Societas in oullo eorum diſpenſare poteſt, ſi tamen in eo, qui admitti petit, dona aliqua DEI illuſtriora cernerentur, Generalem admoneat: quod ſi de ejusmodi impedimentis dubitaret, ad eundem recurrat.

Par. 9 c. 2. § 9. & Lit. H. 36) In ſecuodariis impedimentis diſpenſandi facultatem habebit, præterquàm in deformitate magna aut defectu inſigni qualem habent Evnuchi, & io ætate infra 15. & ultra 50. expletos annos, & in conjugatis etiam in caſu, in quo noo eſt impedimentum eſſentiale.

*In Ex. c. 4. §. 9. * Can. 1. Cong. 2. * In Ex. c. 4 §. 43. Can. 1. Cong. 2.* 37. Poterit in caſu aliquo anteponere, & poſtponere aliqua ex ſex experimentis, eáque moderari, & alia io alia permutare, * dummodò biennio, & benè probentur Novitii: & * quod etiam tempus prorogare poterit, ſi opus eſſe judicaverit.

38) Poterit etiam cum Novitiis in ſecundo anno probationis circa ſtudia diſpenſare, habita ratione perſonarum, locorum & temporum, prout expedire in re in Domino judicabit. Ii verò, cum quibus diſpenſaverit, extra domum probationis & ſeorſum à Collegialibus eſſe debebunt, ſub cura alicujus Sacerdotis ab ipſo conſtituti, qui vicem Magiſtri Novitiorum gerat; ejúsque Regulas, & Examinatoris habeat; ex quibus ea ſervabuntur, quæ commodè ſervari poſſunt. Cujusmodi erit, ut per dimidiam horam veſperi oreot; ſed iis tantùm diebus, quibus à ſtudiis vacaverint.

Par. 1. c. 2. §. 1. & Par. 4. c. 3. §. 2. & in 1. Congr. tit. 6. d. 24. 39) Coadjutores temporales plures eſſe non debent, quàm qui neceſſarii ſint ad ſublevaodas domos vel Collegia io rebus, quibus occupari Sacerdotes & Scholaſtici non poſſunt, ſinè detrimento majoris boni.

De Dimittendis.

Caput V.

Par. 2. c. 1. Lit. G. 40) FAcultatem habet dimitteodi eos, qui in prima & ſecunda probatione ante & poſt emiſſa vota verſantur; niſi à Præpoſito Generali in illius Provinciam deſtinati, vel de Societate ipſi tam benè meriti eſſent, ut eorum eſſet particularis ratio habenda. In his enim caſibus ioconſulto Generali dimittere oon debet; niſi cauſæ admodùm urgentes, & graves eſſeot, ita ut minimè dubitaretur, Generales mentem hujusmodi futuram eſſe.

41) Scholaſticos verò approbatos, & Coadjutores non formatos, qui probationem abſolverunt, inconſulto Generali non dimittat, niſi in gravibus & urgentibus caſibus & qui ejusmodi ſint, ut ſinè gravi periculo Geoeralis reſponſum expectari nequeat: quem tamen poſt dimiſſionem certiorem faciat, adjunctis cauſis dimiſſionis. Et in univerſum diligenter Provinciali diſpiciendum eſt, ut qui mioùs idonei ad noſtrum inſtitutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipſe intra biennium probationis dimittat: quod ſi peracto etiam probationis tempore aliqui hujusmodi deprehendantur, tempeſtivè Generalis moneatur, ne cum Societatis jactura diutiùs, quàm par eſt, retineantur. *Par 2 c. 2. lit. C.*

42) Provincialis erit, juxta commiſſam ſibi facultatem, auditis ſuis Conſultoribus, vel ſi neceſſitas urgeat, Superiore & Conſultoribus ejus loci, ubi tunc erit, qui ipſi videbuntur adhibitis judicare de cauſis ſufficientibus ad dimiſſionem: curabit tamen, ne ad hæc extrema, niſi quàm conſultiſſimè & aliis tentatis remediis veniatur.

43) Coadjutores formatos, ſive ſpirituales, ſive temporales, & Profeſſos nullo modo dimittet. *Par. 2. c. t. Lit. C.*

44) Circa modum dimittendi obſervet ea, quæ in ſecunda parte Conſtitutionum capite tertio dicuntur; & intelligat, an is, qui dimittitur, aliquid Societati dederit, & ſi quid ei reddi oporteat, * juxta ejusdem capitis declaratiooem: Scripta verò ao ſecum aſportare debeat, conſideret ipſe diligenter. ** Par. 2. c. 3. Lit. B.*

45) Declaretur iis, qui dimittuntur, quòd liberi maneant à votis ſimplicibus, ſi ea juxta formulam Societatis conſultam emiſeriot. *Par. 2. c. 4. §. 3.*

46) Circa dimiſſos, aut egreſſos è Societate, & poſteà reductos, vel ſpontè redeuntes obſerventur ea, quæ * in Conſtitutionibus * & Decretis dicuntur: & ſi admittantur, deouò examinentur, & probentur, prout ipſi videbitur. Si quis autem ſemel egreſſus erit, poterit quidem iterum admitti, ſed advertatur, hujusmodi homines raró idoneos ad inſtituti noſtri diſciplinam inveniri. ** Par. 2. c. 4. * In Congr. 1. tit. 2. Decr. 10.*

De

De Literarum Studiis.

Caput VI.

Par. 4. c. 12. & 13. & c. 6. §. 6.
** Ibidem c. 13. Lit. G.*

47) IN Univerſitatibus & Collegiis, in quibus noſtri literas profitentur, idoneos & eruditos Profeſſores pro ratione loci & debiti conſtituat *. Et ſi aliquis Lector extraordinarius adjiciendus videretur, Generalem conſulat.

48) Peculiari cura videat, num lectiones in ſcholis noſtris, & ſcholaſticæ exercitationes diligenter, aſſiduè, atque in ordine habeantur: num Magiſtri & diſcipuli ſuum in Domino officium faciant; &, ſi quid opus eſſe judicaverit, provideat juxta ea, quæ in quarta Parte Conſtitutionum, & Regulis habentur.

Par. 4. c. 5. §. 3. & c. 6. §. 5.

49) Ipſius prudentiæ relinquitur, quid hi, aut illi addiſcere debeant, juxta ætatem & ingenium uniuſcujuſque ad majorem gloriam Dei; eos autem, quos non eſſe aptos ad ſtudia inveniet, ab illis removere poterit.

Par. 4. c. 6. §. 4. & c. 5. Lit. D. & c. 13. §. 4. Lit. E.

50) In addiſcendis diſciplinis ordinem ſervari faciat: efficiétque, ut priùs Scholaſtici in lingua Latina ſolidum jaciant fundamentum, quàm ad alia majora ſtudia tranſeant: curabit verò humaniorum literarum ſtudia magni fieri, & eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: & ne in his Profeſſores idonei deſint, illorum Seminaria & inſtituet, & conſervabit.

Par. 4. c. 6. §. 5. & Lit. D. & c. 13. §. 4.

51) Aliarum linguarum ſtudium valde commendatum habeat: Hebraicæ verò iis tantùm concedat, qui in Theologiæ Facultate mediocriter eruditi jam ſint, aut certè tam humiles, ut ſperandum meritò ſit, hoc ſtudium ſine illorum detrimento utile valde futurum.

Par. 4. c. 6. §. 4. & 16.
** Ibidem §. 17. & c. 15. §. 3.*
** Ibidem c. 6. §. 18.*

52) Deſignet aliquos, qui & probatæ virtutis in primis ſint, & ingenio polleant, ut abſolutis ſtudiis Philoſophiæ & Theologiæ, ad ea repetenda privatum & quietum ſtudium habeant, & poſitivæ, ac ſacræ Scripturæ ſe dedant *: quo etiam tempore in Diſputationibus publicis rationem ſuorum ſtudiorum reddant *, ut eas Facultates privatim vel publicè ad ſuam, vel aliorum utilitatem profiteri poſſint.

Can. 8. Congr. 3.

53) Diligenter ſtudeat, ut Præceptores Philoſophiæ cum magno delectu eos Ariſtotelis Interpretes legant, qui contra Chriſtiana dogmata impiè ſcripſerunt, & ita Philoſophiam interpretentur, ut Theologiæ Scholaſticæ, quam nobis commendant Conſtitutiones, ſubſervire faciant.

Par. 3. c. 1. §. 18. & Lit. O. & Par. 4. c. 5. §. 4. & Par. 8. c. 1. §. 8. Lit. K.

54) Cùm opinionum novitas & diverſitas non modò finem ipſum, quem Societas ad Dei gloriam propoſitum habet, impedire poſſit, ſed etiam ipſum Societatis ſtatum maximè labefactare; neceſſe eſt, ingeniorum licentiam in opinionibus vel introducendis, vel ſectandis, omnibus modis certa aliqua lege coërcere. Quare diligentiſſimè curent Provinciales, juxta mentem Conſtitutionum ea exactè ab omnibus noſtris, & præcipuè à Profeſſoribus obſervari, quæ in ratione ſtudiorum præcipiuntur.

Par. 4. c. 5. Lit. C.

55) Curet, ut ii, qui propenſum animum habent ad aliquam Facultatem, in qua poſſunt inſignes evadere, in ea diutiùs verſentur, habita tamen ſpiritualis profectus ratione, & de talibus Generalem admoneat.

Par. 4. c. 5. Lit. D & c. 13. §. 4. & Lit. E. & Can. 17. Congr. 2.

56) Qui propter ætatem provectiorem, aut alias cauſas in Facultatibus ſuperioribus, & ſcholaſticis ſtudiis progreſſum facere non poſſunt, curabit, ne in illis tempus inſumant, ſed caſibus conſcientiæ diſcendis dent operam, ſintque ſemper aliqui ex noſtris, qui huic ſtudio diligenter incumbant, ut Societas copiam habere poſſit Operariorum, qui confeſſionibus audiendis ſint idonei.

57) In ſingulis Domibus & Collegiis aliquem conſtituat, qui in caſibus conſcientiæ bene verſatus ſit, ut difficultatibus domi & foris occurrentibus ſatisfacere poſſit.

58) Comœdias, & Tragœdias rariſſimè agi permittat, & non niſi Latinas, ac decentes & priùs aut ipſe eas examinet, aut aliis examinandas committat; eas verò, atque alias id genus actiones in Eccleſia fieri omnino prohibeat.

Par. 4. c. 9. §. 3.

59) Sub finem ſtudiorum Generalem de uniuſcujuſque talento admoneat, &, quantum ſinguli profecerint, ei referat.

60) Curet, ut nullus ex noſtris librum aliquem ex una in alteram linguam transferat, aut imprimat, abſque Præpoſiti Generalis facultate.

De promovendis ad Ordines, & Gradus literarios.

Caput VII.

61) POteſt per ſe, vel per alios præſentare ex noſtris eos, quos idoneos, juxta inſtructionem à Generali traditam, cenſuerit, ad Ordines Eccleſiaſticos recipiendos.

Par 4. c. 6. §. ... & 7. c. 15. §. 3.

62) Quamvis in Actibus Scholaſticorum communibus exercendi ſunt noſtri juxta Conſtitutiones: nullus tamen ad Philoſophiæ vel Theologiæ gradus, etiamſi idoneus ſit, promoveatur, ſine Præpoſiti Generalis facultate.

63) Cùm noſtri de Generalis facultate in Univerſitatibus Societatis promovendi ſunt ad gradus literarios, ſi qua in re neceſſaria ad promotionem erit diſpenſandum (quod rariſſimè faciendum eſt, ne hujuſmodi gradus veniant in contemptum) ubi id fecerit, tam de perſona, quàm de cauſa diſpenſandi admoneat Generalem.

64) Etſi Doctoratus & Magiſterii gradus juxta Conſtitutiones prædicto modo noſtri accipere poſſunt, nomine tamen Doctoris vel Magiſtri ratione gradus inter ſe non utantur.

De promovendis in Profeſſos, & Coadjutores formatos, & ſcholares.

Caput VIII.

Par. 4. c. 3. §. 3. & Par. 5. c. 4. §. 3. & 6.

65) POteſt admittere poſt biennium ad vota ſimplicia Scholaſticorum approbatorum, & Coadjutorum non formatorum, quos in Domino idoneos judicaverit, juxta Regulas & Conſtitutiones.

In Ex. c. 4. §. 41. & 27.

66) Curet autem, ut, quàmprimùm aliquis biennium Novitiatus expleverit (niſi juſta de cauſa differendus videretur) peractis iis, quæ in examine * habentur, hæc vota in Sacro, antequam communicet, emittat coram aliquibus Domeſticis tantùm, non tamen inter eos, qui tunc fortè vota renovarent, etiamſi ea priùs ex devotione edidiſſet.

In Ex. c. 1. §. 11.
* Can. 2. Congr. 4.

67) Si quos ùt indifferentes admiſerit (quod raro fieri debet) poteſt eos applicare ad gradum Coadjutorum, vel Scholaſticorum, ſicut magis in Domino convenire judicabit*. In hac verò claſſe Indifferentium ultra tempus biennii probationis nemo maneat.

In Ex. c. 4. §. 16. & P. 5. c. 1. § 3. & c. 2 §. 1.

68) Scholaſtici ſimul abſque Superiorum arbitrio ſtudia abſolvant, tertium probationis annum in Domibus probationum peragant; quod ſi commodè fieri non poſſit, in Domibus Profeſſorum, vel in Collegiis probari eos faciat, juxta Regulas Novitiatus.

Par 5. c. 2. & P 4. c. 9. §. 3.

69) Finita viſitatione conſideret, qui ſint idonei in ſuà Provincia, ut in Coadjutores formatos ſpirituales, vel temporales, aut in Profeſſos juxta Conſtitutiones, & inſtructionem à Generali traditam admitti poſſint, & ſecundùm eandem accuratè Generalem informari curet.

* In Ex c. 1. §. 8. & c. 4. § 2. & 27. 38. 41. & c. 6. §. 8. & Par. 6. c. 2. §. 12. & Can. 3. Congr. 2.
* Par 6. c. 2. §. 1. & P. 10. §. 6.
* Par. 5 c. 3. §. 2. & c. 4. §. 1.

70) * Antequam admittat eos, qui cum Generalis facultate profeſſionem, vel vota Coadjutorum formatorum emiſſuti ſunt, ea ſervari curet, quæ ab ipſis erunt facienda: ejuſmodi ſunt, diſpoſitio bonorum temporalium, ſi quæ adhuc habuerint, exercitia ſpiritualia, confeſſio generalis, & alia, quæ in * Conſtitutionibus & Decretis Congregationum dicuntur, in Profeſſione etiam, & iis votis emittendis ſervetur, & ut publicè fiant, & in cæteris omnibus, quæ * Conſtitutiones præſcribunt.

* In c. 1. Congr. tit. 6. Decret 23. & in 3. Congr. Decret. 70.
* Can. 20. Congr. 2.

71) Qui Profeſſionem fecerint, etiam trium votorum, emittant vota illa ſimplicia, quæ poſt Profeſſionem emittenda ſunt, idque juxta formulam * primæ Congregationis, ut à tertia recognita eſt *; & doctrinam Chriſtianam tam ipſi, quàm Coadjutores formati ſpirituales per quadraginta dies intra annum doceant.

Par 5. c. 3. § 4.

72) * Habeat librum, in quo eorum nomina ſcribantur, qui vota ſolemnia vel ſimplicia poſt biennium in Domibus vel Collegiis ſuæ Provinciæ emittunt, juxta ordinem Præpoſitis Domorum, & Rectoribus traditum.

73) Cùm aliqui Profeſſionem, vel vota Coadjutorum formatorum fecerint, exempla hujuſmodi votorum, & aliorum quinque, quæ profeſſi poſt emiſſam Profeſſionem faciunt, nomine ipſorum ſubſcripta ad Generalem quamprimùm tranſmittat.

Par. 6. c. 2. § 3. & 4. & Par. 4. c. 10. §. 1.

74) Conſtituat juxta Conſtitutiones, ut Profeſſi, & Coadjutores ſpirituales formati ſuæ Provinciæ in Domibus profeſſis (quantum fieri poteſt) commorentur.

De

De rebus Collegiorum & Domorum.

CAPUT IX.

Can. 11. Congr. 1. Can. 9. Congr. 2.

75) ÆDificia conſervari, & (ſi opus fuerit) inſtaurari curet: quòd ſi quæ ædificanda majoris momenti fuerint, ùt eſſet Templum, Dormitorium, vel aliquid hujuſmodi, niſi approbante Generali non fiant, ad quem pertinet, formam, & modum noſtrorum ædificiorum præſcribere.

76) Redditus, & reliqua ſtabilia conſervari curet, &, an creſcant, vel minuantur, intelligat; ſi quis autem hujuſmodi bona augere vellet, vel aliquid donare, poterit id admittere: ſi tamen conditiones aliquæ exigerentur, non niſi approbante Generali ullam admittat; & eodem modo, quæ dantur Domui profeſſæ accipere, & ſi quid ſtabile donatum fuerit, etiam vendere poterit: ſi tamen Domui neceſſarium pretium non eſſet, & trecentorum ducatorum valorem excederet, conſulat Generalem, ut de eo juxta ipſius præſcriptum diſponat.

Can 26. Congr. 2.

77) Cùm lites pro rebus præſertim temporalibus diligenter nobis fugiendæ ſint, non intendat quiſquam è noſtris omnino litem aliquam abſque conſenſu Generalis, aut ejus, cui expreſsè ſuas vices ad hanc rem ille commiſerit, niſi in re adeo neceſſaria, ut ejus reſponſum exſpectari nequeat, de quo tamen poſtea ipſum admoneat. Quocirca nitatur Provincialis, primùm rem compromiſſione componere. Noſtris autem ſi lis intendatur, curandum etiam diligenter, niſi de jure noſtro manifeſtè conſtaret, ut aliqua tranſactione vel concordia res tota componatur: id ſi commodè fieri non valeat, poterunt in judicio ſe defendere, cùm Provincialis * poteſtatem habeat conſervandi & defendendi res Collegiorum, etiam in judicio, cum facultate alios ſubſtituendi, ſi id neceſſarium vel conveniens aliquando fuerit.

* Par. 4. c. 2. Lit. C.

In 1. Congr. tit. 6. Decr. 24.

78) Intelligat, an exempla authentica contractuum majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum ad Archivum, quod eſt in Urbe penes Præpoſitum Generalem, miſſa ſint, alioqui mittenda curabit.

79) Videat computa inter Superiorem & Procuratorem tranſacta, rationemque exigat accepti & expenſi, & reſolutionem ultimi ſui computi ſummatim ſcribi faciat, quam ipſe ſubſcribet in libro deſignato: in hoc autem ſcripto ſimul conſtet tam de ſumma accepti & expenſi ab ultima viſitatione, quàm de eo, quod reſiduum fuerit, vel etiamſi quid debiti maneat.

80) Viſitet bona ſtabilia extra Domum, quæ ſine magno incommodo viſitari poſſint, ut videat, num qua inſtauratione vel cultura egeant, & quid ad eorum conſervationem opus ſit.

81) Si Domus vel Collegia cum commoda fundatione offerentur, expendat, quid ad commune bonum ex iis ſperetur, & an aliquæ conditiones exigantur, & an locus ſit ſalubris, & omnia ad Generalem referat, nihil interim certi promittendo.

Par. 4. c. 2. §. 1. & P. 9. c. 3. §. 17.

82) Magnum æs alienum Collegia vel Domos conflare non ſinat, ſi ſolvendo ſore probabiliter non ſperet, habita ratione reddituum, & eleëmoſynarum, quæ ordinariè dari ſolent *: nec in iis plures habitare permittat, quàm ali poſſint.

Can. 12. Congr. 2.

83) Quando contribuendum erit ad ſumptus communes Provinciæ, ſtatuat ipſe, quid cuique Collegio vel Domui, ſervata proportione debita, imponi debeat.

Par. 4. c. 2. Lit. E.

84) In veſtitus ratione tria obſervari faciat: Primum, ut honeſtus ille ſit: Alterum, ut ad uſum communem & approbatum honeſtorum Sacerdotum ejus loci, in quo vivitur, ſit accommodatus: Tertium, ut profeſſioni paupertatis non repugnet.

Par. 6. c. 2. §. 15.

85) Habitationem, officinas, veſtes, & reliquam ſupellectilem, omnia denique diligenter inſpiciat; nec neceſſaria deeſſe, aut ſuperflua expendi permittat; & rerum mobilium inventarium conferri faciat cum inventario in præcedenti viſitatione à Viſitatore, vel Provinciali ſubſcripto. Obſervet etiam, quæ teneatur Oeconomiæ ratio.

De iis, qui bonis ſuis nondum ſe abdicarunt.

CAPUT X.

86) NOn permittat noſtros abdicare ſe poſſeſſione bonorum ſuorum, niſi quos conſtantes & ſtabiles in ſua vocatione cognoverit, atque in ea re maturo ſemper conſilio procedat.

87) Non ſinat pactiones inire noſtros cum parentibus ſuis, & quibuscunque

Can. 4. Congr. 3.

cunque aliis de legitima parte, & aliis bonis ad ſe pertinentibus, niſi illi priùs admoneantur, Societatem ipſam ad ea bona nullum jus habere, & Generalis de tota re priùs informetur.

Can. 3. Congr. 2. & Can. 3. Congr. 3. 88) Cùm quis ex noſtris eſt diſpoſiturus de bonis ſuis in auxilium Societatis, admoneatur Generalis de eorum valore, & de animo relinquentis, & neceſſitate etiam Domorum, & Collegiorum Provinciæ, ſi in ea hujuſmodi bona ſint.

89) Si aliqua bona applicabuntur Societati cum facultate Generalis, magnopere curet Provincialis, ut cum ædificatione & charitate, & non cum rigore exigantur, potiùſque per Procuratores externos, quàm per noſtros: expediet quoque, ut ex his eleëmoſynæ aliquæ in pauperes ejus oppidi, ubi ſunt bona, diſtribuantur: & ratio dati & accepti talium bonorum ſcripto conſtet, ut ipſe, aut Superior illius Domus aut Collegii, cui applicata fuerunt, eam reddere poſſit ei, qui à Generali fuerit deſignatus.

90) Non ferat, noſtros quidquam petere à parentibus, cognatis, vel amicis; ſed omnia eis neceſſaria à Societate provideantur *: intelligátque etiam, ſi quibuſdam ad tempus proprietas bonorum temporalium permittitur, uſum tamen eorum ad propriam utilitatem nulli eſſe concedendum.

** In Ex. c. 4. §. 4. & Par. 4. c. 4. Lit. E.*

De modo, quo cum Generali, & aliis Provinciis, ac externis, ſe habere debeat.

Caput XI.

91) Obedientem, reverentem, ac fidelem ſe Præpoſito Generali exhibeat, & hac re ſubditis inprimis exemplum præbeat: idque potiſſimùm curet, ut omnes de ſuis Superioribus bene ſentiant, ejúſque peculiari devotione afficiantur.

92) Perſpecta Generali eſſe cupiat omnia, quæ ad ſuam Provinciam pertinent, eáque per ſe, & Superiores Domorum & Collegiorum, & Conſultores ſuæ Provinciæ juxta formulam ſcribendi manifeſtari diligenter curet.

93) Cogitet de communi bono Societatis, illúdque juvet: Congregationes Provinciales ſuo tempore juxta formulam traditam cogat: ſi quid annotaverit circa Decreta & Conſtitutiones, vel quid aliud, quod Congregationem generalem expoſcat, Præpoſito Generali ſcribat, vel Procuratori tertio quoque anno ad eundem venturo tradat.

94) Si occaſio ſe obtulerit juvandi alias Provincias, non deſit charitatis officio, & literarum communicatione juxta formulam ſcribendi, mutuam concordiam & charitatem foveat.

95) Benevolos & devotos conſervet, curétque, ut Benefactoribus ſe grati noſtri exhibeant: ſi qui autem adverſantur Societati, ſtudeat, ut meliùs informati reconcilientur. *Par. 10. §. 11. & Lit. E.*

96) Quæ eleëmoſynæ externis pauperibus, ſive ordinariæ, ſive extraordinariæ dari debeant, ipſe Superioribus præſcribet auditis Conſultoribus, pro Collegii vel Domus facultate: ubi verò habentur bona Eccleſiaſtica, eleëmoſynas aliquas fieri providebit, in locis præcipuè, ubi hujuſmodi redditus percipiuntur.

De communi ratione juvandi proximos.

Caput XII.

97) Intelligat, præſertim ſub finem ſtudiorum, qui ex noſtris, & quouſque, quibúſque rationibus domi & foris externis ſe communicare debeant: quod tamen niſi probatis, & in vocatione ſtabilibus, diſcretis *, & bene inſtructis, quique alios ædificare poſſint, concedendum erit. *Par. 4. c. 10. §. 10. & c. 6. § 3. & Lit. C. * Can. 27. Congr. 2.*

98) Conſideret, num Miſſæ celebrentur, & Sacramenta alia miniſtrentur juxta uſum Romanæ Eccleſiæ: concionandi etiam, & doctrinæ Chriſtianæ docendæ modum obſervet: curétque, ut in his omnibus noſtri uniformes ſint, & ut finem, quem Societas intendit, aſſequantur. Præcipuè verò circa Concionatores invigilet, ut, ſi quis ex iis ad ſuas regulas ſe fortè non accommodaverit, à concionandi munere amoveatur, & in aliis Societatis noſtræ miniſteriis occupetur. *Par. 4. c. 8. §. 2 & Par. 10. § 9.*

99) Videat, num in Domibus & Collegiis Concionatores & Confeſſarii ad ſua munera idonei ſint: & ſtatuat pro ratione inſtituti & loci, quàm frequenter domi vel foris concionandum, vel publicè legendum ſit, vel doctrina Chriſtiana tradenda: & tempore peſtis aliqui ab eo deſignentur, qui ſeparati ab aliis, proximis juvandis vacent, *Can. 17. Congr. 2.*

100)

100) Det operam, ut Confeſſarii maturioris ſint ætatis, quantum fieri poteſt, præſertim qui ad confeſſiones mulierum audiendas mittuntur *: curétque, ut noſtri gratiis, & Privilegiis Apoſtolicis prudenter & moderatè utantur.

* Par. 10. §. 12.

Par. 4. c. 8. & P. 7. c. 4. 101) In iis locis, in quibus ſimul Domus Profeſſorum, & Collegium fuerit, Societatis miniſteria in Domo exercenda curabit: in Collegiis verò ea, quæ ad ſtudia literarum, & auxilium ſpirituale Scholaſticorum pertinent, tractanda ſunt.

102) Efficiet, ut in feſtis, quæ à noſtris præcipuè celebrari ſolent, ornatus Eccleſiarum noſtrarum ſit moderatus, ac religioſus, & quoad fieri poteſt, ſine nimia diſtractione noſtrorum, & moleſtia externorum.

Par. 7. c. 4. Lit. G. 103) Non permittat, ut cum Congregationibus externorum, quæ Confraternitates dicuntur, noſtri miſceantur, nec in Domibus, vel Collegiis ulli earum Conventus agantur, niſi qui ad finem earundem Domorum & Collegiorum in divino obſequio fient.

Can. 19. Congr. 2. & Can. 7. Congr. 4. 104) Si examinandi miniſterium ab Ordinario injunctum effugere noſtri nulla ratione poſſint, quamvis de doctrinæ ſufficientia judicium ferre valeant: illud tamen retineant, ne de admittendis, vel non admittendis ferant, ſed illud omnino Prælatis relinquatur.

De Miſſionibus & Mutationibus noſtrorum.

Caput XIII.

105) Provincialis non abeat à ſua Provincia ſine Generalis, nec Præpoſitus, aut Rector à ſua Domo, vel Collegio abſque Provincialis facultate, niſi locus eſſet vicinus, aut ſine gravi incommodo Superioris reſponſum exſpectari non poſſet *. Reliquorum verò mutationes intra Provinciam Provincialis ipſe ne faciat ſine cauſa alicujus momenti.

* Can. 31. Congr. 2.

Par. 7. c. 1. §. 5. & c. 2. §. 2. & Can. 2. 7. Congr. 2. 106) In mittendis Operariis per Provinciam extra Domos & Collegia, ut in Vinea Domini laborent, obſervet, quæ in Conſtitutionibus & Regulis Miſſionum diſtinguntur: videat tamen, ne Domus & Collegia neceſſariis Miniſtris deſtituantur.

107) Quòcunque mittat aliquem, eum per ſe, vel per alium plenè inſtruat, & ordinariè in ſcriptis tam de modo procedendi, quàm de mediis, quibus eum uti velit ad finem, quem in animo habet.

108) Per crebram literarum communicationem juxta formulam ſcribendi totius ſucceſſus certior factus ex eo loco, ubi ipſe commoratur, conſilio, & orationibus, & aliis rationibus eum juvabit, ut perſona & negotium poſtulaverit.

109) Optimi quique & maturiores ad proximos juvandos (quantum commodè fieri poterit) mittantur: & ſi ei videbitur expedire, alicui Superiori vicinioris Domus vel Collegii ſubjiciantur. Par. 8. c. 1. §. 4.

110) Cùm mutari aliquem oportebit, animadvertat, ut ad eum revocandum (quoad fieri poterit) iis mediis utatur, ut ii, à quibus evocatur, potiùs benevoli omnino maneant, quàm offenſi, vel malè affecti. Par. 7. c. 2. Lit. H.

111) Si miſſum à Superiore, vel à ſummo Pontifice minùs utiliter occupari videret, Generalem admoneat. In Bulla 3. Pauli III.

112) Extra Provinciam ſuam neminem mittat, nec etiam ad laborandum in vinea Domini, niſi negotii alicujus, aut peregrinationis cauſa, aut niſi ei conſtaret de Generalis voluntate, vel conveniret cum Provinciali illius Provinciæ, ad quam mittere aliquem voluerit: ad Provincias tamen extra Europam, & inter ipſaſmet, hæ tranſmutationes ſine facultate Generalis ne fiant.

113) Poſt cognitam Generalis mortem Provincialis neminem ex iis, qui jus ſuffragii habent, ex ſua Provincia in aliam mittat, ante Congregationem Provincialem, niſi cauſa ſit adeo urgens, ut ipſe, & major pars Conſultorum ipſius exiſtimet eſſe mittendum.

114) Cùm peregrè erit noſtris proficiſcendum, aliquem, cui maximè confidat, præficiet, cui toto itineris tempore cæteri tanquam Superiori in omnibus obediant.

115) Ad retinendam religioſam diſciplinam, & paupertatis rationem det operam, ut noſtri in profectionibus, quos ipſorum Superiores id præſtare poſſe judicaverint, in toto, vel in parte pedeſtri itinere utantur, & in equitando ſolius neceſſitatis, ſive perſonæ, ſive negotiorum ratio habeatur. Can. 12. Congr. 1.

116) Expenſas itinerum ſolvere ejus erit Provinciæ, aut Collegii, aut Domus, Can. 10. Congr. 2.

in

in cujus bonum & utilitatem cedit profectio; quod, ſi in ea re dubium eſſet, arbitrio ipſius (auditis Conſultoribus) ſtatuendum relinquitur: ſi aliquando tamen inter aliquos Provinciales non conveniret, recurrat ad Generalem.

Par. 3. c. 1. Lit. A. 117) Quando quis ab uno loco ad alium transfertur, Superior, ad quem talis mittitur, informandus eſt, quantum ad cognoſcendum & juvandum eum ſit ſatis. Neminem autem ex uno in alium locum ire permittat ſine literis patentibus.

De Viſitatione.

Caput XIV.

Can. 19. Congr. 1. & Par. 8. c. 1. §. 1. 118) Singulis annis per ſe ipſum ſingula loca ſuæ Provinciæ viſitet, cùm hoc ſit valde proprium ſui officii, & ibi diutiùs immoretur, ubi magis erit opus, præſertim in loco ad communicationem cum inferioribus, & Generali Præpoſito magis commodo.

119) Si quando ob cauſas graviores viſitare omnia loca ſuæ Provinciæ ipſe non poſſit, re cum ſuis Conſultoribus collata, ad ea, quæ non poteſt, ſibi alium ſubſtituat. Quamvis omnino curandum ſit, ut Domos Probationis, & Scholaſticorum Seminaria peculiari cura, & per ſe viſitet.

120) Cùm ad Domum vel Collegium aliquod pervenerit, Superiorem interroget, num aliquid urgeat, cui ſtatim neceſſariò ſit remedium adhibendum: & viſitationes præteritas petat. Deinde omnes ſimul benignè alloquatur, eóſque ad renovationem in ſpiritu, & ſtudium perfectionis hortetur.

121) Incipiat Viſitationem à Templo, cujus oſtio clauſo videat, quomodo cuſtodiatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: mox viſitet ſacrum Infirmorum Oleum, & Sanctorum Reliquias, ex quibus nihil ulla ratione auferatur, Altaria, ſedéſque Confeſſariorum, atque alia, quæ tam in Templo, quàm in Sacriſtia ad divinum cultum pertinent.

122) Poſtea ad viſitationem perſonarum accedat, & curet, ut omnibus benévolum ſe exhibeat, ne alicujus mentem ſubeat ſuſpicio, quòd ob ſiniſtras aliquas informationes minùs hilarem vultum ipſis oſtendat.

123) Petat à Superiore, & conſequenter à Conſultoribus, & ab aliquibus Patribus antiquioribus, vel præcipuis Officialibus, ut ea, quæ ſciunt, alicujus momenti de ſtatu Collegii, vel Domus, aut de perſonis referant: quod ſi judicaverit expedire, jubere poterit, ut informationes hujuſmodi, vel partem earum breviter ſcribant, & ſibi tradant; ſcripta, aut quæ ſecretum continent, clauſa ipſe diligentiſſimè ſervet, caveátque, ne minimo quidem indicio eos, qui ſibi aliquid referunt, prodat.

124) Hujuſmodi Informationibus acceptis, & conſideratis, percurrat cum Superiore catalogum perſonarum Domus, vel Collegii, brevémque de ſingulis ab eo capiat informationem.

125) Deinde vocet ſigillatim omnes eo ordine, qui ei magis convenire videbitur, & ſingulos ſeorſum juxta inſtructionem ſequenti capite poſitam memoriter potiùs, quàm ex ſcripto interroget, &, quæ advertenda judicaverit, ſibi memoriæ cauſa ſcribat. Quid verò à quoque interrogandum ſit, illius prudentiæ relinquitur.

126) Hortetur omnes ad veritatem ſincerè dicendam, ne ipſis imputetur, ſi morbi propter eorum ſilentium incogniti & latentes curari non poſſint, admoneátque teneri eos ſervare ſub ſecreto, quidquid cum eo, quod ſecretum requirit, tranſegerint, licèt à quovis alio, qui ipſo ſit inferior, de ea re interrogentur.

127) Non facilè credat, ſi quæ forſan contra alios, præſertim Superiores, dicentur, ſed ea notet, & expendat, ut veritatem exequatur: caveátque, ut, dum ſubditos conſolari ſtudet, illi debiliores in obedientia, & reverentia erga ſuos immediatos Superiores reddantur.

128) Si qui diviſionis, aut diſſenſionis eorum, qui unà vivunt, inter ſe, vel cum ſuo Capite auctor eſſe inveniretur, diligentiſſimè ab ea Congregatione, velut peſtis, quæ eam poteſt inficere, ſi præſens remedium non adhibeatur, ſeparandus eſt. Par. 8 c. 1. §. 5.

129) Viſitatio rerum aut partium Domus, juxta ea, quæ in præcedentibus Regulis, præſertim in nono Capite hujus officii dicta ſunt, fieri debet; in qua ſimul examinandæ ſunt Regulæ Officialium, qui ejuſmodi rerum curam habent: ſi quid autem non ſolùm informationem, ſed inſpectionem requirat, ipſe per ſe, aut ſocium id præſtabit.

130)

130) Summarium Conſtitutionum, & Regulas communes coram Superiore, Conſultoribus, & Miniſtro examinabit, &, ſi quas non obſervari intellexerit, conſideratis cauſis remedia adhibebit, ut obſervari poſſint. Regulas autem Miniſtri, Conſultorum, & Admonitoris, Concionatorum & Sacerdotum, itémque præcipuorum Officialium ipſe per ſe cum ipſiſmet examinabit: reliquas verò aliorum Officialium poterit ſocio, aut alteri coram ſingulis eorum examinandas committere.

131) Provincialis integram rationem totius anteactæ vitæ juxta Conſtitutiones ab aliis exigat, qui Societatem ingrediuntur: & ab eo tempore, quo ad ſtudia miſſi ſunt ab iis, qui illis abſolutis, ad tertium probationis annum peragendum mittuntur. Quod ſi id aliquando per ſe præſtare non poterit, ſubſtituat ad id ordinariè Superiorem Domûs vel Collegii. Singulis verò annis in quacunque Domo vel Collegio ſuæ Provinciæ, abſoluta rerum domeſticarum viſitatione, aut in ipſo viſitationis decurſu (ſi id opportunius in aliquibus fore judicaret) rationem conſcientiæ ab omnibus accipiat ab ultima, quam reddiderunt juxta modum inferiùs præſcriptum. Quod ſi viſitatio circa renovationem votorum inciderit (quam extra ſtatutum tempus ratione ſui adventus in Domum aliquam vel Collegium præſertim magnum per unum aut alterum menſem prætermittere, aut differre poterit) ipſe ad excipiendas confeſſiones generales noſtrorum, aliquos Patres probatos & maturiores deſignabit, eóſque, qui ſibi confiteri volent, benignè audiet.

132) Poſtremum omnium viſitet Superiorem Domus, vel Collegii circa ea, quæ ad perſonam, & officium ejus attinent, juxta officii ejus Regulas, & ea, quæ ex acceptis informationibus collegerit.

133) Viſitatione cujuſque Domus, vel Collegii abſoluta, & rebus omnibus perſpectis, ut laboris ſui fructum capiat, denuo omnia, quæ accepit in viſitatione, conſideret, & ea, quæ majoris momenti ſunt, diligentiùs expendat; quid item clarum, quidque tantùm probabile videatur, & de quibus Generalis conſulendus eſt, & quæ cum ſolo Superiore Domus, vel Collegii, quæ etiam cum Conſultoribus, & quæ cum aliis particularibus ſint tranſigenda, diligenter diſcernat.

134) Quæ ad gubernationem ſpectantia ipſi ordinanda videbuntur, hæc vel illa iis etiam expendenda tradat, quos de unaquaque re meliùs judicare poſſe confidat. Et antequam ultimam executionis manum rebus imponat, omnia in orationibus, & Miſſarum ſacrificiis Deo commendet; ut juxta ipſius divinum beneplacitum dirigantur.

135) Poſtquam autem apud ſe omnia conſtituerit ex præteritæ viſitationis memoriali, ubi rerum, quæ temporariæ ſunt, ordinationes ſcribuntur, eas, quæ executioni mandatæ fuerint, expungat. In libro verò, in quo non niſi majoris momenti ordinationes ſcribendæ erunt, ipſe ea tantùm ſcribet, ſuáque manu ſubſcribet, quæ cum Generali communicaverit, & ab ipſo fuerint approbata.

Inſtructio de iis, quæ in viſitatione interroganda ſunt.

Caput XV.

Quæ ad gubernationem pertinent, à Superioribus & Conſultoribus, & aliis, quibus videbitur, petenda.

1) Interroget, ſi quid gravius in ea Domo vel Collegio accidiſſe extra confeſſionem intellexerit, & quod remedium ſit adhibitum.

2) Quomodo ſerventur Regulæ, quæ ad Novitios pertinent.

3) An aliqui, præſertim pueri aut mulieres, ad vota emittenda inducantur, vel ad conſilia alia obſervanda indiſcretè trahantur.

4) An aliquis domi nimis affectus videatur ad conſanguineos, vel ad eorum ſubventionem teneatur.

5) De numero & ſufficientia Confeſſariorum, & de frequentia & fructu confitentium.

6) Quomodo literarum ſtudia vigeant, & quàm exactè ſerventur, quæ de opinionum novitate, & diverſitate ſtatuta ſunt. Et an aliqui videantur, finitis jam ſtudiis, educendi è Collegiis.

7) An infirmi, hoſpitalia, carceres, & triremes (ubi eſſent) viſitentur, & adjuventur à noſtris.

8) Ex quibus operibus piis juxta noſtrum inſtitutum major fructus percipiatur.

9) De cura in tradendis ſpiritualibus exercitiis, & quàm exactè illa fiant.

Et de vigilantia puerorum ac rudium in doctrina Chriſtiana inſtitutione.

10) De modo converſandi juxta rationem & finem noſtri inſtituti.

11) De Miſſionibus, & earum fructu, & modo procedendi eorum, qui mittuntur.

12) An aliqui prætextu valetudinis juvandæ à ſpiritus perfectione degenerent, & à laboribus noſtri inſtituti abhorreant, atque ad otium aſpirent.

13) An erga noſtros infirmos & hoſpites debita Societatis charitas & cura exerceatur.

14) An aliqua ambitionis & proprietatis indicia in aliquo appareant.

15) De eleëmoſynis, quæ externis pauperibus dantur.

Quæ ab omnibus peti poſſunt.

16) Quomodo valeat corpore & viribus, & quomodo ei conveniat ratio victus, veſtitus, cubiculi, & exercitationis corporalis, qua utitur.

17) Si quid dubitationis aut difficultatis, ſi quid etiam ad ſuam conſolationem, inſtructionem, aut profectum fore putat, confidenter proponat.

18) Quod ad alios attinet, interrogetur, quomodo tractetur à ſuis Superioribus, & quid ſentiat de illis, tam de perſonis, quàm de officiis eorum.

19) An aliquis Superior impedierit libertatem ſubditorum ſcribendi ad Superiores mediatos, aut quovis modo ſignificaverit, ſibi non placere, ut noſtri de ipſo, aut ejus gubernatione ad eoſdem ſcribant.

20) An noverit extra confeſſionem aliquid de quavis perſona, quod non ei probetur, ut de inobedientia, murmuratione, conſpirationibus præſertim contra Superiores, & ſi quid parum honeſtum & incautum in familiaritate nimia cum aliqua perſona accidiſſet, vel contrà de diſſenſione.

21) Quomodo ſerventur domi Conſtitutiones, Decreta, Regulæ, communis Ordo, & Ordinationes, quæ à Præpoſito Generali, & aliis Superioribus emanant.

22) Quomodo exerceantur miniſteria Societatis erga externos, quod ad modum & fructum attinet.

23) Quis ſit profectus noſtrorum in rebus ſpiritualibus, & quod omnium in ſolidis virtutibus acquirendis ſtudium.

24) Si de iis etiam, quæ pertinent ad alias Domos & Collegia totius Provinciæ aliquid habet, quod alicujus momenti videatur, liberè proponat.

Pro Scholaſticis addatur.

25) Quid ingenii, memoriæ, virium, & propenſionis ad literas in ſe experiatur.

26) An occupatione exteriore, vel ſtudiis removeatur, vel diſtrahatur à rebus ſpiritualibus.

27) An habeat libros neceſſarios, & an ſcribat, legat, diſputet.

28) De ſuo profectu in literis quid ſentiat.

29) An omnia experimenta Societatis fecerit, & quo fructu.

Pro iis, qui in Probatione verſantur.

30) An firmus ſit in propoſito vivendi & moriendi in Societate.

31) An ſit indifferens ad quemlibet gradum, miniſteria, & exercitia Societatis, prout obedientia conſtituerit.

32) An exercitia ſpiritualia, vel aliqua alia experimenta fecerit, & in quibus plus profecerit, & alia, ſi videbitur, ex Examine.

Modus accipiendæ rationis conſcientiæ.

QUod in Summario Conſtitutionum §. 40. præſcribitur de manifeſtanda conſcientia, id magni momenti ad Dei gloriam, & Societatis noſtræ bonum Pater noſter ſanctæ memoriæ IGNATIUS exiſtimavit: quare, ut omni diligentia, & animi ſinceritate ſervetur, Provinciali curandum erit. Et cùm quiſque dixerit, quæ dicere voluerit, juxta inſtructionem datam, poterit Provincialis, ſi qua exiſtimaverit ampliùs interroganda, id etiam facere; quamvis, quæ hominem pudore multo afficerent, ex-

tra

tra confeſſionem interroganda non eſſent. Nec à ſingulis ſingula petet, ſed prudenter, & circumſpectè pro ratione perſonarum. Denique eam ſuavitatem téneat, ut illa omnia non tanquam Judex exigere, ſed ut benignus Parens ob ſubditi conſolationem cognoſcere velle videatur.

Index Capitum Regularum Provincialis.

De ſpectantibus ad Provincialis perſonam ; & communem Provinciæ adminiſtrationem. Cap. I. Pag. 129
De iis, quæ Provincialem ad bonam adminiſtrationem juvabunt. Cap. II. 130
De Superioribus ei ſubordinatis, & eorum Officialibus. Cap. III. 131
De Admittendis. Cap. IV. ibid.
De Dimittendis. Cap. V. 132
De literarum ſtudiis. Cap. VI. 133
De promovendis ad Ordines, & Gradus literarios. Cap. VII. 134
De promovendis in Profeſſos, Coadjutores formatos, & Scholares. Cap. VIII. ibid.
De rebus Collegiorum & Domorum. Cap. IX. 135
De iis, qui bonis ſuis nondum ſe abdicarunt. Cap. X. ibid.
De modo, quo cum Generali, & aliis Provinciis, ac externis ſe habere debeat. Cap. XI. 136
De communi ratione juvandi proximos. Cap. XII. ibid.
De Miſſionibus, & mutationibus noſtrorum. Cap. XIII. 137
De Viſitatione. Cap. XIV. 138
De iis, quæ in Viſitatione interroganda ſunt. Cap. XV. 139

Regulæ Præpoſiti Domus Profeſſæ.

De iis, quæ ad ejus perſonam, & totius Domus adminiſtrationem pertinent.

CAPUT I.

Par. 4. c. 10. §. 4. 1) Omni ſtudio enitatur, ut talis ſit, qualis optatur Rector in noſtris Conſtitutionibus, atque eò magis, quòd illis præſit, quos viros ſpirituales, & perfectionis ſtudioſos eſſe oportet.

Par. 4. c. 10. §. 5. 2) Primam officii ſui curam in eo poſitam eſſe intelligat, ut oratione, & ſanctis deſideriis totam Domum velut humeris ſuis ſuſtineat ; & quæcunque in iis, quibus præeſt, ad ipſorum, aliorúmque ædificationem juxta inſtituti noſtri rationem optare debet, priùs in ſe ipſo præſtare ſtudeat.

3) Communes Regulas ipſe ſervet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum uſu (quantum fieri poteſt) vitet ; & cum familiaritate, atque indulgentia cum quibuſdam, alios ne offendat.

Par. 4. c. 10. §. 10. & Can. 15. Congr. 2. 4) Intra annum, poſtquam officium Præpoſiti prima vice inierit, quadraginta diebus Chriſtianam doctrinam eo modo, quo in ſecunda Congregatione de Rectore expoſitum eſt, legat, aut doceat; ſed ex cauſa per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

5) Conſuetudines receptas, & à Generali vel Provinciali approbatas ſervet, ac ſervari faciat : ſi tamen aliqua alia à præcedenti Præpoſito inducta fuerit, non mutet inconſulto Provinciali ; ipſe verò, niſi ſuo Superiore approbante, nullam introducat.

6) Eos, qui domeſtica obeunt miniſteria (exceptis quibuſdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter conſtituat, & prout in Domino convenire judicabit, vel in eiſdem miniſteriis detineat, vel ab eis removeat *. Quia verò officia quædam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inveniuntur, non facilè mutari debebunt. *Par. 4. c. 10. §. 5. & 6.* ** Ibidem Lit. E.*

7) Ut proſpicere Officialibus de ſubſidio, ſi neceſſarium id fuerit, ne labore graventur, debebit ; ita, cùm tempus vacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant divino ſervitio, curabit.

8) Etſi poteſtatem habet deſignandi Confeſſarios ſuis ſubditis, ordinarium tamen Confeſſarium Domus non conſtituet ſine approbatione Provincialis. *Par. 3. c. 1. §. 11.*

9) Quamvis in virtute obedientiæ jubere poſſit, non niſi rariſſimè, & ex gravi ac urgenti cauſa id faciat. *Par. 6. c. 5.*

10) Ordinarias tantùm pœnitentias imponat, quales ſunt parva menſa, publi-

ca reprehenſio, concluſio in circulo, edere ſub menſa, oſculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam ſuam, ſubtractis cibi usque ad panem, & aquam, ſi res poſtulaverit, diſciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia & domeſtica.

Par. 4. c. 10. Lit. B. & Par. 9. c. 3. §. 8. 11) Sicut ad Præpoſitum pertinet, diſpenſare in Regulis, & Conſtitutionibus, & Decretis Congregationum generalium cum particularibus, quando neceſſè erit; ſic & cùm diſpenſaverit in rebus majoris momenti, quæ videntur urgere, & in quibus ſinè gravi incommodo Provincialis reſponſum expectari non poteſt, eum primo quoque tempore de hujusmodi diſpenſatione, ac ejus causá admonere.

Par. 5. c 3. §. 4. & c. 4. §. 4. 12) Nomina eorum, qui vota ſolemnia vel ſimplicia emiſerunt, in libro ad hoc parato notentur, in Profeſſis quidem, & Coadjutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis verò poſt biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore, juxta Conſtitutiones.

13) Quas habeat facultates partim ex iis, quæ ipſi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, ut in iis, quas non habet, ſciat ad Superiorem recurrere.

De iis, quæ Præpoſitum ad bonam adminiſtrationem juvabunt.

CAPUT II.

Par. 4. c 10. §. 7. & Par. 9. c. 6. §. 14. 14) Sit ſolicitus, ne Miniſter, & reliqui officiales ſuo deſint officio, omiſſis aliis, quæ poſſent impedire.

15) Singulis vel ſaltem alternis hebdomadis cum ſuis Conſultoribus conveniat (niſi pro re nata aliquid extraordinariè eſſet conſultandum) déque rebus majoris momenti, quæ pro temporum & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat: quamquam iis auditis penes ipſum erit de ſingulis ſtatuendi facultas.

Par. 9. c. 4. §. 4. 16) Conſultores, alióſque omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter, & benignè excipiat, & præcipuè * eum, cui Monitoris officium commiſſum eſt: efficiátque, ut in ſua Domo, quæ in formula ſcribendi præſcripta ſunt, ſerventur.

17) Habeat librum, in quo ſcribantur viſitationes Domûs à Generali approbatæ; in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ ſunt, ſeparatim notentur; alia verò, quæ Viſitator & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur.

18) Inſtitutum Societatis cognoſcat ex lectione literarum Apoſtolicarum, Conſtitutionum, & Decretorum generalium, Congregationum; magìs autem particularia ex lectione Regularum tam communium, quàm officii ſui & aliorum, qui ſub ipſius cura ſunt, ac Provincialis, & compendii facultatum Societatis, atque ex obſervatione conſuetudinum receptarum, ac demum ex recurſu ad Superiorem in iis, de quibus dubitavit.

19) Libellum habeat, in quem referat, quæcumque ſibi ad bonum Domûs ſtatum ſubinde occurrent, ne memoriâ excidant, præcipuè illa, de quibus ad Generalem, vel Provincialem ſcribendum putat.

20) Pro occurrentibus neceſſitatibus communibus & privatis, Miſſas & orationes ſuorum (moderatè tamen) juxta conſuetudinem Societatis applicare poterit. Par. 2 c. 3. §. 2 & P. 7. c. 2. Lit. M. & c. 4. §. 3. 4. & P. 10. Lit. B.

De cura noſtrorum in ſpiritu.

CAPUT III.

21) Curet, ut unicuique in ſuo officio integram obedientiam cæteri præſtent, & officiales Miniſtro, & ſibi etiam omnes; ſtudeátque eisdem exemplo obedientiæ præire, quam ipſe ſuis Superioribus, quos Chriſti locò habet, præſtare debet. Par. 4. c. 10. § 8.

22) Det operam, ut Conſtitutiones & Regulæ obſerventur: omnibus domeſticis cum omni ſolicitudine invigilet, eosdémque ab iis, quæ nocere poſſent domi, & foris defendat, cum præveniendo, tum etiam, ſi quid mali acciderit, remedium adhibendo. Par. 4. c. 10. §. 5. & P. 6 c. 1. §. 1. & P. 10. §. 9. & in præ: declar.

23) * Efficiat, ut ſibi, vel aliis ab ipſo deputatis ſtatis temporibus ratio conſcientiæ reddatur, juxta modum, qui in officio Provincialis præſcribitur, & inſtructionem ad reddendam conſcientiæ rationem, à Profeſſis quidem, & Coadjutoribus formatis ſemel in anno, ab aliis verò bis: & aliquos prætereà maturiores Patres aſſignet, qui eorum confeſſiones generales excipiant, niſi Provincialis tunc adſit. * In Ex. c. 4. §. 36. 38. & 41. & P. 6. c. 1. §. 4.

24) Me-

Par. 4. c. 4. §. 5. & P. 5 c. 4 §. 6. & Can. 14. Cong. 2.

24) Meminerit, ut Scholaſtici, ſi qui erunt, & Coadjutores non formati, bis ſingulis annis circa feſta Circumciſionis Domini noſtri, & Apoſtolorum Petri & Pauli vota ſua renovent, præmiſſis iis, quæ fieri ſolent.

Par. 3. c. 1. §. 28.

25) Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem noſtris vel ipſe faciat, vel aliquis alius, qui rationem noſtri inſtituti benè teneat, in qua agatur de obſervatione Conſtitutionum, & Regularum, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione, & aliis virtutibus, præſertim de obedientia: tametſi exhortationis locò, ſpiritualis collatio eisdem de rebus aliquando haberi poteſt.

26) Crebrò & magna charitatis ſignificatione alloquatur ſubditos, eorúmque neceſſitatibus non tantum corporis, ſed multò etiam magìs animæ paterno affectu proſpiciat. Si quem verò intelligat aliqua tentatione pulſari, præſertim gravi, ejus peculiarem curam, & ſolicitudinem non ſolum perſe, ſed etiam, ſi neceſſe fuerit, per alios gerat; nec remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

Par. 3. c. 1. §. 15.

27) In correctionibus & pœnitentiis injungendis rationem habebit diſpoſitionis perſonarum, & ædificationis univerſalis, & particularis earum, ad gloriam DEI.

Par. 3. c. 1. Lit. N.

28) Niſi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus obſervet, ut ii, qui peccant, primò in charitate, & dulcedine admoneantur: ſecundò in charitate quidem, ſed eo tamen modo, ut eis confuſio, & rubor injiciatur: tertiò amori, ea, quæ timorem incutiant, ſi opus erit, adjiciantur.

Ibidem.

29) De publicis defectibus, publica debet eſſe pœnitentia, iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

30) Poterit mittere interdum aliquem ex ſuis, ut oſtiatim petat eleëmoſynam, aut ut inſerviat hoſpitali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concionetur, Chriſtianámve doctrinam doceat, prout magis in Domino expedire videbitur, habita ratione ædificationis, & ſpiritualis utilitatis noſtrorum.

In Ex. c. 1. Lit. C.

31) Delegare poterit Confeſſario vel aliis vices ſuas, ut eas pœnitentias approbent, vel improbent, quas ad majorem ſpiritûs profectum aſſumere quisque voler. Et, ut noſtris qui Sacerdotes non ſunt, facultatem dare poſſint, frequentiùs quàm octavo quoque die communicandi, quos ea ratione magis in ſpiritu juvari in Domino judicaverint.

In 1. Cong. tit. 6 Decret. 17. & in Ex c. 1. §. 6.

32) In danda facultate jejunandi, ſicut & in aliis pœnitentiis concedendis videat, ne menſuram rectæ rationis excedat; détque operam, ut omnes intelligant, ad ſingularitatem non pertinere, ſi quis jejunet aliis non jejunantibus, dummodò ordinaria conſuetudo jejunandi, quæ juxta Conſtitutiones non ſit, introducatur.

*Par. 3. c. 1. §. 18. * Ibidem Lit. P.*

33) Unio & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt; * nec ferenda inter ullos domeſticorum perturbatio, vel ira mutua: ſi quid autem hujusmodi accideret, curet, ut ſtatim cum ſatisfactione debita in gratiam invicem redeant.

Par. 3. c. 1. §. 19.

34) Tam ipſe, quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Conſtitutiones aliquando intra annum officium, vel officia eorum, qui domi inſerviunt, ad tempus aliquod obibunt.

** In Ex c. 4. §. 6. & Par. 3. c. 2. §. 3.*

35) * Videat ſcripta, & literas omnes, quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi aliis ſcribunt, aut aliquem virum fidelem, & qui donum diſcretionis habeat, domi conſtituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire judicabit, ſibique referat, ſi quid invenerit, quod tanti momenti ſit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ alia ratione offendere poſſint, neminem ſcribere permittat: nec ſigillum quemquam habere ſinat ſine Provincialis facultate.

Par. 3. c. 1. §. 14. & Lit. M.

36) Non ſint domi arma, nec inſtrumenta muſica, nec libri laſcivi, aut vani, nec novæ ullæ recreationes introducantur.

De auxilio animarum.

Caput IV.

In Ex. c. 1. §. 2. & Par. 4. in proœm.

37) MEminerit hoc pertinere ad ſcopum totius Societatis, ut ad animarum ſalutem, & perfectionem cum divina gratia promovendam incumbat, & noſtri inſtituti puritatem in Domibus profeſſis præcipuè eluceſcere debere, quæ non tam circa media ad hunc finem præparanda (quemadmodùm Colle-

legia) quàm circa finem ipſum & uſum mediorum ad eum conferentium verſentur.

38) Videat, an noſtri Zelum habeant animarum, & an ſtrenuè, ac diligenter earum ſalutem procurent, ut ii ſolent, quos ſanctus DEI amor impellit, nec ſolùm immoderatos pro ratione virium labores ſuſcipi non ſinat, ſed multò etiam minùs in proximis juvandis negligentiam toleret.

** Par. 4. c. 8. §. 3. & 6. & Par. 7. c. 4. §. 6. & 7. & Can. 21. Cong. 1. & Can. 20. Cong. 2.*

39) * Proponatur populo aſſiduè in Eccleſia verbum DEI in prædicationibus, & ſacræ Scripturæ, vel doctrinæ Chriſtianæ lectionibus, quod etiam in aliis Eccleſiis, plateis, & locis præſtari poteſt, quando ad majorem DEI gloriam conferre videbitur: nominatim verò puerorum, ac rudium perſonarum in Chriſtianiſmo inſtitutionem tanquam proprium noſtræ vocationis miniſterium valdè commendatum habeat: * intelligátque Chriſtianam doctrinam canendo doceri poſſe, ubi ad majorem ædificationem id fore obſervabitur. Modus autem ſive id canendo, ſive ſecùs fiat, pro locorum ratione, & majorem utilitatem exigatur.

Can. 14. Cong. 1.

Par. 4. c. 8. §. 4. & Par 7. c 4. §. 5 & 9. & in Bulla noſtri inſtit. Pauli. III. & Iul. III.

40) Procuret diligenter, ne deſint deſignari Confeſſarii, qui domi in adminiſtratione Sacramentorum Confeſſionis & Communionis cum fructu exerceantur: quique extra Domum ægrotorum Confeſſiones audire, morientibus opem ferre, & eos, qui in carceribus, & hoſpitalibus inveniuntur, viſitare, & conſolari poſſint, & reliquis pietatis operibus, quæ in literis Apoſtolicis inſtituti noſtri, & Conſtitutionibus proponuntur, incumbere: ſed hæc omnia ipſe juxta ordinem à Provinciali præſcriptum exequatur, qui pro ratione loci, & copia noſtrorum metietur, quantum in hujuſmodi rebus operæ ſit ponendum.

Par. 4. c. 8. §. 5 & Par. 7. c. 4. §. 8.

41) Curet, ut noſtri in ſpiritualibus exercitiis tradendis accuratè exerceantur, poſtquam ea in ſe fuerint experti; nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentia, ac rerum ſpiritualium uſu ſatis probatus eſſet.

42) Si Operariorum copia ſuppetet, poterit ſuos mittere ad alia loca vicina, habito conſenſu Provincialis, ut ſimilibus operibus charitatis functi, domum conſtituto tempore redeant.

43) Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abeſſe, ſed ſemper domi aut in Eccleſia aliqui maneant, qui occurrentibus neceſſitatibus proximorum ſatisfacere poſſent.

44) Cùm quis prædicationí, lectioni ſacræ, aut confeſſionibus audiendis vacat, provideat, ne ſtudii tempus aliáve neceſſaria illi deſint.

45) Si quis ad ſacros ordines promovendus, aut in Confeſſarium, vel Concionatorem eſſe eligendus videbitur, Provincialem admoneat. *Par. 4. c. 8. § 2. & Par. 7. c 4. § 5. & 6.*

46) Si quem ex iis, qui in Eccleſia noſtra aſſiduè ad Sacramenta accedunt, intelligeret vitæ ſuæ exemplo alios offendere, quanrum in ipſo eſt, remedium per Confeſſarium, vel aliquem alium convenienti ratione adhibere curet.

47) Non permittat, ut noſtri curam mulierum religioſarum, & aliarum quarumcunque ſuſcipiant, ut ordinariè illarum Confeſſiones audiant, vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet, aliquandò apud eas concionari, aut ſemel unius Monaſterii confeſſiones ſpeciales ob cauſas audire, quod tamen non fiet, niſi poſtulent ii, qui eis præſunt. *Par. 6. c. 3. §. 5.*

48) Erſi proprium Præpoſiti officium eſt, Domum ſibi commiſſam diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deeſſe debet; ſi quando tamen per officii ſui occupationes licebit, & concionari, & Confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit, ac debebit. *Par. 9. c. 6. §. 1.*

De ordine domeſtico.

Caput V.

49) Quotidiè poſt Orationem matutinam fiat ſacrum, cui interſint omnes, qui Sacerdotes non ſunt, niſi aliquibus propter peculiares cauſas, aliud tempus ad ſacrum audiendum conceſſum ſit.

50) Tempore orationi & examini aſſignato, ſit aliquis, qui obſervet, quod & Miniſter ipſe aliquandò faciat, & Præpoſitus huic rei diligenter invigilet.

51) Syndicum domi conſtituat, ubi Miniſtri aut Subminiſtri operâ ad id non uteretur, cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem, & decentiam externam pertinet, Eccleſiam & domum in locis publicis perluſtrando, *Par. 3. c. 1. §. 16. Par. 4. c. 10. §. 7.*

do, & ſi quid, quod non conveniat, annotaverit, Superiori referendo.

52) A poſteriore prandii ſigno ad cœnam, octo ut minimum horæ interſint, aliquid verò ampliùs usque ad refectiunculam veſpertinam diebus veneris, jejuniorum, juxta morem regionis, * à tempore autem, quo ſe noſtri cubitum receperùnt, uſque ad ſignum, quo excitantur, ſeptem.

** Par. 3. c. 2. Lit. E.*

Can. 6. Congr. 1.

53) Benedictio, & gratiarum actio in Refectorio juxta uſum breviarii Romani in prima menſa fiant: in ſecunda verò & privata retineri poſſunt antiqua benedictio & gratiarum actio, quæ à ſingulis ſubmiſſè & ſtando fieri debent.

Can. 30. Congr. 1.

54) In menſa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; ſed nec inter ſacerdores, nec inter eos, qui Sacerdotes non ſunt, ullus ordo conſtituatur.

55) Si aliqua de cauſa Præpoſitus primæ menſæ adeſſe non poterit, curet, ut Miniſter adſit.

Par. 3. c. 2. Lit. D.

56) A prandio & à cœna hora una: diebus autem veneris poſt collationem veſpertinam dimidia recreationi religioſè impendantur, idque in uno loco, ſi commodè fieri poterit; ſed neque extra hujuſmodi horas labores nimium continuari, ſinè aliqua convenienti relaxatione, ſinat.

57) Conferentiæ caſuum conſcientiæ bis ſingulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commodè poterunt, intereſſe debent, Præſide docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentiùs explicare, ac definire poſſit.

De iis, quæ pertinent ad res temporales.

CAPUT VI.

58) MAgno & conſtanti ànimo ſperet à divina bonitate ſuæ Domui ſubſidia temporalia ad quærendum DEI regnum ſibi, & proximis ſeriò incumbant, & ipſe ratione indigentiæ, inſtituti noſtri integritatem violari numquam permittat.

Par. 6. c. 2. §. 10.

59) Habeat Procuratorem, qui eleemoſynas petat, cui alios ad eam rem ſubſtituere poterit, ſi neceſſarium judicabit, ita tamen, ut quam pauciſſimi in mendicando occupentur.

Par. 4. c. 2. § 5 & Par. 9. c. 3. §. 4. & Lit. C.

60) Singulis menſibus à Procuratore rationem accepti, & expenſi præſente Miniſtro exigat, ut totius Domus ad miniſtrationis ratio ipſi conſtet, eamque reddere poſſit cui, & quando per Superiorem conſtituetur: caveat autem, ne Domus alieno ære gravetur.

Par. 6. c. 2. §. ult. & Lit. N.

61) In iis, quæ ad rationem victus, & aliarum rerum vitæ neceſſariarum aut convenientium ſpectant, quamvis curandum eſt, ut communis illa ſit, & valetudini noſtrorum accommodata: habenda tamen ſemper eſt ratio humilitatis, paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis in Domino.

62) Ut curare debet, ne ii, qui in vinea Domini magno cum proximorum fructu ſe exercent, neceſſario ſubſidio privati majora bona relinquere cogantur, neve morbo aut ætate debiles miniſterio fraternæ charitatis deſtituantur; ita iis, qui neutra ratione aliorum indigent opera, adjutores aſſignare non debet.

Par. 3. c. 2. Lit. G.

63) Ægrotorum verò cura habeatur magna, & obſervetur diligenter tam in victûs ratione, quàm in cæteris, quod medicus præſcripſerit.

64) Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem úſum accipiatur, & diſpenſetur.

** In Ex c. 1. §. 4. & Par. 4. c. 2. Lit. F. & Par. 6. c. 2. §. 3.*

65) * Caveat, ne Domus ipſa, aliquiſve Profeſſorum, aut Coadjutorum redditibus Collegiorum præterquàm in rebus minimis utatur.

** Par. 6. c. 2. Lit. E.*

66) * Si quid ſtabile donatum, legatumve Domui fuerit, Provincialem admoneat, ut quam primùm vendatur, & pretium in uſus neceſſarios juxta illius judicium expendatur: temporis tamen oportunitas ad vendendum non eſt excludenda.

Can. 26. Congr. 2.

67) Lites forenſes fugiat, nec ullam inconſultò Provinciali intentet, nec intentæ reſpondeat, niſi cogatur.

Par. 3. c. 1. §. 7. & 9. & Can. 4. Congr. 2.

68) Si bona alicujus ex noſtris di ſtribuenda eſſent, ſi ineundi contractus, ſi fabrica alicujus momenti, & expenſæ extraordinariæ faciendæ, aut ſi bona offerantur cum aliqua obligatione, rem ad Provincialem deferat.

69) Depoſitum pecuniæ nullum prorſus admittat; aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè, dummodò ſint eorum, quibus multum debeamus aut alio-

qui

legia) quàm circa finem ipſum & uſum mediorum ad eum conferentium verſantur.

38) Videat, an noſtri Zelum habeant animarum, & an ſtrenuè, ac diligenter earum ſalutem procurent, ut ii ſolent, quos ſanctus DEI amor impellit, nec ſolùm immoderatos pro ratione virium labores ſuſcipi non ſinat, ſed multò etiam minùs in proximis juvandis negligentiam toleret.

** Par. 4. c. 8. §. 3. & 6. & Par. 7. c. 4. §. 6. & 7. & Can. 21. Cong. 1. & Can. 20. Cong. 2.*

39) * Proponatur populo aſſiduè in Eccleſia verbum DEI in prædicationibus, & ſacræ Scripturæ, vel doctrinæ Chriſtianæ lectionibus, quod etiam in aliis Eccleſiis, plateis, & locis præſtari poteſt, quando ad majorem DEI gloriam conferre videbitur: nominatim verò puerorum, ac rudium perſonarum in Chriſtianiſmo inſtitutionem tanquam proprium noſtræ vocationis miniſterium valdè commendatum habeat: * intelligátque Chriſtianam doctrinam canendo doceri poſſe, ubi ad majorem ædificationem id fore obſervabitur. Modus autem ſive id canendo, ſive ſecùs fiat, pro locorum ratione, & majorem utilitatem exigatur.

** Can. 14. Cong. 1.*

Par. 4. c. 8. §. 4. & Par. 7. c. 4. §. 5. & 9. & in Bulla noſtri inſtit. Pauli. III. & Jul. III.

40) Procuret diligenter, ne deſint deſignati Confeſſarii, qui domi in adminiſtratione Sacramentorum Confeſſionis & Communionis cum fructu exerceantur: quique extra Domum ægrotorum Confeſſiones audire, morientibus opem ferre, & eos, qui in carceribus, & hoſpitalibus inveniuntur, viſitare, & conſolari poſſint, & reliquis pietatis operibus, quæ in literis Apoſtolicis inſtituti noſtri, & Conſtitutionibus proponuntur, incumbere: ſed hæc omnia ipſe juxta ordinem à Provinciali præſcriptum exequatur, qui pro ratione loci, & copia noſtrorum metietur, quantum in hujusmodi rebus operæ ſit ponendum.

Par. 4. c. 8. §. 5 & Par. 7. c. 4. §. 8.

41) Curet, ut noſtri in ſpiritualibus exercitiis tradendis accuratè exerceantur, poſtquam ea in ſe fuerint experti; nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentia, ac rerum ſpiritualium uſu ſatis probatus eſſet.

42) Si Operariorum copia ſuppetet, poterit ſuos mittere ad alia loca vicina, habito conſenſu Provincialis, ut ſimilibus operibus charitatis functi, domum conſtituto tempore redeant.

43) Non permittat eodem tempore omnes Sacerdotes abeſſe, ſed ſemper domi aut in Eccleſia aliqui maneant, qui occurrentibus neceſſitatibus proximorum ſatisfacere poſſent.

44) Cùm quis prædicationi, lectioni ſacræ, aut confeſſionibus audiendis vacat, provideat, ne ſtudii tempus aliáve neceſſaria illi deſint.

Par. 4. c. 8. § 2. & Par. 7. c. 4. § 5. & 6.

45) Si quis ad ſacros ordines promovendus, aut in Confeſſarium, vel Concionatorem eſſe eligendus videbitur, Provincialem admoneat.

46) Si quem ex iis, qui in Eccleſia noſtra aſſiduè ad Sacramenta accedunt, intelligeret vitæ ſuæ exemplo alios offendere, quantum in ipſo eſt, remedium per Confeſſarium, vel aliquem alium convenienti ratione adhibere curet.

Par. 6. c. 3. §. 5.

47) Non permittat, ut noſtri curam mulierum religioſarum, & aliarum quarumcunque ſuſcipiant, ut ordinariè illarum Confeſſiones audiant, vel ipſas regant: quamvis nihil repugnet, aliquandò apud eas concionari, aut ſemel unius Monaſterii confeſſiones ſpeciales ob cauſas audire, quod tamen non fiet, niſi poſtulent ii, qui eis præſunt.

Par. 9. c. 6. §. 1.

48) Etſi proprium Præpoſiti officium eſt, Domum ſibi commiſſam diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deeſſe debet; ſi quando tamen per officii ſui occupationes licebit, & concionari, & Confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit, ac debebit.

De ordine domeſtico.

Caput V.

49) Quotidiè poſt Orationem matutinam fiat ſacrum, cui interſint omnes, qui Sacerdotes non ſunt, niſi aliquibus propter peculiares cauſas, aliud tempus ad ſacrum audiendum conceſſum ſit.

50) Tempore orationi & examini aſſignato, ſit aliquis, qui obſervet, quod & Miniſter ipſe aliquandò faciat, & Præpoſitus huic rei diligenter invigilet.

Par. 3. c. 1. §. 16. Par. 4. c. 10. §. 7.

51) Syndicum domi conſtituat, ubi Miniſtri aut Subminiſtri operâ ad id non uteretur, cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem, & decentiam externam pertinet, Eccleſiam & domum in locis publicis perluſtrando,

do, & ſi quid, quod non conveniat, annotaverit, Superiori referendo.

52) A poſteriore prandii ſigno ad cœnam, octo ut minimum horæ interſint, aliquid verò ampliùs usque ad refectiunculam veſpertinam diebus veneris, jejuniorum, juxta morem regionis, * à tempore autem, quo ſe noſtri cubitum receperunt, uſque ad ſignum, quo excitantur, ſeptem.

* Par. 3. c. 2. Lit. E.

Can. 6. Congr. 1.

53) Benedictio, & gratiarum actio in Refectoriu juxta uſum breviarii Romani in prima menſa fiant: in ſecunda verò & privata retineri poſſunt antiqua benedictio & gratiarum actio, quæ à ſingulis ſubmiſſè & ſtando fieri debent.

Can. 30. Congr. 1.

54) In menſa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; ſed nec inter ſacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non ſunt, ullus ordo conſtituatur.

55) Si aliqua de cauſa Præpoſitus primæ menſæ adeſſe non poterit, curet, ut Miniſter adſit.

Par. 3. c. 2. Lit. D.

56) A prandio & à cœna hora una: diebus autem veneris poſt collationem veſpertinam dimidia recreationi religioſè impendantur, idque in uno loco, ſi commodè fieri poterit; ſed neque extra hujuſmodi horas labores nimium continuari, ſinè aliqua convenienti relaxatione, ſinat.

57) Conferentiæ caſuum conſcientiæ bis ſingulis hebdòmadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commodè poterunt, intereſſe debent, Præſide docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentiùs explicare, ac definire poſſit.

De iis, quæ pertinent ad res temporales.

CAPUT VI.

58) MAgno & conſtanti animo ſperet à divina bonitate ſuæ Domui ſubſidia temporalia ad quærendum DEI regnum ſibi, & proximis ſeriò incumbant, & ipſe ratione indigentiæ, inſtituti noſtri integritatem violari numquam permittat.

Par. 6. c. 2. §. 10.

59) Habeat Procuratorem, qui eleemoſynas petat, cui alios ad eam rem ſubſtituere poterit, ſi neceſſarium judicabit, ita tamen, ut quam pauciſſimi in mendicando occupentur.

60) Singulis menſibus à Procuratore rationem accepti, & expenſi præſente Miniſtro exigat, ut totius Domus adminiſtrationis ratio ipſi conſtet, eamque reddere poſſit cui, & quando per Superiorem conſtituetur: caveat autem, ne Domus alieno ære gravetur.

Par. 4. c. 2. § 5 & Par. 9 c. 3. §. 4. & Lit. C.

61) In iis, quæ ad rationem victus, & aliarum rerum vitæ neceſſariarum aut convenientium ſpectant, quamvis curandum eſt, ut communis illa ſit, & valetudini noſtrorum accommodata: habenda tamen ſemper eſt ratio humilitatis, paupertatis, ac ſpiritualis ædificationis in Domino.

Par. 6. c. 2. §. ult. & Lit. N.

62) Ut curare debet, ne ii, qui in vinea Domini magno cum proximorum fructu ſe exercent, neceſſario ſubſidio privati majora bona relinquere cogantur, neve morbo aut ætate debiles miniſterio fraternæ charitatis deſtituantur; ita iis, qui neutra ratione aliorum indigent opera, adjutores aſſignare non debet.

63) Ægrotorum verò cura habeatur magna, & obſerverur diligenter tam in victûs ratione, quàm in cæteris, quod medicus præſcripſerit.

Par. 3. c. 2. Lit. G.

64) Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem uſum accipiatur, & diſpenſetur.

65) * Caveat, ne Domus ipſa, aliquisve Profeſſorum, aut Coadjutorum redditibus Collegiorum præterquàm in rebus minimis utatur.

* In Ex c. 1. §. 4. & Par. 4. c. 2. Lit. F. & Par. 6. c. 2. §. 3.

66) * Si quid ſtabile donatum, legatumve Domui fuerit, Provincialem admoneat, ut quam primùm vendatur, & pretium in uſus neceſſarios juxta illius judicium expendatur: temporis tamen opportunitas ad vendendum non eſt excludenda.

* Par. 6. c. 2. Lit. E.

67) Lites forenſes fugiat, nec ullam inconſultò Provinciali intentet, nec intentæ reſpondeat, niſi cogatur.

Can. 26. Congr. 2.

68) Si bona alicujus ex noſtris diſtribuenda eſſent, ſi ineundi contractus, ſi fabrica alicujus momenti, & expenſæ extraordinariæ faciendæ, aut ſi bona offerantur cum aliqua obligatione, rem ad Provincialem deferat.

Par. 3. c. 1. §. 7. & 9. & Can. 4. Congr. 2.

69) Depoſitum pecuniæ nullum prorſus admittat; aliarum verò rerum non niſi cautiſſimè, dummodò ſint eorum, quibus multum debeamus aut alio-

qui id officii ſinè magna offenſione denegari non poſſit.

Par. 6. c. 3. §. 8. 70) Nemioem ex noſtris in cauſis civilibus, nedum criminalibus, examinari (niſi, qui ad peccatum obligare poteſt, compelleret) permittat absque licentia, quam minimè dabit, niſi in cauſis, quæ ad Religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ ſint, & ita uni faveant, ut non in alterius detrimeotum cedant.

Par. 6. c. 3. §. 14. ** Ibidem Lit. K.* 71) Nullum domi jumentum equitandi cauſa ad uſum alicujus de ipſa Societate ordinariè habeatur, * niſi aut propter continenter infirmam alicujus valetudinem, aut propter publica negotia, id neceſſarium, & urgens judicaret Generalis.

De communicatione cum externis, & gratitudine erga fundatores & benefactores

Caput VII.

72) Mulieres inviſere, aut ad eas ſcribere niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus noſtros non ſinat, nec hoc quidem permittat, niſi viris valdè probatis & prudentibus.

Par. 3. c. 1. §. 14. 73) Non permittat fœminas domum noſtram ingredi.

Par. 6. c. 2. §. 9. 74) Curet, ne primarios viros inviſere noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur vel quando intima benevolentia in Domino conjuncti eſſent.

Par. 6. c. 2. §. 9. 75) Non ſinat offerri munuſcula, quæ Magnatibus ad res majores obtinendas offerri ſolent.

76) Non permittat, ut noſtri cibum capiant apud externos; aut ab eis, cum ægrotant, viſitentur, niſi cauſa non levis momenti ad id concedendum moveret, quam eandem eſſe oportebit, ſi quando externus aliquis, ad menſam præſertim Refectorii, invitandus videretur.

Par. 10. Lit. B. 77) Amicos conſervare, & eos, qui malè erga nos affecti ſunt, præcipuè ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus, & rationibus convenientibus in amicitiam revocare, aut ſaltem, ne adverſarii ſint, efficere ſtudeat.

Par. 4. c. 1. 78) Obſervet, quæ erga fundatores, & benefactores, tam vivos, quàm mortuos obſervanda ſunt, eisque gratitudinem exhibeat, & ſi quam aliam obligationem Domus habet, ei ſatisfieri curet.

De iis, qui admitti petunt, ad Domum divertunt, aut foras mittuntur.

Caput VIII.

79) IN Societatem neminem admittat, niſi à Generali, vel Provinciali id ipſi committatur; * ſed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel ſcribat, quales illi ſint, & quibus donis DEI præditi. ** Par. 1. c. 1. §. 2.*

80) Si is, qui admitti petit, ad inſtitutum Societatis valdè idoneus videbitur, & neceſſitas urgeret, poterit eum tanquam hoſpitem Domi recipere, donec reſponſum à Provinciali accipiat, vel ad eundem mittere, ſi expedire judicaverit. *Par. 1. c. 1. Lit. A.*

81) Recedentem ſinè licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimiſſum non admittat, ſed ſi expedire videatur ad Provincialem de eo ſcribat, & ejus ordinationem expectet, illo domi ùt hoſpite vel in alio pio loco, ſi videbitur, detento. *Par. 2. c. 4. §. 1. & Lit. A.*

82) Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Domum tranſeuntes, eosque amanter hoſpitio excipiat, * ac meminerit ſe aliquo viatico vel eleëmoſyna eos, ſi indigerent, juvare poſſe: curet item diligenter dirigere, aut juvare expeditiones hoſpitum, qui negotiorum cauſa domi verſantur. ** Par. 4. c. 2. Lit. F & Par. 6. c. 2. Lit. D.*

83) Externi ne accipiantur hoſpitio, ut domi pernoctent, niſi ii ſint, quibus multum debeatur, aut id Officii ſinè magna offenſione prætermitti non poſſit: qua in re habeatur præcipua ratio religioſorum, cùm neceſſitatis cauſa ad nos divertunt.

84) Cùm quis domo egredietur, det ei ſocium convenientem: ſi quando autem aliquis ſolus foras mittitur, is ſit, cui meritò poſſit confidere. *Par. 3. c. 1. §. 3.*

85) Neminem ex ſua Domo in alium locum mittat ſinè literis patentibus. *Par. 7. c. 2. Lit. M.*

86) Si quis experimento comperiretur ferre non poſſe domus cœlum, & malè habere continenter cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Provincialem admooeat, an alio mitti debeat. *Par. 3. c. 2. Lit. G.*

87) Pro-

87) Profecturi ad alia loca, ea, quam *Sottanam* vocant, & in aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent, niſi fortè ratio temporis, aut alioqui charitas ſuaderet melioribus eſſe commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter neceſſaria erunt, magna charitatis ſignificatione ab eo loco, unde mittuntur, ſubminiſtrentur, ſumptibus tamen eorum, quorum erit expenſas itineris ſolvere.

Regulæ Rectoris.

De iis, quæ ad ejus perſonam, & totius Collegii adminiſtrationem pertinent.

CAPUT I.

Par.4.c.10. §.4. & 5. 1) OMni ſtudio enitatur, ut talis ſit, qualis optatur in noſtris Conſtitutionibus, primámque officii ſui curam in eo poſitam eſſe intelligat, ut oratione, & ſanctis deſideriis totum Collegium velut humeris ſuis ſuſtineat.

2) Communes Regulas ipſe ſervet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum uſu (qoantum fieri poteſt) vitet; & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam, alios non offendat.

Par 4 c 10. §. 10 & Can. 15. Congr. 2. 3) Intra annum, poſtquam officium Rectoris prima vice inierit, quadraginta diebus Chriſtianam doctrinam eo modo, quo in ſecunda Congregatione expoſitum eſt, legat, aut doceat; ſed ex cauſa per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

4) Conſuetudines receptas, & à Generali vel Provinciali approbatas ſervet, ac ſervari faciat: ſi tamen aliqua alia à præcedenti Rectore inducta fuerit, non muret inconſulto Provinciali: ipſe verò, niſi ſuo Superiore approbante, nullam introducat.

Par.4 c.10. §.5. & 6. 5) Eos, qui domeſtica obeunt miniſteria (exceptis quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter conſtituat, ſuas cuique Regulas tradat, aliquando viſitet, & prout in Domino convenire judicabit, vel in eisdem miniſteriis detineat, vel ab eis removeat*. Quia verò officia quædam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei invenientur, non facilè mutari debebunt.

** Ibidem Lit. E.*

Par.4.c.10. §.6. 6) Ut proſpicere Officialibus de ſubſidio, ſi neceſſarium id fuerit, ne labore graventur, debebit; ita, cùm tempus vacuum illis fuerit, ut illud utiliter impendant divino ſervitio, curabit.

7) Etſi poteſtatem habet deſignandi Confeſſarios ſuis ſubditis, ordinarium tamen Confeſſarium Collegii non conſtituet ſine approbatione Provincialis. *Par. 3. c. 1. §. 11.*

8) Quamvis in virtute obedientiæ jubere poſſit, non niſi rariſſimè, & ex gravi ac urgenti cauſa id faciat. *Par. 6. c. 5.*

9) Ordinarias tantùm pœnitentias imponat, quales ſunt parva menſa, publica reprehenſio, concluſio in circulo, edere ſub menſa, oſculari aliorum pedes, orare in refectorio, dicere culpam ſuam, ſubtractio cibi usque ad panem, & aquam, ſi res poſtulaverit, diſciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia & domeſtica.

10) Sicut ad Rectorem pertinet, diſpenſare in Regulis, Conſtitutionibus, & Decretis Congregationum generalium cum particularibus, quando neceſſè erit; ſic & cùm diſpenſaverit in rebus majoris momenti, quæ videntur urgere, & in quibus ſinè gravi incommodo Provincialis reſponſum expectari non poteſt, eum primo quoque tempore de hujusmodi diſpenſatione, ac ejus cauſa admonere. *Par.4 c.10. Lit. B & Par. 9. c. 3. § 8.*

11) Nomina eorum, qui vota ſolemnia vel ſimplicia emiſerunt, in libro ad hoc parato notentur, in Profeſſis quidem, & Coadjutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis verò poſt biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore, juxta Conſtitutiones. *Par. 5. c. 3. §. 4. & c. 4. §. 4.*

12) Quas habeat facultates partim ex iis, quæ ipſi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis Intelligat, ut in iis, quas non habet, ſciat ad Superiorem recurrere.

De iis, quæ Rectorem ad bonam adminiſtrationem juvabunt.

CAPUT II.

13) SIt ſolicitus, ne Miniſter, & reliqui officiales ſuo deſint officio, omiſſis aliis, quæ poſſent impedire.

Par. 4. c. 10. §. 7. & Par. 9. c. 6. §. 14.

14) Singulis vel ſaltem alternis hebdomadis cum ſuis Conſultoribus conveniat (niſi pro re nata aliquid extraordinariè eſſet conſultandum) déque rebus majoris momenti, quæ pro temporum & negotiorum varietate occurrunt, cum illis agat; quamquam iis auditis penes ipſum erit de ſingulis ſtatuendi facultas.

** Par. 9. c. 4. §. 4.*

15) Conſultores, alióſque omnes, cùm ei aliquid proponunt, libenter, & benignè excipiat, & præcipuè * eum, cui Monitoris officium commiſſum eſt: efficiátque, ut in ſuo Collegio, quæ in formula ſcribendi præſcripta ſunt, accuratè ſerventur.

16) Habeat librum, in quo ſcribantur viſitationes Collegii à Generali approbatæ, in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ ſunt, ſeparatim notentur; alia verò, quæ Viſitator & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur.

17) Inſtitutum Societatis cognoſcat ex lectione literarum Apoſtolicarum, Conſtitutionum, & Decretorum generalium, Congregationum; magis autem particularia ex lectione Regularum tam communium, quàm officii ſui & aliorum, qui ſub Ipſius cura ſunt, ac Provincialis, & compendii facultatum Societatis, atque ex obſervatione conſuetudinum receptarum, ac demum ex recurſu ad Superiorem in iis, de quibus dubitavit.

18) Libellum habeat, in quem referat, quæcumque ſibi ad bonum Collegii ſtatum ſubinde occurrent, ne memoriâ excidant, præcipuè illa, de quibus ad Generalem, vel Provincialem ſcribendum putat.

Par. 2. c. 3. § 2 & P. 7. c. 2. Lit. M. & c. 4. §. 3. 4. & P. 10. Lit. B.

19) Pro occurrentibus neceſſitatibus communibus & privatis, Miſſas, & orationes ſuorum (moderatè tamen) juxta conſuetudinem Societatis applicare poterit.

De cura noſtrorum in ſpiritu.

CAPUT III.

20) Curet, ut unicuique in ſuo officio integram obedientiam Collegiales præſtent, & Officiales Miniſtro, & ſibi etiam omnes; ſtudeátque eiſdem exemplo obedientiæ præire, quam ipſe ſuis Superioribus, quos Chriſti locò habet, præſtare debet.

Par. 4. c. 10 §. 5. & P. 6 c. 1. §. 1. & P. 10. §. 9. & in præ: declar.

21) Det operam, ut Conſtitutiones & Regulæ obſerventur: omnibus Collegialibus cum omni ſolicitudine invigilet, eoſdémque ab iis, quæ nocere poſſint, domi, & foris defendat, cum præveniendo, tum etiam, ſi quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita, ut in virtutibus & literis proficiant.

** In Ex. c. 4. § 36. 38. & 41. & P. 6. c. 1. §. 2.*

22) * Efficiat, ut ſibi, vel aliis ab ipſo deputatis ſtatis temporibus ratio conſcientiæ reddatur à ſuis juxta modum, qui in officio Provincialis præſcribitur, & inſtructionem ad reddendam conſcientiæ rationem, & aliquos prætereà maturiores Patres aſſignet, qui eorum confeſſiones generales excipiant, niſi Provincialis tunc adſit.

Par. 4 c. 4. §. 5. & P. 5. c 4 §. 6. & Can. 14. Cong. 2.

23) Meminerit, ut Scholaſtici, & Coadjutores non formati bis ſingulis annis circa feſta Circumciſionis Domini noſtri, & Apoſtolorum Petri & Pauli vota ſua renovent, præmiſſis iis, quæ fieri ſolent.

Par. 3. c. 1. §. 28.

24) Singulis, vel alternis diebus Veneris exhortationem noſtris vel ipſe faciat, vel aliquis alius, qui rationem noſtri inſtituti benè teneat, in qua agatur de obſervatione Conſtitutionum, & Regularum, de fraterna charitate, humilitate, patientia, mortificatione, & aliis virtutibus, præſertim de obedientia: tametſi exhortationis locò, ſpiritualis collatio eiſdem de rebus aliquando haberi poteſt.

25) Crebrò & magna charitatis ſignificatione alloquatur ſubditos, eorúmque neceſſitatibus non tantum corporis, ſed multò etiam magis animæ paterno affectu proſpiciat. Si quem verò intelligat aliqua tentatione pulſari, præſertim gravi, ejus peculiarem curam, & ſolicitudinem non ſolum per ſe, ſed etiam, ſi neceſſe fuerit, per alios gerat; nec remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.

Par. 3. c. 1. §. 15.

26) In correctionibus & pœnitentiis injungendis rationem habebit diſpoſitionis perſonarum, & ædificationis univerſalis, & particularis earum, ad gloriam DEI.

Par. 3. c. 1. Lit. N.

27) Niſi prudentia rebus particularibus adhibita aliter procedendum dictaverit, illud in correctionibus obſervet, ut ii, qui peccant, primò in charitate, & dulcedine admoneantur: ſecundò in charitate quidem, ſed eo tamen modo, ut eis confuſio, & rubor injiciatur: tertiò amori ea, quæ timorem incutiant, ſi opus erit, adjiciantur.

28) De

Ibidem.

28) De publicis defectibus, publica debet eſſe pœnitentia, iis tantùm, quæ ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.

29) Poterit mittere interdum aliquem ex ſuis, ut oſtiatim petat eleëmoſynam, aut nt inſerviat hoſpitali, aut comirerur emptorem, aut in plateis concionetur, Chriſtianámve doctrinam doceat, pront magis in Domino expedite videbitur, habita ratione ædificationis, & ſpiritualis utilitatis noſtrorum.

In Ex. c. 1. Lit. C.

30) Delegare poterit Confeſſario vel aliis vices ſuas, ut eas pœnitentias approbent, quas ad majorem ſui ſpiritûs profectum aſſumere quisqne volet.

In 1. Cong. tit. 6 Decret. 17. & in Ex. c. 1. §. 6.

31) In danda facultate jejunandi, ſicut & in aliis pœnitentiis concedendis videat, ne menſuram rectæ rationis excedat; détqne operam, ut omnes intelligant, ad ſingularitatem nonpertinere, ſi quis jejunet aliis non jejunantibus, dummodò ordinaria conſuetudo jejunandi, quæ juxta Conſtitutiones non ſit, non introducatur.

*Par. 3. c. 1. §. 18. * Ibidem Lit. P.*

32) Unio & conformitas mutua diligentiſſimè curanda eſt, * nec ferenda inter ullos domeſticorum perturbatio, vel ira mutua: ſi quid aurem hujusmodi accideret, curet, ut ſtatim cum ſatisfactione debita in gratiam invicem redeant.

Par. 3. c. 1. § 19.

33) Tam ipſe, quàm omnes alii Sacerdotes, qui ei videbuntur, juxta Conſtitutiones aliquando intra annum officium, vel officia eorum, qui domi inſerviunt, ad tempus aliquod obibunt.

Par. 4. c. 4. Lit. B.

34) Non permittat noſtros Scholaſticos frequentiùs, quàm octavo quoque die communicare, niſi particulares ob cauſas, habita magis ratione neceſſitatis, quàm devotionis: diebus tamen ſolemnibus in hac re diſpenſare poterit. Coadjutoribus verò, & iis, qni literis non dant operam, longè faciliùs concedi poteſt, nt etiam intra hebdomadam communicent, & Præfecto rerum ſpiritualium, aut Confeſſario delegari, ut id concedat iis, quos ea ratione magis in ſpiritu juvari in Domino judicabit.

In Ex. c. 4. §. 6. & Par. 3. c. 1. Lit. B.

35) * Videat ſcripta, & literas omnes, quæ ſcribuntur ad domeſticos, & quas ipſi aliis ſcribunt, ant aliqnem virum fidelem, & qui donum diſcretionis habeat, domi conſtituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire judicabit, ſibique referat, ſi quid invenerit, quod tanti momenti ſit, ut de eo Superior monendus videatur. Res autem vanas, aut quæ alia ratione offendere poſſint, neminem ſcribere permittat: nec ſigillum quemqnam habere ſinat ſine Provincialis facultate.

36) Non ſint in Collegio arma, nec inſtrumenta muſica, nec libri laſcivi, aut vani, nec novæ ullæ recreationes introducantut.

Par. 3. c. 1. §. 14. & Lit. M.

De literarum ſtudiis.

Caput IV.

37) NEminem ad inchoanda ſtudia admittat, nec eos, qui ad illa ex Provincialis commiſſione admiſſi fuerint, ad aliam facultatem promoveat, abſque ejusdem Provincialis approbatione, cui poſt maturam conſiderationem, & examen de unoquoque ſuo tempore ſignificabit, quid ſentiat.

Par. 4. c. 5. §. 2. & c. 13. §. 4.

38) Impedimenta removeat, quæ à ſtudiis animos Scholaſticorum avocant, qualia ſunt nimiæ mortificationes, vel devotiones, vel externæ occupationes *. Et circa illorum valetudinem peculiari cura animadvertat, ut in laboribus mentis modum ſervent, & in iis, quæ ad corpus pertinent, religioſa commoditate tractentur, ut diutiùs in ſtudiis perſeverare tam in literis addiſcendis, quàm in eisdem exercendis ad Dei gloriam poſſint.

*Par. 4. c. 6. §. 3. * Par. 4. c. 4. §. 1.*

39) Videat, quomodo Profeſſores omnes ſuo munere fungantur, curétque diligenter à Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſoribus ea ſervari circa opinionum diverſitatem, quæ in * Conſtitutionibus, & ratione ſtudiorum præſcripta ſunt *. Intelligat etiam per ſe, vel per alios, quo modo Scholaſtici in ſuis ſtudiis proficiant; quòd, ſi animadverteret aliquem in iis inutiliter tempus terere, ad Provincialem referat.

*Par. 4. c. 6. §. 15. * Par. 3. c. 1. §. 18. & Lit. O. & Par. 4. c. 5. §. 4. & Par 8. c. 1. §. 8. & Lit. K. * Par. 4. c. 6. §. 15.*

40) * Singulis hebdomadis dies unus ſaltem à prandio Scholaſticis ad quietem deſtinatus ſit, in quo eos ad hortum, ant prædium Collegii, vel aliò exercitii corporis, vel recreandi animi gratia mittere poterit: in reliquis autem ſtudiorum intermiſſionibus ſequatur ordinem à Generali, vel Provinciali conſtitutum.

Par. 4. c. 13. §. 5. & Par. 6. c. 2. Lit. D.

41) Etſi Præceptorem publicum in ſcholis inſtituere non poteſt abſque Provincialis facultate, ad tempus tamen neceſſitatis gratia id facere poterit.

Par. 4. c. 6. Lit. E.

Par. 4. c. 6. §. 17 & c. 15. §. 4.

42) In actibus promovendorum ad gradus literarios (ad quos noſtri ſine facultate Generalis promoveri non poſſunt) ſi qua in re alicujus momenti diſpenſatione opus eſſet, Provincialem admoneat.

Par 4. c. 10. Lit L. & Can. 16. Cong. 2.

43) Conſtitutiones, ſive Regulæ, quæ ad Scholaſticos Societatis pertinent, publicè in Refectorio bis aut ter ſingulis annis legantur.

Par. 4. c. 9. §. 3.

44) Sub finem ſtudiorum cujuſque, ſuarum eſſe partium Rector intelligat, auditis Conſultoribus Provincialem de uniuſcujuſque talento admonere, &, quantum ſinguli profecerint, referre*, &, num aliqui ad ſacros Ordines promovendi ſint*, aut in Confeſſarios, aut Concionatores, aut Lectores eligendi, proponere.

** Ibidem c. 6. Lit. C. & c 8 § 2.*
** Par. 7 c. 4 §. 5.*

De ordine domeſtico.

Caput V.

45) QUotidiè poſt Orationem matutinam fiat Sacrum, cui interſint omnes, qui Sacerdotes non ſunt, niſi aliquibus propter peculiares cauſas, aliud tempus ad Sacrum audiendum conceſſum ſit.

In Ex. c. 4. §. 25. & Par. 3. c. 1. §. 11.

46) Quando noſtri ad ſacram Communionem acceſſuri ſunt, præſertim diebus Dominicis, curet, ut in Eccleſia (ſi commodè fieri poteſt) id faciant, ſeparati tamen ab externis, quantum locus feret.

47) Tempore orationi, & reliquis exercitiis aſſignato, ſit aliquis, qui obſervet, num omnes in iis vacent, quod etiam Miniſter & ipſemet Rector aliquando faciat.

Par. 3. c. 1. §. 16. & Par 4. c. 10. §. 7.

48) Syndicum domi conſtituat, ubi Miniſtri aut Subminiſtri operâ ad id non uteretur, cujus officium erit obſervare in omnibus, quod ad honeſtatem, & decentiam externam pertinet, Eccleſiam & domum in locis publicis perluſtrando, & ſi quid, quod non conveniat, annotaverit, Superiori referendo*. Præter hunc alios particulares Syndicos in claſſibus ſingulis habeat, qui (quantum fieri poterit) ex prudentioribus & maturioribus deligantur.

** Ibidem c. 17. §. 7.*

Par. 3. c. 2. §. 4.

49) Omnes, præter illos, quos ipſe judicaverit excipiendos, horæ quadrantem ante prandium vel cœnam corporis exercitationi tribuant.

50) A poſteriore prandii ſigno ad cœnam octo ut minimùm horæ interſint: aliquid verò ampliùs uſque ad refectiunculam veſpertinam diebus Veneris & jejuniorum, juxta morem regionis*; à tempore autem, quo ſe noſtri cubitum receperunt, uſque ad ſignum, quo excitantur, ſeptem.

** Par. 3. c. 2. Lit. E.*

Can. 6. Congr. 1.

51) Benedictio & gratiarum actio in Refectorio juxta uſum Breviarii Romani in prima menſa fiant: in ſecunda verò, & privata retineri poſſunt antiqua benedictio, & gratiarum actio, quæ à ſingulis ſubmiſsè, & ſtando fieri debent.

Can. 30. Cong. 1.

52) In menſa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; ſed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non ſunt, ullus ordo conſtituatur.

53) Si aliqua de cauſa Rector primæ menſæ adeſſe non poterit, curet, ut Miniſter adſit.

Par. 3. c. 1. §. 5. & 21. & in Ex. c. 4. §. 25.

54) Dominicis diebus & feſtis (ſi commodè fieri poteſt) & aliis etiam, ſi Superiori videatur, ſint aliqui pro multitudine Scholarium à Superiore delecti, qui inter cœnandum pro lectione concionem habeant, quibus conveniens aliquod tempus eodem die ad ſe parandum, pro Superioris arbitrio dandum erit.

Par. 3. c. 2. Lit. D.

55) A prandio, & à cœna hora una: diebus autem Veneris poſt collationem veſpertinam dimidia recreationi religiosè impendatur, idque in uno loco, ſi commodè fieri poterit: ſed neque extra hujuſmodi horas labores nimium continuari ſine aliqua convenienti relaxatione ſinat.

Par. 3. c. 1. §. 21.

56) Scholaſtici omnes, ubi aliqua fuerit eorum copia, pro more Societatis (niſi quis eximendus videretur) diebus ſaltem Dominicis ad finem recreationis poſt prandium in tonis, ſeu ratione concionandi exerceantur, de iis crebrò tractantes, quæ ad ſui abnegationem, & in virtutibus profectum, & fraternam charitatem ſpectant.

De iis, quæ pertinent ad res temporales.

Caput VI.

Par 4. c. 2. §. 5 & Par. 9. c. 3. §. 4. & Lit. G.

57) SIngulis menſibus à Procuratore rationem accepti & expenſi, præſente Miniſtro, exigat, ut totius Domus adminiſtrationis ratio ipſi conſtet, eámque

que reddere poſſit, cui, & quando per Superiorem conſtituetur; caveat autem, ne Collegium ære alieno gravetur.

Par. 3. c. 2. §. 3.

58) In iis, quæ ad victum, veſtitum & habitationem, & alia corpori neceſſaria pertinent, curet, ut, quamvis ſit, in quo probetur virtus, & ſui ipſius abnegatio, non deſit tamen, quo ſuſtentetur natura, habita convenienti ratione perſonarum in Domino*. Cum Scholaſticis verò in iis, quæ ad veſtitum attinent, magis quàm cum iis, qui probantur, exterioris decentiæ ratio habeatur.

* Par. 3. c. 2. Lit. C.

Par. 3. c. 2. Lit G.

59) Ægrotorum cura habeatur magna, & obſervetur diligenter tam in victus ratione, quàm in cæteris, quod Medicus præſcripſerit.

60) Si cui particulari quidpiam ab externo aliquo mittatur, id in communem uſum accipiatur, ac diſpenſetur.

* In Ex. c. 1. §. 4. & P. 4. c. 2. Lit. F. & P. 6. c. 2. §. 3.

61) * Caveat, ne qua Domus Profeſſorum, aut aliquis eorum, vel Coadjutorum formatorum redditibus Collegii ſui, præterquam in rebus minimis utatur, niſi is eidem Collegio neceſſarius ſit, aut conveniens, ut in eo commoretur.

Can. 26. Congr. 2.

62) Lites forenſes fugiat, nec ullam inconſulto Provinciali intentet, nec intentæ reſpondeat, niſi cogatur.

Par. 3 c. 1. §. 7. & 9. & Can. 3. Congr. 2.

63) Si bona alicujus ex noſtris diſtribuendi eſſent, ſi ineundi contractus, ſi fabrica alicujus momenti, & expenſæ extraordinariæ faciendæ, aut ſi bona offerantur Collegio cum aliqua obligatione, rem ad Provincialem deferat.

64) Depoſitum pecuniæ nullum prorſus admittat; aliarum verò rerum non niſi cantiſſimè, dummodo ſint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officii ſine magna offenſione denegari non poſſit.

Par. 6. c. 3. §. 8.

65) Neminem ex noſtris in cauſis civilibus, nedum criminalibus examinari (niſi, qui ad peccatum obligare poteſt, compelleret) permittat abſque licentia, quam minimè dabit, niſi in cauſis, quæ ad Religionem Catholicam pertinent, aut alioqui piæ ſint, & ita uni faveant, ut non in alterius detrimentum cedant.

De auxilio animarum, communicatione cum externis, & gratitudine erga Fundatores & Benefactores.

CAPUT VII.

66) DEt operam, ut à noſtris miniſteria Societatis juxta Provincialis præſcriptum, & cujuſque talentum exerceantur non ſolùm in noſtra, ſed etiam in aliis Eccleſiis, carceribus, & aliis locis, quantum commodè fieri poterit *, nominatimque miniſterium doctrinæ Chriſtianæ commendatum habeat.

Par. 4. c. 8. §. 3. & 6. & Par. 7. c. 4. §. 6. & 7.

* Can. 21. Congr. 1. & Can. 20. Congr. 2.

67) Curet, nt noſtri in ſpiritualibus exercitiis tradendis accuratè exerceantur, poſtquam ea in ſe fuerint experti; nullus tamen deberet ea tradere, niſi prudentia, ac rerum ſpiritualium uſu ſatis probatus eſſet.

Par. 4. c. 8. §. 5. & Par. 7. c. 4. §. 8.

68) Non permittat, ut noſtri curam mulierum religioſarum ſuſcipiant, & aliarum quarumcunque, ut ordinariè illarum confeſſiones audiant, vel ipſas regant; quamvis nihil repugnet, aliquando apud eas concionari, aut ſemel unius Monaſterii confeſſiones ſpeciales ob cauſas audire; quod tamen non fiet, niſi poſtulent ii, qui eis præſunt.

Par. 6. c. 3. § 5.

69) Etſi proprium Rectoris officium eſt, Collegium ſibi commiſſum diligenter ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic muneri deeſſe debet; ſi quando tamen per officii ſui occupationes licebit, & concionari, & confeſſiones audire, & alia Societatis miniſteria exercere poterit.

Par. 9. c. 6. §. 1.

70) Mulieres inviſere, aut ad eas ſcribere, niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus, noſtros non ſinat, nec hoc quidem permittat, niſi viris valde probatis & prudentibus.

71) Non permittat fœminas Collegium noſtrum ingredi.

Par. 3. c. 1. §. 14.

72) Curet, ne primarios viros inviſere noſtri conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur, vel quando intima benevolentia in Domino conjuncti eſſent.

Par. 6. c. 2. §. 9.

73) Non ſinat offerri munuſcula, quæ Magnatibus ad res majores obtinendas offerri ſolent.

Par. 6. c. 2. §. 9.

74) Non permittat, ut noſtri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cùm ægrotant, viſitentur, niſi cauſa non levis momenti ad id concedendum moveret;

veret; quam eandem eſſe oportebit, ſi quando externus aliquis ad menſam, præſertim refectorii, invitandus videretur.

Par. 4. c. 10. Lit. C. & Par. 10. Lit. B. 75) Amicos conſervare, & eos, qui malè erga nos affecti ſunt, præcipuè ſi homines ſint non vulgaris auctoritatis, orationibus, & rationibus convenientibus in amicitiam revocare, vel ſaltem, ne adverſarii ſint, efficere ſtudeat.

Par. 4. c. 1. 76) Obſervet, quæ erga Fundatores & Benefactores tam vivos, quàm mortuos obſervanda ſunt, eiſque gratitudinem exhibeat: & aliis obligationibus, ſi quas Collegium habet, ſatisfieri curet.

De iis, qui admitti petunt, ad Collegium divertunt, aut foras mittuntur.

Caput VIII.

77) IN Societatem neminem admittat, niſi à Generali vel Provinciali id
* Par. 1. c. 1. §. 2. ipſi committatur *; ſed de iis, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, vel ſcribat, quales illi ſint, & quibus donis Dei præditi.

Par. 1. c. 1. Lit. A. 78) Si is, qui admitti petit, ad inſtitutum Societatis valde idoneus videbitur, & neceſſitas urgeret, poterit eum tanquam hoſpitem domi recipere, donec reſponſum à Provinciali accipiat, vel ad eundem mittere, ſi expedire judicaverit.

Par. 2. c. 4. §. 1. & Lit. A. 79) Recedentem ſine licentia ab alio loco Societatis, vel ab ea dimiſſum non admittat, ſed, ſi expedire videretur, ad Provincialem de eo ſcribat, & ejus ordinationem exſpectet, illo domi, ut hoſpite, vel in alio pio loco, ſi videbitur, detento.

80) Charitatem magnam exhibeat erga alios de Societate per Collegium tranſeuntes, eóſque amanter hoſpitio excipiat *, ac meminerit, ſe aliquo viatico, aut eleëmoſyna eos, ſi indigerent, juvare poſſe: curet item diligenter dirigere, ac juvare expeditiones hoſpitum, qui negotiorum cauſâ domi verſantur. * Par. 4. c. 2. Lit. F & Par. 6. c. 2. Lit. D.

81) Externi ne accipiantur hoſpitio, ut domi pernoctent, niſi ii ſint, quibus multum debeatur, aut id officii ſine magnâ offenſione prætermitti non poſſit: qua in re habeatur præcipua ratio Religioſorum, cùm neceſſitatis cauſâ ad nos divertunt.

82) Cùm quis domo egredietur, det ei ſocium convenientem: ſi quando autem aliquis ſolus foras mittitur, is ſit, cui meritò poſſit confidere. Par. 3. c. 1. §. 3.

83) Neminem ex ſuo Collegio in alium locum mittat ſine literis patentibus. Par. 7. c. 2. Lit. M.

84) Si quis experimento comperiretur ferre non poſſe Collegii cælum, & malè habere continentet cerneretur, vel alia ratione videretur mutandus, Provincialem admoneat, an aliò mitti debeat. Par. 3. c. 2. Lit. G.

85) Profecturi ad alia loca, ea, quam *ſottanam* vocant, & aliis interioribus indumentis, quibus utuntur, privari non debent, niſi fortè ratio temporis, aut alioqui charitas ſuaderet, melioribus eſſe commutanda. Reliqua verò omnia, quæ ad iter neceſſaria erunt, magna charitatis ſignificatione ab eo loco, unde mittuntur, ſubminiſtrentur, ſumptibus tamen eorum, quorum erit expenſas itineris ſolvere.

Regulæ Examinatoris.

Quæ in Examinatore requirantur, & quid præſtare debeat.

Caput I.

Par. 1. c. 1. §. 4. 1) Qui examinat eos, qui Societatem ingredi petunt, habeat oportet cognitionem rerum ejuſdem Societatis, ac zelum boni progreſſus ipſius, ut nulla ratione dimoveri ab eo poſſit, quod magis in Domino convenire judicaverit.

Par. 1. c. 1. Lit. C. 2) Moderatus admodum ſit in admittendi deſiderio: nam ùt par eſt ſollicitè cooperari vocationi divinæ, ut augeatur in Societate numerus Operariorum vineæ Chriſti; ita diligenter curandum eſt, ne quis admittatur, niſi qui illis Dei donis præditus ſit, quæ ad ipſius gloriam hoc inſtitutum exigit.

3) Quando aliquis Societatem ingredi petit, primus ipſe agat cum eo, ut intelligat, quæ ſint ejus dotes, & vocatio *: ſi quis autem clarè deprehenderetur ineptus ad inſtitutum Societatis, Superiori ſignificet, & accepta ab eo facultate, illum conſilio, & ſi quid aliud charitas ſuggerit, adjutum, ſtatim dimittat *: alios verò ad eos mittat, qui à Su- Par. 1. c. 1. §. 3. * Ibidem c. 4. § 2. Eodem c. 4. Lit. C.

à Superiore deſignati fuerint, ut cum illis colloquantur.

4) Poſtquam omnes deſignati eum, qui admitti deſiderat, allocuti fuerint, curet Examinator, ut à Superiore vocentur, & referant, quid de eo ſentiant; Superior autem, quid facto opus ſit, conſtituet.

Par. 1. c. 4. Lit. D. 5) Si ille, qui ingredi cupit, nulli fuerit domi ſatis notus, intellecto ejus nomine, & eorum, quibus cognitus eſt, extra domum inquiri poterit, cujuſmodi homo ille ſit; juvabit etiam ad hoc ipſum, ſi ad Sacramenta in Eccleſia no-
Ibid. §. 3. & Lit. C. ſtra frequenter accedat. Quodſi adhuc de eo dubitaretur, non parum confert, ſi in ſpiritualibus exercitiis conſtituatur: quibus peractis, ſi res nondum conſtaret, intelligat à Superiore, utrùm differendum reſponſum, aut omnino dimittendus ſit.

Breve examen, quo uti debet cum iis, qui ingredi petunt.

Caput II.

In Ex. c. 2. & Par. 1. c. 3. 6) In primis, qui admitti vult, interrogetur decenter de quinque impedimentis eſſentialibus, prudenter tamen, ut ea impedimenta eſſe, quæ à Societate excludunt, ille non intelligat, ne verum occultandi occaſionem accipiat.

In Ex. c. 2. §. 7. 7) Si aliquod ex iis impedimentis in quoquam detegeretur, non eſt, quòd ulteriùs procedatur, ſed quoad fieri poterit, cum conſolatione dimittatur; ſi tamen in eo dona aliqua Dei illuſtriora cernerentur, priùs oportet rem omnem cum Superiore conferre.

In Ex. c. 3. §. 13. 8) Si nullum tale impedimentum eſſet, ulteriùs interrogetur, an omnino decrevit ſæculum relinquere, quibus de cauſis, aut quomodo deſideria hæc ei in mentem venerint, & quàm dudum ea habuerit, an in hac animi ſententia remiſſior aliquando factus fuerit, & quatenus.

In Ex. c. 3. §. 14. 9) A quo tempore deliberaverit Societatem ingredi, & quid ipſum impulerit, ut hoc potiùs, quàm aliud inſtitutum amplecteretur. An à quoquam, præſertim à noſtris, primùm ad id motus fuerit. Num deliberatum habeat animi propoſitum vivendi & moriendi in Domino in hac Societate. Et an fuerit in eam aliàs admiſſus, & quare ſit egreſſus.

10) Num habeat æs alienum, aut alias obligationes*. Num morbum aliquem occultum, vel manifeſtum, & an hæreditarium, vel defectum in aliqua ſui parte patiatur. In Ex. c. 3. §. 6. *Ibidem §. 8.

11) Interrogetur de ætate, patria*, Parentibus, & eorum conditione, an rerum temporalium penuria premantur,* & an ea cauſa, vel quacunque alia neceſſariò ipſius opera indigeant, aut probabiliter indigere poſſint. In Ex. c. 1. §. 1. *Ibid. §. 2.

12) An ſit ex legitimo matrimonio, num à Progenitoribus jam olim Chriſtianis, an à modernis, vel hæreticis deſcendat. An aliquis ex ejus Progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem errorem contra noſtram Chriſtianam & Catholicam Religionem. In Ex. c. 3. §. 2.

13) Si literis præditus eſt, ubi eis operam dederit, quantum profecerit. Ingenii autem & judicii ſpecimen ex ſermone, & aliis conjicere licebit. In Ex. c. 5. §. 1.

14) Si Coadjutor eſt futurus, petatur de ætate, ac viribus; an omnino ſorte Marthæ contentus futurus ſit, & num aliquam artem noverit, & obſervetur, an ad virtutem & devotionem propenſus ſit. Par. 1. c. 2. §. 2. & 3.

15) Tandem curandum eſt, ut, qui admitti deſiderant, ſummam noſtri Inſtituti, probationéſque, ac difficultates, quæ in eo ſunt, bene intelligant: de iis verò, quæ hic interrogantur, aut de Inſtituto explicanda dicuntur, plura aut pauciora juxta perſonarum qualitatem, & cognitionem inquiri, & explicari poterunt. Par. 1. c. 4. §. 3.

16) Reliqua, quæ ad officium Examinatoris pertinent, ſi quando cum iis, qui in prima probatione ſunt, vel aliis noſtris illi obeunda erunt, petat ex officio Magiſtri Novitiorum.

17) Cæteri verò à Superiore deſignati, ut cum illis colloquantur, qui admitti petunt, iiſdem ferè interrogationibus utantur, exceptis iis, quæ interrogato ruborem injicere poſſunt.

Regulæ Magiſtri Novitiorum.

De iis, quæ ad ejus perſonam, & inſtructionem pertinent.

Caput I.

1) Rem eſſe magni momenti ſibi commiſſam intelligat, quandoquidem ex prima Novitiorum inſtitutione pendet majori ex parte eorundem profectûs, & ſpes noſtræ Societatis in Domino, curétque, ut in dies per ſtudium propriæ perfectionis, inſtrumentum aptius ad eos juvandos reddatur.

Par. 3. c. 12. § 12. 2) Amabilem ſe præſtet, & vitæ integritate, ac diſcretione ita ſe gerat, ut omnes, qui in probatione ſunt, ad eum in ſuis tentationibus confidenter confugiant, eique ſe ipſos confidenter aperiant, & ab eo conſolationem & auxilium in omnibus in Domino ſperent.

3) In Domibus Probationis ſeparatis, præter has Regulas officii ſui, habeat etiam Regulas, & omnes facultates aliorum Rectorum, exceptis iis, quæ Novitiatui non conveniunt.

4) Habeat ſocium Sacerdotem fidelem, & in rebus ſpiritualibus exercitatum, à Provinciali deſignatum, qui in iis, quæ in Novitiatu agenda ſunt, ſit ejus Coadjutor. Habeat etiam aliquem Fratrem ex antiquioribus in virtute probatum, & prudentem, qui juxta ordinem Obedientiæ ſignificet unicuique exercitia exteriora, in quibus occupandi ſint, & manu ducat illos, cùm opus eſt, ad illa facienda.

5) In Domo Probationis conjuncta Domui Profeſſorum vel Collegio, habitatione tamen diſtincta, Magiſter Novitiorum erit ſubordinatus Præpoſito vel Rectori; non tamen erit ſub obedientia Miniſtri, ſicut nec ejus ſocius: in ea autem Domo vel Collegio cœnatio ſit communis, menſa aliqua Novitiis, & eorum Magiſtro deſignata.

6) Hic Magiſter Novitiorum pœnitentias in Novitiatu tantùm ſuis Novitiis imponere poterit, extrà verò non niſi conſulto Superiore.

7) Habeat hic idem Magiſter Novitiorum poteſtatem ordinariam abſolvendi à caſibus reſervatis Novitios, qui ſub ipſius cura degunt, niſi ejus Superiori hæc facultas aliqua de cauſa reſtringenda videretur.

8) Verſatum eſſe oportebit in lectione librorum ſpiritualium, ut deceptiones, quæ in ſpirituali vita accidunt, non tantùm experimento, ſed etiam lectione intelligat. Quibus autem utiliter ipſe uti poterit, ii ferè ſunt, qui in ſubjecto catalogo numerantur. Novitiis verò eos tantùm legendos tradet, qui noſtro inſtituto conveniunt, ne quid ab eo alienum hauriant, aut quacunque ratione quidquam detrimenti capiant.

Libri ad uſum Magiſtri Novitiorum accommodati.

Baſilii Aſcetica, & Regulæ.
Gregorii Moralia.
Auguſtini Confeſſiones, & Meditationes.
Bernardus.
Bonaventuræ Opuſcula.
Caſſianus.
Homiliæ Dorothei, Macharii, Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi.
Opuſcula Ephrem, Nili, Eſaiæ Abbatis.
Diadocus.
Ugo de S. Victore de Clauſtrò Animæ.
Richardus de S. Victore.
Umbertus de Eruditione Religioſorum.
Innocentius de Contemptu mundi.
Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti, & alia ejus Opuſcula.
Vincentii Tractatus de Vita ſpirituali.
Ludovici Bloſii Opera.
Dionyſii Carthuſiani Opuſcula.
Albertus Magnus de Virtutibus.
Epiſtolæ Catharinæ Senenſis.
Landulphus de Vita Chriſti HISTORICI.
Gregorii Dialogi.
Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum, & Vita S. Martini.
Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Severus Sulpitius de Vita Martini.
Vitæ Patrum ſelectæ.
Vitæ SS. Lippomani & Surii.
Petrus Damianus.
Petrus Cluniacenſis de Miraculis.
Literæ Indicæ.
Vita P. N. Ignatii, & alii ſimiles ad Novitiorum utilitatem accommodati: ex quibus deſumet aliquos pro illorum uſu.

De

De prima Probatione.

CAPUT II.

[In Ex. c. 1. §. 13. & Par. 1. c. 4. §. 1.] 9) POſtquam in Domino ſtatuetur, ad prnbationem aliquem admittendum eſſe in domo, vel habitatione ſeparara primæ probationis; hnſpitum more duodecim dies, vel uſque ad viginti, & ampliùs (prout Superiori videbitur) diverſetnr; ut eo tempore de iis, quæ pertinent ad Societatem, ipſe certinr reddatur, & Societas eundem pleniùs in Domino cognoſcat.

[Par. 1. c. 4. §. 4.] 10) Poſtridie ei declarabitur, quomodo in eo loco ſe gerere debeat, ac nominatim nè verbo, aut ſcripro (niſi Superiori aliqua de cauſa non levis momenti aliud videretur) cum externis vel domeſticis agar, præterquam cum iis, quos ad id Superior deſignaverit.

[Par. 1. c. 1. Lit. D.] 11) Librum completum examinis abſque declaratiombus, Latina lingua pro iis, qni eam inrelligunt, & vulgari pro aliis habeat, nec non & eisdem linguis Summarium Conſtitutionum, & Regulas communes habere debet.

[In Ex. c. 1. § 13 & Lit. A. & Par. 1. c. 4. §. 5.] 12) Elapſis duobus aur tribus diebus, examinare accuratiùs incipiat, & relinquatur ei ſcriprum prædictum examen, ur ſolus id maturiùs conſideret, niſi in aliquo particulari aliud examen brevius proponendum eſſe Superior judicaverit.

[In Ex. c. 1. § 13. & Par. 1. c. 4. §. 5.] 13) Poſtea Literæ Apoſtolicæ Julii III. anno 1550., & Summarium Conſtitutionum, & Regulæ communes eidem oſtendantur, & relinquantur, ut omnia per otium magis conſideret; iis verò, qui Lireras Apoſtolicas Larinas non inrelligerent, ſatis eſſet earum ſummam declarare.

[In Ex. c. 1. Lit. E.] 14) Ordo examinandi eſſe debet, in primis proponere, ac proſequi, quæ quatuor primis capitibus examinis continentur: deinde ea, quæ ſpeciatim ad Literatos pertinent, vel Coadjutores, vel Scholares, aut indifferentes: quamvis autem omnibus integrum examen relinquarur, non ſunt tamen omnes particulariter examinandi, niſi de iis, quæ ad unumquemque pertinent, & ſi quid alicujus momenti occurrerit, quod Superiorem ſcire oporteat, ſcripto notabit.

15) In his omnibus proponendis, & declarandis paulatim procedatur, ut, qui examinantur, res omnes noſtri inſtituti, juxta ipſorum gradum, bene percipiant, ad ſuam majorem ſatisfactionem, & ſtabilitatem; & illa præſertim ſunt magis explicanda, quæ poſtea aliquam difficultatem aſſerre poſſent, ut de animi promptitudine ad ſerviendum Deo ubique, & in re quavis de manifeſtatinne ſuorum defectuum juxta Conſtitutiones de indifferentia ad gradus Societatis in Scholaribus & Literaris, & de manifeſtatione conſcientiæ ſtatutis temporibus.

[Decret 78. Congr. 4.] 16) Si quis ad ſtudia majorem propenſionem, quàm par eſſet, & minorem indifferentiam, quàm ad alia miniſteria Societaris præ ſe ferret, & videretur nihilominus ad ea minùs aprus, non tantùm proponarur ei ſcriptum examen, ut reliquis, ſed & §. 2. Cap. VII. accuratè illi explicetur, inrerrogetúrque, an patienrer ſe dimitti ſiner à Societare, dummodo ab omni voto ac promiſſione liber maneat.

[In Ex. c. 3. §. 1. & Lit. A. & c. 2. Lit. A.] 17) Admoneatur, ut verè omnino, ac ſincerè reſpondeat: nam alirer multa gravia incommoda inde oriri poſſent; & nihilominus admonere Confeſſarium oportet, ut ſi quis verè non reſpondiſſet, ejus de ea re conſcientiam ſtimulet.

[In Ex. c. 3. §. 1.] 18) Si quid erit in interrogationibus, quod ſecretum requirar, id obſervabitur, ut par eſt, & interrogato placuerit*: declaretur tamen ei, quæ juxta Conſtituriones licebit rem omnem Superiori manifeſtare.

[Ibidem c. 4. §. 8.]*

[In Ex. c. 4. §. 2. & Can. 1. Congr. 3.] 19) Promittat ſe relicturum omnia bona ſua poſt unum annum ab ingreſſu, quandocunque injunctum à Superiore ei fuerit: & declaretur, quòd actus hujus promiſſionis, nec votum eſt, nec ſolùm propoſitum, ſed promiſſio ſimplex, illa conditione affecta, ſi ipſe perſeveraverit, & Superior ei injunxerit.

[Par. 1. c. 4. § 1. & Dec. 78. Congr. 4.] 20) Hoc tempore primæ probationis per quinque vel ſex dies accuratè informentur prædicto modo de iis, quæ ad inſtitutum, & ad ipſos pertinent, & lectione alicujus pii libelli, qualis eſſet de imitatione Chriſti, ſubinde recreentur.

21) Coadjutores verò temporales, qui legere non didicerunt, aut qui minùs ad hæc tractanda idonei videbuntur, quamvis in propria vocatione juxta ipſorum captum plenè inſtituendi ſunt; poterunt tamen hoc tempore aliquo exercitio corporali, aur laborè manuum, judicio Superiorum occupari, ſejuncti tamen ab illis

In Ex. c. 5. §. 6. & Par. 1. c. 4. §. 5. & Decret. 78. Congr. 4. 22) * Deinde, qui literis operam dederunt, de ſingulis facultatibus, in quibus verſati ſunt, ſingulas prælegant lectiones coram eis, qui à Superiore ad eorum talentum cognoſcendum in doctrina, & proponendi modo ſunt conſtituti, & poſtea exhortationem unam quiſque faciat.

Decret 78. Congr. 4. 23) Tum ſi quis, antequam fuerit in Societatem admiſſus, ſpiritualia exercitia fecerit, hoc primum experimentum (ut ſequenti Capite, ubi de experimentis agitur, mox dicetur) juxta 4. cap. *Ex. c. 4. §. 4.* Ex. §. 10. aggrediatur, & juxta exercitia ſuo tempore generaliter confiteatur, niſi ante ingreſſum fuerit alicui de Societate generaliter confeſſus: tunc enim *Ex c. 4. §. 36.* ſatis erit, ſi ab eo tempore generalem confeſſionem incipiat, & eodem tempore conſcientiam ſuam Superiori, aut ei, quem Superior deſignaverit, aperiat, juxta Par. 1. Conſt. c. 4. §. 6.: & ſi ab aliqua cenſura virtute noſtrorum privilegiorum abſolutus fuerit, admoneatur, quòd ſi non perſeveraverit, in eandem *Can. 22. Congr. 1.* relncidet. Declaretur etiam illi, ſi qua vota, eùm adhuc eſſet in ſæculo, emiſit (præterquam Religionis determinatæ) in noſtra Societate tamdiu ſuſpenſa eſſe, dum ipſe in Societate manſerit: quodſi receſſerit, eadem obligatione teneri, qua ante ingreſſum tenebatur. Expleto autem tempore hujus experimenti ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ac-*Par. 1. c. 4. §. 6.* cipiet, & communem domum habitationis ingrediatur, ubi cum aliis verſari, & in ſecunda probatione diutiùs exerceri Novitii ſolent.

Decret. 78. Congr. 4. 24) Si vel cujuſquam valetudo, vel aliqua temporis aut perſonæ ratio perſuaſerit, non eſſe tamdiu hæc mentalia exercitia continuanda, antequam exercitia aggrediatur, per quatuor vel quinque dies vacare, & ſeparatim recreari poterit, vel ſi Magiſtro Novitiorum videretur, facta confeſſione generali, & peractis exercitiis primæ hebdomadæ. Sed quando hæc relaxatio longiùs ob valetudinem, aut aliam rationem protrahenda Magiſtro Novitiorum viſa fuerit, poterit ſumpta Euchariſtia etiam ad communem convictum admitti; & ubi firmior fuerit, ſua exercitia peraget.

In Ex. c. 4. § 4. & Par. 1. c. 4. §. 6. 25) Si Superior judicaverit, eum domi retineudum, curet, ut in libro ad id deſignato, quem penes ſe Procurator habere debet, ſcribatur, quidquid unuſquiſque Domum attulerit, cum ſubſcriptione ejus, qui examinatus eſt; & ut hæc alicubi ſeparatim aſſerventur, quouſque biennio expleto conſueta vota emiſerit.

26) In alio libro, quem apud ſe habebit, notabit diem & annum uniuſcujuſque, incipiendo à die, quo primùm probationem intravit, & nomen, & patriam, & quòd contentus ſit obſervare omnia ei propoſita. Quando verò aliqui in Coadjutores temporales, & indifferentes admittentur, ſpeciatim id ſcripto declaretur, quod ut tales examinati & admiſſi fuerint; & hæc, qui examinatus eſt, manu ſua ſubſcribat, & ſi ſcribere neſcit, alius ejus nomine ſcribat. *Par. 1. c. 4. § 6.*

De ſecunda Probatione.

CAPUT III.

27) IN primis diligenter curet, ut Novitii ſex illis experimentis, quæ in Conſtitutionibus traduntur, ſeriò, & cum deſiderato fructu exerceantur, intelligátque, præcipuam Novitiatus partem in his probationibus poſitam eſſe. *In Ex. c. 4. §. 9.*

28) Exercitia ſpiritualia primùm ſingulis eo, quo procedunt ordine, præſcripto tempore, atque exactè tradantur, ſecundùm uniuſcujuſque diſpoſitionem, & captum, juxta Regulas Libri Exercitiorum: præmiſſis tamen his, quæ ad electiones ſpectant; ut inde, præter alia, certam, ac noſtro inſtituto conſentaneam, mente & voce orandi rationem habeant, quam in poſterum ſervare debeant. *In Ex. c. 4. §. 10. & Par. 3. c. 1. §. 20.*

29) Quoad ſecundum experimentum, quo hoſpitalibus per menſem ſervire debent, videbit ipſe, quid magis expediat, an noſtros ibidem cibum capere, & dormire, an verò per aliquot horas quotidie miniſterium ægris impendere. *In Ex. c. 4. §. 11.*

30) In hac probatione advertat, ne noſtri nimio fervore ſuæ valetudini noceant, aut periculo contagionis alicujus morbi ſe exponant: admoneátque, ne ingrediantur partem illam Xenodochii, ubi mulieres habitare ſolent.

31) Menſe alio ad peregrinandum ſine pecunia mittantur, oſtiatim pro Chriſti amore mendicando, ut ad incommoditatem comedendi, & dormiendi aſſueſcant, & ut omni ſpe abjecta, quam in pecuniis, & rebus aliis creatis poſſent conſtituere, eam integrè, & vera cum fiducia in Domino conſtituant. *In Ex. c. 4. §. 12.*

32) Advertendum, ne imbecilles, aut tenerioris ætatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur, ne fiant

fiant aſperiore hyeme, aut ferventiore æſtate, illiſque Regulas Peregrinorum, literas patentes, & cùm opus erit, particularem etiam inſtructionem tradet *, & ab ultimo loco, ad quem perveniunt, teſtimonium à Superiore Domus vel Collegii Societatis, ſi ibi fuerit, vel ab alio fide digno ſecum ferant, quòd ſuam devotionem ſecuti, ſine ulla cujuſque querela cooperuerint: & in ſecundo, quinto & ſexto experimento *, juxta Conſtitutiones, idem ſervetur.

*In Ex. c. 4. §. 20.

* Ibidem § 19. & 22.

In Ex. c. 4. §. 13. 33) In quarto experimento, quo in officiis abjectis exercentur, advertat, ne nimia corporis fatigatione ſpiritus obruatur; & à Scholaſticis fiat potiùs ad propriam cujuſque abnegationem, & humiliationem, quàm pro domeſtica aliqua neceſſitate. Dum autem hæc probatio fit in Domo probationis, vacabit, qui ita probatur, ab aliis exercitiis aliorum Novitiorum, exceptis conferentiis, & exhortatione ordinaria.

In Ex. c. 4. §. 16. 34) Cùm hæc probatio non fit in Domo probationis, ſed in Domibus profeſſis, aut Collegiis, ſit aliquis, qui Novitiorum peculiarem cùram gerat, ubi in recreatione ſeparati ſint *, adjunctis aliis, à quibus in Domino adjuvari poſſint.

*Par 3. c. 1 Lit. D.

In Ex c. 4. § 14. 35) In docenda doctrina Chriſtiana pueros, ac perſonas rudes publicè, vel privatim (prout occaſio ſe obtulerit) tanquam in propria noſtri Inſtituti Novitios exercendos curabit, habita perſonarum ratione.

36) In confeſſionibus audiendis, & prædicatione divini verbi domi aut foris circa finem primi anni probentur, qui ad hujuſmodi miniſteria idonei invenientur, & bonæ ædificationis ſpecimen jam dederint, eo tamen modo, ne tanquam Operarii ordinarii ad miniſteria hæc exercenda exponantur, ſed brevi tempore, & ad probationem.

37) Tametſi exercitia ſpiritualia exactè omnibus in principio tradenda ſunt; quoad reliqua tamen experimenta, ſi quod eorum permutandum, aut multùm moderandum judicaret, id ne faciat inconſulto Provinciali; quanquam anteponere, aut poſtponere ipſe ea poterit, pro ratione perſonarum, temporum, aut locorum.

38) Advertat, ut hæ probationes inter ſe debitis ſpatiis diſtinguantur, ita ut Novitii una peracta, aliquamdiu ad ſolita exercitia Domus probationis redeant, ut corpore & ſpiritu recreati, uberiorem fructum ex præteritis laboribus colligant, ea tamen ratione *, ut intra annum omnes abſolvantur. Quòd ſi peculiari aliqua de cauſa hæ probationes ad ſecundum annum differendæ viderentur, priùs Provincialis conſulatur.

In Ex. c. 4. §. 16.

39) Præter hæc experimenta, alia fieri hoc biennio probationis poſſunt, & hæc eadem ex parte repeti, quando in Domino ita expedire judicaverit, & quidem omnia cum maturitate & prudentia, & ædificatione etiam externorum ſunt facienda. In Ex. c. 4. §. 16 & Par. 9. c. 3. §. 8. & Lit. E.

De inſtitutione & regimine Novitiorum.

40. Ne fiant mortificationes publicæ, niſi ordinariæ, juxta Conſtitutiones, ut ſunt præter ſolita experimenta, petere oſtiatim eleemoſynam, comitari emptorem ad comportanda ea, quæ emuntur, indui veſtibus vilioribus, quæ tamen Religioſos deceant, & alia id genus, ut in officio Rectoris dicitur.

41) Convenit, ut, qui probantur, veſtitus ratione ad mortificationem, & abnegationem ſui, & ad mundum, ejúſque vanitatem ſub pedibus conculcandam juventur, & id quidem, quantum conſuetudo, officium, & perſonarum circumſtantiæ patientur. Diſcretioni autem ejus relinquitur, habita ratione ædificationis, an cum eisdem veſtibus, quas in ſæculo tulerunt, incedere ſint permittendi; an verò cum aliis eas permutari oporteat. Par. 3. c. 1. Lit. C. & In Ex c. 1. § 13. & Lit F.

42) Conferet, ut aliquando occaſionem præbeat iis, qui probantur, exercendi obedientiæ & paupertatis virtutem, eosdem tentando ad majorem ipſorum utilitatem ſpiritualem, in hoc tamen menſura, juxta uniuſcujuſque vires, obſervetur. Par. 3 c. 1. Lit. U.

43) In pœnitentiis, & corporis afflictionibus advertat, ne nimius hujuſmodi rerum uſus tantopere vires debilitet, ut poſtea ad miniſterii noſtri inſtituti inutiles reddantur; nec contrà tanta in illis ſit relaxatio, ut fervore ſpiritus refrigeſcente, humani ac inferiores affectus incaleſcant. Par. 6. c. 3. § 1.

44) Lectiones fiant de his, quæ ad inſtitutum pertinent, & continènter literis Apoſtolicis, Regulis, & Conſtitutionibus, præcipuè verò de iis, quæ in Examine, & tertia parte habentur, aut de aliis, quæ eò referuntur, mutata in-

terdum materia, ut tædium tollatur: modus verò lectionum ſacilis ſit & ſimplex, & ad Novitiorum animos, ad inſtituti amorem, & ſolidarum virtutum perfectionem promovendos accommodatus.

Par. 3. c. 1. §. 20. 45) Explicetur brevi narratione doctrina Chriſtiana, ac modus bene, & cum fructu confitendi, communicandi, Miſſam audiendi, & eidem decenter miniſtrandi, orandi itidem, meditandi, & libros denique pios legendi pro captu uniuſcujuſque tradatur.

Par. 3. c. 1. § 26. 46) Admoneat crebrò Novitios, ut in omnibus rebus Deum quærant, & in ſuis actibus intentionem puram ad Dei beneplacitum dirigant *, ut familiares cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis eſſe curent; & tandem ita ſint instructi Novitii *, ut nihil perfectionis, quod divina gratia conſequi poſſint, in abſoluta noſtri inſtituti obſervatione prætermittant.

** Par. 10. §. 2.* ** Par. 6. c. 1. §. 1.*

47) Omnes perſpectos habeat, ut magis illis prodeſſe poſſit, ad quod juvabit, cum illis frequenter ſingillatim agere, & rationem ab unoquoque rerum ſuarum ſuaviter exigere: in his autem privatis colloquiis magnam utilitatem poſitam eſſe ſciat.

Par. 3. c. 1. §. 4. 48) Det operam, ut Novitii religioſam modeſtiam præſeferant, juxta Conſtitutiones & Regulas, quæ de ea conſcriptæ ſunt, in quibus tempore Novitiatus diligenter inſtituendi erunt.

49) Cognoſcat, quem procedendi modum in oratione & examine ſervent; & petat interdum, an contra aliquem defectum adhibeant examen particulare, & quando reſiſtunt tentationibus, an propriis remediis utantur: in acquirendis virtutibus quam rationem teneant: & intelligat demum, an in his omnibus præſtent ea, quæ ab ipſo acceperunt.

Par. 3. c. 1. Lit. A. 50) Si aliquis ſollicitetur, vel perturbetur ab hominibus, qui in via ſpiritus non bene procedunt, & expediat, illum in alium locum transferri, Provincialem tempeſtivè moneat.

Par. 3. c. 1. Lit. D. 51) Si duo in eodem cubiculo habitent, alter eorum ejuſmodi ſit, ut minimè dubitetur, quin alter ſit ex ejus Societate profecturus, & eandem ob cauſam inter cubicula, quæ ſeorſum unicuique juniorum aſſignantur, par eſt, aliquos maturos ex antiquioribus interміſceri.

52) Si aliquando permittendum videretur, ut aliquis conſanguineos vel amicos, quos in ſæculo habebat, alloqueretur, coram aliquo à Superiore ad id deſignato id fiat, & breviter, niſi particulares ob cauſas aliud ſtatueret Superior totius Domus vel Collegii. *Par. 3. c. 1. Lit. B.*

53) Novitii non ſunt ut plurimùm aſſignandi in ſocios noſtris, qui adeunt domos ſæcularium, nec debent habere officia publica, in quibus neceſſarium ſit agere cum externis, ut Emptoris, Janitoris, & Sacriſtæ.

54) Videat, num aliqui in ſchedulis Novitiis aſſignandi ſint, ut cum eis loqui poſſint, quorum exemplo & colloquiis proficiant in Domino, & ſi cum aliis ſine facultate egerint, debitam eis pœnitentiam injungat. *Par. 3. c. 1. §. 3. & Lit. D.*

55) Admoneat eos, ne vota ante biennium emittant ſine Superioris facultate, quam in primo anno Novitiatus ſolus Provincialis re maturè conſiderata dare poterit *. Horum autem, qui hæc vota ſemel apud ſe ex licentia Superioris juxta formulam Societatis emiſerint, memoria in libro aliquo aſſervetur, & poſtea tempore Novitiatus *, bis in anno ſtatutis temporibus *, ſeorſum ab aliis, qui biennium expleverunt, ipſi ſimul inter ſe illa renovabunt. *Par. 3. c. 1. Lit. T.* ** Par. 5 c. 4. Lit. C.* ** Can. 9. Congr. 4.* ** Can 1. Congr. 2.*

56) Diligenter obſervare debet in toto probationis decurſu, an ineptus aliquis, aut inutilis noſtro inſtituto probabiliter futurus ſit: in quo major habenda eſt ratio boni communis Societatis ad gloriam DEI, quam particularis cujusque: quid autem ſentiat in hac re, ad minimum ſexto quoque menſe ad Provincialem ſcribat, ut ipſe provideat.

57) De ſingulis etiam ſub finem biennii ad eundem ſcribat, ut cum illius facultate conſueta vota Societatis emittant, * aut diutius probentur; prius autem, quàm vota emittant, * per hebdomadæ ſpatium ſe colligant, & aliqua exercitia ſpiritualia præter alia, quæ præſcripta ſunt, faciant. ** In Ex c. 1. § 12. & c. 4. §. 43.* ** Ibidem c. 4 §. 41.*

58) * Scholaſtici, qui ſtudiis abſolutis tertium probationis annum peragunt, in variis experimentis, & ſpeciatim in nonnullis jam dictis, quamvis illis prius jam perfuncti fuerint, probentur. * Hujus autem probationis tempo- ** In Ex. c. 4. § 16.* ** Par. 5. c. 2. §. 11.*

re in

re in ſchola affectus ſe exerceat, & in rebus ſpiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegatione univerſi amoris ſenſualis voluntatis, & judicii proprii, & ad majorem cognitionem, & amorem DEI conferunt, inſiſtant.

Par. 4. c. 4. §. 4. 59) Adhibeat diligentiam, ut Coadjutores temporales in modo orandi juxta Conſtitutiones inſtruantur, eoſque myſteria Roſarii doceat, & privatim inſtruat., * ut ad ſuæ vocationis miniſteria afficiantur, & ſorte Marthæ contenti ſint.

** In Ex. c. 6. §. 6. & 7. & Par. 1. c. 2. §. 2.*

60) Exhortationibus ordinariis omnes interſint. Coadjutores tamen temporales & indifferentes non interrogentur in Conferentiis, niſi eum rerum & perſonarum delectu, nec ad Tonos conveniant: & ſi quidem per ſex menſes ad minimum in domo probationis ſint, reliquo autem biennii tempore, ſic ſub cura Magiſtri erunt: ut aliis officiis ad inſtar aliorum Coadjutorum vacare poſſint, & tempus ordinarium orationis Domûs vel Collegii, ubi agent, habeant: experimenta tamen, ad quæ apti fuerint, intra annum abſolvant.

61) Quando erit concio domi, vel in Eccleſia, quam Novitii ſint audituri, eo die à Lectionibus, & Conferentiis, & Tonis liberi erunt.

62) Singulis hebdomadis, die una à ſolitis exercitiis vacent, in qua aliquid honeſtæ recreationis poterunt ſumere domi vel foris.

De Examine ſemeſtri Novitiorum.

In Ex. c. 1. §. 13. & c. 4. §. 4. 63) Sexto quoque menſe per biennium probationis, literas Apoſtolicas, & Regulas unuſquiſque videre, & conſiderare debet, * & Examen; relicto ſecundo & tertio capite, & aliis, quæ ad gradum ſuum non pertinent, ut Regula 12. & 13. dictum eſt, deinde poſtquam hæc omnia viderit, interrogetur.

** Par. 1. c. 1. Lit. D.*

64) An prædictis omnibus contentus ſit, an verò aliquid dubii, vel difficultatis circa ea occurrat; quæ experimenta peregerit, & quomodò in illis ſe habuerit.

In Ex. c. 5. §. 4. 65) An vires ſibi corporales, & ſpirituales ſuppetere ſentiat, ad labores perferendos, qui in Societate requiruntur; * num deliberatum habeat animi propoſitum vivendi & moriendi in hac Societate JESU Domini noſtri.

Ibidem c. 3. §. 14.

66) Examen hoc factum eſſe notetur ſcripto, ut conſtet. Quod ſi quid novi occurrat, aut ſi qua mutatio alicujus momenti accidat, Superiorem certiorem reddat.

67) Demum, qui ſic examinatus eſt, reddet rationem conſcientiæ ſuæ Superiori, aut ei, quem Superior delegaverit, * & ab ultima confeſſione generali incipiendo generaliter confitebitur Sacerdoti, qui fuerit à Superiore deſignatus. *In Ex. c. 4. §. 38.* ** Ibidem §. 41.*

De ordine Domûs probationis.

CAPUT IV.

68) NOvitii manè poſt pulſum campanæ, dum ſurgunt, dum ſe induunt, & lectum decenter operiunt, aliquas orationes ad Deum fundant, aut aliquid in Domino meditentur, & reliquo ſemihoræ ſpatio, pia aliqua lectione, aut alia ratione ad orationem ſe præparare poterunt.

69) * Poſtea integram horam orationi mentali, aut vocali, vel meditationi dent, juxta cujusque captum, & Magiſtri Novitiorum inſtructionem. ** Par. 4. c. 4. §. 3. & 4. & Lit. B. & C. & Can. 6. Cong. 4.*

70) Abſoluta oratione, media illis conceditur hora ad lectum & cubiculum componendum, & ad diſpiciendum, quem fructum ex oratione collegerint.

71) Poſt hæc Miſſam devotè & reverenter audiant, qua abſoluta, * interſint lectioni, ſeu exhortationi, quæ de rebus ſpiritualibus bis in hebdomada, per dimidiam horam, illis fiet; reliqua autem dimidia ſtatim repetant audita, & conferent inter ſe terni, aut quaterni, ſinè ulla diſputatione, ſed cum humilitate & modeſtia. *Par. 4. c. 4. §. 3.* ** Par. 3. c. 1. §. 12. & 20.*

72) Sequenti die iis de rebus, ut meliùs ad praxin reducantur, eadem hora fient Collationes, hac ratione, ut lectione præcedenti breviter per unum aut plures à Magiſtro deſignatos repetita, proponat aliquis, quomodo vincatur talis tentatio, aut difficultas in re propoſita, aut unde oriatur hoc vel illud impedimentum, & quid remedii poſſit adhiberi, & alia ſimilia: poſtquam autem aliqui dixerint, quid ſibi occurrat, Magiſter conſtituet, quid tenendum ſit.

73) Reliquo toto tempore uſque ad examen, quod ſemper ante prandium fiet, per quartam horæ partem in ſuis officiis, aut in aliquo exercitio corporali, aut labore manuum *Par. 4. c. 4. §. 3. & 4.*

* Par. 3. c. 1. §. 20. num à Magiſtro Novitiorum præſcripto occupabuntur: * aliquid tamen temporis quotidiè, præſertim ante prandium, tribuant Regulis, & Doctrinæ Chriſtianæ, & aliis, quæ judicio Magiſtri Novitiorum cuique convenient, addiſcendis, memoriæ mandandis.

Par. 3. c. 2. Lit. D. 74) Poſt examen ſequatur prandium, quo abſoluto, horam integram recreationi dabunt, tam qui in priore, quàm qui in poſteriore menſa pranſerunt. Tempore autem recreationis poterunt mutuò colloqui, dummodò pauciores, quàm quatuor non conveniant, niſi aliter Magiſtro videretur: agent autem de exemplis Vitæ Chriſti vel Sanctorum aut de his, quæ cùm ædificatione in Societate fiunt, aut de re aliqua utili in Domino.

75) Expleto recreationis tempore, audito campanæ pulſu, ſeſe ad cubicula recipiant (præter eos, qui in aliquibus officiis occupati erunt) ut aliquid legant, vel ſcribant, vel aliquid aliud agant juxta Magiſtri præſcriptum.

76) Poſt finitam horam omnes cum Magiſtro convenient, & penſum aliquod eorum, quæ antea memoriæ mandaverint, reddant, * Poſt à explicabitur illis hebbomadis per dimidiam horam Doctrina Chriſtiana, deinde eam recitabunt uno ſtante & interrogante, & aliis reſpondentibus, vel ſeſe invicem interrogantibus, & inſtruantur in modo docendi illam, juxta morem regionis. Uno verò die cujusque hebdomad fiant Toni.

* Par. 3. c. 1. § 20.

77) His expletis, ad ſua officia, vel ad aliquid legendum, aut ad alias occupationes ſe conferent: * Deinde ante ultimam horam, quæ cœnam præcedit, per ſemihoram orationi vacabunt; ipſam verò horam ultimam, ſequentem ante cœnam, partim officiis domeſticis, partim corporali exercitationi, vel aliis occupationibus, quas Magiſter præſcripſerit, impendent.

* Decr. 41. Cong. 2. & Can. 12. Cong. 1.

78) Poſt cœnam, horam integram recreationi dabunt, reliquo tempore uſque ad examen (* quod ſemper fiet, antequam cubitum eant, per quartam horæ partem) poterunt aliquid legere, vel alia ratione ſe ad orationem ſequentis diei præparare, vel aliud facere, pro arbitrio Magiſtri Novitiorum.

* Par. 3. c. 1. §. 3. & 4.

Par. 3. c. 1. Lit. D. 79) Novitios inter ſe converſari non convenit: ſed ſilentium invicem, & cum aliis obſervare, niſi in rebus, in quibus loqui neceſſe ſit, excepto recreationis tempore, de quo jam ſuprà dictum eſt.

De examine eorum, qui biennio abſoluto, in Scholaſticos approbatos admittuntur.

CAPUT V.

80) POſtquam quis biennium Novitiatûs, peractis experimentis, expleverit, & ad interrogationes, quæ ſexto quoque menſe fiunt, reſponderit, antequam vota Scholaſticorum emittat, interrogetur. Par. 4. c. 3. §. 3.

81) An velit ſe duci ſinere circa ea, quibus ſtudere debet, ac ſtudiorum modum, & tempus, juxta quod Superiori videbitur. In Ex. c. 7. §. 3.

82) An contentus futurus ſit eodem, atque alii, modo in Collegio agere, nulliſque privilegiis, aut prærogativis minimum omnium qui in eo fuerint anteire, omnem ſui curam Superiori relinquendo. In Ex. c. 7. §. 4.

83) An ſtatuerit omninò apud ſe, ſtudiis abſolutis, ac probationibus peractis, Societatem ad vivendum in ea & moriendum ingredi in eo gradu, quem Superior conſtituerit, ad majorem DEI gloriam. In Ex. c. 7. §. 5.

84) Admoneatur, quòd votis poſt biennium ab ipſo emiſſis, non poterit ſinè facultate Generalis à Societate noſtra recedere, nec ad aliam Religionem, excepta Carthuſienſium, tranſire, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, juxta Bullam Pii V. anno 1565. expeditam.

De examine Scholaſticorum ſtudiis abſolutis.

CAPUT VI.

85) SCholaſtici ſtudiis ſuis abſolutis, ſtatim, poſtquam ad tertium annum probationis peragendum miſſi fuerint, generatim interrogandi ſunt, an firmi in ſua deliberatione, & votis, & promiſſione DEO oblatis, antequam ad ſtudia ſe conferrent, permaneant; ut eorum ſtatus meliùs cognoſcatur, & ipſi magis in Domino juvari poſſint. In Ex. c. 7. §. 7.

86) Interrogentur etiam, & examinentur particulatim eisdem interrogationibus, & examine, quo ſexto quoque menſe, antequam ad ſtudia mitterentur, in- In Ex. c. 7. §. 8.

interrogati fuerunt, ut Superioribus eorum memoria renovetur, & mutatio, ſi aliqua in rebus jam affirmatis accidiſſet, cognoſcatur.

87) Poſtremò reddent rationem vitæ ſuæ inchoando ab eo tempore, quo eam reddiderunt, quando ad ſtudia miſſi ſunt. *In Ex. c. 4. §. 39.*

Regulæ Modeſtiæ.

Par. 3. c. 1. § 4. 1) IN conversatione noſtrorum, illud in univerſum dici poteſt, ut in omnibus externis actionibus appareat in noſtris modeſtia & humilitas, conjuncta cum religioſa maturitate: ſpeciatim autem hæc obſervanda erunt.

2) Caput huc illud leviter non moveatur, ſed cum gravitate, ubi opus erit: & ſi opus non ſit, teneatur rectum cum moderata inflexione in partem anteriorem, ad neutrum latus deflectendo.

3) Oculos demiſſos utplurimum teneant, nec immoderatè elevando eos, nec in hanc aut illam partem circumflectendo.

4) Inter loquendum cum hominibus, præſertim alicujus auctoritatis, non defigatur aſpectus in eorum vultus, ſed potiùs ſub oculos.

5) Rugæ in fronte, ac multò magìs in naſo evitentur; ut ſerenitas exteriùs cernatur, quæ interioris ſit indicium.

6) Labia nec nimis compreſſa, nec nimium diducta.

7) Tota facies hilaritatem potiùs præſeferat, quàm triſt tiam, aut alium minùs moderatum affectum.

8) Veſtes ſint mundæ, & cum religioſa decentia compoſitæ.

9) Manus, ſi non in ſuſtinenda veſte occupentur, decenter quietæ teneantur.

10) Inceſſus ſit moderatus ſinè notabili feſtinatione, niſi neceſſitas urgeret, in qua tamen, quantum poterit, decoris ratio habeatur.

11) Omnes denique geſtus ac motus ejusmodi ſint, qui apud omnes ædificationem pariant.

12) Si plures ſimul erunt, ordinem præſcriptum à Superiore bini vel terni incedendo ſervent.

13) Si loquendum fuerit, meminerint modeſtiæ & ædificationis, tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

Inſtructio ad reddendam conſcientiæ rationem, juxta morem Societatis.

INtelligant ſinguli, dum rationem conſcientiæ ſunt reddituri, quanti momenti Pater noſter ſanctæ memoriæ IGNATIUS induxerit, ad majorem Divinæ Bonitatis gloriam; ut ſubditi magis in ſpiritu cum gratia uberiori proficiant, ac tantò majore cum diligentia, amore, & ſolicitudine juvari, & à periculis con-
** In Ex. c. 4. §. 34. & 37. & Par. 4. c. 10. §. 5. & Par. 6. c. 1. §. 2.* ſervari poſſint, ut, quæ * in examine, & Conſtitutionibus toties commendantur, §. 40. Summarii Conſtitutionum præſcribuntur de reddenda ratione conſcientiæ, exactè ſerventur. Proindè unusquiſque magna cum puritate ſub ſigillo confeſſionis aut ſecreti, aut quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipſius conſolationem fuerit, totam animam ſuam integrè manifeſtam faciat, nullam rem celando, qua Dominum Univerſorum offenderit, poſt ultimam rationem redditam conſcientiæ; vel certè aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipſius animam.

Capita verò, quibus conſcientiæ ratio reddi debet, hæc ferè erunt: ex quibus cùm ea retulerint, quæ ad plenam ſui manifeſtationem dicenda putaverint, petant à Superiore, ut eos interrogando juvet, ac ſuppleat, ſi quid eſſe judicet, quod ad majorem DEI gloriam, & ſuorum notitiam ſcire velit.

1) An vivat contentus juxta ſuam vocationem.

2) Quomodò ſe habeat circa obedientiam, etiam Intellectus, paupertatem, caſtitatem, & uſum aliarum virtutum, & quarum præcipuè ſtudio Intentus ſit.

3) An ſentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes moleſtas, & de facilitate, ſeu difficultate, & modo eis reſiſtendi, & ad quos affectus vel peccata ſit magis propenſus; & incitatus.

4) An contra Conſtitutiones vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum firmum judicium habuerit, vel contra eam diſputaverit.

5) Quid ſentiat de ipſo inſtituto Societatis, & mediis, quibus illa utitur ad ſuum finem conſequendum, & quem experiatur in ſe zelum animarum.

6) Quomodò ſpiritualibus rebus ſit affectus, quantum temporis orationi tribuat, & num vocali, an potiùs mentali juvetur, & utri plus temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

7) Num in uſu rerum ſpiritualium conſolationem & devotionem habeat, an verò contra deſolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur, & quomodo in iis ſe gerat.

8) De fructu, quem ex Communione, confeſſione, examine, præſertim particulari, & aliis exercitiis ſpiritualibus percipiat.

9) Num poſt ultimam rationem conſcientiæ, quam reddidit, majorem an minorem fructum fecerit, & quem animum experiatur ad perfectionem conſequendam.

10) quomodo obſervet, quæ ex Conſtitutionibus & Regulis tum communibus, tum officii ſui ad eum pertinent.

11) De mortificationibus, pœnitentiis, & aliis exercitationibus, quæ faciunt ad ſpiritus profectum, & in ſpecie de præparatione ad injurias, & ad alia, quæ ad Chriſti crucem pertinent, ferenda, atque de eorum deſiderio.

12) De ſociis, & quomodò ex eorum converſatione proficiat in Domino, & an alicui plus ſit familiaris, quàm aliis.

13) An averſionem animi ſentiat ab aliquo, & an offenſus ſit in aliquo à Superioribus, vel Officialibus, vel quavis alia perſona, & quomodò ſit affectus erga Superiores.

14) An tentationes aliquas ſit paſſus, quas alii intellexerint, præſertim circa vocationem.

Regulæ Peregrinorum.

1) PErſuadeant ſibi, peregrinationis finem non tam eſſe corporis defatigationem, & ut multum iter conficiant, quàm ut ex ea fructum aliquem ſpiritualem percipiant; atque ex eo fine & iter ipſum, & cæteros peregrinationis labores moderentur.

2) Litanias ſimul omnes quotidie in ipſo itineris ingreſſu, vel Itinerarium dicant; nec orationem, & conſueta examina prætermittant, & alias etiam Regulas obſervent, quantum ratio itineris permittet.

3) Studeant frequenti oratione & meditatione comitem itineris ſibi Chriſtum facere; & colloquiis interdum piis & religioſis, ac lectione alicujus libri pii moleſtias itineris levare poterunt. Quod ſi cum externis in via, aut in hoſpitiis egerint, meminerint pro ratione ſui gradus habita ratione temporis & perſonarum ſermones de rebus ſpiritualibus inducere, & fructum aliquem, quoad poterunt, efficere.

4) Eleemoſynas ſimpliciter pro Chriſti amore petant; ut omni ſpe illa abjecta, quam in pecuniis, & rebus creatis habere poſſunt, integrè, vera cum fide, & ardenti amore eam in ſuo Creatore ac Domino conſtituant; memores, à Chriſto Domino Apoſtolos ſine ſacculo, & pera miſſos; ipſum etiam Dominum non habuiſſe, ubi caput reclinaret. *In Ex. c. 4. §. 12.*

5) Indigentia & penuria rerum corpori neceſſariarum probari exoptent, ut ad incommoditatem cibi, ſomnive capiendi libenter aſſueſiant: * injurias verò, illuſiones, & opprobria, quæ in itinere inferri contigerit, patienter cum DEI gratia ferant, gaudeántque, materiam præberi ſibi imitandi aliquo modo Chriſtum Dominum, ejúſque veſtibus, atque inſignibus ſeipſos induendi. *In Ex. c. 4. §. 12. & 26.* * *Ibidem §. 44.*

6) Qui majoribus pollent ad viam peragendam viribus, eos, qui ſunt infirmiores, ſubſequi, & non præcedere debent: & iter cujuſque diei horum debilium infirmitate commenſuretur: quòd ſi quis viribus deſtitueretur, jumento, aut

alia

alia ratione juvari debet : qua in re non qualitatis perſonarum , ſed neceſſitatis , & charitatis fraternæ ratio eſt habenda.

7) Si quis in morbum inciderit , ita ut ulteriùs progredi non poſſet , nec expediret reliquos ibi moram trahere , ſi vicinum eſſet Collegium , aut Domus Societatis , eò eſſet æger (ſi modò morbus patiatur) deducendus : alioqui aliquis ex noſtris illi erit ſocius relinquendus ; ut conſolationi ei ſit , & auxilio : ægro autem viribus reſtituto , cœptum iter ambo proſequentur.

8) Si in via ab honeſto , & pio amico invitarentur , poſſet , qui præeſt , hoſpitalitatis beneficium admittere : tunc autem curare debent verbis , & religioſo exemplo hoſpites ædificatos in Domino relinquere.

9) Ejuſdem ædificationis , & exempli in omnibus hoſpitiis meminiſſe debent : ſobrietatis autem in menſa, & modeſtiæ in converſatione nunquam obliviſcantur.

10) Cùm in itinere ad Collegia vel Domos Societatis divertent , ſtudeant omnes bonum ædificationis odorem exemplo vitæ , ac morum , noſtris relinquere. De rebus verò aut perſonis aliorum Collegiorum , aut Domorum nihil loquantur , aut tractent , niſi ad ædificationem.

11) Si tranſierint per locum, ubi Domus aut Collegium Societatis ſit , nihil ab externis , nec pro ſe , nec pro aliis petant aut accipiant ſinè facultate Superioris ejusdem Domûs vel Collegii.

12) Omnes alii , qui iter faciunt ex noſtris equites , aut pedites, has Regulas peregrinorum ſuo modo , quantum fieri poteſt , etiam ſervent , & tam peregrini , quàm reliqui , qui iter faciunt , patentes Literas ſui Superioris habere curent.

Regulæ Miniſtri.

Pa.4.c.10. §7. 1) Ejus officium erit , Præpoſitum , vel Rectorem juvare , in iis , quæ in genere , vel in particulari ei commendabit : nec diſpenſandi , aut mutandi , aut quidquam faciendi , niſi ex ejuſdem præſcripto , facultatem habebit.

2) Valdè commendatum ſibi exiſtimet , quod pertinet ad obſervationem Conſtitutionum , Regularum , Ordinum communium , & approbatarum Conſuetudinum Domus vel Collegii : Ideoque habeat in ſcriptis, & aliquando legat, tam communes omnium , quàm particulares Superioris & Officialium Regulas, & eosdem Officiales ſuas habere , intelligere, atque obſervare curet.

3) Officiales viſitet , quoties opus fuerit, obſervando, quomodo ſuum officium exequantur ; quod ſaltem alternis diebus faciet : frequenter etiam viſitabit cubicula , & alia loca domus , ut videat, quomodò omnia ſe habeant.

4) Cùm quis ab officio aliquo amovetur , curet , ut iis ſuum Succeſſorem inſtruat de ratione exercendi illud , juxta regulas , & conſuetudines à Superiore approbatas.

5) Animadvertat in temporum mutationibus , quomodò in Collegio vel Domo fieri debeat horarum , ciborum veſtiúmque mutatio , & Superiori in memoriam reducat , præſertim bis in anno, ſub initium Veris , & Autumni : obſervet etiam crebrò , num aliquid deſit ex neceſſariis , aut abundet ; eorúmque potiſſimùm rationem habeat , qui in corporis cura minorem de ſe ipſis ſolicitudinem gerunt , curétque , ut adſit , cùm Medicus ægrotos inviſet.

6) Quotidie hora ſibi deſignata , de rebus omnibus domus rationem Superiori reddat , à quo excipiet in libello ad id parato , quæ ei facienda committet , & cùm primùm commodè poterit , eidem referat , quæ executus fuerit.

7) Redigat Superiori in memoriam ea , quæ neceſſaria Domui judicabit , ut de emendis rebus ad victum & veſtitum neceſſariis , ſuis temporibus de Fratrum nimio aut exiguo labore , de ſanitate , & ſimilibus.

8) Notet , ac referat Superiori tam defectus , ſi quos vel Domi , aut in Collegio animadverterit , vel aliundè intellexerit , quàm quæcunque alia , quæ ad bonam gubernationem convenientia ei occurrent : tum etiam circa res ſibi commiſſas , & quaſvis alias , ut quomodo ſe noſtri habeant circa obedientiam , orationem ædificationem , & in omnibus virtutibus profectum & ſtudium.

9) Curet per Æditunm, vel aliquem alium deſignatum obſervari, an omnes die ſtatuto communicaverint; & ſi quis intra tempus deſignatum ad confeſſionem aut Communionem non accederet, intelligat à Superiore, num* ſubtrahendus ei ſit cibus corporis, donec cibum ſpiritus ſumat.

*Par. 3. c. 1. Lit. Q.

10) Peculiarem habeat curam, ut domus munda ſit, & omnia ubique decenter ſuis locis compoſita; ſed præcipuè in iis, quæ ab externis videri ſolent.

11) Noctibus ſingulis portas domus, quibus in publicum exitur, videat, an bene clauſæ ſint.

12) Deſignet aliquem ex commiſſione Superioris, qui communes lucernas Domus opportuno tempore incendat, & extinguat, qui item publicas feneſtras ſuo tempore aperiat, & claudat, ac pro abluenda facie & manibus in loco deſtinato aquam infundat, & pro iis extergendis, mantilia, ab iis, quæ in uſum refectorii ſunt, diſtincta adhibeat, quæ alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus deſtinata erunt, & bis ſaltem in hebdomada mutabuntur.

13) Studeat animos Patrum & Fratrum inter ſe per benevolentiam, & præſertim cum Superiore per obedientiam unire, & ſi quid minùs æquo animo aliquis ferret, vel potiùs in ſe (quoad fieri poteſt) quàm in Superiorem, cauſam rejici, veluti in injungendis pœnitentiis, quas ipſe juxta præſcriptum Superioris imponet, & tamen in eis, quam in reprehenſionibus ab animi perturbatione caveat, charitatémque præ ſe ferendo ſtudeat, ut illi, quibus pœnitentias imponet, meritò ſibi injungi cognoſcant.

14) Si quando abſente Superiore aliquid acciderit, quod adeo urgeat, ut commodè Superior exſpectari nequeat, id Miniſter, auditis Conſultoribus, exequi poterit, quamvis in ſpecie non ſit ipſi commiſſum; dummodo exiſtimet juxta Superioris mentem id fore, ſtatimque redeunti, quod factum fuerit, referat. Quod autem ſibi ordinariè agendum erit, abſente Superiore, ab eo curet intelligere.

15) Si Subminiſtrum habuerit, utatur ejus opera in iis, quæ commodè per ſe facere non poterit, juxta præſcriptum Superioris: ſi verò non habuerit, alternis ſaltem diebus ſingula cubicula viſitet, & alia, quæ in officio Subminiſtri continentur, ſuppleat.

Regulæ Conſultorum.

Par. 4. c. 10. §. 7. & Par. 9. c. 6. §. 14. 1) INtelligant, quanti momenti ſit eorum officium, ut Superiores eorum conſilio & relatione adjuti, meliùs & faciliùs gubernare poſſint.

Par. 9. c. 5. §. 2. 2) Sint amatores boni communis, illúdque in omnibus conſultationibus præ oculis habeant: atque, ut divinæ inſpirationi dent locum, & ſaniora ſint eorum conſilia, in ſuo ſenſu non nimis abundent.

3) In conſultationibus ſinceram intentionem habeant, & à perturbatione liberam, ut fideliter, & debita cum modeſtia charitatis & obedientiæ memores ſententiam dicant.

4) Sint inter ſe maximè charitate conjuncti, & alter alterum honore præveniat, atque apud alios alter alterius exiſtimationem verbis, factiſque tueatur. Si verò contingat, aliquem in conſultationibus diverſæ, aut etiam ſingularis eſſe ſententiæ, nemo ullam ab eo alienationem vel habeat, vel oſtendat.

5) Rem, de qua conſultatur, bene intelligant, nec ſint in dicendo præcipites; ſed negotio ſecum conſiderato, & oratione præmiſſa, præcipuè, cùm de rebus agitur difficilibus, ſententiam ſuam aperiant: quodſi quid ex tempore diſcutiendum proponeretur, & id ſibi maturiùs conſiderandum judicarent, Superiori ſignificabunt.

6) Explicare breviter debent ſententiæ ſuæ rationes: quodſi ad rem confirmandam aliorum rationes eſſent diſſolvendæ, id etiam modeſtè faciant.

7) Cùm Superior Conſultoribus auditis aliquid ſtatuerit, judicium ipſi ſuum illius judicio ſubmittent: neque extra conſultationem, aut quod ſtatutum fuerit, ſibi diſplicere, aut ſe in alia fuiſſe ſententia judicabunt; laudent potiùs Superioris conſilium apud alios, atque tueantur. Quodſi ob rei, de qua agitur, gravitatem adhuc ſentirent, ad alium Superiorem eſſe rem deferendam, quòd nihil monitione ſua ſe effecturos ſperarent, re priùs apud ſe maturiùs conſiderata, & oratione præmiſſa, ad immediatum illius Superiorem, aut, ſi

is non

Digitized by Google

is non providet, ad ſupremum id facere ne prætermittant.

8) Etiamſi non interrogentur, ſi quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum, vel alicujus perſonæ particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is ſtatuat, num ea de re ſit deliberandum, nec ne.

9) Conſultores neque ea, quæ quiſque in conſultatione ſenſerit, neque ea, quæ propoſita ſunt, aut definita, alii ſignificare debent; præcipuè cùm res ipſæ ſecretum exigunt. Superioris autem erit, ea, quæ deſinientur, promulgare, cùm opus eſſe judicabit.

Par. 4. c. 17. §. 7. 10) De literis ad Superiores ſuo tempore mittendis ſervent diligenter, quæ in formula ſcribendi à Conſultoribus exiguntur. Et hæ literæ ſigillo, quod apud Admonitorem erit, obſignatæ mittantur: nec quiſquam eorum ſciat, quid alius ſcripſerit.

11) Si quis ex noſtris ad Generalem ſcripſerit, & literas Admonitori, aut alicui ex Conſultoribus tradere voluerit, is acceptas cum ſuis, aut ſub ſuæ propriæ manus inſcriptione ad Generalem mittendas curabit.

12) Si quid circa victum, veſtitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem moderandum, augendum, vel mutandum cenſerent, illum præmiſſa oratione admonendum curent, quod ferè per Admonitorem faciant. *Par. 9. c. 4. §. 1. 3. & 4. & Can. 34. Congr. 1.*

13) Si quis cum eis de difficultate aliqua ſua, aut perturbatione agat, ita eum ſuis monitis & conſilio juvare ſtudeant, ut ſemper, quantum poſſint, exiſtimationem Superioris tueantur.

14) Ad omnia meliùs obeunda, Superiorum ſuorum, & aliorum Officialium Regulas teneant, Conſtitutionéſque, & reliqua omnia, quæ ad noſtrum inſtitutum, & adminiſtrationem pertinent, familiaria ſibi reddant.

15) Ita ſuum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem ſibi aſſumant, atque ea ſubmiſſione ſe gerant, ut cæteris obedientiæ exemplum præbeant.

Regulæ Admonitoris.

Par. 9. c. 4. §. 4. 1) Ea modeſtia & humilitate officium ſuum obeat, ut ſubditum decet erga Superiorem, quem Chriſti loco habet: nisi enim debet, ne hujus muneris occaſione, reverentia atque obedientia interior, vel exterior in ipſo debilior reddatur.

2) Animadvertat autem, ne reverentia hæc & obedientia fidelitatem, aut neceſſariam libertatem opprimat, quò minùs Superiorem admoneat de iis, quæ præmiſſa oratione, proponenda in Domino judicabit.

3) Admoneat Superiorem de iis, quæ major pars Conſultorum ei dicenda judicaverit: de aliis verò, quæ ſive ipſi in mentem venient, ſive ab aliis ſuggerentur, non facilè eum admonebit, ſed de iis duntaxat, quæ non levis momenti poſt orationem eſſe cenſuerit, ſive illa ad perſonam, ſive ad officium Superioris pertinebunt, juxta * Conſtitutiones & Decreta.

** Par. 9. c. 4. §. 4. & c. 2. §. 2. & Can. 34. Congr. 1.*

4) Ea, quorum Superiorem admonuerit, meminerit tacitus apud ſe ſervare, quamvis interrogatus à Conſultoribus de iis, quæ ipſi commiſiſſent dicenda vel à Superioribus, rationem ſui officii eis debebit reddere.

5) Cùm Superior cujuſpiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, Admonitoris erit, cnm debita ſubmiſſione iterum, & ſæpiùs eum commonefacere: quodſi emendationem non ſperat, facta priùs oratione, id Superiori ſignificet.

6) Admonitoris erit, ordinarias epiſtolas Conſultorum ſuis temporibus colligere, atque ad mediatos Superiores mittere, niſi eas illi alia via mittere voluerint, ſimúlque referet eisdem, utrùm illi ſcripſerint, an non.

7) Caveat, ne occaſione ſui officii debitam ſubordinationem, & obſervantiam ſubditorum erga ſuos Superiores aliqua ex parte imminuat, aut debilitet.

8) Sigillum apud ſe habeat, quo ſuas, & Conſultorum, ac aliorum noſtrorum literas, ſi ad eum detulerint, qui ad mediatos Superiores ſcribere voluerint, obſignare poſſit, hoc tamen nulla ratione, ſine facultate Superioris, uti liceblt, niſi in iis literis, quæ ad Superiores mediatos ſcribentur.

Formula ſcribendi.

Par. 8. c. 1. §. 9. 1) MAgnopere juverit ad animorum unionem in Societate literarum ultrò citróque miſſarum inter inferiores & Superiores frequens commercium, & crebrò alios de aliis certiores fieri, & audire, quæ ex variis locis ad ædificationem, & eorum, quæ geruntur, cognitionem afferuntur.

2) Superiores Domorum & Rectores ſcribant ſingulis hebdomadis ad ſuum Provincialem in Europa, in Indiis verò, ut ſuis Provincialibus viſum fuerit commodum & opportunum.

Par. 8. c. 1. Lit. L. & Can. 28. Cong. 2. 3) Scribant autem ad ſuum Provincialem de ſtatu perſonarum, & rerum omnium, non ſolùm, quæ inter noſtros, ſed etiam, quæ per miniſteria Societatis erga externos in Domibus ſuis, vel Collegiis fiunt, & non tantùm de his, quæ rectè ſe habent, ſed etiam de his, quæ ſecus, & quoad fieri poterit, curent, ut omnia tanquam præſentia Provincialis cernat.

Par. 6. c. 4. §. 9. 4) Primo quoque tempore ad ſuum Provincialem ſcribant Superiores Domorum & Rectores de obitu eorum, qui in ſuis locis decedunt: Provincialis verò reliquos de ſua Provincia admonebit, ut, quamprimùm * ſolitis ſuffragiis, & orationibus eorum animæ juventur, & ſtatim Præpoſitum Generalem, & vicinos Provinciales certiores reddat, ut ſimile officium præſtare poſſint.

* Can. 11. Congr. 3.

Par. 8. c. 1. Lit. L. & Can. 28. Congr. 2. 5) Miſſi ad fructificandum in agro Domini, ſcribant ad ſuum Provincialem, aut ad eum, quem ille deſignaverit, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit præſcriptum *, ut per crebram literarum communicationem, quantum fieri poteſt, totum ſucceſſum ſuarum miſſionum illi declarent.

* Par. 7. c. 2. §. 2.

Par. 8. c. 1. Lit. L. & Can. 28. Congr. 2. 6) Provinciales Superioribus Domorum & Rectoribus, ac iis, qui in miſſionibus verſantur, ſingulis menſibus, privatis autem perſonis, quibus, & quando opus erit, ſcribant.

Par. 8. c. 1. Lit. L. & Can. 28. Congr. 2. 7) Provinciales omnium Provinciarum Europæ ſcribant ad Generalem ſemel quolibet menſe: Rectores autem & Superiores Domorum, & Magiſtri Novitiorum tertio quoque menſe.

Can. 28. Congr. 2. 8) Provinciales Indiarum ſcribant Præpoſito Generali, quando ſe obtulerit navigationis commoditas: Rectores verò & Superiores Domorum, ac Magiſtri Novitiorum ex Indis ſemel, ex Braſilia, & nova Hiſpania bis in anno, ſi ſe obtulerit occaſio.

9) Prædicti omnes extraordinariè ſibi mutuò ſcribant, quoties neceſſitas urgebit. Par. 8. c. 1. Lit. L. & Can 28. Congr. 2.

10) Superiores Domorum & Collegiorum, & Magiſtri Novitiorum ſcribant ad Generalem, quæ alicujus momenti fuerint, etiamſi approbante Provinciali fiant: illa verò potiſſimùm ſcribant, in quibus Provincialis admonitus, vel non providet, vel providere nequit, vel poſtquam Provincialis cum illis tractaverit, ipſi ab ejus judicio diſſentiunt: ſed tunc quidem addant, quid Provincialis reſponderit, & quibus rationibus ipſi ab eo diſſentiant, interim tamen ei per omnia obediant.

11) Cùm Provinciales ſcribent Generali, curabunt, ut ſtatum Domorum, & Collegiorum ſuorum, ac totius Provinciæ bene explicent, & ſuppleant, ſi quid intellexerint, quod Superiores Domorum & Collegiorum minùs declaraverint, & in univerſum ita ſcribere debent, ut Generalis omnium rerum, omniúmque perſonarum ac Provinciarum ſtatum (quoad ejus fieri poſſit) ante oculos habeat.

12) Generalis ad Provinciales ſcribet ſecundo quoque menſe; ad Rectores verò, & Præpoſitos locales ſexto quoque menſe, niſi aliqua neceſſitas priùs ad reſpondendum ſuadeat. Can. 28. Congr. 2.

13) Si quis noſtrorum aliud per literas cum Præpoſito Generali, aut cum ſuo aliquo mediato Superiore tractare velit, ne impediatur, nec ipſorum literæ ad eos ſcriptæ aperiantur, neque mediatorum Superiorum ad ipſos.

14) Literæ noſtrorum, quæ negotia continent, ſolùm ad Præpoſitum Generalem, & non ad alios, qui cum ipſo agant, deſtinentur; poterit tamen ad eos ſcribi, ut illa tractari & expediri curent.

15) Literæ negotiorum, ad quorum expeditionem Procuratoris Generalis opera, aut informatione opus erit, propriis literis ad Præpoſitum Generalem

lem ſcribantur, adjecta exteriùs litera P. ſub inſcriptione earum.

16) Negotia majoris momenti ex utraque India & Braſilia ternis exemplis ſcribantur, binis autem ex reliquis Provinciis, ſi ſit periculum, ne literæ intercidant, vel certè in proximis literis earum ſumma repetatur: & ut inveniantur, cùm opus fuerit, quæ ſcripta ſunt ad Generalem, exemplum ejuſmodi literarum, vel earum ſummam in libro aliquo, qui ſcribunt, apud ſe retineant.

17) Si quid ſecreti ſcribendum, vel ſoli Superiori committendum ſit, ſeorſum in propria epiſtola ſcribatur, quæ cum aliis in eodem faſciculo colligata includatur, adjecto exteriùs (*ſoli*) ſub inſcriptione ejusdem epiſtolæ: quod ſi ejuſmodi epiſtola ſola mitteretur, alia charta involvatur, quæ abſque (*ſoli*) inſcriptionem habeat.

18) In rebus, quæ ſecretum requirunt, explicandis, his vocabulis utendum erit, ut ea intelligi, niſi à Superiore, non poſſint; modum autem præſcribet Generalis.

19) Nullus inferior, niſi morbo impeditus, literas ad Superiorem ex ſua commiſſione ſcribi faciat.

20) Conſultores Rectorum & Superiorum Localium literas obſignatas ad Provincialem dabunt bis in anno, menſe Januario, & Julio, & ad Generalem ſingulis annis menſe Januario: Conſultores verò Provincialium ad Generalem menſe Januario & Julio, niſi res aliqua ita urgeret, ut de illa etiam extra hæc tempora ſcribendum judicaret.

21) Iis literis ſincerè, & ſine amplificatione, omnique privato aut humano reſpectu ſemoto, ſignificabunt, quid ſibi de Superioribus, quorum ſunt Conſultores, & de eorum adminiſtratione, ac rerum ſtatu ſcribendum in Domino videatur, oratione tamen præmiſſa, & re priùs diligenter conſiderata.

Par. 4. c. 17. §. 7. 22) Ut Rector Univerſitatis de omnibus Præceptoribus, & aliis de Societate: ita etiam Cancellarius, & Conſiliarii Univerſitatis de ipſo, ac aliis ſemel ſingulis annis menſe Januario Præpoſito Generali, & bis in anno menſe Januario & Julio Provinciali.

Par. 4. c. 17 Lit. L. 23) Hujuſmodi literæ Conſultorum, & horum Officialium Univerſitatis mittantur obſignatæ, nec quiſquam eorum ſciat, quid alius ſcripſerit.

24) Quivis Præpoſitus & Rector habeat librum, in quo ſcribantur viſitationes Domus vel Collegii à Generali approbatæ, in quo etiam ſcribantur ordinationes aliæ alicujus momenti, quæ à Generali mittuntur: & quæ perpetuæ fuerint, ab iis, quæ temporariæ ſunt, ſeparatim notentur; alia verò, quæ Viſitator & Provincialis præſcripſerint, in alio libro ſcribantur.

25) Si quid ſcribendum eſſet de rebus, quæ externorum aliquem attingerent, ita ſcribantur, ut, etiamſi literæ in ejus manus inciderint, offendi non poſſit.

De literis annuis.

26) Superiores Domorum, atque Rectores curent ea obſervari, quæ in dies in eorum Domibus, Collegiisque per noſtros Dominus operari dignatur, quæque ad noſtrorum conſolationem, ac proximorum ædificationem pertinent, ex quibus ſeligant optima quæque, atque in ordinem redacta, ſub finem cujuſque anni ad ſuum Provincialem mittant. *Par. 8. c. 1. Lit. M. & Decr. 73. ac Can 28. Congr. 2.*

27) Provinciales ex omnibus Superiorum Localium atque Rectorum ſuæ Provinciæ, & eorum, qui in Miſſionibus verſantur, epiſtolis rejectis, vel additis iis, quæ videbuntur, ſingulis annis menſe Januario, rerum geſtarum capita Latinè collata, ex quibus deinde unæ literæ annales Romæ conficiantur, manu ipſorum ſubſcripta Romam ad Generalem deſtinent.

28) In ea compendiaria narratione hic ordo ſervabitur: Recenſebunt initio numerum noſtrorum in univerſum, tum etiam ſingulis Domibus, Collegiis, & Miſſionibus nominatis, quot ſint in iis Sacerdotes, Præceptores, Scholaſtici, & Coadjutores temporales, itémque quot admiſſi ſint eo anno in Societatem, quótque è vita deceſſerint: neque deinde neceſſe erit ad ſingula Collegia aut loca redire, niſi aliquid in iis contigerit peculiari narratione dignum.

29) Agent primò de profectu noſtrorum in Domino, & explicabunt, ſi quid in eo genere ædificationem facere poſſit: deinde de miniſteriis Societatis erga proximos, ut de concionibus, lectionibus ſacris, doctrina Chriſtiana, & exercitiis ſpiritualibus, viſitatione carcerum, & hoſpitalium, reconciliatione diſſidentium, de pœnitentium frequentia, & de aliis noſtri inſtituti piis operibus; ita tamen, ut ea tantùm com- *Par. 8. c. 1. Lit. M.*

mem-

memorentur, quæ ſunt alicujus momenti. Item de ſcholis, & diſcipulorum numero, & profectu, præſertim in Univerſitatibus, & Collegiis majoribus: de bona item Societatis exiſtimatione, de contradictionibus autem, & perſecutionibus, ſi quæ fuerint, ea tantùm attingant, quæ ædificationi fore videbuntur. Dicent etiam de piorum erga noſtros charitate, & eleëmoſynis paulò inſignioribus.

30) Hæc omnia exponent, quàm pleniſſimè fieri poterit (ſemper tamen vitata nimia prolixitate) adhibitis omnibus circumſtantiis, etiam nominibus eorum, qui eas res geſſerunt, ut, ſi opus fuerit, aliquando conſcribi poſſit hiſtoria. Qua etiam de cauſa, cùm aliquid occurret dignum memoria, quod tamen propter aliquam cauſam non expediat omnibus vulgari, id ſcribent ſeparatim integrè & perfectè: in illa autem communi narratione vel omnino reticebunt, vel ea tantùm excerpent, quæ ædificationi eſſe poſſunt. Et quæ ad externos pertinent, ita narrentur, ut in ea ipſa domo, aut civitate, ubi ſcribuntur, ac ubique publicè legi citra cujuſquam offenſionem poſſint.

31) Cùm literæ annuæ Romæ confectæ ad Provincias mittentur, legantur quamprimùm in ſingulis Domibus & Collegiis. Et ut Coadjutores noſtri temporales ex Latinis etiam literis fructum aliquem percipiant, ſit aliquis, qui illarum ſummam, aut interpretationem aliquo modo explicet: neque ultra duas hebdomadas retineri debent, ut ad reliqua loca citiùs deferantur: poſtquam verò ubique perlectæ fuerint, in præcipua Domo vel Collegio ejuſdem Provinciæ aſſerventur, & ſimul conſuantur.

De Catalogis & Informationibus annuis.

Par. 8 *c.* 1. *Lit. N.* & *Par.* 9. *c.* 6. § 3 & *Can.* 28. *Congr.* 2. 32) Ad clariorem omnium noſtrorum cognitionem Superiores Domorum & Collegiorum duos catalogos conficiant ante id temporis, quo Procuratores Provinciarum ad Generalem veniunt, ita exactè, ac ſi nunquam miſſi fuiſſent. In primo deſcribantur omnes, qui in ſuis Domibus vel Collegiis, ac Miſſionibus ſunt, in quo contineatur uniuscujuſque nomen, cognomen, patria, ætas, vires, tempus Societatis, ſtudiorum, & miniſteriorum, quæ exercuit, & gradus in literis, ſi quos habet, & an Profeſſus, vel Coadjutor ſit &c., & à quo tempore.

33) In ſecundo catalogo dotes, & qualitates uniuſcujuſque deſcribantur, videlicet ingenium, judicium, prudentia, experientia rerum, profectus in literis, naturalis complexio, & ad quæ Societatis miniſteria talentum habeat: quæ omnia diligenter, re Deo priùs commendata, & maturè conſiderata, & omni privato affectu ſemoto, ſincerè & breviter perſtringenda erunt, & utrumque catalogum ad ſuum Provincialem mittant.

34) Sub finem cujuſque anni interjecti tertium etiam alium brevem catalogum ad Provincialem mittant, continentem nomina, & miniſteria, in quibus unuſquiſque noſtrorum occupatur: mittant etiam ſupplementum primi & ſecundi catalogi, in quo ea tantùm adnotabunt, quæ eo anno de novo occurrerint addenda; ut qui in Societatem interim fuerint admiſſi, aut ab ea defuerint, vel quot mortui ſint, vel alia quavis cauſa.

35) Hunc tertium catalogum, & ſupplementum primi & ſecundi catalogi totius Provinciæ, cum narratione pro annuis literis (de qua dictum eſt) ad Generalem mittet Provincialis menſe Januario: primum verò, & ſecundum per Procuratorem Provinciæ, ad eundem ſigillo ſuo obſignatos, perferendos curabit. Quodſi quid ipſi in his catalogis, & informationibus notandum, addendúmve videretur, id ſeorſum ad Generalem ſcribat.

Regulæ Præfecti Rerum ſpiritualium.

Par. 4. *c.* 10. § 7. 1) PRæfectus rerum ſpiritualium cognitionem inſtituti Societatis, & zelum boni progreſſus ipſius habeat, & in obedientia & humilitate exemplum aliis præbeat *, & amabilem ſe illis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidentérque ſua omnia detegant, & ab eo conſolationem & auxilium ſperent in Domino.

* *Par.* 3. *c.* 1. § 12.

2) Inſtruat noſtros privatim ſecundùm uniuſcujuſque captum, quomodo interiùs & exteriùs ſe habere debeant, & ad id exhortetur, & in memoriam redigat, & amanter admuneat, præſertim, ut puram habeant intentionem divini ſervitii, & familiaritatem cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & zelum ſincerum animarum.

3) Pe-

3) Petat, quem procedendi modum in oratione, & examine habeant, & ſi contra aliquem defectum examen particulare faciant, & ſi contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, & in ſolidis virtutibus acquirendis, præſertim in Obedientia quid obſervent, & de pœnitentiis, & aliis devotionibus.

4) Sic ubi in his à rectitudine deflexerint, eos dirigat juxta modum Societatis; erga cujus inſtitutum curet, ut omnes benè affecti ſint, & det operam, ut orandi & meditandi modos, quos docuit Pater noſter Ignatius in libro Exercitiorum, retineant, &, ut illo libro familiariſſimè utantur; videátque, ne, dum noſtri devotionem habere procurant, caput lædant, aut vires corporis nimis debilitent.

5) Verſatum ipſum eſſe oportebit in lectione librorum ſpiritualium, & unicuique decernat tempus, * & modum cum fructu eos legendi, qui ſint faciliores, & noſtro inſtituto magis convenientes.

* Par. 3. c. 1. § 20.

6) Peculiarem habeat curam conſolandi afflictos, & tepidos exhortandi, remedia pro cujusque infirmitate vel neceſſitate adhibendo; qualia ſunt, frequentiùs communicare, plus temporis orationi impendere, Exercitia ſpiritualia facere, plus aliquid pœnitentiæ aſſumere, libros aliquos ſpirituales legere, & ſimilia. Quæ autem ex his ipſe concedere poſſit & in quibus ad Superiorem recurrendum ſit, ab eo intelligat.

7) Parem quoque adhibeat diligentiam, ut Coadjutores temporales quieti ſint, & ſorte Marthæ contenti, * & pro eorum captu illos inſtruat, * myſteriáque Roſarii doceat, ut majore devotione illud recitare poſſint.

Par. 1. c. 1. § 2. * Par. 3. c. 1. § 20. & Lit. R. * Par. 4. c. 4. Lit. C.

8) Doceat omnes, ut præmiſſa oratione & cum magna reverentia ad Sacramentum Altaris accedant, & poſt ejus perceptionem per aliquod temporis ſpatium orent, & gratias agent.

9) Præter eos, quos ſatis inſtructos Superior judicaverit, cum unoquoque agere de his ultra menſem ne differat; ſæpè verò conſideret, quem fructum bonorum operum ex oratione, & ex reliquis rebus ſpiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

10) In his autem omnibus videat, ne ordo unicuique præſcriptus impediatur, at præſertim ſtudia illorum, qui literis dant operam, niſi cùm Superior aliter judicaverit.

11) Curam peculiarem habeat Novitiorum, ſi qui Domi vel in Collegio fuerint, niſi à Superiore aliundè proſpectum ſit, & erga eos obſervare ſtudeat ea, quæ juxta Magiſtri Novitiorum, & Examinatoris Regulas obſervari commodè poterunt.

Regulæ Præfecti Eccleſiæ.

1) Curet, ut Æditūus Regulas ſuas obſervet, quas Præfectus ipſe apud ſe etiam habeat.

2) Præbeat illi catalogum ſingulis diebus Sabbathi, quo dies Feſti, ac jejuniorum proximæ hebdomadæ contineantur, ut eum in Refectorio recitet in cœna diei Dominicæ ſequentes.

3) Singulis diebus Sabbathi veſperi in Sacriſtia ſcripto proponat, quemadmodum quotidie Sacra ſint facienda ſequenti hebdomada, & quo ordine rem divinam in Altari ſummo facturi ſint, qui ad hoc fuerint deſignati.

4) Detur opera, ne in Altari maximo deſit unquam Sacrum, quo tempore celebrari ſolet, habeatúrque ratio, ne plura Sacra ſimul inchoentur, ſed commodè omnia ſuis ſpatiis diſtinguantur.

5) Curam gerat Miſſarum, & orationum, quæ pro defunctis Societatis, * & pro Fundatoribus & Benefactoribus, * ac pro ipſa Societate fieri debent, quas ex ſubjecto catalogo intelliget; & catalogum earum, quæ ſecundùm noſtrum inſtitutum, & ex præſcripto Generalis ordinariè faciendæ ſunt, referat in duas tabellas, quarum alteram appendat in Sacriſtia, alteram in alio convenienti loco; quæ initio cujusque menſis publicè in Refectorio legetur.

Par. 6. c. 4. § 3. * Par. 4. c. 1. & Par. 7. c. 4. § 3. & 4. * Par. 10. § 1.

6) Cùm Superior aliquid in Sacro DEO commendari, aut Sacra ipſa quæ ab omnibus facienda ſint, applicari ad finem aliquem juſſerit, curet ſcribi in ſchedula, in ſacriſtia affigenda.

7) Quæcunque autem ex his non ab omnibus facienda erunt, ea Præfectus unicuique privatim ſignificanda curabit.

8) Librum habeat, ubi mandata Superiorum de his rebus, ſi aliquandiu duraturæ, aut non ſtatim faciendæ ſint, ſcribantur, ne memoria excidant, & cùm fuerint adimpleta, deleantur.

Par. 4. c. 1. §. 3. 9) In Collegiis & Domibus probationum curet juxta ordinem Superioris de candela danda Fundatoribus juxta Conſtitutiones.

10) Si quando externi Sacra aliqua fieri poſtulaverint, ſe Superiorem conſulturum reſpondeat, niſi ejus animum perſpectum jam habeat.

11) Externos Sacerdotes ad faciendum Sacrum in noſtro templo, non ſine delectu admittat, ſed eos tantùm, qui ædificationi ſint, præſertim notos, idque juxta ordinem Superioris: & intelligat, an à ſuo Ordinario legitimam habeant facultatem.

12) Videat, an Sacerdotes Regulas ſuas obſervent, & num barbam, & coronam decenter tonſam habeant.

Par. 4. c. 8. §. 2. 13) Per ſe, vel alium à Superiore deſignatum, promovendos ad Sacerdotium inſtrui curet, & videat, ut ad Romanæ Eccleſiæ ritum tam ii, quàm omnes Sacerdotes ſe accommodent, * & ne confeſſiones audiant, niſi ſint legitimè approbati.

** Par. 7. c. 4. § 5.*

In Ex. c. 1. §. 3. & Par. 6. c. 2 § 7. & Par. 10. c. 3. 14) * Animadvertat, ne ullæ pro Sacris faciendis aut Confeſſionibus audiendis Eleëmoſynæ admittantur.

Par. 6. c. 2. § 8. & Can. 15. Congr. 2. 15) Nulla ſit in Eccleſia arcula, in qua Eleëmoſynæ conjiciantur, ſive pro nobis, ſive pro aliis.

16) Det operam, ut ſanctiſſimum Domini noſtri Corpus decenter in cuſtodia conſervetur, diligenter cavens, ne unquam in ea Sacramentum deſit, habita communicantium ratione, & ut ſaltem decimo quinto quoque die innovetur, & Sacris abſolutis in tabernaculo clavi obſeretur.

17) Quando noſtri in templo communicaverint, curet Præfectus, ut id faciant ſeparatim ab externis.

18) Oleum ſanctum, ut oportet, aſſervatum ſingulis annis renovet, & Sanctorum reliquias (quæ quidem mobiles fuerint) in tabernaculo ad id deputato decenter cuſtodiat: ſi quando autem devotionis causâ oſtendendæ erunt, duo cerei accendantur; atque hujus tabernaculi clavem unam ipſe habeat, & alteram diverſam Præpoſitus, aut Rector.

19) Cruces, Calices, ornamenta, & reliqua id genus, ut par eſt, cuſtodiantur, nec deſint velamina ad cooperiendos calices, & alia ad divinum cultum, & ornatum neceſſaria.

20) Mutari faciat Altarium & Sacerdotum ornamenta, quod ad colorem attinet, habita temporum & feſtorum ratione, juxta ritum Romanæ Eccleſiæ.

21) Cùm templum ornandum fuerit, nihil ſinè facultate Superioris ad eam tem commodatò ab externis petat, detque operam, ut quod acceptum fuerit, accuratè cuſtodiatur, & Dominis quam primùm reddatur.

22) Si templum inſtauratione aliqua in parte indiguerit, aut aliis ad divinum cultum neceſſariis provideat, ſicut ipſi à Superiore fuerit præſcriptum.

23) Superiori in memoriam redigat, aut aliquos deſignet, qui de concionibus, & modo concionandi judicare poſſint; quorum ſaltem unus concioni interſit, ut concionatorem, cùm opus fuerit, & Superiori videbitur, admonere poſſit.

24) Conciones & lectiones templi horæ ſpatium ſuperare non debent: eo verò ordine Miſſæ dicantur, ne impediant, quo minùs conciones tempore præfixo inchoentur. *Par. 4. c. 8. Lit. C.*

25) Advertet, ne viri in templo mulierum locum occupent, néve ex adverſo earum, quantùm fieri poterit, maneant.

26) Curet, ne domi deſint Confeſſarii, qui neceſſarii in templo noſtro ſunt, & ut confeſſiones veſperi decenti hora abſolvantur.

27) Pridiè Palmarum Confeſſarios admoneat, ut Conſtitutionem illam obſervent, quæ ad externos ad ſuas Parochias dimittendos Eucharistiæ ſumendæ gratia pertinet, & ante id tempus, ſi conſuetudo regionis id poſtulaverit. *Par. 7. c. 4. §. 5. & Lit D.*

28) Officia hebdomadæ ſanctæ & Veſperæ (ſi hæ dicantur) fiant tono ſimplici more Societatis ſinè cantu etiam firmo, niſi ubi Generalis Præpoſitus diſpenſaverit: id autem, quod de Veſperis dictum eſt, de Benedictione candelarum, & ramorum intelligatur. *Par. 6. c. 3. Lit B & Can. 9. Cong. 3.*

29) Cùm

29) Cùm aliquid petendum erit pro Eccleſia, aut uſu Sacriſtiæ, intelligat in ea re Superioris voluntatem, eámque exequatur; cúmque pecuniæ alicujus momenti ſumma dabitur, aut colligetur, eam deponat apud Procuratores in ſcrinio aliquo, cujus clavem unam Superior habeat, & alteram diverſam ipſe Præfectus.

30) Librum habeat, in quo Eleëmoſynarum, quæ Eccleſiæ uſibus dantur, & expenſarum rationes conſtent.

31) Panni omnes linei ſemper mundi ſerventur, & ſeparatim corporalia atque etiam purificatoria (quæ quatuor cruces in angulis habeant) laventur, & utrorumque ablutio, & cineres eorum, quæ vetuſtate conſumpta comburuntur, in ſacram piſcinam mittantur.

32) Catalogum unum rerum omnium Eccleſiæ mobilium, quæ alicujus momenti ſunt, cuſtodiat; in altero verò illa ſcribantur, quæ aut nova ſibi traduntur, cum die, anno, &c. aut vetuſtate conſumuntur, ut poſſit, cùm exigetur, prioris catalogi rationem reddere: ſæpè etiam res pretioſiores inſpiciet, ne aut lædantur, aut amittantur, arcis in quibus ſervantur, & Sacriſtiæ januis benè clauſis, & munitis.

33) Cùm noſtrorum aliquis extre- *Par. 9 c. 4*
mum diem obierit, ſpatio diei natura- *Lit. B.*
lis decenter teneatur, niſi ratione mali odoris, aut ex alia juſta cauſa, anteverti hoc tempus Superiori poſſe videretur.

34) Obſervetur circa veſtitum Sa- *Can 27.*
cerdotum mortuorum, quod de viven- *Congr. 1.*
tibus dicitur Conſtitutionibus, ut ſcilicet utamur eo modo, quo Sacerdotes honeſti ejus regionis, in qua verſamur, uti ſolent: fratres verò, qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliantur eo modo induti, quo alii Clerici honeſti, qui Sacerdotes non ſunt, ſepeliri ſolent.

35) Curam ſuſcipiet ſepulchri, *Par. 6. c. 4.*
candelarum & precum, quæ conſueto *§. 3.*
modo dicuntur, rerúmque cæterarum, *Can. 27.*
quæ ad eam rem erunt neceſſariæ. *Congr. 1.*

Catalogus
Miſſarum, & Orationum, quæ noſtris præſcribantur.

Sacra juxta noſtrum inſtitutum à Sacerdotibus Societatis ordinariè facienda.

Singulis annis.

1) In principio cujuſque anni *Par. 10.*
unusquiſque Sacerdos Miſſam cele- *§. 1.*
bret pro noſtra Societate.

2) Singulis annis præſcripto die, *Par. 4.*
in quo memoria fundationis Colle- *c. 1. §. 2.*
gii vel Domûs fit, Miſſa cum ſo- *& Can.*
lennitate pro Fundatore proprii Col- *18. Cong.*
legii vel Domûs, & Benefactoribus *3.*
vivis & defunctis celebretur; & reliqui Sacerdotes, qui in Collegio, aut Domo habitaverint, pro eisdem ſua Sacrificia offerant.

Singulis menſibus.

3) In principio cujuſque menſis *Par. 10.*
unuſquiſque Sacerdos Miſſam cele- *§. 1.*
bret pro noſtra Societate.

Orationes juxta noſtrum inſtitutum ab iis, qui Sacerdotes non ſunt, ordinariè faciendæ.

Singulis annis.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem integrum Roſarium Dominæ noſtræ videlicet centum quinquaginta *Ave Maria*, & quindecim *Pater noſter*, aut tres coronas recitent.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Roſarii recitent.

Singulis menſibus.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem Intentionem tertiam Roſarii partem aut unam coronam recitent.

4) Initio cujuſque menſis omnes Sacerdotes, qui in Collegio vel Domo fuerint, pro Fundatore proprii Collegii, vel Domûs & Benefactoribus vivis & defunctis ſemel Miſſæ Sacrificium offerant. *Par. 4. c. 1. §. 2.*

Et Singuli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam Roſarii partem recitent.

Singulis hebdomadis.

5) Singuli Sacerdotes pro illis de Societate, qui extra Provinciam moriuntur, ſemel in quavis hebdomada Miſſæ Sacrificium offerant. *Can. 11. Congr. 3.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem unam Coronam, aut tertiam Roſarii partem recitent.

6) Singulis hebdomadis, ubicunque fuerint decem, vel pauciores Sacerdotes pro noſtra Societate una Miſſa à deſignato à Superiore dicetur; duæ verò, ſi fuerint plures, quàm decem; tres autem, ſi fuerint plures, quàm viginti & ita deinceps in reliquis decadibus, ſi numerus Sacerdotum fuerit major. *Par. 10. c. §. 1.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt in quavis hebdomada ad eandem intentionem ſeptem *Pater noſter*, & ſeptem *Ave Maria* recitent.

7) Singulis hebdomadis pro Benefactoribus vivis & defunctis propriæ Domûs, vel Collegii, præter eas, quæ pro Fundatore dicuntur, una, aut duæ, aut plures Miſſæ pro numero Sacerdotum offerantur, ſervando ordinem modò prædictum. *Par. 7. c. 4. §. 4.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, in quavis hebdomada ad eandem intentionem ſeptem *Pater noſter*, & ſeptem *Ave Maria* recitent.

8) Singulis hebdomadis Miſſa ſemel pro Fundatore proprii Collegii, vel Domûs, & Benefactoribus vivis & defunctis à deſignato à Superiore celebretur. *Par. 4. c. 1. §. 1.*

Et unus ex iis, qui Sacerdotes non ſunt, à Superiore deſignatus ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam partem Roſarii recitet.

9) In Domibus & Collegiis, quæ ſaltem viginti ex noſtris alere poſſunt, etiamſi non habeant proprium Fundatorem, fiant pro iis vivis, & defunctis, qui eorum fundationem notabiliter adjuverunt, eadem Sacra, quæ pro Fundatoribus ordinariè fieri ſolent. *Par. 4. c. 1. Lit. E.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem pro eiſdem facere debent eaſdem orationes, quæ pro Fundatoribus ordinariè fieri ſolent.

Sacra ab eiſdem extraordinariè facienda.

Orationes ab eiſdem extraordinariè faciendæ.

10) Cum primùm Societas in Collegii alicujus poſſeſſionem venerit, quilibet Sacerdos ter Sacrum faciat pro ſuperſtite Fundatore ipſius, ac Benefactoribus. *Par. 4. c. 1. §. 4.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem Roſarium integrum aut tres coronas recitent.

11) Cùm ex hac vita idem Fundator exceſſerit, ſinguli Sacerdotes ter Sacrum pro anima illius & Benefactorum faciant. *Par. 4. c. 1. §. 4.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem Roſarium integrum, aut tres Coronas recitent.

12) Idem judicium erit de Communitatibus vel Rebus p. quæ non moriuntur: fient enim tria Sacra pro viventibus, & tria pro defunctis earum. *Par. 4. c. 1. Lit D. & E.*

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, integrum Roſarium, aut tres coronas pro viventibus Communitatibus, & totidem pro defunctis earum.

rum. Sic etiam faciendum, quandò plures ſimul fundationem conſtituunt.

rum recitabunt. Similiter facient, quandò plures ſimul fundationem conſtituunt.

13) Cum primùm Societas in alicujus Domus profeſſæ poſſeſſionem venerit, quilibet Sacerdos intra illam Provinciam ter Sacrum faciat, pro ſuperſtite Fundatore ipſius ac Benefactoribus: & quando vita functus fuerit, alia tria Sacra ab eisdem pro animabus illius & Benefactorum fiant.

Can. 18. Congr. 3.

Et ſinguli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non ſunt, integrum Roſarium aut tres coronas pro ſuperſtite Fundatore ac Benefactoribus: & quando vita functus fuerit, alterum Roſarium integrum, aut tres coronas pro animabus illius, ac Benefactorum recitent.

14) Pro Communitatibus verò, & pluribus, qui ſimul Domus profeſſæ fundationem conſtituunt, fiant intra eandem Provinciam, quæ de Collegiis dicta ſunt num: 10. 11. 12.

Par. 4. c. 1. Lit. D. & E.

Singuli ejusdem Provinciæ, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem faciant, quæ de Collegiis, eisdem numeris dicta ſunt.

15) In Domo vel Collegio, ubi quis de Societate deceſſerit, ſinguli Sacerdotes tria Sacra, in aliis verò Provinciæ locis duo Sacra faciant.

Can. 11. Congr. 3.

Et ſinguli ejusdem Domûs, aut Collegii, qui Sacerdotes non ſunt, pro eo tres Coronas, aut tres partes Roſarii: pro aliis verò ejusdem Provinciæ duas coronas, aut duas partes Roſarii recitent.

16) Cùm de obitu cujuſque noſtrorum, qui extra Provinciam obiit, ſignificatur, per univerſam Societatem omnes Sacerdotes in Miſſis illius animam DEO commendent, pro cujusque devotione.

Can. 11. Cong. 3.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt in ſuis orationibus illius animam DEO commendent, pro cujuſque devotione.

17) Omnes Sacerdotes curent juxta Conſtitutiones, frequenter orare pro univerſa Eccleſia, ac pro iis præſertim, qui majoris ſunt momenti ad ejus univerſale bonum, cujusmodi ſunt Principes Eccleſiaſtici, & ſeculares, & alii, qui multum prodeſſe, vel obeſſe bono animarum poſſunt: & pro amicis, & Benefactoribus viventibus, & vita functis, & pro aliis, in quorum auxilium peculiariter ipſi, & reliqui de Societate in variis locis inter fideles, & infideles incumbunt, * & etiam pro malè affectis erga noſtram Societatem.

Par. 7. c. 4. §. 3. & Lit. A.

* *Par. 10. Lit. B.*

Et omnes qui Sacerdotes non ſunt, idem juxta Conſtitutiones curare debent.

Sacra ex præſcripto P. N. Generalis ab unoquoque Sacerdote Societatis ordinariè facienda.

18) Unusquisque Sacerdos ſingulis Menſibus duo Sacra faciat, alterum pro Indiis, & Gentium converſione: alterum pro Regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione, & in aliis Sacrificiis & Orationibus eadem Domino commendabit.

Orationes ex præſcripto P. N. Generalis à ſingulis, qui Sacerdotes non ſunt, ordinariè facienda.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, unam coronam, aut tertiam partem Roſarii pro Indiis, & Gentium converſione: & alteram coronam, aut tertiam Roſarii partem pro Regionibus Septentrionalibus, & Hæreticorum reductione recitent, & in aliis orationibus eadem Domino commendabunt.

19) Sin-

19) Singulis hebdomadis unusquisque Sacerdos Sacrum unum ad intentionem Reverendi Patris noſtri Generalis faciat, & in aliis Sacrificiis, & Orationibus eandem Domino commendabit.

Et ſinguli, qui Sacerdotes non ſunt, ad eandem intentionem unam coronam, aut tertiam Roſarii partem recitent, & in aliis orationibus eandem Domino commendabunt.

Non intendimus per ea, quæ Superiùs recenſentur, excludi reliqua Sacra, & Orationes omnes, quæ pro occurrentibus neceſſitatibus à Superioribus imponi ad tempus ſolent.

Regulæ Sacerdotum.

1) QUæ à Diſciplina religioſa in Regulis & inſtituto noſtro ſervanda omnibus propoſita ſunt, ea Sacerdotes, pro ratione ſui gradus, ſibi præcipuè dicta exiſtiment, & obſervent.

2) Divinum Officium nitantur attentè, devote & opportuno tempore recitare.

3) Ita vivere ſtudeant, ut quotidie meritò celebrare poſſint; ad idque conducet (quamvis ex * Conſtitutione octavo ut minimum quoque die confiteri teneantur) ſæpiùs in hebdomada confiteri.

** In Ex. c. 4. §. 25.*

Par. 4. c. 8. §. 2.

4) Cæremonias Miſſæ ex uſu Romano accuratè unusquisque obſervet; in eáque celebranda pronunciationem, & quamcunque aliam exteriorem actionem ita moderetur, ut non minus aliorum ædificationi, quàm propriæ devotioni ſerviat, & ideò ſemihoram in faciendo Sacro nec multum excedat, neque ita brevis ſit, ut illam non expleat.

5) Qui in ſummo Altari Sacra facturi ſunt, ſimul atque campanæ ſe vocantis pulſum audierint, vel admoniti fuerint, ad veſtes ſacerdotales induendas ſe conferant, ut in tempore exire ex Sacriſtia poſſint.

** Par. 4. c. 8. §. 6. & Lit. F. & Can. 21. Congr. 1. & Can. 20. Cong. 2.*

6) * Salutare tradendæ doctrinæ Chriſtianæ miniſterium pueris, ac rudibus, quod à ſui origine noſtra Societas tanto affectu complexa eſt, pari omnes ſtudio promovere curent.

Par. 4. c. 8. §. 5. & Par. 7. c. 4. §. 8. & Lit. F.

7) Intelligant ſibi ratione peculiari incumbere, ut exercitiorum Spiritualium, quæ tantoperè ad DEI obſequium conferre cernuntur, uſum valde familiarem habeant; quo, & alios ad ea ſuſcipienda adducere, & in eo tam utili armorum ſpiritualium genere tractando dexteritatem habere poſſint.

8) Omnes ii, quibus ex obedientia confeſſiones audiendi ſanctum munus committitur, multùm ad id affici ſtudeant, & tanquam noſtri inſtituti valde proprium magnifaciant. *Par. 7. c. 4. §. 5.*

9) Nemo ad confeſſiones audiendas accedat, niſi à Superiore deputatus, & qui ſimul intelligat, quam facultatem ad hoc munus ab eo habeat. *Ibidem.*

10) Modum ea Sacramenta miniſtrandi, quæ Sacerdotes noſtræ Societatis tractare poſſunt, perſpectum omnes habeant, * in eoque uniformes ſint, quantum regionum varietas patietur: formam tamen & rationem abſolvendi ab excommunicatione, & aliis cenſuris, & peccatis, eandem omnes ſequantur; attendantque, ne ex modo utendi facultatibus Societatis, Ordinarii, & Parochi jure offendi poſſint. *Par. 4. c. 8. § 4. & Lit. D. * Par 8. c. 1. §. 8. & Par. 10. §. 9.*

11) In caſibus conſcientiæ, iiſque præſertim, qui ad cenſuras, caſus reſervatos, & reſtitutiones pertinent, ſeſe diligenter exerceant, earúmque rerum compendia, & brevem interrogandi methodum, ac contra ſingulorum peccatorum ſpecies, exempla, & dicta Sanctorum, atque alia ſalutaria remedia comparare ſtudeant. *Par 4. c. 8. Lit. D.*

12) * Confeſſarii inter ſe ipſos, & in modo procedendi cum pœnitentibus conformes eſſe curent; & (quantum res tulerit) ita aliorum Confeſſariorum exiſtimationi unuſquiſque conſulat, ut omnes intelligant, mutuo charitatis, & uniformis doctrinæ vinculo Societatis Confeſſarios in Chriſto eſſe colligatos. ** Par. 3. c. 1. §. 18. & Par. 8. c. 1. §. 8. & Par. 10. §. 2.*

13) Vocati ad Eccleſiam ad confeſſiones audiendas, ſtatim cum animi alacritate eò ſe conferant; & quò major pœnitentium multitudo futura eſt, eò magis tempeſtivè ab aliis occupationibus ſe expediant.

14) In

14) In templo confeſſiooes, ſi concio fit, vel ſacra lectio, nemo audiat.

15) Confeſſarii ita audiant pœnitentes, ur mutuum aſpectum fugiant; ſic enim attentiùs & liberiùs audient: quod ſi locus non erit ejuſmodi, ut tabula Confeſſarium à confitente dividat, manus interpoſita inter faciem proprlam, & confitenrem, qui ad latus eſſe debet, id præſtabit.

16) In audiendis confeſſionibus, fœminarum præſertim, ſeveros poriùs ſe, quàm familiares exhibeant: in univerſum tamen paterna quædam & ſpiritualis graviras in eis eluceat.

17) Eos, qui crebriùs confitentur, maximè ſœminas, breviter expediant, nec de rebus ad confeſſionem non pertinentibus in confeſſione loquantur; extra confeſſionem verò, ſi oportebit eas alloqui, longum ſermonem ne miſceant, & oculos modeſtè demiſſos habeant.

Par 3. c. 1. §. 3. 18) Quando quis à Superiore mittetur ad confeſſiones ſœminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierit*, ſocius, quem Superior ipſi deſignabit, quamdiu cum ſœminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, unde videre eos, ſed non, quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patietur; quodſi non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne oſtium ſit clauſum, nec locus obſcurus.

Par. 6. c. 3. §. 5. 19) Particularem perſonarum, præſertim ſœminarum, curam nemo ſuſcipiat: & quamvis Confeſſarius pro ſuo munere in vita ſpirituali pœnitentem inſtituat, nullius tamen obedientiam admittat.

20) Si quis uni confiteri ſolitus, ab eodem alium Confeſſarium adeundi facultatem petierit, vel ea non petita adierit, id ſibi gratum eſſe Confeſſarius benignè oſtendat.

21) Ut ſanitatis etiam ratio ad Dei gloriam habeatur, confeſſiones manè ad horam uſque prandii tantùm audiant; ita ut, cùm ſignum primæ menſæ audietur, ſtudeant ſe ita accommodare, ut ad ſecundum accedant, niſi fortè pœnitentium neceſſitas aliud exigat.

22) Nemini aut petere, aut accipere quidquam liceat, ſive ab iis, quorum confeſſiones audierit, ſive ab aliis, quod vel in pauperes diſtribuat, vel alteri ſatisfactionis nomine reſtituat; niſi Superior (cùm opus eſſet) ſecus faciendum judicaret.

23) Etſi vota ad perfectionis ſtatum pertinentia, ut ſancta laudari debent, & circa ea Confeſſarii conſilium, ſed magna cum conſideratione, dare poſſint: quia tamen non humanam, ſed divinam vocationem requirunt, nemo ad ea emittenda quemquam inducat; verùm ad orationem tales hortetur, ut à Deo adjuti, vocationem ſuam meliùs intelligant, & exequantur.

24) Si quos viderint ad Religionem propenſos, non facilè ad unam potiùs, quàm ad aliam, ad hoc, quàm ad illud Monaſterium invitent; ſed liberam illis ſuam electionem relinquant: poterunt tamen petentibus conſilium, eas Religiones, vel Monaſteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino judicaverint.

25) Nullus eis, quorum audit confeſſiones, certum veſtimenti genus, hunc aut illum habitum, vel colorem præſcribat: tametſi omnes ad honeſtum, & ſuo ſtatui convenientem veſtitum hortari poſſint.

26) Ut pium eſt, ad frequenter communicandum Fideles exhortari; ita quos ad id propenſos viderint, admonere debent, ne crebriùs, quàm octavo quoque die accedant, præſertim ſi matrimonio ſint conjuncti.

27) Admoneat eos, qui ſibi confitentur, à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè, eo tempore (niſi aliud conſuetudo loci poſtulaverit) debere ſemel in ſua Parochia communicare, exceptis Peregrinis, & iis, qui facultatem haberent, & reliquis, quos jus excipit. *Par. 7. c. 4. Lit. D.*

28) Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini ſunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum eſt momenti, uſui eſſe poſſint, tamdiu illis adſint, quamdiu ſola neceſſitas poſtulabit. Cæterùm etſi, cùm opus eſt, ægrotos ad condenda teſtamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non aſſiſtant. *Par. 4. c. 8. §. 7. & Lit. G.*

Regulæ

Regulæ Concionatorum.

1) REgulæ, quæ Sacerdotibus propoſitæ ſunt, eas ſibi Concionatores in primis commendatas exiſtiment, nec minore cura, quàm cæteri obſervent.

Par. 10 § 2. 2) Memores ſint, vocatos ſe eſſe ad reducendas animas ſuo Creatori; quod cùm ſit opus omnium difficillimum, ſummo ſtudio media illa adhibeant, quæ inſtrumentum cum DEO conjungunt: ejuſmodi ſunt ſolidæ virtutes, ac præcipuè charitas, pura intentio divini ſervitii, familiaritas cum Deo in ſpiritualibus devotionis exercitiis, & zelus ſincerus animarum ad gloriam divinæ Majeſtatis.

Par. 7. c. 4. § 2. 3) Enitantur cum Dei gratia eſſe cæteris exemplo, ut non minùs vita, quàm doctrina ad omnem virtutem proximos alliciant.

Par. 4. c. 8. Lit. E. & F. 4) Lectioni ſacræ Scripturæ, ac Patrum præcipuè incumbant; conferet etiam peculiari ſtudio vidiſſe Evangelia toto anno currentia, & in iis ea, quæ uſui eſſe poſſunt, adnotaſſe: itémque compendium feciſſe explicationis rerum ad Fidem, & Chriſtianam vitam neceſſariarum, atque in communes locos redegiſſe omnia, quæ ad virtutum commendationem, & peccatorum deteſtationem pertinent.

Par. 4. c. 8. Lit. C. 5) Conferet vidiſſe præceptiones, ſi quas de modo concionandi illi tradunt, qui benè hoc munus obierunt, bonos audiviſſe Prædicatores, & in concionibus domi, vel in aliis locis minùs frequentibus ſe exercuiſſe.

Par. 4. c. 8. Lit. C. 6) Optare debent, ut admoneantur, ſi quid in concione corrigendum videbitur iis, qui à Superiore ad id deputati fuerint, & humili, & grato animo id accipere.

7) Ita operam ſuam in celebrioribus concionibus libenter impendant*, ut non minùs ſe ad docendos pueros, & alios rudes inſtruendos, faciles & paratos exhibeant.

** In 1. Bulla noſtri Inſtituti, & Par. 5. c. 3. Lit. B. & Par. 7. c. 4. § 7. &*

Par. 4. c. 8. § 3. & Lit. B. 8) Si quando occaſio tulerit, ut alius eodem tempore concionari velit, quantum in ipſis erit, libenter cedant.

9) Ea populo proponant, quæ ad captum, & utilitatem Auditorum erunt accommodata, iiſque inſiſtant, quæ ad Chriſtianam inſtitutionem, atque ad extirpanda vitia, & virtutes inſerendas valent, & à rerum ſubtilium curioſa tractatione abſtineant.

10) Commendare debent Confeſſionis & Euchariſtiæ frequentem uſum, in bonis operibus profectum & perſeverantiam, Eccleſiaſticarum cæremoniarum obſervationem, & cætera, quæ ad cultum divinum pertinent, eámque obedientiam, quæ Principibus & Prælatis, qui Dei in terris vices gerunt, exhibenda eſt. *In ultimis Regulis Libri Exercitii Regula 8. ibidem Regula 2.*

11) Commendabunt etiam peculiari ratione pœnitentiæ & miſericordiæ opera*, ſanctarum precum*, & aliarum piarum devotionum exercitia, utilium librorum lectionem, & bonam filiorum educationem. ** Ibidem Reg. 3. * Ibidem Reg. 6.*

12) Cùm experientia doceat, & ſanctæ memoriæ Pater IGNATIUS ſcriptum reliquerit, nihil utilitatis percipi ex iis concionibus, in quibus Principes, & Magiſtratus Reipubl. Prælati, & alii Eccleſiaſtici in particulari reprehenduntur, Concionatores noſtri ab hujuſmodi reprehenſionibus abſtineant. *Ibidem Reg. 10.*

13) Caveant, ne Religioſos aliorum Ordinum, quos revereri, & obſervare debent, etiam tacitè videantur reprehendere*: & quamvis noſtros ad majores in virtute progreſſus excitare poſſint, præſertim in domeſticis exhortationibus: reprehenſionem tamen alicujus particularis vel ipſius Societatis ne attingant. ** Par. 3. c. 1. Lit. S.*

14) Ne rumoribus populi moveantur, ut nova, & parùm confirmata in publicum afferant; & multò minùs ea populo proponant, quæ alioqui dubia, & incerta ſunt.

15) Curent, ut rationem & modum, quem obſervare debent in rebus populo denunciandis, & certis pauperibus, aliiſque piis operibus commendandis, à Superiore accipiant.

16) Caveant omnino, ne facetiis, aut inutilium rerum narratione concionem contemptibilem faciant, iiſve Auditores ad riſum moveant; vel contrà, ut ad fletum excitent, ſpectanda aliqua populo proponant, à communi in Societate concionandi conſuetudine aliena, niſi in aliquo particulari caſu ad com-

munem

munem ædificationem pertinere Superior pro ratione loci judicaret.

17) Ea, quæ dicturi ſunt, diligenti præmeditatione, & peculiari ad Deum recurſu (quatenus per tempus licebit) paranda erunt.

18) Caveant arrogantiam & oſtentationem in concione, humilitatémque, cui ex intimo cordis affectu ſtudere debent, in omni actione præ ſe ferant: quodſi aliquid pro ſe, aut Societate cogantur reſpondere, ea modeſtia ſatisfaciant, ut cauſam Chriſti, non ſuam, agere videantur.

Par. 4. c. 8. §. 3. 19) Modus concionandi, qui à ſcholaſtico diverſus eſſe debet, ita ſit ad docendum comparatus, ut ad animorum motum præcipuè dirigatur: cúmque quæſtio aliqua earum, quæ ad fidem aut mores pertinent, modo aliquo tractanda erit, non ita exactè proponantur argumenta, quibus contraria pars confirmatur (niſi auditorium id poſtulet) ut ſimpliciores ipſo proponendi modo offendi poſſint; ſed eo pacto res exponatur, ut illi ex data explicatione ſolutionem eorum, quæ ſibi in mentem venerint, aut ab aliis audiverint, facilè colligant.

20) Ne ſint affectati, aut verborum lenocinia ſectentur, nec ſtudio politioris ſermonis eos libros habeant familiares, ex quorum lectione detrimentum in ſpiritu accipiant, & ſæculare aliquid redoleant.

21) In laudibus & reprehenſionibus à nimiis exaggerationibus, & ab omni ſpecie adulationis abſtineant.

22) Geſtus corporis ſit modeſtus, & in quo gravitas quædam religioſa præcipuè eluceat; vocémque accommodent ad res, quas tractabunt; proinde eam, ubi non eſt opus, ne præter modum extollant, aut deprimant.

23) In concionibus & lectionibus templi ſpatium horæ ne excedant.

Regulæ eorum, qui in Miſſionibus verſantur.

In Declarat. proœm. c. 4. Lit. A. & Par. 6. c. 3. §. 5. 1) Cùm ſcopus, ad quem tendit Societas, ſit, varias mundi partes ex obedientia ſummi Pontificis, vel Superioris Societatis peragendo, verbum Dei prædicare, confeſſiones audire, & reliquis, quibuſcunque poterit, mediis uti ad animas, divina aſpirante gratia, juvandas; quicunque in hujuſmodi miſſionibus verſantur, ſibi perſuadeant, rem maximi ponderis in Societate ſibi commiſſam eſſe, atque ita ſe comparare ſtudeant, ut apta Dei inſtrumenta ad rem tantam eſſe poſſint.

2) Quia vocationis noſtræ eſt, vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obſequium, & animarum auxilium ſperatur; unuſquiſque paratus eſſe debet, ut in ea vineæ Chriſti parte, atque opere ſe exerceat, quod ipſi commiſſum fuerit, ſive per varia loca diſcurrendo, ſive in quibuſdam continenter reſidendo.

Par. 9. c. 2. §. 1. 3) Unuſquiſque plenam in his, ac liberam ſui diſpoſitionem Superiori, qui eum Chriſti loco dirigit, relinquat *: poterit tamen motus animi, aut cogitationes, quæ in contrarium occurrunt, illi proponere, ſubjiciendo ſuum ſentire, & velle ei, quod ipſe in Domino judicaverit.

** Eadem Lit. K.*

4) Ei, qui mittendus erit, plurimùm conveniet, ut intelligat à Superioribus ſcopum ſuæ miſſionis, & effectum, cujus gratia mittitur; id quod in ſcriptis (ſi fieri poteſt) habere curabit. *Par. 7. c. 1. §. 5.*

5) Cùm oppidatim miſſi fuerint ad fructificandum in agro Domini, dabunt operam, quoad fieri poterit, ut more pauperum Evangelium prædicent *: proinde & pedites vel in toto, vel in parte iter facient, ſi eos Superior id præſtare poſſe judicaverit, & ex eleëmoſynis, vel oblatis, vel cum ædificatione emendicatis vivent; niſi alia ipſis à Superiore ſuſtentationis ratio ſit conſtituta. *Par. 7. c. 1. Lit. G.*

** Can. 12. Congr. 3.*

6) Si nullum eis à Superiore deſignatum fuerit hoſpitium, intelligant, ſibi ad aliquod hoſpitale, tanquam ad hoſpitium pauperum, eſſe divertendum; ſi tamen honeſtum id ſit, atque ad exercenda ex eo miniſteria Societatis accommodatum: alioqui convenientius erit, ut in domum pii alicujus & exemplaris Eccleſiaſtici, aliúmve ejuſmodi locum ſe recipiant, in quo cum ædificatione manere poſſint.

7) Cùm ingreſſi fuerint loca ea, in quibus Ordinarii reſident, eos quamprimùm adeant, ſuámque operam illis ſubmiſsè offerant, & facultatem ad exer-

cenda Societatis miniſteria modeſtè ac *Par. 10. §. 11. & Lit. B.* religioſè petant *, eóſque omnes tam Eccleſiaſticos, præcipuè Parochos, quàm ſæculares, quorum auctoritate aut favore opus habent, benevolos ſibi facere ſtudeant.

8) Cùm eò pervenerint, ubi diutiùs immorari debent, prudenter & maturè operam dabunt, ut notitiam habeant probatorum virorum, & pietate, & rebus agendis inſigniorum, quorum informatione vel auxilio juvari poſſint ad miniſteria Societatis majore cum fructu animarum exercenda.

Par. 7. c. 2. Lit. M. & c. 4. §. 3. 9) Qui in miſſione Superior erit, initio ſuſcipiendorum operum, vel quando major ſubſidii neceſſitas cernitur (quòd res magni momenti ſint, vel difficultates graves incidant) applicabit, curabitque applicari Miſſas & orationes, ut omnia cedant ad majorem Dei gloriam, & proximorum utilitatem.

Par. 7. c. 3. §. 2. 10) Si iis, qui mittuntur, non fuerit injunctum, ut medio aliquo utantur limitato, quale eſſet, vel legere, vel prædicare &c., in iis tantùm ſe exercebunt, quibus Societas uti ſolet, juxta *Ibidem Lit. A.* Conſtitutiones * : conferre tamen illa cum eo Superiore, qui eis propior fuerit, ſemper erit ſecurius.

Par. 4. c. 8. & Par. 7. c. 4. 11) Media ſpiritualia, quibus juxta Inſtitutum Societatis, & beneplacitum Superioris uti po erunt, ferè ſunt miniſterium verbi Dei in prædicationibus, ſacris lectionibus, privatisve exhortationibus, & colloquiis, Sacramentorum Confeſſionis & Euchariſtiæ adminiſtratio, exercitiorum ſpiritualium traditio, diſſidentium reconciliatio, caſuum conſcientiæ ad Eccleſiaſticos, eorúmque officii magìs privata explicatio, & Chriſtianæ doctrinæ ad pueros, ac alios rudes publica declaratio.

Par. 7. c. 4. §. 9. 12) Corporalibus etiam pietatis operibus, quantum ſpiritualia permittent, & vires patientur, incumbere poterunt, ut infirmos, præcipuè in Xenodochiis, per ſe, vel per alios juvando, & pauperes, ac in cuſtodiis detentos, quatenus licebit, eodem modo ſublevando.

13) Etſi certus ordo in noſtris miniſteriis exercendis præſcribi non poteſt, plerumque tamen utilius erit, & ſecurius, ab humilioribus inchoare, ut à doctrina Chriſtiana pueris explicanda, ab ægrotis hoſpitalium inviſendis, eorúmque, & aliorum magis indigentium confeſſionibus audiendis.

14) Quanquam humana media non ſolùm ſpernenda non ſunt, ſed etiam, cùm opus eſt, prudenter & religioſè adhibenda; divinis tamen, & noſtri inſtituti magìs propriis præcipuè utendum eſt, in eisque magìs fidendum, orandúsque Deus, ut iis omnibus det eam efficaciam, quæ ſit propoſito fini conſequendo neceſſaria.

15) Juxta eam charitatis regulam, qua ſe Apoſtolus omnia omnibus faciebat, ut omnes lucrifaceret, expediet nonnunquam, ut ingenio eorum, cum quibus agent, initio ſe attemperent (quatenus ratio & virtus ferent) ita tamen, ut meminerint ad id tandem eos cum Dei gratia perducere, quod illis in Domino magis conferre judicabunt.

16) Eam animi magnitudinem & æquabilitatem retinere ſtudeant, ut & proſperis ſucceſſibus, & adverſis ſuperiores ſint; quo nullo eventu fracti, nec religioſæ modeſtiæ, nec ſanctæ libertatis, nec bonæ de ſe conceptæ exiſtimationis, quæ ad fructum colligendum neceſſaria eſt, quidquam amittant.

17) Si quos erga ſe, aut Societatem malè affectos eſſe intellexerint *Par. 10. Lit. B.* (præſertim non vulgaris auctoritatis homines) aut qui noſtra miniſteria impediant, non ſolùm pro eis orabunt, ſed etiam convenientem aliquam rationem inibunt, ut eos amicos, aut ſaltem non adverſarios faciant. Ad quam rem non parùm conferet, ſi data occaſione inſtituti noſtri rationem illis exponant, nullúmque officii genus prætermittant, quo illos (cùm opportunum fuerit) ſincerè ac religioſè demereri, & conciliare poſſint.

18) Si quando Prælatum aliquem in *Par. 4. c. 11. §. 5.* viſitanda Diœceſi comitabuntur, nihil ſe in negotiis ad viſitationem ſpectantibus, aliisve id genus ad jurisdictionem pertinentibus immiſceant, ſed iis tantùm miniſteriis attendant, quæ ſunt noſtri inſtituti propria.

19) Quamvis optare debeant, ut in ſua quiſque vocatione proficiat, æquúmque eſt, ut pro ſuo munere ad eam rem omnes hortentur, nullam tamen reformandi Cleri *, aut Monialium, aliorúm- *Par. 6. c. 3. §. 5.* que Religioſorum curæ partem admittant: ſic enim fiet, ut & munus ſuum ſine impedimento exequi, & populum ad

ad uberiorem fructum ex viſitatione percipiendum ſine offenſione diſponere poſſint.

Par. 7. c. 1. § 7. 20) Cùm præter id, quod eis fuerit peculiari ratione injunctum, res aliqua divini ſervitii ſe obtulerit, in qua poſſint ſine detrimento ſuæ miſſionis ſuam operam ponere, opportunitatem, quam Deus ad eam dederit, quantum in eodem convenire judicabunt, è manibus elabi non ſinent.

Ibidem. 21) Si in locis deſignatis diutiùs reſidendum erit, locúmque dederint præcipua negotia (quæ nunquam propter alias occaſiones, licèt bonas, divini obſequii poſthabebunt) excurſiones aliquas facere, ſi eas cum fructu fore judicabunt, non erit inconveniens.

22) Sine facultate Superioris nulli Confraternitati, Congregationive ſtatuta condent, ſeu vetus illa ſit, ſeu nova inſtituenda videatur. De nova autem inſtituenda, & quæ nullibi ſit in uſu, non priùs agent, quàm Superiorem conſulant.

23) Quæ Deo Auctore perficient, ea, quantum licebit, ita conſtituant, ut ſtabilia ſint, & diu durare poſſint. Quod faciliùs obtinebunt, ſi res convenienti ordine diſponant, earúmque bonum progreſſum iis commendent, quorum exemplo, auctoritate, ſtudio, & diligentia facilè conſervari & promoveri poſſint.

Gen. 28. Congr. 2. & Par. 7. c. 2. § 2. 24) Scribent ad eum, quem deſignaverit ille, à quo miſſi ſunt, ſingulis hebdomadis, vel quoties ipſis fuerit conſtitutum, & quantum fieri poteſt, totius ſucceſſus eum certiorem reddant, quemadmodum perſonæ, & negotia exegerint, ut conſilio, & aliis auxiliis juvari poſſint.

25) Cùm propter nullas occupationes intermittendum ſit propriæ perfectionis ſtudium, diligenter animadvertant, ne prætextu procurandæ aliarum ſalutis, propriæ perfectionis obliviſcantur, ipsámque propriam ſalutem ea ratione in diſcrimen adducant, ſed ſæpe illud Domini mente revolvant: Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? ſibique illud D. Pauli unuſquiſque dictum exiſtimet: Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis; hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt. *Par. 3. c. 1. § 20.*

26) Hanc ob rem caveant, ne conſueta in Collegiis ac Domibus orandi, & examinandæ conſcientiæ exercitia imminuant, niſi ſi quando neceſſitas, aut in eventu aliquo charitas aliud faciendum poſtularet. Converſationem cum ſæcularibus nimiam non habeant, aut incautam, aut quæ ſæcularem ſapiat *; ſed in omnibus ſe integritatis & gravitatis exemplum præbeant: atque in ſumma Regularum Societatis, ſive earum, quæ omnibus communes ſunt, ſive quæ ipſorum officii propriæ (quantum locus patitur) obſervationem non prætermittant. * *Par. 7. c. 4. § 2.*

27) Præter hæc, ſi pro ratione diverſarum regionum, & miſſionum qualitate, alia quædam à Superioribus conſtituenda videbuntur; ea in peculiaribus inſtructionibus addita, pari diligentia obſervanda erunt. *Par. 7. c. 2. § 2.*

Regulæ Procuratoris Generalis.

1) IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor ſit inſtituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Ipſe igitur verbo & exemplo eos omnes ædificet, quibuſcum verſatur, & in his, quæ ad officium ſuum ſpectant *, fidelitatem, prudentiam, & dexteritatem habere ſtudeat, atque eos ſibi benevolos conſervet, quorum opera ad negotia peragenda indiget. * *Par. 9. c. 6. § 12.*

Par. 9. c. 6. § 12. & Par. 4. c. 2. Lit. E. 2) Ad eum pertinent negotia omnia, ad expeditiones, lites, & quoſvis contractus ſibi à Generali commiſſos ineundos ſpectantia, quæ ad univerſæ Societatis Collegia vel Domos ejus, vel etiam ad particulares perſonas pertinebunt.

3) Superintendat non ſolùm iis, quæ à Procuratore, & Sollicitatore externo curantur, ſed etiam ſociis, qui illi dabuntur adjutores, quod ad negotia attinet; & ſi qui Romæ fuerint, Procuratores Societatis rerum particularium, vel etiam Provinciarum ab ipſo dirigentur, prout Generali videbitur. *Par. 9. c. 6. § 12. & Lit. H.*

4) Nihil, quod ad expeditiones, lites, aut graviora negotia pertineat, incipiet agere, niſi à Præpoſito Generali per ſe, vel per alium approbatum ſit, & ei commiſſum, ut exequatur: quodſi Generalis rem conſultatione indigere judicabit, ſollicitet, ut maturè de ea ſtatuatur, præcipuè ſi res feſtinatione egere videatur: ſi quid autem ex iis, quæ ſta- *Par. 9. c. 9. § 16.*

ſtatuuntur, ipſi videretur non convenire, proponat ſuam ſententiam, & rationes, quibus movetur.

Can. 26. Congr. 2. 5) Illud verò præcipuè ante oculos habeat, ut, antequam litem ullam intendat, res controverſa (ſi fieri poſſit) concordia aut compromiſſione componatur: ſi quando tamen ad litem deſcendendum erit, memor ſit, ut magnam pacem interiùs, exteriùſque cuſtodiat, & ſemper ad juſtam concordiam ſe paratum eſſe, contrariæ parti innoteſcat.

6) Curet diligenter, ut rectè & ſolidè fiant, quæ expedienda, vel alia ratione agenda erunt: quodſi periti juris, aut curiales conſulendi ſint, maximè idonei eligantur: idem de Officialibus, per quos res eſt tranſigenda, intelligatur.

7) Conferat cum Præpoſito Generali, eique reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in ſtatu ſint negotia, aut illi, qui à Præpoſito deſignabitur: quòd ſi rerum difficultas extraordinarium favorem aut diligentiam exigere videatur, eidem ſignificet, & auxilia, quæ opportuna viſa erunt, petat.

8) Rationem quoque reddet ſtatus negotiorum, eorumque proſecutionis, vel expeditionis iis, qui de negotiis ſcribunt; ſuas verò literas legendas dabit illi aſſiſtenti, ad cujus Provinciam negotia pertinebunt.

Par. 4. c. 2. §. 5. 9) Rationum libros conficiat, in quibus ſigillatim omnia, quæ recepit, ſcribantur, & quas pecunias, quibus in rebus expenderit, ut tam clara & diſtincta ratio dati & accepti ſit, ut ipſo etiam abſente ſupputari poſſit, quid ſingulæ Provinciæ, Domus, Collegium, aut particulares perſonæ dederint, aut debeant Procuratori, aut qoid eis à Procuratore debeatur. Quod ut commodiùs obſervetur, ſingulis ſaltem annis ad Nativitatis Dominicæ feſtum rationum omnium ſummam colliget, & ſcriber, atque ad eos, quorum intererit, mittet: ſi quid autem pecuniæ ſupererit, eiſdem ſignificabit, ut pro ipſorum arbitrio de ea diſponatur.

10) Librum habeat, in quo ſcribat beneficia omnia Eccleſiaſtica, quæ ſingularum Provinciarum Collegiis ſunt unita, & horum etiam catalogum, ubi tempus, in quo fuit facta unaquæque unio, & valor etiam annotetur, animadvertátque, ut, antequam adveniat dies præſcriptus ſolvendi quindennia, Rectores Collegiorum, ad quæ hujusmodi uniones pertinent, diligenter admoneat, ut opportuno tempore pecunias Romam mittant.

11) Curet, ut à Provinciis mittantur pecuniæ, quas contribuere debent ad ſumptus neceſſarios in Procuratores; & (cùm opus fuerit) in Advocatos, Latores literarum, & alios ſimiles faciendos; útque Romæ ſint eo tempore, quo illis ſunt ſolvendæ; eadémque diligentia, quæ ſibi deberi ex libro rationum colliget, ut reddantur, curabit. *Par. 4. c. 2. Lit. E.*

12) Cùm pecunia Procuratori ad negotia conficienda tranſmittetur, ſi tantùm literæ banchariæ, quæ de credito dicuntur, mittantur, nihil capiat, niſi quantum, & quando pro negotio conficiendo opus erit; ſi verò banchariæ literæ ad certam aliquam ſummam, quæ jam alibi ſoluta eſt, capiendam miſſæ fuerint, & ea ipſa jamiam ad negotia expedienda erit neceſſaria, ne tum quidem à mercatore, præſertim locuplete, & ſpectatæ fidei educatur, donec numeranda ſit: ſi verò non tam certò erit neceſſaria, vel de fide mercatoris non tam certò conſtaret, primo quoque tempore ab eo accepta pecunia, eam, ſi alicujus momenti fuerit, reponat in arca ſub duplici clavi, quarum alteram ipſe, & alteram diverſam ſocius habeat.

13) Scripturas, Bullas, & Brevia authentica, quæ in Archivio conſervantur, non niſi exigente neceſſitate accipiet; acceptas verò (quamprimùm commodè poterit) reddat: cæteras autem ſcripturas, procuratoria inſtrumenta, literas negotia continentes, quamdiu neceſſaria fuerint, & demum, quæcunque ad officium ejus pertinent, &, quæ nec perpetuò neceſſaria ſunt, nec ſemper ſervanda erunt, ipſe cuſtodiat ordinatè & diſtinctè, facto eorum omnium inventario, cubiculúmque ſit clavi obſeratum.

14) Informationes ad ſe miſſas in omnibus expeditionibus habeat præ oculis, ut ad eas omnino ſupplicationes conformentur; deinde animadvertat, ut Bullæ & Brevia, quæ expediuntur, cum ſupplicationibus concordent.

15) In librum referat ſummam omnium negotiorum, quæ ei commendantur, réſque majoris momenti, quæ in eorum progreſſu peragentur, ibidem brevi, ac diluculo ordine conſcribat.

16) Exempla literarum, quas ad varias Provincias & loca ſcribit de nego-
tiis,

tiis, in librum peculiarem referat: & cùm memorialia, informationes, ſupplicationes, vel alia ſcripta alicujus momenti aliis dabit, exemplum eorum apud ſe ſervet.

17) Regulas Cancellariæ habeat, Bullásque, & Brevia, quæ à ſummo Pontifice fiunt, emat, in eisque animadvertat, quid novi contineatur; quodſi in Cœnæ Domini Bulla aliquid adderetur, aut mutaretur, eam ſtatim ad omnes Provincias tranſmittat: motus etiam proprios univerſales, conſcio tamen Præpoſito Generali, Provincialibus mittet.

18) Cùm Præpoſitus Generalis adire voluerit creatum novum Pontificem, ut juxta Conſtitutiones ſuæ Sanctitati obedientiam, votúmque Societatis declaret, redigat illi Procurator in memoriam, ut videat, an expediat ab eo impetrare confirmationem gratiarum, & privilegiorum Societatis. *Par. 7. c. 1. §. 8.*

19) Subditus ſit Superioribus Collegii, præterquam in iis, quæ ad ſui officii executionem ſpectant.

Regulæ Procuratoris Domus Profeſſæ.

1) In omnium negotiorum tractatione perpetuò memor ſit inſtituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipſe verbo & exemplo præſertim humilitatis & patientiæ eos omnes ædificare, quibuſcum converſatur, atque eos ſibi benevolos conſervare, quorum opera ad negotia peragenda indiget: & cùm oportuerit, de inſtituti noſtri ratione illos informet.

Par. 6. c. 2. § 10. 2) Quærat diligenter eleëmoſynas, eáſque ſimpliciter, & amore Domini petat, nec non & eas augere, ac conſervare ſtudeat, opportunéque eos viſitet, à quibus petendæ erunt.

3) Habeat catalogum eorum, qui ordinariè & extraordinariè eleëmoſynas faciunt, & de his certiorem faciat Superiorem, ac videat, ne ſua negligentia aliquos prætermittat, quorum beneficio Domus juvari poſſit.

4) Animadvertat, quid, à quibus petere debet, juxta id, quod unuſquiſque faciliùs & commodiùs ſuo tempore dare poſſit: & caveat, ne in petendis eleëmoſynis gravis vel moleſtus externis ſit; ita ut ad eos, cùm oportuerit, gratus ſemper pateat aditus noſtrorum.

Pa. 6. c. 2. §10. 5) Habeat ſocium à Superiore deſignatum, cujus opera utatur in his, quæ ad ſuum officium pertinènt, præter alium (ubi opus erit) qui in virtute & converſatione probatus, poſſit eleëmoſynas ordinarias per domos colligere.

6) Procuratoris erit, quaſcunque eleëmoſynas recipere, & quæcunque afferuntur domum, in libro quodam ad id deſignato quotidie ſcribere.

In Ex. c. 1. §. 4. & Par. 6. c. 2. §. 6. & 7. 7) Videat in quærendis, vel admittendis eleëmoſynis, ne præjudicium fiat puritati noſtri Inſtituti, quod attinet ad ejus miniſteria, gratis omnino exercenda.

8) Pecunia, undecunque provenerit, ſi alicujus momenti fuerit, judicio Superioris in arca reponatur, ad id deſignata. Hujus Præpoſitus clavem unam, & ipſe Procurator alteram diverſam cuſtodiat; in eadem liber aſſervabitur, in quo ſcribetur pecuniæ ſumma, tam ejus, quæ infertur, quàm ejus, quæ effertur; ſi quando autem cogente aliqua neceſſitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti & expenſi ſumma ſemel in hebdomada in eodem libro ſcribatur, ac ſi in ea reponeretur.

9) Quoties ex arca pecuniam accipiet, ejus ſummam & diem in libro ſuarum rationum adſcribat; in altera verò parte libri expenſi ratio conſtet.

10) Procurator in libro ad hoc deſignato, quem penes ſe habere debet, ſcribat omnia, quæ unuſquiſque Novitiorum domum attulerit, eum ejuſdem ſubſcriptione, & ea Cuſtodi veſtium aſſervanda tradat, niſi ſit pecunia, quam ſeparatim cuſtodiet in arca, ubi pecuniæ Domus reponuntur, donec, biennio expleto, Novitius conſueta vota Societatis emittat. *In Ex. c. 4. §. 4. & Par. 1. c. 4. §. 6.*

11) Singulis menſibus dati & accepti rationem Superiori reddet, & debita etiam indicabit, quo ipſe Domus ſtatum prorſus intelligat. *Par. 4. c. 8. §. 5.*

12) Diligenti cura aſſervabit in Archivio ad hoc deſignato inſtrumenta originalia, & titulos, quibus conſtat de jure eorum, quæ Domus ad uſum, & propriam habitationem poſſidet, ſuis locis repoſita, ut facilè inveniri poſſint; Archivi autem duæ claves diverſæ erunt, quarum alteram Præpoſitus, alteram ipſe habebit Procurator.

 13)

13) Item ſeorſum habebit hæc eadem inſtrumenta & titulos manu Notarii Publici ſubſcriptos, ut fidem faciant, ſi aliquando in judicio præſentari neceſſe ſit.

14) Præter hæc Procurator librum habebit, in quo ſumma quædam horum Inſtrumentorum & titulorum contineatur: cùm autem contractus majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum fient, redigat in memoriam Præpoſito ad Archivium, quod eſt in urbe penes Præpoſitum Generalem, eorum exempla authentica mittenda eſſe.

15) Cubiculum clavi obſeratum habeat, & aſſervabit ſcripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit: cùmque aliquas ex Archivio accipiet, earum in libro, qui in eodem Archivio erit, annotato die, menſe, & anno memoriam relinquet, quas eum ſuo tempore reſtituet, ex eodem libro expunget.

16) Cùm toti Domui neceſſaria providere ipſe debeat, juxta Superioris ordinem, curet, ut res omnes, præcipuè diu duraturæ, quàm opportunè emantur, ne aut non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare: caveat etiam, ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non bonas, aut inſalubres res emat.

17) Emptori pecunias ad quotidianos ſumptus ſubminiſtrabit, à quo ſingulis diebus expenſarum exigèt rationem ex codice; ſummam verò in librum ſuum ipſe referet.

18) Videat, num ea, quæ empta ſunt, illæſa conſerventur, atque animadvertens aliqua, non (ut oportet) conſervari, aut expendi, Superiorem, vel Miniſtrum admoneat.

Regulæ Procuratoris Collegii, & Domus Probationis.

1) IN omnium negotiorum tractatione perpetuò memor ſit inſtituti Societatis, quæ Dei omnipotentis gloriam quærens, profectui animarum invigilat. Curet igitur ipſe verbo & exemplo eos omnes ædificare, quibuſcum converſatur, atque eos ſibi benevolos conſervare, quorum opera ad negotia peragenda indiget.

Par 3 c. 2. § 7. 2) Procuratoris erit, conſervare res temporales ſuæ curæ commiſſas, & eas curare, tanquam bona propria Domini noſtri JEſu Chriſti. Cùm autem toti Collegio neceſſaria providere ipſe debeat, juxta Superioris ordinem, ad eum pertinebit proventus quoſcunque Collegii, vel Domus probationis, & eleëmoſynas, ubi petendas à Rectore intellexerit, exigere, ac recipere: ſyngraphas verò ſolutionis (quando opus erit) ipſe dabit ſubſcriptas à Rectore, aut à ſe, illius commiſſione.

3) Omnes Collegii proventus & tempora, quibus colligendi ſunt, in peculiari libro ſcribet, & ſeorſum ſummam contractuum & locationum, quæ ad breve tempus fiunt; ſeorſum etiam quaſcunque res, aut pecunias ex fructibus Collegii perceperit, addito à quibus, & quando ea provenerint; eleëmoſynæ autem alio in loco ſcribantur.

Par. 4. c. 2. § 5. 4) Singulis menſibus dati & accepti rationem Rectori reddet, debitáque & credita Collegii indicabit, quo ipſe Domus ſtatum prorſus intelligat.

5) Pecunia, undecunque ea provenerit, ſi alicujus momenti fuerit, judicio Superioris in arca reponetur, ad id deſignata; hujus Rector clavem unam, & ipſe Procurator alteram diverſam cuſtodiat: in eadem liber aſſervabitur, in quo ſcribetur pecuniæ ſumma, tam ejus, quæ infertur, quàm ejus, quæ effertur: ſi quando autem cogente aliqua neceſſitate, pecunia in arcam non inſerretur, nihilominus accepti & expenſi ſumma in eodem libro ſtatim ſcribatur, ac ſi in ea reponeretur.

6) Quoties ex arca pecuniam accipiet, ejus ſummam & diem in libro ſuarum rationum adſcribat; in alia verò parte libri expenſi ratio conſtet.

7) Procurator in libro ad hoc deſignato, quem penes ſe habere debet, ſcribat omnia, quæ unuſquiſque Novitiorum attulerit, cum ejuſdem ſubſcriptione, & ea Cuſtodi veſtium aſſervanda tradet, niſi ſit pecunia, quam ſeparatim cuſtodiet in arca, ubi pecuniæ Collegii reponuntur, donec, biennio expleto, Novitius conſueta vota Societatis emittat. In Ex. c. 4. § 4. & Par. 1. c. 4. § 8.

8) Emptori pecunias ad quotidianos ſumptus ſubminiſtrabit, à quo ſingulis diebus expenſarum exiget rationem ex codice; ſummam verò in librum ſuum ipſe referet.

9) Curet, ut res omnes, præcipuè diu duraturæ, quàm opportunè emantur,

tur, ne has non perinde bonas, aut non æquo pretio cogatur comparare; caveat etiam, ne, dum nimiùm pecuniæ parcit, non bonas, aut inſalubres res emat.

10) Videat, num ea, quæ empta ſunt, illæſa conſerventur, atque animadvertens aliqua, non (ut oportet) conſervari ant expendi, Superiorem vel Miniſtrum admoneat.

11) Advertat, num ea, quæ à Collegio poſſidentur, reparatione indigeant, ſeu domus, ſeu prædia, ſeu quidvis aliud, ut ad Superiorem referat: ſi quid autem vendendum videretur, eodem inconſulto, ne faciat.

Can. 25. Congr. 2. 12) Omnia, quæ ſpeciem habent ſæcularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & ſimilibus, intelligat prohibita eſſe noſtris.

13) Nihil, quod ad locationes, contractus, ant debita contrahenda, aut alia alicujus momenti negotia pertineat, faciat, niſi ipſi à Superiore commiſſum ſit: ſi quid autem ex iis, quæ jubentur, ipſi videretur non expedire, eidem proponat modeſtè ſuam ſententiam, & rationes, quibus moveatur.

14) Excipiet in codicem lites, ſi quæ fortè erunt, & quæ gravioris momenti circa eas fient, continenter & ſummatim annotabit.

15) In tribunalibus Judicum non compareat, niſi quando aliqua neceſſitas plurimùm urgere Superiori videretur, ſed per externos Procuratores noſtra negotia in publicis judiciis peragantur.

16) Illud verò præcipuè ante oculos habeat, ut, antequam litem ullam intendat, res controverſa (ſi fieri poſſit) concordia aut compromiſſione, conſulto Superiore, componatur; ſi quando tamen ad litem deſcendendum erit, memor ſit, ut magnam partem interiùs, exteriúsque cuſtodiat, & ſemper ad juſtam concordiam ipſum paratum eſſe, contrariæ parti innoteſcat.

17) Curet diligenter, ut rectè & ſolidè fiant, quæ expedienda erunt; quodſi periti juris conſulendi ſint, maximè idoneos eligat. Idem de cæteris Officialibus dictum intelligatur.

18) Conferat cum Superiore, eique reddat rationem eorum, quæ facit, & quo in ſtatu ſint negotia, aut ei, quem ille deſignabit: quodſi rerum difficultas extraordinarium favorem, aut diligentiam exigere videatur, eidem ſignificet, ut auxilia, quæ opportuna viſa erunt, petantur.

19) Diligenti cura aſſervabit in Archivio ad hoc deſignato inſtrumenta originalia, & titulos, quibus conſtat de jure eorum, quæ à Collegio poſſidentur, ſuis locis repoſita, ut facilè inveniri poſſint. Archivii autem duæ claves diverſæ erunt, quarum alteram Rector, alteram ipſe habebit Procurator.

20) Seorſum habebit hæc eadem inſtrumenta, & titulos, manu Notarii Publici ſubſcriptos, ut fidem faciant, ſi aliquando in judicio præſentari neceſſe ſit.

21) Præter hæc Procurator librum habebit, in quo ſumma quædam horum inſtrumentorum & titulorum contineatur: cùm autem contractus majoris momenti, præſertim rerum perpetuarum fient, redigat in memoriam Rectori ad Archivium, quod eſt in urbe penes Præpoſitum Generalem, eorum exempla authentica mittenda eſſe.

22) Cubiculum clavi obſeratum habeat, & aſſervabit ſcripturas, quibus ad Procuratorium munus indigebit: cùmque aliquas ex Archivio accipiet, earum in libro, qui in eodem Archivio erit, notato die, menſe, & anno memoriam relinquet; quas cum ſuo tempore reſtituet, ex eodem libro expunget.

23) In libellum referet, quæcunque à Superiore ipſi facienda injungentur, ne memoria excidant, & effectu fruſtrentur.

24) Intelligat, qui ſint illi potiſſimùm, qui beneficia magni momenti in Collegium contulerunt, & eorum catalogum habeat, & Superiorem certiorem faciat, ut juxta modum profeſſionis noſtræ grati in illos eſſe poſſimus.

Regulæ

Regulæ Præfecti Lectorum ad Menſam.

1) Curet, ut idonei in Lectores menſæ à Superiore deſtinentur, & eos inſtruat, ut alta, clara, & diſtincta voce legant.

2) Det operam, ut Lector prævideat diligenter lectiooem, ut bene, & emendatè proferat, & in dubiis ad ſe recurrat.

3) Admoneat Lectorem, ut, ſi qoid perperam pronunciaverit, correctus repetat, & emendatè iterum proferat.

4) Habeat à Superiore aſſignatos ſibi ſocios, ut in neutra menſa deſit, qui Lectorem corrigat, eósque juxta has Regulas inſtruat.

5) Initio lectionis in prima, atque etiam (niſi noſtrorum paucitas aliud ſuaſerit) in ſecunda menſa, in praodio & cœna legatur Caput de Scriptura ſacra Novi vel Veteris Teſtamenti, cui ſuccedat ſemper aliquis liber pius ac facilis juxta iodicem inferiùs præſcriptum, & habeatur peculiaris ratio Coadjutorum, ut pto arbitrio Superiorum aliquid vernacula lingua ad illorum etiam conſolatiooem legatur.

6) In celebrioribus feſtis legatur aliquid, omiſſo Capitulo Scripturæ, ex Patrum homiliis, & tractatibus, quod ad hiſtoriam, & celebritatem feſti pertineat, & à Dominica in Paſſione uſque ad Paſcha poſt lectionem Scripturæ, de Paſſione Domini, tractatus aliquot de eadem legantur.

7) Cùm afferuntur literæ annuæ, & Indicæ, quamprimùm legantur.

8) Initio cujuſcunque menſis Summarium Conſtitutionum, Regulæ communes, & Epiſtola B. P. IGNATII de Obedientia legantur.

9) Veſperi, abſoluta lectione ſeu prædicatione, legatur Martyrologium vulgare ſequentis diei: quo verò die ſit abſtinentia, caput aliquod ex libro de Imitatione Chriſti cum Martyrologio; cùm verò jejunatur, nihil legatur veſperi, ſed Martyrologium legatur ad prandium.

Libri Divinæ Scripturæ, qui in Refectorio leguntur.

Ex Novo Teſtamento omnia integrè leguntur.
Ex Veteri, Pentateuchus, præter Leviticum.
Hiſtoriales omnes, & Sapientiales, præter Cantica.
Prophetales, præter capita aliquot obſcuriora.

Libri, qui poſt lectionem Scripturæ legi poſſunt.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis.
Hiſtoria Eccleſiaſtica Nicephori Caliſti.
D. Gregorii Dialogi.
Hiſtoria Eccleſiaſtica Bedæ.
Vitæ Sanctorum Aloyſii Lippomani.
Vitæ Sanctorum Surii.
Severus Sulpitius de B. Martino.
Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum.
Selectæ Epiſtolæ D. Hieronymi.
Chryſoſtomus de orando Deum, de providentia, & de Sacerdotio.
Ambroſius de fuga ſæculi, de bono mortis.
Thomas de Kempis de Imitatione Chriſti, & aliquot ex ejuſdem Auctoris Opuſculis.
Catechiſmus Romanus.
Literæ Indicæ.

10) Præter hos libros poterunt quidem alii legi tum vulgares, tum Latioi, ſed examinati, & approbati à Provinciali; atque illi eſſe debent, qui & pietatem promoveant, & vocationis propriæ propoſitum confirmare poſſint.

11) De ſingulis libris ſuo tempore prælegendis in menſa juxta indicem præſcriptum priùs conferet cum Superiore, ut ille conſtituat, quid legendum ſit.

12) Catalogum à Superiore habeat eorum, qui io Refectorio commodè concionari poterunt, ex quibus Superior Ipſe eligat, qui ſtatis temporibus concionentur, & eos præſcripto tempore admonebit, qua de re ſint concionaturi.

Regulæ

Regulæ Præfecti Sanitatis.

Par. 3. c. 2. §. 6. 1) PRæfecti ſanitatis munus erit, ſuperintendere iis, quæ ad corporis bonam valetudinem pertinent conſervandam in ſanis (in iis præſertim, qui ex ætate aut aliis de cauſis ſunt debiliores) tum reſtituendam in ægrotantibus.

2) Præſit Infirmario, & cæteris, quibus cura ægrotorum commiſſa erit, * détque operam, ne deſit Medicus, adſitque eo veniente, præſertim ubi morbi qualitas id poſtulaverit, & quicquid ab eo præſcriptum fuerit, ſtudeat, ut executioni mandetur; & ubi videret ægrotorum cubicula ſalubria non eſſe, ad Superiorem referat.

* Par. 3. c. 2. lit. G.

3) Obſervet, num quis ex nimia fatigatione corporis, aut ſpiritûs plùs æquo laboret, vel alia de cauſa morbi periculo ſe exponat, & Superiori ſignificet.

4) Si in cibis, aëre, frigore, aut alia quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicujus ſaluti prodeſſe, vel obeſſe poſſit, Superiorem admoneat.

5) Curet, ut Infirmarius Regulas obſervet ſuas, quas apud ſe etiam habebit.

Regulæ Præfecti Bibliothecæ.

1) INdicem librorum prohibitorum in Bibliotheca habeat, & videat, ne forte ullus ſit inter eos ex prohibitis, aut aliis, quorum uſus communis eſſe non debet.

Pa. 4. c. 6. §. 1. 2) Bibliotheca clauſa ſit, cujus claves ipſe habeat, & illis tradat, qui eas, juxta Superioris judicium, habere debebunt.

3) Libri omnes eo ordine in Bibliothéca collocentur, ut ſingulis facultatibus ſuus certus ſit locus proprio titulo inſcriptus.

4) Singuli libri titulis exteriùs inſcribantur, ut facilè cognoſci poſſint.

5) Omnium librorum, qui domi ſunt, catalogum habeat, diverſarum Facultatum auctoribus ordine alphabetico in diverſas claſſes diſtributis.

6) In alio Catalogo, diviſis etiam per claſſes facultatibus: ii libri ſcribantur, qui in noſtrorum uſum ex Bibliotheca conceſſi ſunt; qui verò intra dies octo reſtituendi extrahuntur, tabula in hunc uſum parieti appenſa notentur; quibus redditis, quod fuerat ſcriptum, deleatur.

7) Nullum librum ex Bibliotheca cuipiam dabit, ſinè Superioris Licentia ſpeciali, aut generali, & advertat, ne quis librum etiam cum licentia ſe inſcio accipiat.

8) Curet, ut Bibliotheca valdè munda, & compoſita ſit, quam in hebdomada bis verret, & ſemel ex libris pulverem excutiet: cavere etiam debet, ne libri humiditate, aut alia re lædantur.

9) Quando intellexerit domi aliquos libros neceſſarios, aut aliquos valde utiles in lucem editos eſſe, certiorem faciat Superiorem, ut, ſi illi viſum fuerit, emantur: ſi verò Domi libri inutiles fuerint, eundem admoneat, an cum aliis melioribus commutandi ſint.

10) In loco publico, præſertim in magnis Collegiis ſint quidem communiores libri, quibus unusquiſque pro ratione ſuorum ſtudiorum uti poſſit.

11) Habeat librum, in quo ea omnia Judicio Superioris ſelecta diligenter ſcribantur, quæ in ſuo Collegio publicè exhibentur, ut Comœdiæ, dialogi, Orationes, & id genus alia: concluſiones verò ſingulorum annorum, quæ publicè defendentur, ſimul conſutas in Bibliotheca aſſervet.

12) Si aliqui libri extra domum, ac commodatò darentur, adhibeat diligentiam, ut recuperentur ſuo tempore; & in aliquo interim libro notabit, quinam illi libri ſint, & quibus eos commodaverit.

Regulæ Subminiſtri.

1) SUbminiſter eſt inſtrumentum Miniſtri, & aliorum Superiorum, ad res particulares obeundas, & executioni mandandas.

2) Nihil ordinat, ſed tantum eſt executor, & exactor actionum domeſticarum, juxta modum, & ordinem ſibi à Superioribus præſcriptum.

3) Eſt ejus præcipua cura, ut omnia, quæ attinent ad culinam, refectorium, penum, cellam vinariam, & aquariam, benè, & ordine & tempore ſuo parata ſint, & miniſtrentur; videátque, ut cubicula ſint decenter compoſita, quæ alternis ſaltem diebus viſitabit.

4) Curet, ne noſtri per Domum, vel Collegium vagentur, & intempeſtivè colloquantur; ac denique ut unusquisque in ſuo officio verſetur, & contineatur.

5) Referet de omnibus rebus quotidiè ad Miniſtrum, ad Præpoſitum verò, vel Rectorem, quoties eis viſum fuerit.

6) Nullam injunget pœnitentiam, ſed de defectibus domeſticis admoneat Miniſtrum, vel alium Superiorem; poterit tamen impoſitas pœnitentias nomine alicujus Superioris aliis denunciare.

7) Erit Superior noſtrorum, qui Sacerdotes non ſunt; Sacerdotibus tamen aliquid injungere poterit, nomine alicujus Superioris.

Regulæ Æditui.

1) PRæfecto Eccleſiæ obediat in omnibus, quæ ad templi miniſterium pertinent.

2) Servet modeſtiam in inceſſu, vultu, ſermonéque tam in templo, quàm in Sacriſtia; iis verò, qui aliquid exigunt, ſatisfacere cum ædificatione ſtudeat per ſe, vel ad Præfectum recurrendo, aut ipſos ad eum remittendo; ſi quando verò neceſſe erit cum mulieribus loqui, id oculis demiſſis, & quàm breviſſimè faciat.

3) Dum Sacris Inſervit, attentus ad ſuum miniſterium cum devotione, & ædificatione ſit. Nec ante eum, qui celebrat, aut ad latus ex æquo, ſed aliquanto poſteriùs maneat; utatur verò tono, qui congruat cum eo, quo Sacerdos utitur; omnia rectè proferat, nec celeriter nimium, nec nimis lentè. Denique in iis benè inſtructus, & cæteros, qui Sacerdotibus miniſtrabunt, eadem doceat.

4) Curet, ut veſtimenta, quibus Sacrum facturus induitur, ſint rectè aptata, ipſúmque circumquaque intueatur, antequàm è Sacriſtia exeat.

5) Diligenter det operam, ut Sacerdotes, qui Sacrum facere volunt, quamprimùm miniſtros habeant juxta Ordinem ſibi à Superiore præſcriptum, & quotidie unumquemque eorum, qui ordine in ſummo Altari Miſſas dicturi ſunt, opportuno tempore admoneat.

6) Tot habebit appenſa ſudariola in Sacriſtia, quot fuerint domi Sacerdotes, inſcriptis ſingulorum nominibus, & addito uno vel pluribus pro extraordinariis.

7) Dum Sacra fiunt, accendat, ut minimum, candelas duas, & cum ſanctiſſimum Sacramentum elevatur, facem, aut cereum; quo tempore etiam tintinnabulum pulſet; accendet etiam facem, cùm aliis ſanctiſſimum Sacramentum miniſtrabitur, ipſéque confeſſionem Generalem eorum vice recitabit.

8) Curet, ut vinum, quod in Sacrificium paratur, ſit bonum, & merum, ac mundum, eóque ipſo Die hauſtum: ſimiliter & aqua, & ampullæ ſint mundæ, & decenter copertæ.

9) Hoſtias faciat, quàm fieri poterit, pulchras, eo numero, ut & Miſſis & Communionibus ſufficiant.

10) Ante Miſſas & Conciones, ac lectiones pulſet campanam, prout ſibi præſcriptum erit; det etiam ſignum Salutationis B. Mariæ in Aurora, in meridie, & Veſperi: det etiam ſignum, cum

cum primùm quis ex noſtris vita functus fuerit; ut omnes, pro cujuſque devotione illius animam DEO commendent.

11) Si quando propter univerſalem aliquam cauſam in reliquis Eccleſiis campanæ pulſentur, ipſe etiam juxta Superioris præſcriptum pulſabit.

12) Pridie, quàm ſit habenda concio, diſponat ſcamna in templo, juxta ſolitum morem.

13) Det operam, ut nullo modo lumen deſit ante ſanctiſſimum Sacramentum, neque interdiu, neque noctu.

14) Ex iis Sacerdotibus, quos habet à Superiore deſignatos, vocet diligenter ad templum, qui nominatim petuntur ad confeſſiones audiendas; quod ſi nominatim non petuntur, eos juxta ordinem ſibi præſcriptum accerſat, & quantum in ipſo eſt, det operam, ut omnibus, qui confiteri volunt, ſatisfiat.

15) Si qui Miſſas, aut orationes petant, ad Præfectum recurrat, vel ad eum illos remittat.

16) Si quis aliquid quæreret, in quo el à Janitore meliùs ſatisfieret, eum ad portam Domus remittat, & eos etiam, qui per portam, quà à templo in domum patet aditus ingredi vellent: niſi viri eſſent ejusmodi, ut eorum peculiaris eſſet habenda ratio, prout à Superiore fuerit inſtructus: nunquam autem porta ea aperta relinquatur.

17) Curet, ut nunquam illic aqua deſit, ubi lavantur manus; & ſint lintea convenienter munda pro Sacerdotibus, ad manus ſolas ante, & poſt Sacrum extergendas.

18) Provideat, ut aqua benedicta in pila non deſit.

19) Si quando Eleëmoſynæ Miſſarum, vel Confeſſionum gratia offeruntur, eas non admittat; ſi quid tamen alioqui in Altaribus, aut aliis templi locis repererit, aut in uſum templi oblatum fuerit, id Præfecto tradet.

20) Templi portas manè, ſed non ante auroram aperiat; eaſdem veſperi circa ſolis occaſum diligenter obſeret; quod etiam faciet circa meridiem, niſi Superior in caſu aliquo ſecùs faciendum judicaret, & quotidiè noctu claves Eccleſiæ ad Superiorem deferat.

21) Quamdiu templum erit apertum, diligenter curet, ne unquam ſinè cuſtode relinquatur, ſed ſemper aut ipſe, aut alius in eo ſit, vel in Sacriſtia, ita ut & videre templum, & cuſtodire poſſit.

22) Advertat, ne quis in templo deambulet, néve ſtrepitus in eo audiatur; eos verò, qui loquentur altiùs, modeſtè, ùt decet, admonebit.

23) Det operam diligentèr, ut Altaria ſint munda, & benè præparata, & pro ratione temporum ornata, atque ut vaſa ſacra, ornamenta, & cætera omnia, quæ ad divinum cultum pertinent, in ſuis locis aptè, & decenter reponantur, & conſerventur.

24) Videat, ut templum ſit mundum, & bis ſingulis hebdomadis, ac ſæpiùs, ſi neceſſe ſit, præſertim in Feſtorum ſolemnium vigiliis, ſcopis mundetur; canes etiam ex templo abigat.

Regulæ Infirmarii.

Pa. 3. c. 2. lit. G. 1) CUram habeat infirmorum, quorum ægritudo ſimul atque ei indicata fuerit, ſi cenſeret rem eſſe alicujus momenti, Præfectum & Superiorem admoneat.

Ibidem 2) Cùm quis in morbum incidit, à Superiore intelligat, num ſtatim Medicus vocandus ſit, qui unus ordinariè eſſe debet, niſi ingraveſcente morbo, aut in quibuſdam aliis caſibus, alio Medico opus eſſe Superior judicaverit; & quoties Medicus ægrotos inviſet, adſit ipſe.

3) Studeat, ut, quæ ægrotanti danda ſunt, & opportunè emantur, & bona ſint, & benè præparata adminiſtrentur.

4) Curet, ut ægrotorum cubicula ſint valdè munda; lecti concinnè ſternantur, & ramuſculis & hujuſmodi aliis decumbentes oblectet.

5) Ægrotum conſolari, & exhilarare ſtudeat, non ſolùm rebus à Medico probatis, ſed verbis etiam ſpiritualibus, & lætis: habeat etiam libros quorum lectione ægroti recreari, & juvari in ſpiritu poſſint.

6) Intelligat à Superiore, quos ex noſtris ad ægrotos inviſendos, ac recreandos accerſere debeat; caveat autem, ne dum infirmis placere ſtudet, aliquid fiat, quod eis nocere ulla ratione poſſit.

7) Medicinalia, & cuncta, quæ ægrotantium uſui neceſſaria ſunt, habere ipſe debet, niſi Pharmacopola domi ſit, & in loco convenienti ea cuſtodire, & ſæpius reviſere, ut incorrupta conſerventur; & quando opus fuerit, ut de novo ſuo tempore conficiantur, curare juxta ordinem Superioris.

Par. 3. c. 2. lit. C. 8) Nihil omninò eorum, quæ à Medico præſcribentur, prætermittat, aut mutet; ordinem etiam obſervet temporum præfixorum, quibus prandium, cœnam, ſyrupum, cæteráque medicamenta det, omnia ſcripto excipiens, quæ Medicus præſcripſerit.

9) Advertat, quo die quis cœperit ægrotare, & qua hora febres ægrotum & corripiant, & deſerant; tum ut Medicum, & Superiorem admoneat, tum ut cibum tempeſtivè præbeat.

10) Si morbus ſit contagioſus, ſupellex ſeparari debet, ne cuiquam noceat.

11) Convaleſcentes è lectò ſurgere non permittat, priuſquam id Medicus conceſſerit, & operam det, ut ea convaleſcentibus præbeantur, quæ Medicus præſcripſerit, quoad Superiori ſatis viſum fuerit.

12) Patienter & cum charitate tum ipſe, tum ſocii ejus ferant moleſtias, & difficultates, quæ interdum in curandis infirmis accidere ſolent. Quemadmodum autem diligenter curare debet, ne debita miniſteria ægrotis deſint, ita etiam animadvertere ne nimiæ vigiliæ, immoderatique labores, aut morbi contagio vel propriæ ipſius vel ſociorum ſaluti noceant.

13) Cùm gravitas morbi id poſtulaverit, Superiorem certiorem reddat, ut ægrotus, antequam Judicii uſu privetur omnia Sacramenta accipiat; curet, ut octavo quoque die pro more Societatis communicet; ne hujuſmodi ſpirituali fructu, & conſolatione privetur, niſi aliqua ratio judicio Superioris impediat. *Par. 6. c. 4. §. 1.*

14) Ingraveſcente morbo Superiorem admoneat, ut orationibus omnium domeſticorum valdè peculiaribus infirmum juvari faciat; atque eò magis, quo morti propinquiorem videret; & ut morienti, quò plures poterunt, ex noſtris adſint, qui cum animoſiorem reddant, iiſque auxiliis juvent, quæ eo tempore convenient, ac eum primùm vita functus fuerit, Æditum admoneat. *Par. 6. c. 4. §. 2.*

15) Provideat, ut eorum corpora, qui ad meliorem vitam migrârint, ad ſepulturam conſueto regionis more præparentur, & ut ſpatio diei naturalis decenter teneantur; niſi ratione mali odoris anteverti poſſe hoc tempus Superiori videretur. *Par. 6. c. 4. § 3. Lit. B.*

17) Præfecto ſanitatis obediat in omnibus, quæ ad hoc officium pertinent, qui ſi nullus fuerit conſtitutus, Præfecti munere ipſe fungatur.

Regulæ Janitoris.

1) NOmina omnium domeſticorum prope oſtium Domus in tabula ſcripta ſint, ubi notis quibuſdam illi deſignabuntur, qui egredientur: * neminem verò foras exire permittat, qui facultatem à Superiore generalem, aut particularem non habeat; & ab iis, qui egrediuntur, quo eant, intelligat. ** Par. 3. c. 1. §. 3.*

2) Nihil cuiquam nunciabit intempeſtivè, ut, cùm in menſa ſedetur, niſi aut res eſſet neceſſaria, aut perſonæ mittentis conditio aliud exigeret.

3) Literas omnes & ſchedulas, quæ domeſticis mittuntur, Superiori tradat: ii verò, ad quos dabantur, eas eſſe acceptas, ne intelligant: caveat etiam, ne alicujus domeſtici literas, aut quid ſimile externis det injuſſu Superioris.

4) Cùm

4) Cùm aliqui ex Societate peregrè veniunt, januam ingreſſis dicat, ut illic expectent, dum Superior de adventu eorum ſit certior.

5) Feſtinet ad januam, cùm tintinnabulum pulſari audit, & cùm res patietur, per feneſtellam venientes expediat, porta non aperta.

6) Si quis ab externis quæratur; qui domi non ſit, modeſtè intelligat, quis ſit ille, qui petit, & quid velit, ut id redeunti, ſi opus ſit cum facultate Superioris ſignificare poſſit.

7) Talem cum omnibus converſandi modum teneat, ut diſcretione, modeſtia & ſpiritualibus verbis ſingulos ædificatos, & contentos à ſe dimittere ſtudeat.

8) Cùm externi aliquem è noſtris alloqui volent, Superiorem adibit, qui ſi ad id facultatem dederit, diligenter eum, qui petitur, quæret, & ad locum colloquiis deſtinatum eos remittet.

9) De Eleëmoſynis, quæ ad januam mittentur, Superioris mentem intelligat, illiúſque ordinem ſequatur, & ſi alicujus momenti ſint, Procuratorem certiorem faciat.

10) Si quando Prælati, aut Magnates domum intrarent, curet, ſi commodè poſſit, ut Sacerdos aliquis eos comitetur, dum Superiorem ipſe acceſſit.

11) Cùm pauperes Eleëmoſynæ cauſa ad januam accedunt, benignè reſpondeat, & ſedulò quærat, quidnam eis erogari poſſit juxta Superioris arbitrium, idque illis cum charitate diſtribuat.

12) Mulieres, ſi quando ad oſtium accedunt, paucis verbis dimittat, aut ſi pluribus opus eſſe videretur, in Eccleſiam eas mittat ad Æditũum, ubi reſponderi ipſis poterit.

13) Obſerata ſemper janua ſit, claviſque in porta ne relinquatur, loca etiam portæ vicina munda ſervet, & ut juxta januam omnes ſubmiſſa voce loquantur, curet.

14) Portas Domus ante noctem claudat, exinde verò eas nullius cauſa aperiat, niſi de Præpoſiti vel Rectoris expreſſa licentia: & antequam cubitum eat, claves eidem tradens, ſi quis foris maneat, illi renunciabit.

15) Nihil cuſtodiendum à quoqam externo recipiat, absque Superioris juſſu.

16) Quoties Medicus Domum ingredietur, ſignum dabit campana; ut Miniſter, & cæteri, qui debent, adeſſe poſſint.

17) In Collegiis, in quibus Scholæ externis aperiuntur, ſignum campana dabit pro initio lectionum, ac fine: & Gymnaſia ſtatis temporibus aperiet, atque claudet, niſi horum cura aliis demandetur.

Regulæ Cuſtodis Veſtium.

1) SErvare debet omnem ſupellectilem, ſive lineam, ſive laneam, & quicquid ad indumenta, & ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet; quæ diligenti cura, ùt rem pauperum Chriſti cuſtodiat.

2) Inventarium rerum, quas ipſe cuſtodit, ſi alicujus momenti ſint, in libro habeat, & ſeorſum ſcribat, quæ de novo fiant, addito die, menſe, & anno, ut, cùm à Superiore jubebitur, poſſit ſui muneris rationem reddere.

3) Veſtes ordine diſpoſitas ſervet, & novas, & integras à vetuſtioribus ſejungat, &, ne corrumpantur, videat; eas etiam aptandas, & reſarciendas curet, ut decet religioſam paupertatem; quas verò non ampliùs uſui noſtrorum futuras judicabit, eas Superiori oſtendat, ut ille, quid de eis faciendum ſit, ſtatuat.

4) Quæ ſinguli Novitii domum attulerunt, ea alicubi ſeperatim aſſervabit, inſcripto nomine ejus, qui attulit; donec biennio expleto conſueta vota Societatis emittat. *In Ex. c. 4. § 4 & Par. 1. c. 4. § 6.*

5) Singulis menſibus omnia Domûs viſitabit cubicula, ut ex Superioris arbitrio, ſi quid eis deſit, ſuppleri poſſit; ſi quid etiam ſuperfluum invenerit, in veſtiaria officina cuſtodiatur.

 6) In-

6) Inſpiciat etiam, quinam veſtibus indigeant, ut Superiori dicat, ejúſque ordinem exequatur; eo verò inconſulto, nihil cuiquam dabit*. Coadjutores autem temporales *ſottanis* dimidio palmo brevioribus, quàm Sacerdotes, & pallio *ſottanis* breviori utantur.

Can. 23. Congr. 1.

7) Linei panni Lotori, ſive externus ille ſit, ſive domeſticus, ſcripto numero dentur, & accipiantur.

8) Subuculæ ſingulorum, quæ ſtaturæ induentium convenire debent, ſignis particularibus internoſcantur, ne permiſceri contingat.

9) Pannos lineos omnes, quos utendos refectorii Præfecto, Coquo, aliiſque miniſtris dividet, numeratò det, & recipiat.

10) Sabbati veſpere linea munda per omnia cubicula diſtribuat; Dominica verò die manè ex iisdem cubiculis immunda colligat; & an omnia, quæ dederat, recipiat, animadvertat.

11) Æſtivo tempore linteamina munda pro lectis decimo quinto quoque die; hyberno verò poſt tres hebdomadas diſtribuat, ubi id fieri poterit.

12) Hæc omnia Cuſtos veſtium præſtabit, niſi ejus officium in magno aliquo Collegio aut Domo in plures perſonas diſtribuere neceſſe ſit.

Regulæ Emptoris.

1) Diligens ſit in emendis iis, quæ ad quotidianum uſum Superioris arbitrio, domum comparanda ſunt, eáque tempeſtive Diſpenſatori tradat: emat autem res bonas, & quàm commodiſſimo pretio poterit, licèt longiùs ſint petendæ.

2) Adnotet pecuniæ ſummam, quam à Procuratore in dies accipiet, & quas in res eam expendet; & rationem ei quotidie reddat dati & accepti: quid autem ſequenti die empturus ſit, à Miniſtro intelliget.

3) Curet, quantum poterit, eos, quibuſcum aget, diſcretione ac modeſtia ædificare, & quatenus ejus officium decet, religioſis verbis in ſpiritu juvare.

Regulæ Diſpenſatoris.

1) In rebus diſtribuendis ordinem Superioris ſequatur, & quamvis communiter æqualitatem inter omnes ſervare debet; habeat tamen infirmorum, & convaleſcentium rationem, prout ei fuerit præſcriptum.

2) Vinum in menſa ponendum aqua temperabit, ubi, & quantum Superiori videbitur.

3) Quæ ex menſis ſuperſunt, diligenter conſervabit, memor paupertatis: ut & domeſticis, & externis pauperibus juxta ordinem Superioris uſui eſſe poſſint.

4) Curam habeat conſervandi res ad victum neceſſarias, quæ ipſi committentur, clauſáſque cuſtodiat, advertens, ne corrumpantur; quodſi corruptionis ſit periculum, Superiorem admoneat. Ut autem hæc meliùs obſervet, viſitet ſæpe penum, & alia loca, ubi illa reconduntur.

5) Tam penum, quàm reliqua omnia, quæ in eo ſunt, munda habeat.

6) Antequam penitus abſumantur cibi, qui domi reconduntur, Superiorem admoneat, ut alii coemi tempeſtivè poſſint.

7) Curet concinnanda dolia, & purganda (cùm opus eſt) ad novum vinum infundendum: cujus rei, cùm tempus impendet, Superiorem admonebit.

Regulæ Præfecti Refectorii.

1) Curet Refectorium, & quæ ejus uſibus ſerviunt, omnia eſſe quàm mundiſſima.

2) Ne aqua manibus abluendis, aut mantilia extergendis deſint, advertat; horum autem (quæ bis in hebdomada ſaltem mutabuntur) alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus deſtinata erunt.

3) Mantilia ſingulis ſaltem hebdomadis ſemel, mappæ verò, quæ ſingulis

ſin-

ſingolæ ſervient, bis mondæ ponentur: omnia autem lintea numeratò & accipiat, & reddat.

4) Curet, ne vaſa, & cætera in refectorio neceſſaria deſint, & ut quàm maximè munda ſint: cultellos autem frequenter acuere faciat.

5) Parvam menſam patatam habeat.

6) Signum campana temporibus ſuis dabit conveniendi ad primam, & ſecondam menſam: ſed ante primum pulſum (qui quarta parte horæ ſecundum præcedat) à Coquo iotelligat, an ſint omnia patata.

7) Menſæ rebus neceſſariis paratæ eſſe debent, cùm campaoa ſignum ptimò dabitur: quæ autem ad potum pertinent, circa ſecundum ſignum apponantur, & aquæ ae vini vaſa ſupta orbes collocentur.

8) Sit certus locus iis, qui curæ Infitmarii ſubſunt, quibus nihil, niſi quod ab eo præſcriptum erit, apponat: ſervet autem cum omnibus æqualitatem, niſi ſecus neceſſitatis cauſa eſſet à Supetiore monitus, ſine cujus arbitrio neque jentaculum, neque aliud quidquam ulli concedet.

9) Priuſquam è menſa ſurgatur, inferantur orbes aliquot in meoſam, ut quiſque locum ſuum mundet; quamprimùm verò pro ſecunda præparata omnia habuerit, ſignum campaoa dabit: providebitqoe, ne deſint, qui miniſtrare debent.

10) Quæ ex menſis ſuperſunt, colliget, atque illi tradet, ad quem id ex officio pertinet, ſive Coquus is, ſive Diſpenſator ſit.

11) Nomioa eorum, qui domi tam in refectorio, quàm extra veſcuntur, in quadam tabula habeat, & eos, qui cibum cepère, notabit, ut intelligat, quinam ſuperſint, & Coquum, qui portiones diſtribuit, commoneſaciet.

12) Menſis expeditis, mantilia plicentor, verratúrque refectorium: & ſi quis inter comedendum ſilentium non ſervaverit, aut aliquid minùs modeſtum fecerit, ipſe Superiori ſignificabit.

13) Habeat à Miniſtro catalogum, in quo ſcriptum ſit, quinam, & quibus diebus in prima & ſecunda menſa miniſtraturi ſint, eúmque otdinem ſervet. Intelligat etiam Sabbato, quinam per hebdomadam ſequentem in refectorio legere debeant, eóſque faciat certiores.

14) Catalogom habeat rerum, quæ in refectotio ſerviunt, ut, cùm ratio ab eo requiritur, in promptu ſit, & in loco ad id deſignato eas cuſtodiat.

15) Ad finem recreationis, qoæ una hora poſt primam menſam, altera poſt ſecundam à prandio, & à cœna durare debet, diſtincta ſigna campana dabit.

Regulæ Coqui.

1) IN iis omnibus, qoæ ad ſuum munus pertinent, munditiam ſervet ipſe, & ab aliis ſervandam curet, détque opetam, ut omnia rectè & opportunè parentur, ea præſertim, quæ ad ægrotos pertinent.

2) Carnes, piſces, & alia, quæ ad menſam portanda ſunt, dum ſecat, & diſtribuit, digitis minimè contrectet, ſed fuſcinula aut cultello ad eam rem utatur.

3) Semihora, aut ſaltem quarta horæ parte, antequam in menſa ſit edendum, præpatati cibi omnes eſſe debent.

4) Circa qualitatem & quantitatem portionum otdinem à Superiore datum ſequetur.

5) Coqoete, aut aliud quidpiam pro aliqoo particulari parare, Infirmario tantùm excepto, neminem ſioet, neque ipſe faciet ſine Supetioris facultate.

6) Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum eſt uſus in coquina, quas ipſe ſervare debet.

7) Diligenter advertat, ne plura, quàm neceſſaria ſint, ligna comburantur. Hanc ſimiliter diligeotiam in rebus, quas conſumit, adhibebit, ne quid non neceſſarium inſumatur, ùt religioſam paupertatem decet.

8) Quæ ex menſa ſoperſunt, eique traduntur, conſervabit, memor paupertatis; ut & domeſticis, & externis pauperibos uſui eſſe poſſint, juxta ordinem Soperioris.

9) Si qoem haberet adjutotem, curet, ut eum verbo & exemplo ſuo ædificet, præſertim Novitios.

Re-

Regulæ Excitatoris.

Par. 3. c. 2. § 2. & Lit. E. & Par. 4. c. 10. § 9.

1) MEdia ſaltem horæ parte ante cæteros cubitum eat, eodémque temporis ſpatio ante alios manè ſurgat, & hora conſtituta campanam pulſet, ſtatímque ad omnia cubicula lumen deſeferens, cunctos excitet; quod ut certiùs & meliùs præſtare poſſit, horologium excitatorium à Superiore habeat.

2) Quarta horæ parte ab excitatione elapſa, cubicula rurſus inviſet, ac, ſi quos nondum ſurrexiſſe comperiat, Superiori nunciet.

3) Poſt aliam quartam horæ partem ad orationem pulſabit, ita ut ab excitatione ad orationis uſque initium, ſemihora intercedat: abſoluto verò tempore orationi deputato, finis ſignum dabit.

4) Si quorum opera indigebit propter multitudinem eorum, quos excitare, aut viſitare debet, eos à Superiore petet, quos ſervare eaſdem regulas curabit: ſi qui autem debiles, aut valetudinarii erunt, eos juxta ordinem Superioris excitabit.

5) Si quem videret communem illam Regulam minùs obſervantem, qua omnes decenter cooperti dormire jubentur, Superiorem monebit.

Regulæ noctu cubicula, Viſitantis.

Par. 4. c. 10. § 9. * Par. 3. c. 2. § 2.

1) HOra à Superiore præſcripta ad nocturnum conſcientiæ examen pulſabit *, tranſactóque quadrante, ſignum dabit ad cubandum.

2) Elapſa quarta horæ parte à cubandi ſigno, ſingula cubicula adibit, &, an omnes ad lectum ſe receperint, ac lucernas extinxerint, videbit: ſi quos invenerit extra lectum, aut qui lucernas non extinxerint, Superiori renunciabit.

De Obedientiæ virtute Epiſtola P. N. IGNATII.

IGNATIUS LOJOLA Fratribus Societatis JEſu, qui ſunt in Luſitania, gratiam, & amorem Chriſti Domini ſempiternum.

I. MAgnam animi voluptatem capio, Fratres in Chriſto chariſſimi! cùm offertur ad me, quàm acri ſtudio, conatúque ad ſummam virtutis, ac divini obſequii perfectionem enitamini, beneficio illius, qui vos, ùt ad hoc vitæ inſtitutum vocavit, ſic in eodem pro ſua clementia retinet, dirigítque ad beatum finem, ad quem, qui ſunt ab ipſo electi, perveniunt.

II. Atque ego ſanè cùm vos omnibus donis, ornamentíſque ſpiritualibus perfectos, tum verò (quod aliàs ex me cognoviſtis) in primis Obedientiæ virtute præſtantiſſimos eſſe cupio, ídque non ſolùm ob eximia quædam, ac ſingularia ejus bona, quæ tot, támque illuſtribus ſacrarum Literarum teſtimoniis, atque exemplis in Teſtamento æquè Novo, ac Veteri comprobantur; ſed etiam quòd (ùt eſt
Lib. 25. Moral. c. 12. apud ſanctum Gregorium) Obedientia ſola virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertáſque cuſtodit. Hæc dum floruerit, florebunt procul dubio reliquæ, edéntque fructus, quales & ego in animis veſtris exopto, & ſuo jure poſtulat is, qui humanum genus neglectæ Obedientiæ ſcelere afflictum, ac perditum ſalutari
Ad Philipp. 2. ipſemet Obedientia reparavit: Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.

III. Ab aliis religioſis Ordinibus faciliùs patiamur nos jejuniis, vigiliis, & cætera victus, cultúſque aſperitate ſuperari, quam ſuo quique ritu, ac diſciplina ſanctè ſuſcipiunt: vera quidem, ac perfecta Obedientia, abdicationéque voluntatis atque judicii maximè velim, Fratres chariſſimi! eſſe conſpicuos, quicunque in hac Societate DEO Domino noſtro deſerviunt, ejuſdémque Societatis veram, germanámque ſobolem hac quaſi nota diſtingui, qui nunquam intueantur perſonam ipſam, cui obediunt, ſed in ea Chriſtum Dominum, cujus cauſa obediunt. Siquidem Superiori, nec ſi prudentia, bonitate, cæteríſve quibuslibet divinis donis ornatus, inſtructúſque ſit, propterea obtemperandum eſt; ſed ob id ſolùm, quòd
Luc. 10. vices gerat Dei, ejuſdémque auctoritate fungatur, qui dicit: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: nec contrà ſive conſilio, aut prudentia

minùs

minùs valeat, quidquam idcirco de Obedientia remittendum, quatenus ille Supe-
rior eſt; quando illius perſonam refert, cujus ſapientia falli non poteſt, ſupple-
bitqoe ipſe, quidquid Miniſtro defuerit, ſive ptobitate, aliiſque ornamentis ca-
reat, ſiquidem diſertis verbis Chriſtus Dominus cùm dixiſſet: Super Cathedram *Math* 13.
Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, protinus addidit: Omoia ergo, quæcunque
dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere.

Quocirca ſedulò vos in eam curam, atque exetcitationem incumbere cupio, IV.
ut Chriſtum Dominum in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis, in eóque Di-
vinæ Majeſtati reverentiam, atque Obedientiam ſumma cum religione præſtare.
Quod vobis minùs mirum videbitur, ſi animadverteritis præceptum eſſe ab Apoſtolo,
ut Superioribus etiam ſæcularibus, Ethoiciſque pareamus, ùt Chriſto, ex quo
omnis poteſtas bene inſtituta deſcendit; ſic enim ſcribit ille ad Epheſios: Obe-
dite Domiois carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut *Cap.* 6.
Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ùt ſervi
Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut
Domino, & non hominibus. Atque hinc exiſtimare poteritis ipſi, cùm ſe Reli-
gioſus quiſpiam regendum, ac moderandum altèri tradidit, non ſolùm ùt Supe-
riori, ſed etiam nominatim ùt Chriſti partes agenti: quo illum loco apud animum
ſuum habere, utrùm ùt hominem, an ùt Chriſti Vicarium debeat intueri.

Jam verò illud etiam vobis clarè compertum eſſe, ac in animis veſtris peni- V.
tus inſidere vehementer cupio, infimam, & valde imperfectam eſſe primam illam
Obedientiæ formam, quæ mandata duntaxat opere exequitur, nec virtutis nomine
digoam, niſi ad alterum gradum aſcendat, qui voluntatem Superioris ſuam effi-
cit, & cum ea ita concordet, ut non ſolùm in effectu executio appareat, verùm
etiam in affectu conſenſio; ſicque idem velit uterque, idem nolit. Atque pro-
pterea in ſacris Literis legimus: Melior eſt Obedientia, quàm victimæ, ſiquidem 1. *Reg.* 15.
(ùt S. Gregorius docet) per victimas aliena caro, per Obedientiam verò volun
tas propria mactatur: quæ quidem pars animi, quoniam eſt adeo præſtans, ſic *Lib.* 35.
fit, ut ejus oblatio Domino ac Creatori noſtro per Obedientiam facta, magni *Moral. c.* 12
ſit æſtimanda.

Quanto in errore, quámque periculoſo verſantur, non dico ſolùm ii, qui VI.
in iis, quæ ad carnem & ſanguinem pertinent, ſed illi etiam, qui rebus alio-
quin admodum ſanctis ac ſpiritualibus, ùt jejuniis, precationibus, aliiſve quibus-
vis pietatis operibus, fas putant à præſcripto Superioris, ac voluntate diſcedere.
Audiant, quod ſapienter adnotat Caſſianus in Collatione Danielis Abbatis: Unum *Coll* 4. *c.* 20.
ſanè (inquit) atque idem inobedientiæ genus eſt, vel propter operationis inſtan-
tiam, vel propter otii deſiderium, Senioris violare mandatum; támque diſpen-
dioſum eſt pro Chriſto, quàm pro vigilantia Monaſterii ſtatuta convellere: tan-
tum denique eſt Abbatis tranſire præceptum, ut legas, quantum ſi contemnas,
ut dormias. Sancta fuit actio Marthæ, ſancta contemplatio Magdalenæ, ſancta
pœnitentia, & lachrymæ, quibus pedes Chriſti Domini rigabantur: ſed hæc om-
nia nimirum oportuit fieri in Bethania, quam vocem *Domum Obedientiæ* interpre-
tantur, ut ea re (quemadmodum ait S. Bernardus) nobis ſignificare voluiſſe Do-
minus videatur, nec ſtudium bonæ actionis, nec otium ſanctæ contemplationis, *In Serm. ad*
nec lachrymam pœnitentis, extra Bethaniam illi accepta eſſe potuiſſe. *mil. templ. c.* 13.

Qnocirca voluntates veſtras, Fratres chariſſimi! quoad ejus fieri poteſt, om- VII.
nino deponite; libertatem Conditori veſtro, quam vobis ipſemet elargitus eſt, in
ejus Miniſtris liberè tradite, ac dicate. Nolite exiguum veſtri liberi arbitrii fru-
ctum putare, quòd liceat vobis illud, à quo id accepiſtis, eidem per Obedien-
tiam plenè reddere. Quod cùm facitis, non modò non perditis ipſum, verùm
etiam augetis, atque perficitis, quippe qui veſtras omnes voluntates certiſſima
rectitudinis regula moderamini volnntate divina, quam videlicet interpretatur is,
qui vobis Dei nomine præſidet.

Itaque diligenter illud etiam cavendum eſt, ne Superioris ullo unquam tem- VIII.
pore voluntatem (quam ducere pro divina debetis) ad veſtram detorquere nita-
mini: id enim eſſet non veſtram divinæ conſormate, ſed divinam veſtræ volun-
tatis norma tegere velle, ejusdem divinæ ſapientiæ ordinem invertentes. Sanè
quàm magnus eſt error, & quidem eorum, quos amor ſui obcæcavit, obedientes
exiſtimare ſeſe, cùm Superiorem ad id, quod ipſimet volunt, aliqua ratione per-

In Serm. de trib. ordin. Eccl. ad Patres in c. traxerint. Sanctum Bernardum in hac re præclarè exercitatum audite: Quiſquis (inquit) vel apertè, vel occultè ſatagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis Pater injungat; ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi quaſi de Obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit. Quæ cùm ita ſint, quiſquis ad Obedientiæ virtutem velit pervenire, oportet ad hunc ſecundum Obedientiæ gradum aſcendat, ut Superioris non ſolùm juſſa exequatur, ſed etiam ejus voluntatem ſuam faciat, ſeu potiùs ſuam exuat, ut divinam à Superiore expoſitam induat.

IX. Qui verò ſe totum penitus immolare vult Deo, præter voluntatem, intelligentiam quoque, qui tertius & ſummus eſt gradus Obedientiæ, offerat, neceſſe eſt, ut non ſolùm idem velit, ſed etiam, ut idem ſentiat, quod Superior ejúſque judicio ſubjiciat ſuum, quoad poteſt devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi tametſi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita eſt, atque ipſa natura fertur ejus aſſenſus in id, quod ſibi veri ſpeciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinari. Quæ res cùm incidunt, debet, quiſquis Obedientiam profitetur, inclinare ſeſe in ſententiam Superioris; etenim cùm Obedientia ſit quoddam holocauſtum, quo totus homo ſine ulla prorſus imminutione Conditori ſuo ac Domino per manus Miniſtrorum in charitatis igne immolatur; cùmque ſit eadem renunciatio quædam integra, per quam omni ſuo jure ſponte decedit Religioſus, ut divinæ providentiæ Superioris ductu gubernandum ac poſſidendum ultro ſeſe addicat, ac mancipet; negari non poteſt, quin Obedientia comprehendat non ſolùm executionem, ut imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam judicium, ut, quæcunque Superior mandat, ac ſentit, eadem inferiori & recta & vera eſſe videantur, quatenus (ùt dixi) vi ſua poteſt voluntas intelligentiam flectere.

X. Utinam hanc mentis & judicii Obedientiam ita & intelligerent homines, & exercerent, ùt grata Deo eſt, ac omnibus, qui in Religione vivunt, neceſſaria. Nam ùt in corporibus, globisque cæleſtibus, ut alius alium afficiat, moveátque, requiritur, ut certa quadam convenientia & ordine inferior orbis ſuperiori ſubjiciatur; ſic in hominibus, cùm alter alterius auctoritate movetur, quod per Obedientiam fit, oportet, ut is, qui ab alterius nutu pendet, ſubſerviat, & obſecundet, ut virtus ab imperante ad eum derivetur, & influat. Hæc autem obtemperandi, obſecundandique ratio conſtare non poteſt, niſi voluntas, ac judicium inferioris cum Superioris voluntate ac judicio congruat.

XI. Jam verò ſi finis & cauſa Obedientiæ ſpectatur, quemadmodum voluntas, ita & judicium in eo, quod nobis convenit, decipi poteſt: ergo ſicuti, ne voluntas erret, cum Superioris voluntate conjungitur; ſic intelligentia, ne fallatur, ad Superioris intelligentiam conformanda eſt. *Prov. c. 3* Ne innitaris prudentiæ tuæ, ſacræ Literæ monent: atque in rebus etiam humanis cenſent Sapientes, verè prudentis eſſe, ſua ipſius prudentia minimè fidere, præſertim in rebus ſuis, quarum homines animo perturbato ferè boni Judices eſſe non poſſunt. Quodſi in rebus noſtris alterius etiam non Superioris judicium, atque conſilium noſtro non anteponendum eſt, quantò magis ipſius Superioris, cui nos, ùt Dei vicem gerenti, ac divinæ voluntatis Interpreti moderandos tradidimus? In cauſis verò, perſoniſque ſpiritualibus eò major etiam cautio procul dubio eſt neceſſaria, quò gravius eſt ſpiritualis viæ periculum, dum ſine frænis conſilii, diſcretioniſve in ea decurritur. *Coll. 2 c. 12* Qua de re commodè Caſſianus in Collatione Abbatis Moyſi ait: Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm eum, neglectis conſiliis Seniorum, ſuo judicio perſuaſerit, definitionique confidere.

XII. Præterea, niſi hæc Obedientia judicii exiſtat, fieri non poteſt, ut vel conſenſus voluntatis, vel executio talis ſit, qualem eſſe oportet; natura enim ita comparatum eſt, ut animi noſtri vires, quæ appetitivæ dicuntur, ſequantur apprehenſivas; & niſi adhibita vi voluntas, judicio repugnante, diu obtemperare non poterit. Quodſi fortè quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illam apprehenſionem, qua cenſetur, perperàm etiam præcipienti parendum eſſe; certè id ſtabile, ac fixum eſſe non poteſt: atque ita perſeverantia deficit, vel ſaltem Obedientiæ perfectio, quæ in promptè & alacriter obediendo conſiſtit: non enim ibi poteſt eſſe alacritas ac diligentia, ubi eſt animorum, ſententiarúmque diſſen-

diſſenſio: perit etiam exequendi ſtudium & celeritas, cùm ambigitur. Expediat, nec ne, facere, quod jubemur: perit celebris illa Obedientiæ cæcæ ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, recténe præcipiatur, an ſecus, atque etiam fortaſſe damnamus Superiorem, quando ea mandet, quæ nobis non ita jucunda ſunt: perit humilitas, quoniam, etſi ex altera parte paremus, ex altera tamen noſmetipſos Superiori præferimus: perit in rebus arduis fortitudo; perit denique (ut ſummatim complectar) virtutis hujus vis omnis, ac dignitas: ſuccedunt autem in eorum locum dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliáque vitia non ſanè levia, quibus Obedientiæ pretium ac meritum prorſus extinguitur. Itaque S. Bernardus de iis, qui graviter ferunt imperata minùs ſibi ſuavia, ſic ait: Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi dijudicare Prælatum, ſi murmurare in corde, etiam ſi exteriùs impleas, quod jubetur, non eſt hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ. Quodſi pax & tranquillitas animi quæritur, certè hac non fruetur is, qui habet intra ſeſe cauſam perturbationis, atque tumultus, diſſenſionem videlicet judicii proprii ab Obedientiæ lege.

Serm. 3. de Circumciſione.

XIII. Atque idcirco tuendæ concordiæ cauſa, quæ Societatis omnis eſt vinculum, tantopere hortatur Apoſtolus, ut idipſum omnes ſapiant, & dicant; nimirum ut conſentientibus & judiciis & voluntatibus, mutuò foveantur, & conſerventur. Jam ſi unum, eundémque oportet eſſe membrorum ſenſum, & capitis; facilè cernitur, utrùm ſit æquius, caput membris, an membra capiti conſentire. Atque ex his quidem, quæ dicta ſunt hactenus, ſatis apparet, Obedientia judicii quàm ſit neceſſaria.

Ad Rom. c. 15 & 1. Cor. 1. & 2. Cor. 13 & ad Phil. 2.

XIV. Quàm verò ſit eadem ipſa perfecta, gratáque Domino, inde primùm oſtenditur, quòd per eam præſtantiſſima pars hominis, atque pretioſiſſima Domino conſecretur: deinde, quòd obediens ita ſit holocauſtum vivum, gratúmque Majeſtati Divinæ, cùm nihil ſuimet omnino retineat: poſtremò, quòd magna ſit hujus certaminis difficultas; frangit enim ſeſe Dei cauſa Obediens ipſemet, reſiſtitque naturali propenſioni, quæ omnibus hominibus inſita eſt ad ſuam complectendam, ſequendámque ſententiam. Ex his igitut tebus efficitur, ut Obedientia, tametſi propriè voluntatem perficere videatur, quippe quam reddit ad nutum Superioris promptam ac paratam, nihilominus ad intelligentiam quoque ipſam (ùt diximus) pertinere debeat, eámque inducere ad ſentiendum idipſum, quod ſentit Superior; ſic enim fiet, ut omnibus connixi viribus & voluntatis, & intelligentiæ, ad executionem celerem atque integram veniamus.

XV. Videor mihi vos, Fratres chariſſimi! audire dicentes, de virtutis quidem hujuſce neceſſitate jam non ambigere; illud verò, ut cognoſcatis, vehementer optare, quo pacto ad ejus perfectionem pervenire poſſitis. Huic ego quæſtioni cum S. Leone ita reſpondeo: Nihil atduum eſt humilibus, & nihil aſperum mitibus: modò non deſit vobis humilitas, non deſit manſuetudo; non utique deerit Deo benignitas ad vos adjuvandos, ut, quæ ſibi promiſiſtis, ea præſtare poſſitis animo non ſolùm æquo, ſed etiam libenti.

Serm. 5. de Epiphania.

XVI. Præterea vobis tria nominatim propono, quæ ad Obedientiam judicii comparandum multùm juvant. Primum illud eſt, ut (quemadmodum initio dixi) non tueamini in perſona Superioris hominem obnoxium erroribus atque miſeriis; ſed Chriſtum ipſum, qui eſt Sapientia ſumma, Bonitas immenſa, Charitas infinita, qui nec decipi poteſt, nec vos vult ipſe decipere. Et quoniam conſcii vobiſmet eſtis, vos Dei amore jugum Obedientiæ ſubiiſſe, ut in Superioris voluntate ſequenda, voluntatem divinam certiùs ſequeremini; nolite dubitare, quin pergat fideliſſima Domini charitas, eorum miniſterio, quos vobis præfecit, vos deinceps gubernare, & rectis itineribus ducere. Itaque Superioris vocem ac juſſa non ſecus, ac Chriſti vocem excipite: ſiquidem Apoſtolus etiam in hanc ſententiam ſcribens ad Coloſſenſes, cùm ad obtemperandum Præpoſitis ſubditos adhortatur, ait: Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Chriſto ſervite. Sanctus verò Bernardus: Sive Deus (inquit) ſive homo vicarius DEI mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequeodum eſt cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. Atque ita, ſi non hominem externis oculis, ſed Deum inſpexeritis internis, haud ſanè grave fuerit vobis voluntates veſtras, atque judicia conformare ad eam regulam actionum veſtrarum, quam ipſimet elegiſtis.

Cap. 3.

In Tract. de præcept. & diſpenſat. fere initio.

XVII. Altera eſt ratio, ut, quod Superior mandat, vel ſentit, defendere ſemper apud animos veſtros ſtudioſè nitamini, improbare autem nequaquam: atque ad eam ipſam rem proderit bene animatos, affectóſque eſſe ad id omne, quod ipſe juſſerit: ſic enim fiet, non ſolùm, ut ſine moleſtia, ſed etiam, ut cum voluptate, lætitiáque pareatis; nam (ùt eſt apud S. Leonem) non dura tibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur, quod jubetur.

Serm. 4. de jejunio ſeptimi menſis.

XVIII. Poſtrema ſubjiciendi judicii ratio eſt cùm facilior, tutiórque, tum etiam apud ſanctos Patres in more poſita, ut ſtatuatis vobiſcum ipſi, quidquid Superior præcipit, ipſius Dei præceptum eſſe, & voluntatem: atque ut ad credenda, quæ Catholica Fides proponit, toto animo, aſſensúque veſtro ſtatim incumbatis; ſic ad ea facienda, quæcunque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ ſine ulla prorſus diſquiſitione feramini. Sic egiſſe credendus eſt Abraham, filium Iſaac immolare juſſus: ſic Novi Teſtamenti tempore aliqui ex ſanctis Patribus iis, quos commemorat Caſſianus, ùt Joannes Abbas, qui, quod erat ei imperatum, non reputabat, utiléne eſſet, an inutile: ut cùm aridum lignum tanto, ac tam diuturno labore per annum irrigavit; nec utrùm fieri puſſet, nec ne: ut cùm conatus eſt tam ex animo ingens ſaxum ſolus dimovere loco, quod ne multi quidem ſimul homioes impellere potuiſſent. Quod Obedientiæ genus ipſis interdum miraculis divinitùs comprobatum videmus. Nam (ut alios taceam, quos ipſi non ignoratis) Maurus ſancti Benedicti diſcipulus, mandato Superioris lacum ingreſſus, nec merſus eſt: alius quidam à Superiore juſſus, lecenam ad ſe ducere, illam cepit, atque perduxit. Eſt igitur hæc oratio ſubjiciendi proprii judicii, ac ſine ulla quæſtione ſanciendi, & collaudandi apud ſe, quod unque Superior juſſerit, non ſolùm ſanctis Viris uſitata, ſed etiam perſpectæ Obedentiæ ſtudioſis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato maniſeſto conjunctæ non ſunt.

Geneſ. 22. — *Lib. 4. c. 24. & 26.* — *Greg. 2. Dial. c. 7.* — *In vitis Patrum 2. P. Lib. 2. de Obedient.*

XIX. Nec tamen idcirco vetamini, ſi quid fortè vobis occurrat à Superioris ſententia diverſum, idque vobis (conſulto ſuppliciter Domino) exponendum videatur, quò minùs id ad Superiorem referre poſſitis. Verùm in hac re, ne vos amor veſtri, judiciúmque decipiat, illa cautio eſt adhibenda, ut animo ſitis & ante, & puſt relationem æquiſſimo, non ſolùm quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel ſuſcipiendam, vel deponendam; ſed etiam ad approbandum, rectiúſque putandum, quidquid Superiori placuerit.

XX. Atque hæc, quæ de Obedientia diximus, æquè privatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus, Præpoſitiſque Localibus erga Provinciales: Provincialibus erga Generalem: Generali denique erga illum, quem Deus ipſi præfecit, nempe ſuum in terris Vicarium, obſervanda ſunt; ſic, ut & ordinum perfecta diſtinctio, ac proinde par retineatur & charitas, ſine qua nec Societatis noſtræ, nec alterius cujuslibet Sodalitii poſſet recta gubernatio conſervari. Nimirum hoc modo Providentia illa divina diſponit omnia ſuaviter, infima per media, media per ſumma, ſuos ad fines cuncta perducens. Hinc illa videlicet in Angelis unius Hierarchiæ ad aliam ſubordinata ſeries; hinc & cæleſtium, & aliorum omnium, quæ cientur, corporum certis locis, ſedibus inter ſeſe apta connexio, quorum converſiones, ac modus ab uno movente ſupremo gradatim omnes uſque ad infimos ritè proveniunt. Idem in terris, cùm in omni civitate bonis inſtituta legibus, tum verò in Hierarchia Eccleſiaſtica cernitur, cujus omnia membra, & functiones ab uno Generali Chriſti Domini noſtri Vicario derivantur; & quò accuratiùs hæc diſpoſitio, & collocatio cuſtoditur, eò rectior eſt gubernatio & melior: contrà verò hujus ordinis negligentia, quàm gravia incommoda multis hominum Societatibus importentur, nemo non videt; atque idcirco in hac, cujus mihi nonnullam procurationem, ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri, vigeréque percupio, quaſi in ea Societatis noſtræ bonum, ac ſalus univerſa conſiſtat.

Sap. c. 8.

XXI. Quæ cùm ita ſint, ut, unde exorſa eſt, ibidem terminetur epiſtola, Vos ego per Chriſtum Dominum noſtrum obteſtor, qui ſeſe nobis nòn modò Præceptorem, ſed etiam Exemplar præbuit Obedientiæ, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & glorioſæ victoriæ appetentes, atque avidi, voſmetipſos ſuperare, id eſt, excelſiorem, & difficiliorem animi partem, voluntatem dico, atque judicium expugnare, & ſubjicere ſtudeatis. Quo Dei Domini noſtri ſolida, veráque cognitio atque amor veſtros ad ſe animos penitùs trahat, totóque vitæ hujus, & quaſi peregrinationis curriculo uſque eò gubernet ac regat, dum nos demum, alióſque complures, veſtra opera, exemplóque adjutos ad ultimum & feliciſſimum finem, nimirum ad beatitudinem ſempiternam perducat. Veſtris ad Deum precibus me valde commendo. Romæ VII. Kal. Aprilis MDLIII.

AD.

ADDITAMENTUM XXX.

CONSTITUTIONES CLERICORUM REGULARIUM S. MAJOLI PAPIÆ CONGREGATIONIS SOMASCHÆ.

OBSERVATIO CRITICA.

Etiamſi, ineunte Sæculo XVI., variis Hæreticorum erroribus immaculata Chriſti Sponſa, Eccleſia Catholica, percuſſa fuerit; attamen in hoc felix exiſtimari debet, quòd turbulentiſſimis illis temporibus Deus excitaverit ſanctiſſimos Viros, qui intaminatis moribus, & doctrina verè Chriſtiana præditi, Mundum in maligno poſitum cæleſti ſua eruditione illuſtrare, atque deviam plebem ad ſemitas juſtitiæ reducere ſtrenuè laborabant. Inter hos Viros ſanctiſſimos jure merito numerare debemus HIERONYMUM ÆMILIANUM, *horum Clericorum Regularium primum Inſtitutorem, qui quamvis Sanctorum dyptichis nondum adſcriptus, tamen ab omnibus nomen* BEATI *accipere meruit. Natus ille eſt Anno MCCCCLXXXI. Venetiis ex nobiliſſima Senatoria familia, atque militiam ſecutus, magnos honores adeptus eſt; quibus contemptis, ad paupertatem Evangelicam amplectendam ſeriò animum adjecit: nam, ampliſſimo patrimonio vendito, omnia Pauperibus & Viduis impendere voluit, cujus Chriſtianæ charitatis ſtupenda exempla extant. Sic exorta per Italiam gravi fame, circa annum MDXXVIII.* BEATUS ÆMILIANUS *in ipſa Veneta Civitate eximium Xenodochium erexit, Pauperibúsque cuncta neceſſaria adminiſtravit, ipſe pauperrimo & abjecto habitu indutus, per plateas civitatis excurrere ſolebat, quærens pauperes Orphanos, quos non ſolùm victu & veſtitu ſuſtentavit, ſed & ipſos Chriſtianis præceptis diligenter imbuere dignatus eſt. Hinc* CLERICI REGULARES SOMASCHÆ *rectè ſuum exordium ab hoc anno deſumunt, quamvis nondum piiſſimus Inſtitutor ſocios in unum congregaverit, atque hanc laudabilem Congregationem inſtituerit. Nam, peragratis nobilioribus Lombardiæ civitatibus, ibique erectis variis Xenodochiis, tandem apud* SOMASCHAM, *villam in Territorio Bergamenſi aptiſſimam receſſui ſpirituali, cum aliquibus piis Sacerdotibus eximiam vitæ communis domum erexit, piiſſimam vitam duxit, varias charitatis Chriſtianæ functiones exercens, pauperes Orphanos ſuſtentans, atque doctrina Chriſtiana imbuens, donec anno MDXXXVII. & die octavo Februarii piiſſimam animam efflavit, in vita, & poſt mortem verè* BEATUS *appellatus. Quamvis autem* BEATUS ÆMILIANUS *ante mortem quoſdam Sacerdotes, alióſque Clericos ad communem vitam ſubeundam convocaverit, iiſdémque præſentes Conſtitutiones præſcripſerit, attamen nullis adhuc Religioſis votis diſcipulos aſtrinxerat; ſed ſolummodo ſalutaria Chriſtianæ charitatis, & paupertatis Evangelicæ præcepta eiſdem tradiderat. Hinc plures exortam hanc* CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONEM, *ſed nondum à ſacra Sede approbatam, derelinquere meditabantur, niſi piis exhortationibus Viri optimi* ANGELI MARCI GAMBARANÆ *ad perſeverandum inducti fuiſſent, obtenta Sedis Apoſtolicæ approbatione, per publicam Bullam à ſummo Pontifice* PAULO III. *conceſſam anno MDXL. Neque his contentus, piiſſimus* GAMBARANA *aſſentientibus aliis ſociis, à ſummo Pontifice* PIO V. *obtinuit Bullam anno MDLXVIII., per quam hæc Congregatio* SOMASCHÆ *inſtituta, inter alios ſacros Ordines Religioſos aſſumitur, ejúſque Alumnis Regula ſancti Auguſtini obſervanda præſcripta*

 eſt;

eſt; atque emiſſis ſacris Religioſis votis, omnes Inquilini in Viros Religioſos evaſerunt, ſub Obedientia ſæpe laudati ANGELI MARCI GAMBARANÆ, qui omnium conſenſu conſtituitur primus hujus celeberrimæ Clericorum Regularium Congregationis Procurator Generalis, quæ quidem ob obtentum, beneficio S. CAROLI BORROMÆI Archi-Epiſcopi Mediolanenſis, Eccleſiam SANCTI MAJOLI PAPIÆ, ſimul ac eximium Collegium noviter erectum, deinceps appellata eſt: CONGREGATIO CLERICORUM REGULARIUM SANCTI MAJOLI PAPIÆ, vulgò SOMASCHÆ.

Interea hujus Congregationis Patres, mortuo piiſſimo Gambarana, Congregationi Clericorum Regularium Ordinis Theatinorum ſeſe ſubmiſerunt circa annum MDXLVI., à quibus tamen anno MDLV. divulſi ſunt, à proprio Procuratore Generali gubernati. Deinde circa annum MDCXVI. huic SOMASCHÆ CONGREGATIONI adunati ſunt PATRES CHRISTIANÆ DOCTRINÆ per Galliam diſperſi; ſed hæc unio haud longo tempore integra manſit, Gallis ſeparationem meditantibus, quam etiam approbavit ſummus Pontifex INNOCENTIUS X. per publicam Bullam anno MDCXLVII. datam. Adeòque deinceps Patres & Clerici Congregationis ſancti Majoli Papiæ, vulgò Somaſchæ intra Italiæ fines ſeſe continere coacti ſunt, ſub ſuo Procuratore Generali piiſſimam vitam ducentes, & juxta primævum Inſtitutum, eximia charitatis & paupertatis Chriſtianæ exempla ubique exercentes, quam Congregationem Clericorum Regularium in tres Provincias diviſit ſummus Pontifex ALEXANDER VII., quæ ſic numerari ſolent: Prima eſt Provincia LOMBARDIÆ, complectens omnia Collegia in Ducatu Mediolanenſi, Parmenſi, in Sabaudia, Mantua, & apud Helvetos ſita. Secunda Provincia dicitur VENETA, & comprehendit cuncta ampliſſima Collegia per terras Illuſtriſſimæ Reipublicæ diſperſa, quemadmodum & alia in Principatu Tridentino jacentia. Tertia eſt ROMANA, quæ præter Collegia per reliquas Italiæ Provincias ſita continet celeberrimum CLEMENTINUM COLLEGIUM, à Clemente VIII. Papa Auctore ſic nominatum, quod tandem in verum divinarum, humanarúmque ſcientiarum Emporium pro Nobilitate Romana evaſit. Ordinavit denique ſummus Pontifex Romanus, ut in qualibet Provincia erigeretur Domus Novitiorum, ad inſtruendos Congregationis Tyrones in omni Aſceticæ Doctrinæ genere, & ut alternis vicibus ex qualibet Provincia Procurator Generalis eligeretur. Creſcente igitur indies laudabili hac Congregatione, atque plurimis celeberrimis Collegiis hinc inde per Italiam illuſtrata, piiſſimi Alumni de condendis novis Statutis rectè cogitabant, quatenus & ſcholarum Præfecti, æquè ac Scholares juſtis legibus regerentur, atque tam Superiores, quàm Inferiores ad ritè dirigenda ſua officia ſpiritualia ac temporalia perducerentur. Conſtitutiones ergo ſequentes non omnes à piiſſimo primo Inſtitutore prodierunt, ſed ſucceſſu temporis conditæ ſunt, neceſſitatibus latè patentis Congregationis requirentibus, quas quidem in unum collegit zeloſiſſimus Congregationis Somaſchæ Procurator Generalis JOANNES ANTONIUS PALINUS, atque eaſdem approbavit ſummus Pontifex Romanus URBANUS VIII. Anno MDCXXVII., prout ejuſdem authentica Bulla his Conſtitutionibus præmiſſa teſtatur.

CON-

CONSTITUTIONES
CLERICORUM REGULARIUM
S. MAJOLI PAPIÆ
CONGREGATIONIS SOMASCHÆ.

BULLA CONFIRMATORIA.

URBANUS Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſanctum Apoſtolatus officium humilitati noſtræ per ineffabilem divinæ Sapientiæ providentiam commiſſum jugiter Nos admonet, ut inter graviſſimas, multiplicéſque Apoſtolicæ ſervitutis curas, illam peculiari ſtudio amplectamur, per quam Chriſti Fideles ſub ſuavi Religionis jugo virtutum Domino ſamulantes, ſub certis, & providè ordinatis Statutis, atque Conſtitutionibus in ſanctitate & juſtitia felicioribus in dies proficiant incrementis, ac proinde iis, quæ propterea ſtatuta & ordinata ſunt, ut ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſerventur, perpetuáque roboris firmitate ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè dilectus filius JOANNES ANTONIUS PALINUS Procurator Generalis Congregationis Somaſchæ, aliàs ſancti Majoli Papienſis, & Doctrinæ Chriſtianæ Regni Franciæ, ſuo, & dictæ Congregationis nomine Nobis nuper exponi fecit, quòd pro felici & proſpero ejusdem Congregationis regimine atque gubernio nonnullæ Conſtitutiones diverſis temporibus factæ, noviſſimè verò per Venerabiles Fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales negotiis Regularium præpoſitos recognitæ, & in unum volumen compilatæ fuerunt tenoris ſubſequentis, videlicet:

Reliqua Bullæ *ad calcem harum* Conſtitutionum *ante* Appendicem *ſunt poſita.*

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

CAP. I. *DE Congregationis fine, inſtitutis, & perſonarum varietate.*
II. *De legitima Capituli Generalis convocatione, & de ratione ejusdem celebrandi.*
III. *Quinam Capituli Generalis Vocales ſint, quíque ad illud convenire debeant.*
IV. *De tempore ac loco Capituli Generalis, & precibus pro eo fundendis.*
V. *De electionibus in univerſum, ac de ſuffragiis ferendis.*
VI. *De ratione eligendi Præpoſitum Generalem.*
VII. *De electione majorum Officialium, ac de ratione ferendi ſuffragii in ipſa.*
VIII. *Qualis eſſe debeat Præpoſitus Generalis.*
IX. *De munere & auctoritate Præpoſiti Generalis.*
X. *De auctoritate & modo procedendi Congregationis erga Patrem Generalem.*
XI. *De munere & auctoritate Vicarii Generalis.*
XII. *De qualitate & munere Conſiliariorum.*
XIII. *De qualitate & munere Viſitatorum.*
XIV. *De munere & auctoritate Provincialis Galliæ.*
XV. *De qualitatibus & munere Definitorum.*
XVI. *De qualitatibus & munere Procuratori Generalis.*
XVII. *De qualitate & munere Cancellarii.*
XVIII. *De ordine & modo rerum in Capitulo proponendarum.*
XIX. *De gradibus dignitatum, & ordine ſedendi.*
XX. *De Definitorio, ejúsque munere.*
XXI. *De novis domibus recipiendis.*
XXII. *De aggregandis ad Religionem.*

LIBRI SECUNDI

CAP. I. *MOnita ad interiorem cultum, & ſpiritualem profectum pertinentia.*
II. *De Conſtitutionibus universè.*

III. *De Horis Canonicis.*
IV. *De Miſſarum celebratione, & Mortuorum exequiis.*
V. *De Eccleſiis, & earum ſupellectili.*
VI. *De Cantu, & ejus uſu.*
VII. *De Oratione mentali.*
VIII. *De peccatorum expiatione, & ſacra Communione.*
IX. *De obedientia & reverentia erga Superiores & Seniores.*
X. *De Caſtitate.*
XI. *De Paupertate.*
XII. *De Confeſſionibus excipiendis, & cura animarum exercenda.*
XIII. *De Concionatoribus & Lectoribus.*
XIV. *De caſtigatione corporis per jejunium & verberationem: & de ciborum qualitate & quantitate.*
XV. *De Silentio, & Modeſtia.*
XVI. *De Capitulo Collegiali congregando, & culpis dicendis.*

LIBRI TERTII

De iis, quæ ſpectant ad perſonarum & domorum gubernationem.

Cap. I. *Quales eſſe debeant Superiores noſtri, & de illorum munere ac facultate.*
II. *De Vice-Præpoſitis, Prorectoribus, & Procuratore Domus.*
III. *De aliis Officialibus, ſeu Miniſtris, & primò de Æditua, ſeu Sacriſta.*
IV. *De Bibliothecario.*
V. *De Janitore, & aliis Miniſtris.*
VI. *De admittendis ad noſtrum habitum.*
VII. *De Novitiorum inſtitutione.*
VIII. *De Novitiis ad profeſſionem admittendis.*
IX. *De promovendis ad Ordines.*
X. *De ratione ſtudendi, ad ſtudia admittendis, & Præceptoribus.*
XI. *De habitu Clericorum & Laicorum.*
XII. *De Fabricis erigendis, ubi etiam in fine de clauſura.*
XIII. *De Ægrotantium cura.*
XIV. *De egredientibus domo, atque honeſta animi remiſſione.*
XV. *De Viatoribus, & Hoſpitibus.*
XVI. *De epiſtolis ſcribendis, & earum inſcriptionibus.*
XVII. *De otio vitando.*
XVIII. *De Triclinio, & Menſa.*
XIX. *De Seminariorum & Convictorum regimine.*
XX. *De cura & regimine Orphanorum.*
XXI. *De puellis orphanis regendis.*

LIBRI QUARTI

Cap. I. *De Culpis, & Pœnis.*
II. *De Pœna levi.*
III. *De Pœna media.*
IV. *De Pœna gravi.*
V. *De Pœna graviori.*
VI. *De Pœna graviſſima.*
VII. *De quibusdam Pœnis ſpecialibus.*

LIBER PRIMUS.

De Congregationis Fine, Inſtitutis, & Perſonarum varietate.

CAPUT I.

1. CLericorum Regularium humilem hanc Congregationem Pater Hieronymus Æmilianus beatæ recordationis Patricius Venetus in Dei Eccleſia, divino afflante Numine, ſtrenuam, quæ Chriſto militaret, veluti aciem excitavit anno ſalutis humanæ MDXXVIII. Huic à Somaſcha exiguo pago, ubi primùm illius fundamenta ſunt jacta, nomen eſt.

2. Eum autem finem ardentiſſimus ille noſter Parens ſibi, & ſuis commilitonibus propoſitum eſſe voluit, ut contemplatricem vitam ſimul cum actuoſa conjungerent; maximè verò proximo adjuvando, quibuſcunque piis divinæ charitatis operibus poſſent, ferventiſſimè conſulerent. Quò factum, ut priſcis illis temporibus operum & pauperum Patres primùm noſtri vulgò nuncuparentur. Itaque varia, eadémque in Eccleſia Dei admodum utilia charitatis, ac pietatis plena inſtituta ſummorum Pontificum aſſenſu à prima uſque origine complexa eſt. Nam ante omnia eorum, qui fortunis deſtituti, & parentibus orbati Orphani appellantur, curam tum in iis, quæ ad animæ, tum in iis, quæ ad corporis cultum pertinent, ſuſcipit.

3. Deinde adoleſcentes & in Seminariis ex ſacri Concilii Tridentini Decreto inſtitutis, & in publicis Gymnaſiis, & in Nobilium Collegiis vel Academiis ad Chriſtianam pietatem, doctrinarúmque ſtudia excolere nititur.

4. Poſtremò ne, dum alienæ ſaluti invigilat, propriæ indormire videatur, clauſtralia Collegia, veluti propria domicilia tanquam palæſtras habet, ubi milites ſui ab omni rerum & negotiorum cura vacui & liberi, piis vitæ contemplatricis exercitationibus uni Deo addicti, ad ſpiritualem ſeſe pugnam & profectum inſtruunt, majoráque in dies ad

proxi-

proximorum etiam ſalutem ſubſidia derivare contendunt. Nam & Sacramentis miniſtrandis, & Miſſarum Sacrificiis celebrandis, & ſacris concionibus, lectionibúſque habendis, atque aliis piis operibus exercendis Chriſtiano populo prodeſſe conatur, præcipuè verò Fidelibus in doctrina Chriſtiana erudiendis: * *Ideóque Paulus Quintus felicis recordationis Pontifex Maximus cum Congregatione noſtra unionem fecit Patrum, quos vocant Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, ubi peculiari ſtudio Patres illi publicè in viis, plateis, Eccleſiis in hoc opus incumbunt, ut nos quoque in Italia præſtamus.*

5. Omnium autem, ex quibus univerſa hæc Congregatio conſtat, duæ ſunt quaſi claſſes: altera Sacerdotum & Clericorum: altera eorum, qui ad ſerviendum deſtinati Laici profeſſi, vel Aggregati nuncupantur. Cæterùm communis eſt noſtra vivendi ratio, & ejuſmodi, ut non difficile ſit cuilibet eam complecti, quippe quæ nec magnam auſteritatem, neque ſeveriorem corporis afflictationem indocat: ſed per veram humilitatem, perfectam obedientiam, abnegationem, abdicationémque propriæ voluntatis in via Chriſti Domini noſtros ad bravium perfectionis perducat. Quamobrem cùm primùm fructuoſis Chriſti Domini Eccleſiæ incrementis cœpit adoleſcere, eam ſanctiſſimus Pontifex Pius V. anno ſalutis noſtræ MDLXVIII. octavo Idus Decembris, Pontificatus anno tertio in Religionum numerum cooptavit, & ſub Regula ſancti Patris Auguſtini repoſuit. Tum ſequens annus ſexageſimus nonus, nuncupatis à primis noſtris Patribus ſolemni ritu profeſſionis votis, tertio Kal. Maji, ſancto Petro Martyri, & Catharinæ Senenſi ſacro die, Deo bonorum omnium Auctore feliciter annuente, felix ac fauſtus natalis illuxit Congregationi. Quam cæteri deinde ſummi Pontifices, quotieſcunque tulit occaſio, auctoritate ſua comprobarunt & confirmarunt, nec non gratiis ac privilegiis quàmplurimis exornarunt.

De legitima Capituli Generalis convocatione, & de ratione ejuſdem celebrandi.

CAPUT II.

1. QUoniam ſingularia quidquid habent boni, & quòd ſint, & quòd conſerventur; cauſis univerſalibus ferunt acceptum, ideo ab ipſo Congregationis noſtræ Capitulo Generali, à quo cætera omnia, quæ ad bonum & rectum regimen pertinent, quaſi formam & ſubſiſtentiam capiunt, initium ſumere operæ pretium erit.

2. Capitulum igitur Generale ſive à Præpoſito Generali, ſive ab alio id juris & facultatis obtinente, publicis impreſſis literis, & ad locorum Superiores omnes in Italia, ad Provincialem, vel Provinciales, ſi plures eſſe contigerit extra Italiam, miſſis indicendum erit, & hac ratione Vocales omnes legitimè vocati intelligentur. Ad illud ſinguli iidem convenire ſtudebunt. Si verò ſtatuto tempore non omnes adveniſſe compertum fuerit, illi, qui præſentes erunt, dummodo antea abſentes legitimè (ùt dictum eſt) vocati fuerint, totum Capitulum repræſentent, & quidquid ab eis in eo peractum fuerit, tanquam ab omnibus factum nemo impugnare audeat.

3. Ad Capitulum Generale nullus accedet, niſi Vocales, & Socii, & ſi qui diſputationis aut concionis gratia à Præpoſito Generali accerſentur.

4. Quilibet tam Vocalis, quàm Socius die Dominico, quo inchoabuntur Comitia, Præpoſito Generali pecunias, vel earum notam fideliter tradere teneatur, nec aliquid donare, emere, aut cum alio permutare poſſit, durantibus Comitiis, ſine Præpoſiti Generalis licentia, ſub pœna proprietatis ipſo facto incurrenda, ſancita in noſtris Conſtitutionibus.

5. Conſiliarii & Cancellarius, unà cùm Præpoſito Generali feria quinta, Vocales & Socii Sabbato præcedente eundem Dominicum diem, aderunt omnino. Eorum unuſquiſque recta, ſi fieri poſſit, via in acceſſu & receſſu proficiſcetor. Præpoſitus Collegii, ubi Comitia habebuntur, unà cum altero ex Conſiliariis duos, ſeu etiam plures Sacerdotes Sacrario, & Miſſis dicendis præficiet: Janitori ſocium alterum adjunget: aliis cibariorum curam demandabit: Patribus adventuris cubicula conſtituet, affixis præ foribus eorum nominibus, quibus deſtinata ſint: Laicis & Clericis ejuſdem familiæ injungetur, ut Patribus advenientibus perhumaniter ſerviant, pedes abluant, cubilia quotidie ſternant, & alia hujuſmodi munia magna cum charitate & humilitate impendant.

6. Præpoſitus Generalis quatuor ex Vocalibus ad confeſſiones Vocalium, & Sociorum audiendas nominabit: unum aut alterum Monitorem, qui curet ad præſcriptum Conſtitutionum omnia fieri, & cæ-

& cæremoniis præſit: unum, qui horas præſcriptas cujuſque actionis ineundæ indicet: duos ex collegialibus, qui Capituli janitores ſint: indicem, in quo prædictorum, & aliorum officialium nomina deſcripta ſint, manu propria ſubſcriptum Capituli valvis affigi jubebit.

7. Dominico die, quo erit Comitiorum initium, Miſſam de Spiritu ſancto ſolemni ritu celebrabit idem Præpoſitus Generalis, vel ex primoribus quiſpiam alius, cui intererunt cuncti Vocales, & Socii in re ſacra facienda non occupati: ante, vel poſt Miſſam concio habeatur, & orationi, ac Sacrificiis devotè peragendis eo ipſo mane vacabunt univerſi.

8. Eodem die duabus poſt prandium horis tintinnabulo de more pulſato Præpoſitus Generalis, cæterique Vocales, & quicunque in eodem Collegio quavis ex cauſa aderunt, ad Chorum convenient, ibique ad ſemihoram orationi mentali operam dabunt pro felici Capituli Generalis progreſſu; qua elapſa, is cui temporis cura demandata eſt, petita benedictione, ad nutum Præpoſiti Generalis Litanias Beatæ Virginis Mariæ inchoabit, quibus recitatis idem Præpoſitus Generalis, vel Vicarius, aut iis abſentibus, qui majori dignitate eſt inſignitus, proſequetur preces, prout infra.

℣. *Ora pro nobis ſancta DEI Genitrix.*

℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *Defende quæſumus Domine, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam; & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

9. Qui orandi modus à prandio, & veſpere toto Capituli tempore idem prorſus erit.

10. Oratione abſoluta, ſigno campanulæ Vocales, & Socii ad ingrediendum Comitium convocentur, qui ſtatim cum ſilentio ad illud ſe conferent, quod religioſo ornatu apparatum eſſe debebit, quò ubi pervenerint, ante ſanctiſſimam JESU Chriſti Crucifixi imaginem menſæ ſuperpoſitam omnes flectant genua, & Præpoſitus Generalis ſublevatis in Cœlum oculis dicat.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cælum, & terram.*

℣. *Benedicite.*

℟. *Deus.*

℣. *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam; & fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace.*

℟. *Amen.*

11. Deinde fiat confeſſio generalis alternatim, & abſolutio, ut fit in Choro ad Completorium.

Confiteor DEO Omnipotenti, &c. Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.

Tum Vicarius Generalis, vel eo abſente, Vocalis profeſſione antiquior Præpoſitum Generalem, vel, ſi is non adſit, primarium abſolvat hac verborum formula.

Auctoritate Omnipotentis DEI mihi licèt indigniſſimo per Sedem Apoſtolicam virtute privilegiorum Mendicantium, vel alio quovis titulo conceſſa, ego te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & quibuſvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis: & tecum ſuper quavis irregularitate, & impedimento diſpenſo, quatenus poſſum, & tu indiges, ad hoc tantùm, ut quæcunque per te fient in Congregationibus præſentis Capituli habendis, rata, & firma ſint. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Mox Præpoſitus Generalis reliquos abſolvet his verbis.

Auctoritate DEI omnipotentis mihi licèt indigniſſimo per Sedem Apoſtolicam virtute privilegiorum Mendicantium, vel alio quovis titulo conceſſa, ego vos omnes hic congregatos, & etiam omnes alios, durante hoc Capitulo, noviſcum congregandos ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & à quibuſvis aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis abſolvo, & cum iiſdem ſuper quavis irregularitate, & impedimento diſpenſo, quatenus poſſum, & vos, & illi indigetis, ad hoc tantùm, ut omnia, quæ in Congregationibus præſentis Capituli peragentur, rata, & firma ſint. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Poſt hæc ſubijciet Hymnum, *Veni Creator Spiritus, &c.*

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Cor mundum crea in me DEUS.*

℟. *Et Spiritum rectum innova in viſceribus meis.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus. *DEUS, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

Ore-

Oremus. *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui facis mirabilia magna ſolus, praetende ſuper famulos tuos, & ſuper congregationes illis commiſſas Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

12. His peractis ſedeat ſuo quiſque loco, ut in capite de ordine ſedendi dicetur. Præpoſitus Generalis grauem aliquam, & paſtoralem cohortationem rebus peragendis accommodatam habebit, ſimulque ad DEI gloriam procurandam, ad pacem, & veram concordiam amplectendam, ad modeſtiam domi, foriſque toto Comitiorum tempore obſervandam, ad incumbendum orationi omnes excitabit: monebit, ne quis literas alicui dare, vel ab aliquo accipere audeat ſine licentia, ne quis aliorum cubicula frequentet, nec ambitus ſuſpicionem alius ingerat, ne quis egrediatur è clauſtris ſine benedictione, & aſſignato comite, ne prandere, cœnare, aut comedere extra commune triclinium, multò minus extra Collegium aliquis præſumat: ad ſilentium ſtatis horis, & inter diſcumbendum præſertim religioſè ſeruandum adhortabitur, & ut ad obedientias campanulæ ſigno prænotatas præſto ſint omnes: tandem quiſque iterum moneatur reſignare pecuniam, ſi non reſignaverit.

13. Quoniam verò ad conſtituenda legitima Comitia plurimùm refert non mediocrem diligentiam adhibere in proſpiciendo, qui jure ad eligendum concurrere poſſint, & qui non item: idcirco Præpoſitus Generalis, vel eo abſente, aut aliàs impedito, Vicarius indicet, ut ſi quis quempiam ex Congregatis quoquo nomine ſuffragii jure priuatum noverit, ad Capitulum referat priùs, quàm ad ea, quæ in Capitulo decernenda ſunt, deveniatur, Cancellario legente ſequentia verba. *Ego N. Cancellarius de mandato M. R. P. noſtri Præpoſiti Generalis admoneo, & omnibus notum facio, ſi quis noverit quempiam ex Congregatis aut congregandis quoquo nomine ſuffragii jure privatum eſſe, ad Capitulum referat, antequam ad ea, quæ in præſenti Capitulo ſunt decernenda, deveniatur. In quorum fid. &c.* Si quæ propterea difficultates oriantur, Definitorii Patres pro ſua prudentia, vel eas diſcutient, vel ſi res ita fuerint dubiæ, ut multum temporis requirant, admitti poterunt univerſi, hac conteſtatione præmiſſa, quam Cancellarius voce clara, ita ut ab omnibus exaudiri poſſit, omnium nomine recitabit.

Ego N. Congregationis Somaſchæ, totiuſque Generalis Capituli Cancellarius omnium nomine, ac vice, proteſtor, ac moneo omnes, ac ſingulos, qui huic Capitulo interſunt, ut ſi aliquis adeſt excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, aut alio quovis titulo inhabilis ad electionem tam activam, quàm paſſivam, vel ad alia in Capitulo definienda ſecundùm Canonica inſtituta, privilegia, & conſuetudines, aut quacunque alia ratione, Capitulo illico exeat: quoniam alii nullo modo intendunt jus, & facultatem eligendi ipſi communicare, atque ita expreſſè proteſtantur, & de hac proteſtatione poſtulant per me Cancellarium prædictum fieri decretum. Inſuper omnium nomine proteſtor, quòd, ſi electiones faciendæ, vel aliqua ex ipſis ob aliquod vitium, defectum, vel ignorantiam juris, aut facti, vel alio quovis prætextu nulla declarentur, (quod abſit) in omni caſu, nullo prorſus excluſo, jus, & poteſtas eligendi, aliaque definiendi ad nos, & Capitulum pleno jure, & ſine aliqua diminutione revertatur. Et hanc proteſtationem volunt haberi pro repetita toties, quoties opus fuerit, vel expedierit, & de dictis proteſtationibus pariter, requirunt per me Cancellarium fieri decretum.

Qua præmiſſa conteſtatione omnes cujuſque generis defectus, quibus quoquo modo Capitulum vitiari, aut oppugnari poſſit, omnino ſublati cenſeantur.

14. Tum Cancellarius nomina Vocalium, & Sociorum omnium tam abſentium, qui ſcilicet ad dictam diem venire, aut neglexerunt, aut non potuerunt, illorum literis, ſi quas habebit, publicè perlectis; quàm præſentium, alta voce recitabit: ex quo Comitia legitimè congregata eſſe cognoſcantur.

15. Poſt hæc accerſendi erunt, qui in numerum Vocalium cooptati prima vice capitulare munus ſunt inituri, qui omnes coram Præpoſito Generali, & Conſiliariis, flexis genibus profeſſionem fidei emittent, & jurabunt in hanc formam.

Ego N. teſtem invoco Deum, quòd ea omnia, quæ in Comitiis generalibus inſtantibus, & futuris agentur, quæ in totius Congregationis, aut perſonæ alterius quoquo modo præjudicium vergere poſſint, ſub ſigillo ſecreti continebo.

16. Ubi Vocales religioſis congratulationibus à cæteris fuerint excepti, Socii ſeſe obſtringent juramenti vinculo, omiſſo verbo, (*& futuris.*)

17. Et ſtatim Præpoſitus Generalis, necdum ſigillo depoſito, in medio Comitii ante Crucifixi imaginem ſumma cum animi humilitate, & corporis ſubmiſſione proprias exteriores culpas DEO,

Patribus genuflexus ſincerè confitebitur, omnibus detecto capite ſtantibus. Mox illo ad propriam ſedem reverſo, idem Vocales omnes præſtabunt, & Socii, Cancellario interim ſingulorum culpas adnotante: deinde propria repetent loca.

18. Culparum confeſſione abſoluta, tria legentur capita Conſtitutionum, ſcilicet, *De electionibus in univerſum; De ratione eligendi Præpoſitum Generalem;* & *Qualis eſſe debeat.* Quibus lectis Præpoſitus Generalis seriò omnes admoneat, ut ſub ſigillo ſecreti ea omnia diligentiſſimè cuſtodiant, quæ in Comitiis tractabuntur, ita ut nunquam dicere, vel alia quacunque ratione ſignificare permiſſum ſit, aliquem tali deciſioni, decreto, aut electioni conſenſiſſe, aliquem diſſenſiſſe, aut quæ in electionibus acta fuerint, vel diſputata, & ſimilia. Tandem in poſterum diem novi Præpoſiti Generalis creatio indicetur.

19. Singulis diebus mane, & à prandio Vocales in Comitium convocabuntur, donec quæcunque ad Capitulum Generale ſpectant, ſint peracta: ante cujus ingreſſum ſemper campanulæ ſignum præmitti debebit ab eo, cui à Præpoſito Generali fuerit demandatum. Definitorium poſtea cogetur, in quo obſerventur ea omnia, quæ *Cap. de Definitorio, ejuſque munere* traduntur.

20. Poſtremo loco Vocales rurſus erunt convocandi, & de aliis inter Vocales aggregandis agetur, tum, ſi quid fortè in ſuperioribus ſeſſionibus prætermiſſum fuerit, ſi quid occurrerit definiendum, approbandum, ſive etiam reprobandum à Capitulo Generali, id proponetur à Cancellario, & auditis primùm omnium ſententiis, ſtatim ſecretis ſuffragiis definietur. Tandem Præpoſitus Generalis brevi cohortatione univerſos inflammabit ad animorum conjunctionem etiam in locorum diſiunctione invicem, & præſertim cum capite ſervandam, ad obedientiam promptè amplectendam, ut animo ſint in Congregationem noſtram bene propenſo, & charitatem in omnes exerceant: Tum Cancellarius loca cuilibet dumtaxat Vocalium deputata, iiſdem audientibus, alta voce denuntiabit.

21. His actis, dato campanulæ ſigno, in Eccleſiam ſe conferent Vocales, & Socii, & quicunque ex Noſtris in dicto Collegio adfuerint cantando *Te Deum laudamus, &c.* ibique januis clauſis nomina Superiorum omnium, & ſubditorum à Cancellario perlegentur. Tum Præpoſitus Generalis Itinerarium incipiet, alii proſequentur. Eo dicto, & pacis oſculo invicem de more dato, Comitia dimiſſa cenſeantur.

22. Ad locum ſibi ab obedientia deſtinatum quiſque, accepta priùs à Præpoſito Generali benedictione, & patentibus literis, ſi fuerit Superior, proficiſcetur. Unicuique diſceſſuro tempus itineris præfigatur, nec præterire illud liceat, ſecluſa infirmitatis occaſione.

Quinam Capituli Generalis Vocales ſint: quique ad illud convenire debeant.

CAPUT III.

1. CUM totius Congregationis utilitas omnis à Generali Capitulo dependeat, quod totum illius ſuſtinet onus, in Vocalibus eligendis, & admittendis matura opus erit conſideratione, ut ſcilicet publicæ conſulatur ſaluti, non privato alicui commodo. Ea propter ſolùm eos adſcribendos ſtudebunt, qui vita, & moribus cæteros antecellant: quique prudentia, & conſilio, & ſcientia valeant in rebus arduis conſulere: qui item per aliquot annos fuerint in Religione probati; elapſumque fuerit ad minus ſexennium poſt emiſſam profeſſionem: quique ætatis ſuæ ſaltem trigeſimum annum attigerint. Sciant verò in numerum Vocalium neminem cooptandum, qui vel apoſtataverit, vel qui in aliquo delicto fuerit deprehenſus, *vel de quo probabiliter dubitetur, ea, quæ in Comitiis tractantur, ſecreto minimè retenturum* ex evidentibus indiciis, qui denique ſanctæ Inquiſitionis judicio pœnam aliquam dederit commiſſi delicti: ſicut etiam, ſi quis ex Patribus jam inter Vocales adſcriptis aliquod prædictorum delictorum commiſiſſe fuerit convictus, hic ex numero Vocalium expungatur, neque unquam rurſus inter eoſdem adſcribatur.

2. Eligendorum Vocalium erit modus. Præpoſitus Generalis jubebit à Cancellario congregatos in Capitulo Patres præmoneri in ſequenti ſeſſione novos Vocales creandos eſſe (id verò fiet, ſi in præterito triennio eorum aliqui deceſſerint, vel perpetuo impedimento detineantur) qui debeant ſuffici in locum eorum, qui deſiderantur ad explendum numerum *quadragenarium*. * quod ſi præſtandum erit, ſeſſione ſequenti legetur ante omnia ab eodem Cancellario totum hoc integrum caput. Poſtea tres Scrutatores ad vota colligenda aſſumantur App. n. =.

per

per ſortes, qui ſtatim ad menſam accedent, Conſiliariis ad propria loca interim abeuntibus. Pater verò Generalis à proprio loco paululum ſe ſubducet, jubebitque Cancellarium alta voce efferre.

In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, unuſquiſque veſtrum accedat ad nominationem & ſuffragia ferenda pro erectione novorum Vocalium præmiſſo juramento.

Pater Generalis primus omnium jurabit in hæc verba.

Ego N. N. Præpoſitus Genralis Cler. Reg. Congreg. Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia; *teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quod in creatione novorum Vocalium illos eligam, quos ſecundum veritatem conſcientiæ meæ, penſatis circumſtantiis, probiores, & magis idoneos judicavero.*

Idem fiet ab Electoribus omnibus, prius tamen à Scrutatoribus, qui addent ſolita verba, *& me fidelem in hoc Scrutatoris munere, ac ſine dolo præſtabo.*

3. Quo peracto Pater Generalis, tum Scrutatores, mox reliqui Vocales, profeſſionis ordine ſervato, ad menſam accedentes, ſchedulam unam tantummodo, in qua nomen, & cognomen unius ſit ſcriptum, injicient in calicem menſæ impoſitum. Scrutatores ſchedulas extrahent, & numerabunt, in quibus ſi plures reperientur nominati, quàm ſint nominantes, Scrutator profeſſione ſenior Patres admonebit de errore, & ſchedulis abjectis iterum ad nominationem devenietur, quòd ſi ſecunda vice idem irrepſerit error, Pater Generalis præcepto ſanctæ obedientiæ obſtringet Electores, ut ſinguli unum tantummodo nominent. Schedulis perlectis, nominatos omnes deſcribent Scrutatores, & pronuntiabunt, atque iterum profeſſionis ordine ſervato, omnium nomina reſcribentur; quòd ſi in ſuffragatione aliquis contingeret error, quoad profeſſionis ordinem, electiones nihilominus ſint validæ, nec ex ipſa nominatione jus ullum quoad electionem oriatur.

4. Suffragatiò incipiet ab ordine profeſſionis, & omnes nominati ſubiicientur calculis, nec interim pronuntiabitur à Scrutatoribus, quem ſuffragiorum numerum quiſque tulerit: deſcribent tamen ſingulorum nomina, & numerum votorum, quem quiſque obtinuerit: finita ſuffragatione pronuntiabuntur, qui omnium ſuffragiis fuerint electi, ſi qui erunt, & iſti cæteris præferantur: ſimiliter electi pronuntiabuntur, qui plura vota ſupra dimidium, & ſupra alios reſpectivè fuerint ſortiti,
App. n. 3. uſque ad ſupplementum numeri * *quadragenarii* incluſive. Quod ſi inter pura vota habentes aliqui reperientur pares numero, & adhuc non eſſet expletus numerus * *quadragenarius*, tunc ii pro- Ibid.
feſſionis ordine ſervato ſubdantur calculis, & cui illorum plura deinde ſuffragia, ut ſupra, ceſſerint, is cenſeatur electus: verùm ſi in iſta ſuffragatione adhuc pares eſſent, ſenior profeſſione pronuntietur electus, & inter æquales profeſſione ſenior ætate.

Quòd ſi caſus ferat, ut aliqua difficultas, ſeu controverſia (quod in hujuſmodi negotiis interdum evenire ſolet) oboriatur, Capitulum Generale cum majori votorum numero rem totam definiet, & cæteri acquieſcent.

Si ex electis aliqui præſentes eſſent in illo Collegio, electionibus publicatis, advocentur in Capitulum, & ſervatis, quæ ſupra ſancita ſunt, recipiantur.

Si verò in illa Civitate ſunt, illorum abſentia nihil officiat rebus tunc peragendis.

5. Numerus eorum, qui Capitulo Generali intereſſe debebunt cum utraque voce, * *nullo modo excedat numerum* App. n. 5.
quadragenarium: liberum tamen ſit eidem Capitulo temporis progreſſu, ſi Congregatio noſtra, quod DEO favente ſperamus, majus incrementum capiet, prædictum numerum augere, parcè tamen, & moderatè, & nonniſi cum duabus votorum partibus id decernatur.

6. Ut autem clariùs innoteſcat Electoribus, quænam ſcientia, prudentia, ſeu conſilium requiratur in iis, qui tempore electionis novorum Vocalium proponi poterunt, quò inter Vocales adſcripti rebus in arduis conſulere poſſint, & ut ſtrenuè laborantes in vinea Domini dignis afficiantur præmiis: in poſterum nullus, vel proponatur, vel adſcribatur in numerum Vocalium, niſi vel per decem annos methodicè ſcientias ſpeculativas docuerit, vel Concionibus, aut lectionibus cum animarum fructu, & Congregationis laude per annos decem operam dederit; vel per annos duodecim, ſeu Rhetoricam, ſeu literas humaniores fructuoſè docuerit; vel in aliquo ex noſtris Collegiis diſciplinæ regularis amantiſſimus in Sacramentorum adminiſtratione laudabiliter ſeſe geſſerit per annos quindecim, dummodo in conſcientiæ caſibus multùm ſit verſatus; vel qui per annos decem in inſtruendis Novitiis tam primi, quàm ſecundi novitiatus, ſive profeſſorii, Congregationi inſervierit, vel demum qui egregiis operibus componendis incubuerit, vel qui à ſecretis adm. Rever.

Patri noſtro Generali fideliter, ac diligenter per annos duodecim adſuerit.

7. Prædictarum autem qualitatum, & laborum perfunctorum, ut ſuprà, atteſtationes debitæ factæ à Superioribus, & Viſitatoribus cum eorum juramento deferentur ad ſingula Capitula Generalia, ut deſcribantur in libro peculiari aſſervando in Collegio S. Majoli, qui ad Capitulum deferetur, ut à Cancellario eæ omnes legi poſſint, antequam ad ſingulorum ſuffragationem deveniatur.

8. Verùm quia contingere poteſt aliquem non per ſtatuta hæc temporis ſpatia cœptum munus continuare, interruptio meritis alicujus non officiat, ſicut nec ſi quis diverſis ex prædictis muneribus obeundis totum præfixum tempus reſpectivè conſumpſerit, hac prærogativa erit indignus, quod totum judicio eorumdem Patrum remittatur, qui perſonarum, & laborum habita ratione, gradus, & honores cum ſumma æquitate benemerentibus impertient, ut ad vitæ, & morum integritatem, ac bonarum artium, & regularis diſciplinæ ſtudium, & obſervantiam omnes excitentur.

His niſi ſervatis legibus in numero Vocalium Capituli Generalis nemo unquam vel eſſe cenſeatur, vel ſibi juris eſſe aliquid arbitretur.

Provincialis item Galliæ, & illius Socius, quem Provincia eadem elegerit, cum utroque ſuffragio Capitulo Generali intererunt, nec ſe Comitio ſubducet, niſi dimiſſis Comitiis, licèt in Provincialis locum alius etiam abſens eſſet ſubrogatus.

9. Præter hos Vocales ad Generalia Comitia accedent Socii, ſeu Diſcreti *ex Italiæ* locis, ut infra, eligendi, qui voce tantùm activa gaudentes in omnibus majorum dignitatum, ſeu Officialium, videlicet eorum, qui totum Definitorium conſtituunt, *Provincialis etiam Galliæ*, & Scrutatorum electionibus ſuffragium ferent: illis autem factis, Capitulo egredientur, nec aliarum rerum tractationi, aut definitioni adeſſe poterunt*. App. n. 5.
Hi octo numero erunt, donec Capitulo Generali pro temporum, & locorum varietate aliud ſtatuere viſum fuerit.

10. Socii, ſeu Diſcreti munere nemo fungi valeat, qui ætatis trigeſimum tertium, profeſſionis decimum annum non compleverit, & qui legitimis natalibus non fuerit ortus, niſi legitimam diſpenſationem ſuper hoc impedimento obtinuerit: qui ab obedientia adeo ſe ſubtraxerit, ut extra clauſtra, nulla habita facultate, ad menſem vixerit, aut grave aliquod, atque enorme delictum perpetraſſe convictus, vel denique ſanctæ Inquiſitionis judicio, ac pœna canonica mulctatus fuerit.

Vocalis Capituli Generalis nullo modo in Socium eligi poſſit.

11. Socios eligendi ratio hæc erit Superioris cujuſque domus ad Socium eligendum deſtinatæ, vel eo impedito, Viceſuperioris partes erunt Conventuale Capitulum congregare, idque à feſto Sancti Lucæ Evangeliſtæ die, videlicet XVIII. Menſis Octobris, poſt evulgatam indictionem Capituli Generalis anno proximè ſequenti celebrandi (niſi caſus aliquis inopinatus aliud tempus requireret ſtatuendum cum voto Conſiliatiorum ab eo, qui Capitulum indicet) uſque ad vigeſimam quintam diem ejuſdem menſis incluſivè, non priùs neque poſtea. Superior diem ſtatuet ad Socium eligendum, & omnibus, qui eidem electioni intereſſe debebunt, per literas ſignificabit, & niſi omnes convenerint, electionem differat uſque ad ultimam diem, quo tempore niſi advenerint, electio nihilominus fiat, nec abſentia alicujus, aut mora ullo pacto eam impediat, aut vitiet. Superiores tamen proſpiciant, quantum fieri poterit, ne electio in ultimam diem differatur, & ſi rationabili cauſa differenda eſſet, ut inchoetur matutino tempore ultimi diei.

12. Huic Capitulo intererunt omnes, & ſinguli profeſſi ſacris ordinibus initiati, dummodo ſuffragii jus habeant, tam in aſſignata domo, quàm alibi intra Civitatem eamdem, vel extra ad ſex milliaria commorantes. Præter hos accedent Procuratores, ſi qui erunt miſſi à locis ſubordinatis Domui electionis ad præſcriptum impreſſi edicti, cujus exemplar ad calcem Conſtitutionum adnotabitur.

Scrutatores tres in electione Sociorum eligentur per vota ſecreta: colligent verò ſchedulas, & vota in Scrutatorum electione, Superior, & duo profeſſione majores ex Electoribus ipſis.

Electores ſinguli ſingulas pagellas habeant eodem charactere conſcriptas, in quibus eorum locorum, quæ ad hujuſmodi electionem concurrere poſſunt, Vocalium nomina, & cognomina ſint adnotata, eorum videlicet, qui eas conditiones habuerint, quæ in Brevi ſuper hoc edito continentur. Tum loci Superior, mox Scrutatores, deinde reliqui ſervato profeſſionis ordine, præ-

ſtito

ſtito priùs juramento de non eligendo ſe ipſum, ſed probiorem, & magis idoneum, ſchedulam à ſe electi, prout inſrà de electionibus Capituli Generalis præſcribitur, in cadiſcum menſæ impoſitum injicient. In quem plura ſuffragia conſenſerint ſupra dimidium, is electus declarabitur. Quodſi nullus debitum ſuffragiorum numerum tulerit, calculis juxta profeſſionis ordinem ſupponentur omnes in ſchedulis nominati, & qui plures calculos ſupra dimidium habere comperietur, Socius ille pronunciabitur.

13. Nemo verò ſuffragii paſſivi jure in Sociorum electione gaudebit, qui non ſit in numero earum familiarium, quæ ad eum eligendum Decreti præſcripto conveniunt.

14. Quòdſi alicui alienæ familiæ diuturnis & publicis negotiis ab obedientia Superiorum auctoritate ſibi impoſitis detento, eo loco adeſſe contigerit, ubi Socii electio fiet, is ſuffragii quodcunque
App. n. 6. jus in ea domo obtineat.*

Abſens cum obedientia ex cauſa publici negotii à noſtris domibus eo tempore, quo fieri debet electio Sociorum, concurrat per Procuratorem eligendum ex gremio illius Capituli.

Viſitatores, & Proviſitatores in uno tantùm loco ſuæ Provinciæ ad Socii electionem concurrant.

Pater Generalis ferat ſuffragium in quocunque Collegio, Secretarius illius in uno loco tantùm.

Qui in una domo ſuffragium tulit, etiamſi ad aliam tranſnigret cum obedientia, Socii tamen electioni non interſit.

15. Qui in locis ultra ſex millia paſſuum diſtantibus ab eo, ubi Socius eligendus erit, habitabunt, ii per Procuratores electos juxta formam in literis indictionis Capituli Generalis præſcriben-
App. n. 7. dam convenient ad electionem.*

16. Qui Procuratorio nomine ſuffragium ferent, literas procurationis fidem facientes à Superiore loci, ubi electio Socii peragenda erit, non niſi electionis tempore aperiendas tradent, & ſedebunt tanquam ex familia, habita profeſſionis ratione, neque eorum aliquis duplici, ſed unico tantùm ſuffragio utetur.

17. In dubiis circa electionem Socii, quæ occurrere poſſunt tam in ipſa electione, quàm ante vel poſt, Præpoſitus Generalis cum Conſiliariis vel Aſſiſtentibus pro ſua prudentia decernat, & caveatur, ne fiat ſuppletio ſuffragiorum. Idem in aliis difficultatibus, quæ poſſunt ſuboriri in hujuſmodi electionibus, ſtatutum ſit, cui omnes acquieſcere debebunt.

18. Loca, quæ ad Socium eligendum quacunque ratione præſcripta ſunt, ad viaticum Socio erogandum, quantum pecuniæ ſatis erat, ſingula pro rata conferent. Locorum partitio pro Sociis eligendis, & in quibus facienda ſit electio, in eo Definitorio præſcribetur, quod Capitulum Generale immediatè præcedet. Si Definitorium id non præſtiterit, Præpoſitus Generalis, vel (eo graviter ægrotante, demortuo, vel impedito) Vicarius Generalis cum duobus Definitorii Patribus ſuppleat, & quidquid in hac locorum diſtributione, & aſſignatione decretum fuerit, impugnare nemo audeat.

19. Si contingat, aliquem electum in Socium ad Capitulum accedere non poſſe, re per literas Præpoſito Generali ſignificata, detur Electoribus facultas alium eligendi, ſi id fieri commodè poterit, vel nullus adveniet ad judicium Præpoſiti Generalis.

20. Qui verò in Socios electi fuerint, ii, priuſquam Comitium ingrediantur, ſuæ electionis teſtes literas à Cancellario loci, ubi electio facta fuerit, ſcriptas, & ſigillo munitas Præpoſito Generali, & Conſiliariis exhibebunt. Horum partes erunt diligenter examinare, ſintne hujuſmodi literæ fide dignæ, & an Socii ulla ex præſcriptis conditionibus careant, & ubi defectum animadverterint, eos à Sociorum functione rejicient, eóque caſu tota, quæ illis competebat, eligendi facultas, ad Capitulum Generale ipſo jure & facto translata cenſeatur: caveatur tamen, ne fiat ſupplementum ſuffragiorum.

De tempore ac loco Capituli Generalis, & precibus pro eo fundendis.

CAPUT IV.

1. Capitulum Generale tertio quoque anno, vel quoties novum Generalem eligere oportebit, Dominica tertia poſt feſtum Paſchatis Reſurrectionis celebrabitur, niſi ingens bellum, peſtis, vel maxima, generaliſque victus inopia aliter expedire docuerit, judicio Præpoſiti Generalis, & Definitorii, quod per literas ſignificabitur, & eo caſu prorogatæ cenſeantur omnes dignitates uſque ad

ad novam electionem, quæ fiet, cùm primùm commodè poterit.

2. Locus erit, unum ex noſtris Collegiis anno proximo ante ipſa Comitia à Definitorio conſtituendum. Quodſi ex aliquo inopinato caſu locus à Definitorio deſignatus minùs opportunus, aut commodus redderetur, alius à Præpoſito Generali, & Conſiliariis nominabitur, ita tamen opportunè, ut de hujus ſecundi loci electione omnes Capituli Generalis Patres, & Superiores locorum certiores fieri poſſint. Quod idem ſtatutum ſit de loco Definitorii.

3. Omnes locorum Superiores per menſem, antequam Comitia habeantur, ſedulò curent, ut, quicunque ex noſtræ Religionis inſtituto vivunt, quotidie precibus & Sacrificiis Patres adituros Comitia Deo commendent. Clerici & Laici Officium parvum Spiritus ſancti, vel Coronam beatæ Virginis à dicto tempore, uſque dum Comitia dimittantur, quotidie recitabunt: Sacerdotes aut Miſſam de Spiritu ſancto, Superioris judicio, frequenter celebrabunt, aut ſingulis Miſſis, cùm ex Eccleſiæ ritu fieri poterit, addent Collectam de Spiritu ſancto. Sabbato præcedente Comitiorum diem jejunabunt univerſi: & toto Comitiorum tempore in omnibus noſtræ Congregationis Eccleſiis Miſſam de Spiritu ſancto ſingulis diebus non impeditis Sacerdos aliquis celebrabit, & in iiſdem feria ſecunda poſt Dominicam tertiam, quæ celebrationi Capituli Generalis initium faciet, Miſſa de Spiritu ſancto ſolemniter decantabitur; Clerici, Laicique noſtri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu Celebrantis eodem die accipient: ab omnibus fundentur devotæ orationes pro felici initio & exitu Capituli Generalis: manè & veſpere poſt mentalem orationem dicentur Litaniæ Sanctorum cum ſolitis precibus & orationibus de Spiritu ſancto, & de B. Virgine, pro Prælatis, pro Congregatione, & familia, pro quacunque neceſſitate. Opportunum valde erit, quemlibet, judicio Superioris & Confeſſarii, hoc præſertim tempore orationibus addere jejunia, vel quamlibet aliam carnis macerationem, ad divinam opem implorandam. Confeſſarii noſtri ſuos pœnitentes ad pietatis & Religionis exercitia inflamment, quò multiplicatis intercesſoribus Spiritus ſancti virtus & gratia faciliùs Noſtris concilietur.

4. Procurator Generalis plenariam indulgentiam à ſummo Pontifice conabitur impetrare viſitantibus Eccleſiam Collegii, in quo Capitulum Generale celebrabitur.

De electionibus in univerſum, ac de ſuffragiis ferendis.

CAPUT V.

1. IN electionibus omnibus illud in mentem revocent Patres noſtri, univerſæ Congregationis commodum & incommodum ad ſe deferri, ſibique, utcunque acciderit, acceptum eſſe referendum. Quapropter conſpirantibus animis, & (quantum in ipſis eſt) ad Dei voluntatem compoſitis illos ſemper eligere ſtudeant, quos pietate, charitatéque in Deum & proximum, ſtudio in Congregationem, prudentia & ſcientia cæteris digniores eſſe noverint, idque ſibi præſtandum tune temporis intelligant, quòd, ſi extrema vitæ hora immineret, & ad juſtiſſimi Judicis tribunal ſiſti contingeret, præſtitiſſe quiſque peroptaret.

2. Verùm, ut recto, ſinceróque animo ad eligendum accedentes, quæ in eligendis neceſſariò virtutes requirantur, non ignorent, à Cancellario ante ſingulorum Officialium electionem, ea legi mandamus, quæ in Conſtitutionibus de ipſis, atque ipſorum officiis reſpectivè decreta ſunt.

3. Si quem tamen lateat, an unus aut alter magis, minúsque idoneus ſit, huic liceat Electores percontari, eo ſolùm animo, ut in eorum, quorum fieri poſſit electio, qualitatum ac meritorum cognitionem deveniat.

4. Caveat autem unuſquiſque à directa, vel indirecta ſuffragiorum procuratione tam pro ſe, quàm pro aliis, quicunque ſecus fecerint, in omnes pœnas & cenſuras contra hujuſmodi ambientes inflictas, præſertim privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habebuntur, ſuper quo à nemine ſecum diſpenſari poſſe ſciant, niſi ab Apoſtolica Sede, plectendi etiam graviùs pro qualitate culparum. Supradictæ autem omnes pœnæ ad complices, ac ſimpliciter ſcientes, & non revelantes, ac etiam pro Capitulis Collegialibus extenduntur. In ſingulis electionibus tum in Capitulo Generali, quàm in Definitorio faciendis jurent Electores de non eligendo ſe ipſos, & de probioribus, & magis idoneis eligendis.

5. Nemo

5. Nemo eligentium ſuffragium, quod in quempiam fert, alteri indicet ſub pœna gravis culpæ: non tamen ex ſingularis ſuffragii manifeſtatione electio vitiata exiſtimetur, quod idem obſervetur in electione Sociorum.

6. Nemo in ſcheda, ſi non impreſſa ſit, ambiguis, alternativis, disjunctivis, vel conditionalibus verbis utatur: & ſi hujuſmodi ſchedulæ deprehenderentur à Scrutatoribus, tanquam nullæ habeantur, & factam electionem non impediant.

7. Etiamſi integra res ſit adhuc, neque dum electio promulgata, nemini tamen liceat ſchedam ſemel in urnam illatam revocare, aut ſuffragium commutare, quacunque proteſtatione poſthabita.

8. Electiones nocturno tempore nunquam fiant, ſed à prima diei hora uſque ad quartam & vigeſimam excluſivè protrahi poſſint, aut in poſterum diem diſferantur.

9. Nemo, quamvis legitimis curis alibi diſtentus, proprii ſuffragii jus alteri demandet.

10. Si electione jam legitimè inchoata, & non incepta publicari advenerint alii, ad electionem cum cæteris perſequendam admittantur: nihil tamen propterea innovetur.

11. Si quis exiſtens in civitate, aut oppido, vel etiam in loco, in quo Generale Capitulum celebratur, hora ad conveniendum conſtituta, & dato campanulæ ſigno non adfuerit, is pro abſente habeatur, & electiones nullo pacto vitiet. Si quis verò Vocalium morbo aliquo detentus fuerit in Collegio, ubi Capitulum habebitur, niſi is coram Cancellario, & duobus præterea Vocalibus voto ſuo ceſſerit, & renunciaverit, eum adire debeant unus ex Scrutatoribus, & Cancellarius cum capſula perforata in ſuperiori ejus parte, ſed inani, & palàm à Scrutatoribus priùs aperta, poſtea clauſa, cujus capſulæ clavis ſuper menſa Comitii reponatur, ac ſecum quinque aut ſex pagellas, in quibus nomina & cognomina Vocalium ſint impreſſa, infirmi nomine deleto, ad illum deferre: ipſe verò infirmus ſecretè ſchedulam, in qua ſit nomen & cognomen ejus, quem voluerit eligere, reſecabit, complicabit, & præmiſſo juramento ab Electoribus præſtari ſolito, in capſulam per rimam conjiciet. Quodſi infirmus per ſe ipſum hæc peragere non poſſit, unus ex Vocalibus illius arbitrio deligendus, præſtito de ſecreto ſervando in manibus Præſidis juramento, prædicta faciet omnia: quibus peractis, rectà, neque aliò divertentes, in Comitium revertentur cum capſula, quam Scrutatores cæteri aperient, ſchedulam educent, in urnam injicient. Si plures erunt infirmi, idem præſtabitur, ſchedulis tamen enumeratis, antequam in vas injiciantur. Per calculum autem ægrotus primus omnium ſuffragium feret in ſolitum cadiſcum. Quodſi extra illud Collegium quiſpiam æger fuerit, is abſens cenſeatur.

12. Si minor Electorum pars ſuffragium ferre recuſet, aut è Comitio egrediatur: ſi contrà duæ ex tribus reſiſtant, & contrà ſentiant; poſſunt hæ duæ nihilominus electiones facere, dummodo ex tribus, quæ remanſerunt, partibus duæ ad electionem conſentiant.

13. Qui electioni præſentes aderunt, iis proprio voto activo renunciare non liceat, tametſi aliter ſentiant, quàm decerni viderint, ſed moderationem animi præſeferentes, cum majori parte ſentire non ægrè ferant.

14. Si Vocalis quiſpiam quavis ex cauſa, etiam neceſſaria, lectionum tempore Comitio exeat, ſi votum non dederit, illius jus ac poteſtas omnis tum eligendi, tum cætera decernendi ad eos, qui in Comitio remanſerint, devolvatur, atque electio ab his facta, aut Decretum aliquod ſtatutum, ratum, ac legitimum ſit. Quodſi ante electionis finem, aut Decreti alicujus promulgationem redierit, dummodo vota tam in electione, quàm in Decretis non ſint cœpta publicari, ſuffragii jure & ipſe utetur.

15. Si quis abſens pro ea vice proprio ſuffragio renunciaverit, & facti hujus mox pœnitens, ad Comitia regreſſus fuerit, cum cæteris Vocalibus admittatur.

16. In ſuffragiis ferendis Præpoſitus Generalis non ſecus, ac reliqui, unico calculo utatur: ubi tamen æqualia in aliquem conſpirarint ſuffragia (electionibus à toto Capitulo Generali faciendis exceptis) poſtquam jam iterum ad calculos deventum fuerit, tum duplici utetur ſuffragio.

17. Si quid in ferendis ſuffragiis, aut in jam latis controverſiæ fuerit ortum, Præpoſitus Generalis, vel Præſes, Scrutatores, Conſiliarius minor, & duo pro-

profeſſione antiquiores diriment, & calculis definient, ita ut, quod pluribus viſum fuerit, id fiat. Quodſi in electione Præpoſiti Generalis aliquid hujuſmodi acciderit, Capitulum decernet, & illius Decreto acquieſcent omnes.

18. Qui electus fuerit, is Provinciam tanquam ſibi à Domino impoſitam non detrectet, ſed æquo animo ſuſcipiat, nec ulla cujuſquam excuſatio admittatur, niſi à duabus Capituli, ſi à Capitulo; vel Definitorii, ſi à Definitorio electio facta fuerit, partibus ſit approbata: ſi quis tamen occulto, & ſibi tantùm noto legitimo impedimento laboret, ei nulla fides adhibeatur, niſi id jurejurando coram Capitulo vel Definitorio confirmarit.

19. Electus quiſque ex Conſtitutionum præſcripto eo ipſo confirmatus habeatur, niſi impedimento aliquo canonico illum detineri Præpoſito Generali, Vicario, & Conſiliariis innotuerit: quibus ſi dubitario de allato impedimento gravis videatur, & poſt diligentem inquiſitionem juridicè ab ipſis faciendam adeſſe impedimentum revera iidem cognoverint, electionem illius irritam declarent, & ad aliam deveniatur. Electis tamen ſtatim poſt electionem munere ſuo fungi liceat, donec prædictis Patribus de impedimento conſtiterit. Qui autem ab electione ſemel ob impedimentum aliquod fuerit rejectus, non amplius aſſumatur, niſi priùs de eo remoto Vocales edocti fuerint.

20. Nullum cujuſpiam ex majoribus Officialibus munus ceſſare cenſeatur, niſi cùm paulò ante novam cujuſque Officialis creationem Cancellarius, Præpoſiti Generalis juſſu, de electione facienda omnes admonebit, & ad ipſam advocabit. Tunc enim eo ipſo dignitates illæ ceſſabunt.

21. In Capitulo Generali congregato, præter Præpoſitum Generalem (ut infra) eligentur etiam reliqui Definitorii Officiales, quorum quilibet ſi unam ejuſdem Definitorii dignitatem obtinuerit ad triennium, eo expleto, ad aliam, non
App. n. 8. ad eandem eligi poterit, * *Procuratore Generali excepto, qui, triennio expleto, poterit confirmari: eo autem caſu à Definitorio amovebitur, & ejus in locum quintus Definitor eligetur, qui numerum Definitorii tertium denuum expleat, & triennium in eo munere, ut cæteri, perſeveret.*

22. Si quem autem Officialium majorum intra triennium à die electionis aut vita decedere, aut ob infirmam valetudinem, aut aliquod impedimentum ad munus ſuum obeundum ineptum reddi contigerit, alius in illius locum à Definitorio proximè ſequenti ſufficiatur cum duabus ſuffragiorum partibus, qui ejus, in cujus locum eſt ſuffectus, vices tam in munere, quàm in loco, & temporis, quod ſupereſt, decurſu ſuſtineat.

23. Si Generali Capitulo durante aliquis ex majoribus Officialibus officio ſuo fungi nequiverit, à Definitorio eligatur alter, qui impediti vices ſubeat.

24. Electio Præpoſiti Generalis cum duabus ex tribus partibus votorum fiat: reliquæ omnes cum majori ſupra dimidium reſpectivè, excepto caſu ſuperiùs expreſſo, §. *Si minor Electorum pars* &c., & ſi quid alibi ſecus ſtatutum ſit.

25. Dum in aliquem ſuffragia feruntur, vel de ejuſdem cauſa agitur, is ea vice à ſuffragatione abſtineat, Capitulo vel Definitorio exeat, nec non illius propinqui in primo & ſecundo gradu incluſivè.

26. Calculi, qui pro electionibus in cadiſcum inſeruntur, cùm inde extrahuntur, à ſolis Scrutatoribus videantur, non ab aliis Electoribus.

De ratione eligendi Præpoſitum Generalem.

Caput VI.

1. Tertio quoque anno in Præpoſitum Generalem, qui univerſæ præſit Congregationi, eligetur unus ex Vocalibus: * *Confirmationi ejuſdem, ſeu novæ electioni locus ultra primum triennium, ad alterum ſolùm proximè ſequens poterit eſſe.* Modus ac ratio illius eligendi hæc erit: App. n. 9.

2. Die Lunæ manè Præpoſitus Generalis, vel, ſi abſit, Vicarius Generalis Miſſam de Spiritu ſancto celebrabit, cui omnes, qui in eo Collegio ſunt, interſint, præcipuè verò Electores, qui ſanctiſſimo Chriſti Corpore ſeſe reficient de manu Celebrantis; & nemo hac ſpirituali refectione legitimè non impeditus abſtineat.

3. Pulſata deinde campanula, omnes, qui in Collegio adeient, Sacerdotes, Clerici, Laici, in Chorum convenient, & Clericorum uno præferente Crucem, à Choro per Eccleſiam (ut in Proceſſionibus fieri ſolet) ad Comitium pro-

proficiſcentur, ſuperpelliceis Induti. Præpoſitus Generalis, Alba, Stola, & Pluviali rubei coloris medius inter Vicarium Generalem, & Conſiliarium majorem, vel, ſi erit Vicarius Generalis, inter ipſos Conſiliarios, aut duos profeſſione antiquiores incedet, decantando hymnum: *Veni Creator Spiritus*, alternis Choris, eo ordine, ut, qui in Electorum numerum non ſunt adſcripti, præeant, tum Socii, deinde Vocales. Cùm ad Comitii fores ventum fuerit, Præpoſitus Generalis, & Electores, depoſitis Pluviali, & ſuperpelliceis, Capitulum ingredientur, & fores obſerabuntur. Janitores duo ſemper aſſiſtent, procul tamen à foribus: reliqui ad Chorum revertentur, ubi precibus incumbent, uſque dum electioni finis imponatur, expoſito interim in Altari majori ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

4. Electores Capitulum ingreſſi ante JEſu Chriſti crucifixi imaginem procumbent in genua; tum Præpoſitus Generalis Antiphonam inchoabit:

Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris ignem in eis accende.

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur,*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum,*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *DEus, qui corda Fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Oremus. *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui facis mirabilia magna ſolus: prætende ſuper famulos tuos, & ſuper congregationes illis commiſſas Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.*

Mentes noſtras, quæſumus, Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra, ut videre poſſimus, quæ agenda ſunt; & quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

Antiphona. *Sub tuum præſidium confugimus, ſancta DEI Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper, Virgo glorioſa, & benedicta.*

℣. *Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix,*

℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

Oremus. *Defende, quæſumus, Domine, B. Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

5. Quibus perſolutis, protinus illius ceſſare munus cenſeatur. Itaque ſigillo in manu Vicarii depoſito (qui Vicarius hoc ipſo Præſidis officio & nomine gaudeat ea prorſus poteſtate, quæ in Præpoſito Generali poteſt eſſe ſumma) in ordinem redactus, ad locum ſibi ex profeſſione debitum accedat. Quòd ſi ad Vicarium Generalem ſpectaverit Capitulum convocare, is nihilominus Præſidem aget, & in ſuo munere ac loco perſeverabit.

6. Priuſquam verò ad Præpoſitum Generalem eligendum deveniant Patres Electores, ſi quid ſtatuendum erit ad ipſius, vel majorum Officialium perſonas, jura, modum procedendi, & ad electiones attinens, hic erit locus, Sociis *ex Italia* priùs è Capitolo dimiſſis. Tum electio fiet hoc modo:

7. Urnula ſuper menſa in capite Comitii poſita de more ſtatuatur, tum ſingulis Electoribus tam Vocalibus, quàm Sociis quinque aut ſex pagellæ, in quibus impreſſa ſint nomina & cognomina Vocalium omnium Capituli Generalis, à Cancellario diſtribuentur, deleto in unaquaque nomine & cognomine illius, cui aſſignabuntur. Mox tres Scrutatores per vota ſecreta eligentur à Vocalibus, & Sociis, qui debeant inſervire pro electionibus quorumcunque majorum Officialium, & *Provincialis Galliæ*. Vota autem illorum, qui Scrutatores ipſos eligent, accipiet Præſes Capituli, & duo Conſiliarii, eorúmque altero abſente, Cancellarius: ac ſi uterque abſit, Cancellarius, & Vocalis ſenior profeſſione.

8. Scrutatoribus electis, Præſes paululùm ſe ſubducet à medio menſæ, ut ibidem conſiſtere poſſint Scrutatores: mox Cancellarius, annoente Præſide, alta voce pronunciabit:

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad Præpoſiti Generalis nominationem, & ſuffragia ferenda unuſquiſque ex ordine accedat.

9. Surget deinde Præſes; qui ante ſanctiſſimam Chriſti crucifixi imaginem genibus flexis ſigno Crucis primò ſe muniens, jurejurando ſe obſtringet in hæc verba:

Ego N. Præſes, & Elector teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ unum in Præpoſitum Generalem, quem probiorem, & magìs idoneum, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula, non tamen me ipſum nominabo.

10. Tum propriam ſchedulam, qua nomen & cognomen à ſe electi continebit, complicatam, ac duobus digitis coram Scrutatoribus ſublatam in urnam immittet, deinde ad propriam ſedem revertetur: idem nulla interjecta mora præſtabunt Scrutatores ſigillatim.

Ego N. Scrutator, & Elector teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ unum in Præpoſitum Generalem, quem probiorem, & magis idoneum, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula, non tamen me ipſum nominabo: & verum ac præciſum numerum ſuffragiorum, quæ pro unoquoque lata fuerint, enunciabo: & in hoc Scrutatoris munere me fidelem, & ſine dolo præſtabo.

11. Unuſquiſque deinceps ex Electoribus, ſervato profeſſionis ordine, ad eandem menſam accedet, & genibus flexis ſigno Crucis ſibi priùs impreſſo, jurabit his verbis:

Ego N. Elector teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ unum in Præpoſitum Generalem, quem probiorem, & magis idoneum, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula, non tamen me ipſum nominabo.

Et ſtatim ſurgens, complicatam ſchedulam, & duobus digitis coram Scrutatoribus ſublatam in urnam injiciet, ac proprium repetet locum.

12. His eadem ratione ab unoquoque præſtitis, ex Scrutatoribus profeſſione vel ætate minimos ſchedulas ex urna educet, & coram Scrutatoribus numerabit, qui eaſdem evolutas alta voce perlegent, & ſingulos nominatos cum numero ſuffragiorum in ſua quiſque pagina deſcribet.

13. Quòd ſi duæ ex tribus partibus Electorum in unum aliquem conſenſerint, is legitimè electus cenſeatur, atque illicò, jubente Præſide, Scrutatorum major electionis Decretum his verbis conficiet:

In legitima Congregatione die N. Menſis N. Anni N. in Civitate N. vel oppido N. in Collegio N. habita, ſecundùm rationem præſcriptam à noſtris Conſtitutionibus: Ego N. Scrutator, Senior hujus Capituli, Spiritus ſancti gratia invocata, meo, & omnium nomine, ad quos pertinet electio, eligo in Præpoſitum Generalem Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, *& electum declaro Admodum Reverendum Patrem N. N.*

Quod Decretum à Scrutatoribus ſubſcriptum, & Congregationis ſigillo obſignatum Scrutatorum major ſtatim promulgabit, niſi is fuerit electus: tunc enim promulgandi munus erit Scrutatoris profeſſione ab illo ſecundi.

14. Sin autem prædictum ſuffragiorum numerum nemo attigerit, ad calculos deveniatur. Scrutatorum ultimus omnes in ſchedulis nominatos alta voce recitabit, & ab eo, qui profeſſione fuerit ſenior, ſuffragationis fiet initium: ille, in quem à cæteris feruntur ſuffragia, à ferendo ſuffragio interim abſtinebit, & Capitulo egredietur. Cancellarii munus erit, cadiſcum affirmationis & negationis ſigno notatum circumferre, ſingulos calculos ſingulis Electoribus diſtribuere, & poſtquam ipſe primus omnium calculum immiſerit, à Præſide, & à Scrutatoribus primùm, deinde à cæteris, ſervato profeſſionis ordine, recipere, tum ad Scrutatores cadiſcum prædictum referre, qui eductos calculos enumerabunt, cum numero Electorum conferent, & numerum exſcribent, nec illum tamen evulgabunt, niſi poſt omnium ſuffragationem. Dehinc cæteri, quicunque nominati fuerint, calculis ſubjicientur, & ſingulorum numerus adnotabitur à Scrutatoribus. Qui autem pluribus calculis numerum ad electionem neceſſarium duarum partium ſuperaverit reſpectivè, is erit Præpoſitus Generalis. Quodſi in duos ſimul æqualia ſuffragia convenerint, major profeſſione, & inter æquales profeſſione, natu major electus cenſeatur. Cancellarius dum cadiſcum circumferet, dum ſuffragia diſtribuet, & colliget; verbis omnino & nutibus abſtineat, ſed demiſſis in terram oculis, erigat mentem in Deum, ab eóque lumen & opem ſingulis imploret.

15. Sin prædicta ratione nullus electus reperietur, ad ſuffragationem iterum regrediendum erit, eodem omnino, quo ſuprà ſervato modo: quodſi adhuc res infecta ſit, prætermiſſis iis, qui non plura, quàm quatuor ſuffragia habuerint, reliqui omnes ad calculorum judicium revocabuntur, initio ducto ab eo, in quem plura antea lata fuerint ſuffragia: quodſi ne hac quidem ratione finis electioni imponi poſſit, Patres Electores ad quartam partem horæ orationi incumbent: deinde ſupradictis ad ſuffragia ſervato eodem ordine revocatis, ſi ne hac quidem ratione electio ſucceſſerit, nova per ſchedulas fiet nominatio, prædictis omnibus, atque præſcripto ordine ſervatis. Neque eo die è Comitio egredientur Patres, neque iiſdem ad victum quidquam afferetur, præter panem & vinum, niſi electione abſoluta.

16. Electus verò Generalis, medius inter Præſidem, & Scrutatorem majo-

rem,

rem, detecto, & ad ſanctiſſimam Chriſti imaginem converſo capite, aſſurgentibus omnibus ac ſtantibus, & ipſe conſiſtet. Tunc Præſes inchoabit hymnum: *Te Deum laudamus* &c., & proſequentur reliqui uſque ad finem. Quo recitato addet:

℣. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.*

Ter autem hic Verſus cum ſuo Reſp. repetetur. Tum ſubjicietur:

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum,*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus; piiſſimæ Majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes, ut, qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens, ad præmia futura diſponas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*

17. Interim Comitii Janitoribus de electione admonitis, eorum alter ad tintinnabulum accurrens, ſigno dato Collegiales convocabit: novus Generalis veſtibus induetur ſacris, Electores ſuperpelliceis, ut initio eſt factum, Cruce præeunte, omnes eodem ordine, quo in ingreſſu, à Comitio in Eccleſiam, & illam circumeuntes (ut fit in ſupplicationibus) ad Altare majus prodibunt, decantantes alternis Choris Canticum Zachariæ: *Benedictus Dominus Deus* &c.

18. Poſtea Præpoſitus Generalis genibus flexis medius adhuc inter Præſidem, & maximum Scrutatorem ſilentio aliquantiſper orabit, recondito priùs ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: deinde manu lapidi ſacro admota, jurabit in hæc verba:

Ego N. ſervus Dei, & indignus Præpoſitus Generalis Congregationis Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia, *teſtem invoco Deum, quòd Congregationem pro viribus meis juxta ipſius Conſtitutiones factas, & canonicè faciendas adminiſtrabo.*

Tunc Præſes ei tradet ſigillum, & eo ipſo Præpoſitus Generalis confirmatus cenſebitur: Præſidis verò officium protinus ceſſabit.

19. His peractis, ſedebit Præpoſitus Generalis capite cooperto in ſella ſibi in cornu Evangelii collocata, ubi poſt Vicarium Generalem, & maximum Scrutatorem, qui tunc temporis ipſi Præpoſito Generali aſſiſtent, Vocales omnes, & Socii, profeſſionis ordine ſervato, genibus flexis ipſum reverenter amplectentur, & ejus dexteram in obedientiæ teſtimonium oſculabuntur: Collegiales verò, & domeſtici omnes extremam anteriorem partem Pluvialis. Mox Chorum ingreſſi, exuent ſe ſuperpelliceis, atque eo mane, ſi contigerit electio, nihil præterea agetur in Comitiis, ut ad cæteras electiones oratione præparare ſe valeant Electores, niſi Præpoſitus Generalis ibidem in templo, aut in Comitio ſermonem habere voluerit.

De electione majorum Officialium, ac de ratione ferendi ſuffragii in ipſa.

Caput VII.

1. *IN* * *primo conſeſſu poſt Præpoſiti Generalis electionem, ad cæteros Capituli Generalis digniores Officiales eligendos deveniatur, & primùm quidem Vicarius Generalis, tum uterque Conſiliarius, deinde Viſitatores tres, tum Provincialis Galliæ, mox Definitores quatuor, tum Procurator Generalis, poſtremò Cancellarius creabuntur.* App. n. 10.

2. Scrutatores in horum Officialium electionibus erunt iidem, qui in Præpoſiti Generalis electione fuerunt.

3. Conſtituta igitur hora, Capitulo de more convocato, atque ex Conſtitutionum libro à Cancellario lectis, quæ ad electionem & officium Vicarii Generalis ſpectant, Electores ab eodem Cancellario advocabuntur his verbis:

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ad nominationem Vicarii Generalis, & ſuffragia ferenda unuſquiſque accedat ex ordine.

4. Quo dicto, Vicarius ſigillum Præpoſito Generali tradet, & ad locum ſuæ profeſſionis redibit. Tunc Præpoſitus Generalis ante ſanctiſſimam Chriſti crucifixi Imaginem accedens, genuflexus jurabit in hæc verba:

Ego N. Præpoſitus Generalis teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ in unaquaque majorum Officialium electione, quos probiores, ac magìs idoneos, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula nominabo.

5. Tum ſurgens Præpoſitus Generalis, ſchedulam, in qua nomen & cognomen à ſe electi ſcriptum ſit, involutam, & duobus digitis coram omnibus priùs ſublatam in urnam injiciet, mox ad propriam ſedem revertetur. Idem prorſus præſtabunt Scrutatores, ſic jurantes:

Ego N. Scrutator & Elector teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ in unaquaque majorum Officialium electione, quos probiores, & magis idoneos, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula, non tamen me ipſum nominabo, & non niſi verum, & præciſum numerum ſuffragiorum, quæ pro unaquaque electione lata fuerint, enunciari permittam, & fidelem me, ac ſine dolo in hoc Scrutatoris munere præſtabo.

6. Cæteri Electores ſinguli ſuam ſchedulam coram Scrutatoribus in urnam immittent, flexo priùs ad terram genu ante Crucifixi imaginem, in hunc modum præſtito juramento:

Ego N. Elector teſtem invoco Deum, qui me judicaturus eſt, quòd ſecundùm veritatem conſcientiæ meæ in unaquaque majorum Officialium electione, quos probiores, & magis idoneos, penſatis circumſtantiis, judicavero, una ſchedula, non tamen me ipſum nominabo.

7. Socii idem præſtabunt, omiſſis verbis illis in juramento (*non tamen me ipſum*). Quod cùm omnes reſpectivè præſtiterint, Scrutatorum minimus, ſpectantibus reliquis, ſchedulas ex urna eductas numerabit, quas Scrutatores perlegent, & ſingulos nominatos cum ſuffragiorum numero adnotabunt. Si in unum aliquem ſuffragia requiſita convenerint, ille electus cenſeatur; ſi verò neceſſaria ad legitimam electionem in neminem lata fuerint, electio ad calculos revocetur, ita prorſus, ut de Præpoſiti Generalis electione traditum eſt.

8. Tantùm cadiſcus, in quem injiciendi ſunt calculi, non à Cancellario, ſed ab uno ex Electoribus, quem Præpoſitus Generalis ad id delegerit, circumferetur, à quo etiam calculi diſtribuentur, ita ut altera manu vaſculum, in quo tot utique ſint calculi, quot Electores; altera verò cadiſcum geſtet, atque uno tempore calculorum fiat diſtributio, & ſuffragatio: nec huic interim liceat quempiam alloqui, ſive geſtibus vel nutibus allicere.

9. Si in primo ſcrutinio electio non ſuccedet, de integro diſtributis calculis ſuffragatio incipiet fieri ab eo, in quem plura ſuffragia in eodem primo ſcrutinio concurrerint, & ſic deinceps pro ſuffragiorum numero.

10. Atque hæc ſcrutinii & ſuffragii ferendi ratio in cæterorum etiam Officialium electione omnino ſervetur.

11. Ubi majorum Officialium electiones expletæ fuerint, ſequenti die publici Notarii conteſtatione, Sociorum interventu, confirmentur. Hi verò, antequam diſcedant, aliò profecturi, ſi quas literas à ſubditis locorum ſuæ electionis acceperint, aut aliquid aliud, quod ad eoſdem ſpectet, Definitorio proponendum in mandatis habuerint, fideliter conſignent, & referant.

Qualis eſſe debeat Præpoſitus Generalis.

Caput VIII.

1. Qui in Præpoſitum Generalem eſt eligendus, quadrageſimum ætatis annum, & profeſſionis decimum ad minus excedat, Parentibus ſit honeſtis natus, nulloque obſtrictus impedimento canonico, valetudine bona, & firmis utatur viribus, ut communem vivendi modum, labores aſſiduos, & onus cum honore conjunctum ſuſtinere queat, zelo diſciplinæ regularis tuendæ & promovendæ ferveat, quem apud nos religioſa conſuetudine, & imperando, & obediendo ſatis expreſſerit.

2. Præluceat aliis charitate in omnes, ſed præcipuè in pueros orphanos; item bonitate & ſcientia, ut quà privatis, quà publicis cohortationibus monere, corrigere ſubditos poſſit, & apud cæteros mirabilem ſapientiæ, pietatiſque odorem diffundere.

3. Veram, ſincerámque animi humilitatem cum auctoritate & gravitate conjunctam habeat, ſeveritatem humanitate condiat, omnibus perturbationibus animi ita ſit liber, ut, quos correxerit, & admonuerit ſubditos, ii libenti animo ejus monita & correctiones excipiant.

4. Eundem eximio à natura inſtructum eſſe ingenio, rerum uſu perfectum, vita irreprehenſibilem, bonorum Congregationis noſtræ fideliſſimum, omnium voce probatum, Adminiſtratorem orationi quàm maximè deditum deſideramus.

5. Magnanimitatem, animíque fortitudinem ejuſmodi præſeferat, ut non ita facilè de recta ſententia moveatur, nec humilitatis aut manſuetudinis ſpecie ſua monita vel juſſa negligi permittat.

6. Tandem deformitate membrorum non laboret, ſed præſtet potiùs digni-

tate

tate formæ, & (quod præcipuum eſt) omni virtutum genere ita excellat, ut ſit exemplar & norma, ad quam cæteri ſe conforment. Verùm, ſicut hæc omnia in uno ineſſe optabile eſſet; ita ſaltem contendent Electores, ut eum ad ſupremam Congregationis dignitatem promoveant, qui ad ea quàm proximè accedat.

De munere & auctoritate Præpoſiti Generalis.

Caput IX.

1. Quoniam Præpoſito Generali graviſſima, & maximè omnium ardua Provincia impoſita eſt, ut ſcilicet animas Fidei, poteſtati, prudentiæque ſuæ commiſſas ad ſummom perſectionis faſtigium pro humanæ naturæ imbecillitate, & verbo & exemplo dirigat, eum nihil habere antiquius par eſt, quàm omnes rationes perſequi, quibus exiſtimet ad id, quod maximè velle debet, perveniri facilè poſſe, rerum etiam temporalium cura non poſthabita.

2. Quocirca Conſtitutiones ac Decreta tum auctoritate, tum exemplo ita ubique obſervanda curabit, ut hortando, monendo, opportunè, importunè, pro naturæ, ingenii, morúmque diverſitate, & virtutibus, quibus animorum morbi depelluntur, perturbationéſque ſedantur, inferendis ſollicitus non tam de ſua, quàm de aliorum ſalute, ante Chriſti tribunal reddendam eſſe ſibi rationem nunquam non cogitet.

3. Præterea Religionis totius ſtatum, quomodo res indies ſe habeant, an diſciplinæ regularis tenor uſpiam remittatur: an Præpoſiti & Rectores ſuo gnaviter fungantur officio: an ſubditorum neceſſitatibus animæ & corporis paterno affectu proſpiciant, identidem ut cognoſcat, curabit.

4. Itaque primo ſui Generalatus anno univerſa Congregationis loca per ſe ipſe obibit, & inviſet, quò locorum ac perſonarum natura cognita, quæ diſponenda ſunt, faciliùs ordinare, atque inſtruere poſſit. Quodſi legitimo detentus fuerit impedimento, eam obibit Congregationis partem, quam poterit, reliquam in proximum annum rejiciet, atque interea à Superioribus de natura, genio, & ingenio ſubditorum curabit edoceri, ipſéque in libello, quem apud ſe ſervabit, & ſecum deferet, notatu digna adnotabit.

5. Quoties autem ad aliquem ex noſtris locis Præpoſitus Generalis viſitationis gratia pervenerit, omnes adeuntem in Eccleſiam comitentur, ibique *Te Deum laudamus* recitabunt.

6. Excepto viſitationis tempore, in eo Congregationis noſtræ Collegio, quod ſibi in ſuæ reſidentiæ locum delegerit, commorabitur.

7. Quæ in Capitulo Generali, vel Definitorio conſtituta fuerint, ea curet ad ſenſum & voluntatem eorundem Patrum, etiam tempore, modo, & reliquis circumſtantiis exequenda.

8. Conſtitutiones, & Capitulorum Generalium vel Definitoriorum Decreta, privilegia, conceſſiones, facultates à ſummis Pontificibus Congregationi noſtræ impertita in promptu habeat.

9. Cæterùm ipſius Præpoſiti Generalis auctoritas tanta erit, quanta ex jure, & ex privilegiis, iis exceptis, quæ Conſtitutionibus noſtris ac Decretis Capituli Generalis adverſantur, conceditur.

10. Nemini Religionis habitu indui, aut ad Novitiatum, vel ad profeſſionem admitti, ad ſacros Ordines promoveri; nemini Concionatoris, Lectoris, Confeſſarii, vel Parochi perſonam ſuſtinere liceat, ſine ipſius Præpoſiti Generalis expreſſa facultate, quam tamen ipſe poterit Superioribus ipſis, vel aliis (prout expedire animadverterit) delegare: facultatem verò recipiendi Novitios ad profeſſionem ſolis Superioribus Vicario Generali, Procuratori Generali, & Viſitatoribus, non aliis delegare poterit, quos ea in re ſuos Vicarios conſtituet, & declarabit.

11. Munus ejuſdem erit, Capitulum, aut Definitorium, quoties res exigere videbitur, cum voto Conſiliariorum convocare, & dimittere, & Conſtitutionem aliquam declarare.

12. Licebit eidem præterea extra Definitorii tempus Congregationis noſtræ perſonas de loco ad locum transmittere.

13. In obitu, vel diuturna abſentia Superioris alicujus, aut remotione ab officio alium in illius locum, cum voto Conſiliariorum vel Aſſiſtentium, ſubſtituere, qui Vicarii nomine inſignitus, ordinariam Superioris auctoritatem habebit uſque ad Superioris adventum.

14. Præ-

14. Præterea Sacerdotem aliquem ſibi à ſecretis aſſumere, virum ætate gravem, moribus, probitate, & ſcribendi peritia ornatum.

15. Cum Viſitatoribus, & aliis auctoritatem ſuam communicare, eandem etiam revocare, & imminuere, & rurſum ad arbitrium augere integrum illi ſit, præſertim cùm illi contigerit neceſſarium aliquod iter aggredi, aut ex eorum Provinciis abſcedere, ita tamen, ut, quæcunque illi fecerint, ſi rerum natura id ferat, approbare poſſit per ſe, reprobare autem non poſſit, niſi de Conſiliariorum vel Aſſiſtentium conſenſu, atque iterum omnia, quæcunque expedire in Domino judicaverit, decernere liceat. Cùm verò extra Italiam perrexerit, cum omni poteſtate Vicarius Generalis in Italia remaneat.

16. Demortuo, vel impedito Viſitatore, in Viſitatoris locum aliquando alium deſtinare poſſit, qui Provinciatoris nomen habeat: ſi verò ob aliquam peculiarem cauſam mittatur, Commiſſarii nomine appelletur, & tunc in eam ſolùm cauſam ſe ingerat, ob quam miſſus fuerit.

17. Ejusdem erit, negotia graviora, Comitiis Generalibus, aut Definitorio non reſervata, de conſilio Vicarii Generalis, & utriuſque Conſiliarii vel Aſſiſtentium (ſi res moram non patiatur) tranſigere.

18. Item pœnas exigere delictis quibuſcunque etiam graviſſimis debitas, & hanc eandem facultatem Vicario Generali, & Viſitatoribus vel Commiſſariis ab ipſo nominatis impertiri & communicare poterit: pœnam tamen corporalem extra noſtra clauſtra ſubeundam, quæ infamiam irroget, excipimus, quam non imponet, niſi de conſenſu Definitorii, ſi tempus illius commodè poterit exſpectari, ſin ſecus de Aſſiſtentium, & Conſiliariorum, aut duorum Vocalium Capituli Generalis proximiorum conſenſu, dummodo ex quinque quatuor vota concurrant, etiam per literas exprimenda.

19. Ejus in poteſtate ſit, licentiam dare Capitulis vel Superioribus, ut ad ſanctam Sedem recurrant pro alienationibus faciendis, cenſibus imponendis, & ſine Præpoſiti Generalis licentia non audeat Procurator Generalis aliquid hujuſmodi attentare.

20. Cum Novitiis excedentibus quadrageſimum ætatis annum uſque ad quinquageſimum, ut recipi poſſint, eidem liceat diſpenſare.

21. Quamvis autem in viſitatione ipſa pro cujuſque loci peculiari gubernatione ordinationes & ſtatuta facere non prohibeatur; à rebus tamen novis, quantum poterit, abſtinebit, & ordinationes iſtiuſmodi cum ejus officio exſpiraſſe intelligantur.

22. Omnibus inſuper & ſingulis in noſtra Religione profeſſis in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipere, & cenſuras Eccleſiaſticas adhibere ei liceat: utriſque tamen, ut quàm parciſſimè utatur, etiam atque etiam hortamur.

23. Si ad diſciplinæ conſervationem intereſſe judicaverit, ut ſibi caſus aliquos & cenſuras reſervet; id nonniſi de Vicarii Generalis, & Conſiliariorum conſilio præſtabit: abſolutionis tamen facultatem ad arbitrium ſuum cæteris impertire liberum illi ſit.

24. Quia interdum contingit, non poſſe Conſiliarios adeſſe in ea civitate, in qua Præpoſitus Generalis reſidet, fas erit eidem ſibi duos ex Vocalibus Aſſiſtentes eligere, adeo ut, ſi fortè locum reſidentiæ mutarit, ejusdem arbitrio relinquatur alios eligere Aſſiſtentes, qui ibidem, ubi is aderit, commorentur; atque iidem in rebus, in quibus agitur de jure tertii, præſertim odiolis, decernere, quod æquum fuerit, ſuo ſuffragio poſſint; in cæteris verò ſolùm id conſulere, quod prudentia dictarit. Declaramus autem hos neque Officiales eſſe, neque Aſſiſtentiam iſtiuſmodi eſſe dignitatem.

25. Duos ſemper ſecum adhibeat in itinere comites, vel utrumque Sacerdotem, vel ſaltem alterum, qui ſit illi à ſecretis, alterum Laicum.

26. Eidem rem ſacram facienti Sacerdos & Clericus aſſiſtent.

Cubiculum unum & alterum religioſa & communi ſupellectile inſtructum habeat, & Laicum profeſſum, qui ei deſerviat.

Communi victu, veſtituque contentus ſit: ſi quid tamen circa victus rationem remittere contigerit, eam adhibebit moderationem, ut laboribus, neceſſitati, & honori gradus id tribui omnes intelligant.

27. *Mul-*

27. *Multùm Reverendi Patris Noſtri* ſemper titulo honorabitur à Noſtris.

Sigillo utetur duplici: grandiori ad publicas ſcripturas muniendas: minori, quo privatæ literæ obſignentur: in utroque ſit inciſa effigies JEſu Chriſti Crucem geſtantis, cum inſcriptione: ONUS MEUM LEVE, quod noſtræ Congregationis Stemma eſſe ſtatuimos: in iisdem hæc erunt circumſcripta verba: PRÆPOSITUS GENERALIS CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS SOMASCHÆ, & *DOCTRINÆ CHRISTIANÆ IN GALLIA.*

28. Expleto ſui Generalatus triennio, in proximo Generali Capitulo coram tribus Judicibus ab eodem Capitulo per vota ſecreta conſtitutis, tam impenſi, quàm accepti rationem reddere teneatur, cujus exemplum authenticum deſcribatur ex Actis Capituli, ut Romam tranſmitti poſſit, quoties ab Apoſtolica Sede mandaretur.

De auctoritate & modo procedendi Congregationis erga Patrem Generalem.

Caput X.

1. Cùm Præpoſiti Generalis auctoritatem, & poteſtatem Capitulo Generali & Definitorio ſubjectam eſſe ſtatutum ſit, æquum eſt, ut is ſuperiorem ſibi poteſtatem agnoſcens, illis acquieſcat, & promptè exequatur omnia, quæ à Capitulo Generali, vel à Definitorio pro tempore ſtatuentur.

2. Vicarius Generalis, & Conſiliarii ſua in primis charitate & vigilantia evitare ſtudebunt, ne Præpoſitus Generalis laboribus nimiis, aut indiſcreta vitæ ſeveritate in adverſam aliquam valetudinem incidat.

3. Debebunt præterea Conſiliarii, ſi quid in Præpoſito Generali, quod ad ipſios perſonam, vel ad officium ſpectet, monitione dignum animadverterint, debita cum modeſtia & humilitate in Domino ipſum commonere, qui, niſi reipſa reſipuerit poſt unam & alteram monitionem, ab ipſis Conſiliariis corripiatur: ſin autem in rebus magni momenti, vel propter gravem corporis valetudinem, vel aliam ob cauſam, ſeu neceſſariam, ſeu voluntariam negligens deprehendatur, & inde grave aliquod Congregationi damnum timeatur, rerum illarum curam Vicario Generali (Conſiliariis id poſcentibus) demandare teneatur, vel ſi ipſe id negligat, Definitorium ſuo tempore id omnino præſtet. Conſtitutiones, quibus ad Capitulum Generale, vel Definitorium aliquid pertinere decernitur, ita intelligendas eſſe Præpoſitus Generalis meminerit, ut, quæ contrà molitus fuerit, nullius futura ſint valoris ac momenti.

4. Quanquam autem de divina gratia non ita eſt deſperandum, ut nobis veniat in mentem ſubvereri, eum futurum eſſe aliquando Præpoſitum Generalem, qui crimen aliquod perpetret, quod pœna depoſitionis Canonico jure puniendum præcipiatur: tamen ſi juſto Dei judicio id unquam accidat, poſtquam de re planiſſimè conſtiterit, ille officio abdicetur, ac pro delicti magnitudine plectatur, ſervatis ſervandis.

5. Quoniam verò ſæpè contingit, eum, qui aliorum moderationi præeſt, multorum dictis & oblocutionibus patere, dabunt operam Definitorii Patres, ne objectorum criminum admittant probationes, niſi efficaciſſimæ ſint.

6. Itaque ſi ex criminibus, quæ depoſitione digna ſint, Præpoſitum Generalem (quod Deus avertat) aliquod commiſiſſe contigerit, curabunt ii, quorum ad aures pervenerit, de tota facti ſerie Vicarium Generalem quamprimùm admonere, qui præmiſſa oratione, re diligenter, & matura conſideratione examinata (ſi ita expedire judicaverit) Conſiliarios advocabit, quibus rem, ut ſe habet, exponet.

7. Tum ſi & ipſi, re accuratè diſcuſſa, depoſitioni locum eſſe cenſuerint, reliquos Definitorii Patres convocabunt, & ſi quis venire quovis nomine recuſaverit, proximiores Vocales uſque ad duodenarium numerum ſubſtituent.

8. Conſiliarii rem ad Definitorium referent (quod ipſe Præpoſitus Generalis non ingredietur). Ea res præmiſſis precibus diligentiſſimè & accuratiſſimè examinabitur. Ubi verò ſatis fuerit res examinata, duæque ex tribus Definitorii partibus ad Præpoſitum Generalem deponendum conſenſerint, officio privatus intelligatur, juris tamen priùs ordine ſervato: ſtatimque Vocales & Superiores omnes publicis literis de Præpoſiti Generalis depoſitione commonefiant, & tota illius auctoritas ad Vicarium Generalem, uſque ad Generale Capitulum transferatur, quod proximo Paſchate convocabitur.

9. In caſu prædicto Præpoſiti Generalis locum & munus in Definitorio tenebit Vicarius Generalis, & in Vicarii locum alter ſubſtituetur à Definitorio.

10. Sin crimen, de quo Præpoſitus Generalis eſt accuſatus, adeo enorme non fuerit, vel non ita bene probatum, ut depoſitioni ſit locus, ſed correctioni, aut alicui alii pœnæ, rem totam ad Definitorium Paſchatis ſubſequentis deferent Vicarius & Conſiliarii; ubi pœna pro culpæ qualitate infligatur. Quòd ſi accuſatores ſive teſtes in probationibus defecerint, graviſſima pœna puniantur à Patribus Definitorii, & Præpoſiti Generalis innocentia publicis literis declaretur.

De munere & auctoritate Vicarii Generalis.

CAPUT XI.

1. Vicariom Generalem juxta formam ſuprà *Cap. de electione majorum Officialium* præſcriptam eligere oportebit, virum ea probitate & virtute inſignem, quam ſumma officii cum primaria Congregationis adminiſtratione, & Præpoſiti Generalis munere conjunctio poſtulat.

2. Vicarii officium ultra triennium
App. n. 11. non prorogetur, * *etiamſi per aliud triennium Præpoſitus Generalis confirmaretur.* Quòd ſi Præpoſitus Generalis primo vel ſecundo *utrruslibet* triennii anno è vita migraret, vel alia cauſa officio cederet, dummodo à die vacationis ad tertiam Dominicam poſt Paſcha ſexaginta dierum ſpatium intercedat, Vicarius Generalis Capitulum in dictam diem Dominicam indicet. Si verò ſpatium ſit brevius, cum voto Conſiliariorum & Aſſiſtentiom reſpectivè protrahet, ſervatis, quæ in Capituli Generalis indictione ſervanda mandavimus: ita tamen, ut ſemper prædictum ſexaginta dierum ſpatium interſit, & Capitulum ante vigeſimam primam diem Maji omnino inchoetur. Quòd ſi id fieri non poſſit tunc, in annum ſequentem & Vicarii munus prorogatum cenſeatur, & Capituli convocatio ad conſuetum tempus differatur. Sed qui Præpoſitus Generalis eligetur, is non ad completum triennium, ſed ad explendum inceptum triennium eligatur.
App. n. 12. * *Etſi Vicarius ipſe*, aut aliquis alius ex majoribus Officialibus fortè ad Generalatum promoveatur, tunc novus per electionem ſubſtituatur Officialis, qui cum novo Generali tempus & munus expleat. Quotieſcunque Præpoſiti Generalis munere Vicarium ipſum Generalem defungi contigerit, ſimul cum auctoritate ſuprema honor, reverentia, & obedientia, quæ totius Congregationis Præſuli debetur, illi ab omnibus ubique exhibeatur, titulóque *Multùm Reverendi Patris Noſtri* tum in literis, tum in colloquiis à Noſtris prænotetur.

3. Si ipſum Vicarium Generalem obire, vel alia cauſa officio cedere eveniret, tunc ex Viſitatoribus profeſſione maximus ipſo jure & facto ſuccedet uſque ad proximum Definitorium, in quo duabus ſuffragiorum partibus conſentientibus, novus creabitur Vicarius: id quod etiam de reliquarum Definitorii dignitatum electione in hujuſmodi caſibus ſtatutum ſit.

4. Si uterque, Præpoſitus ſcilicet, & Vicarius Generalis mortem obirent, vel alia cauſa officio cederent; tunc ex Viſitatoribus profeſſione antiquior ipſo jure & facto cum Generalitia auctoritate & honore, titulisque (ùt diximus de Vicario Generali) ſuccedet, idémque in Capitulo Generali Præſidis officium & munus exercebit.

5. Jam verò Vicarii Generalis monus erit, Capitulo uſque ad Præpoſiti Generalis creationem vel confirmationem præſidere: ſi Præpoſitus Generalis abſit, ſi infirma utatur valetudine, illius perſonam gerere, & vicem ſuſtinere cum omni Præpoſiti Generalis auctoritate.

6. Ejuſdem erit, Definitorium (ſi de Præpoſiti Generalis depoſitione agendum ſit) convocare: proximè poſt Conſiliarios in Capitulo & Definitorio ſententiam dicere: * *viſitare loca à Præpoſito Generali eidem deſignata, ac proinde Viſitatoris onus & munus obire:* ſi Viſitatorum aliquis è vivis exceſſerit, aut fuerit impeditus, loca illi ſubjecta cum ordinaria Viſitatoris poteſtate inviſere, niſi aliter Præpoſitus Generalis juſtis de cauſis ſtatuerit; denique ea peragere univerſa, quæ noſtræ Conſtitutiones ad eum ſpectare decernunt, & communicare illi voluerit Præpoſitus Generalis. App. n. 13.

Sigillum etiam propriom deferat cum inſignibus Religionis, quod ſequentia verba circumſcripta habebit: VICARIUS GENERALIS CONGREGATIONIS SOMASCHÆ, & *DOCTRINÆ CHRISTIANÆ IN GALLIA.*

De

De qualitate, & munere Conſiliariorum.

Caput XII.

App. n. 14. 1. **D**Uo *Conſiliarii* * ea ratione, quæ ſuprà tradita eſt, ab univerſo Capitulo eligentur triennio duraturi: & cum præcipuæ optimi Conſilarii virtutes ſint probitas, & prudentia, & hæc quidem uſu, illa verò virtutibus, divina auxiliante gratia, comparetur, id maximè propoſitum ſit Electoribus, ut eos Conſiliarios eligant, qui multorum annorum uſu, & experientia Congregationis noſtræ inſtituta probè nota habeant, & magnum virtutis ſpecimen ediderint.

2. Fidelitas etiam Conſiliarios maximè decet, ut pro veritate omnia conſtanter dicant, ut quæ in conſultationem, & deliberationem venerint, quæve ipſi ſenſerint, ſecretò tegant, & cum Præpoſitus Generalis, ipſorum priùs audita ſententia, aliquid conſtituerit, illius judicio humiliter acquieſcant. Quamobrem illud in primis, diligenterque cavebunt, ne ſe aut decretum aliquod approbaſſe, aut aliter quoquo modo ſenſiſſe, extra conſultationem proferant: quin potiùs Superioris conſilium tanquam omnibus ratum, probatumque tuebuntur, commendabunt: ſi tamen non parvi momenti negotium agatur, & re diligenter conſiderata, fuſis etiam ad Deum precibus, adhuc à Præpoſiti Generalis conſilio ſuam viderint ſententiam diſcrepare, Vicarium Generalem adhibebunt, cujus ſententia ſi cum ipſorum voluntate conſentiet, ea, qua decet, modeſtia Præpoſitum Generalem admonebunt, ut à propoſita ſententia diſcedat: ſin minus, ſe id ad Definitorium ſuo tempore relaturos.

3. Ea verò libertate ſententiam dicent, ut tamen charitatis Chriſtianæ memores in ſuo ſenſu nimiùm abundare non videantur.

4. Conſiliariorum munera hæc ſunt Capitulo Generali, Definitorio, ubicunque opus fuerit, ſemper adeſſe, & tam Capituli, quàm Definitorii auctoritatem tueri.

5. Præpoſitum Generalem, ſi quid ipſum de victu, de cultu, de Congregationis adminiſtratione monendum cenſuerint, Deum præ oculis habentes, modeſtè, ac humiliter commonere: in officio ſibi invicem præſto eſſe. Ea denique agent omnia Conſiliarii, quæ ad ipſos ſpectare Conſtitutiones decernunt.

6. E *duobus* Conſiliariis ille ſit major, qui profeſſione ſit antiquior: & ſi *ambo* profeſſione fuerint æquales, qui præceſſerit ætate, præcedat etiam loco.

De qualitate, & munere Viſitatorum.

Caput XIII.

1. **E**Tſi viſitandi munus Præpoſiti Generalis proprium eſt, ad diuturnam tamen regularis diſciplinæ conſervationem, & ad totius adminiſtrationis onus faciliùs ſuſtinendum, Capitulum Generale præter Vicarium Generalem, tres viros idoneos, publicæ ſalutis, & Conſtitutionum ſervandarum ſtudioſiſſimos eliget ad triennium ratione, quæ ſupra præſcripta eſt, quos nullo Præpoſiti, ſeu Rectoris onere premi, quantùm fieri poterit, exoptamus.

2. Biduo poſt acceſſum ad loca, quæ viſitaturi ſunt, communi utentur menſa: chorum frequentabunt: ſacrum Miſſæ myſterium quotidie celebrabunt: ſuoque docebunt exemplo curam omnem, & cogitationem in eo ſe defixiſſe, ut ſalva, & integra retineatur in Congregatione diſciplina.

3. * *Unaquaque ex Provinciis, in quas commodè Congregatio noſtra dividi poteſt, ſuum habeat Viſitatorem, qui loca à Præpoſito Generali illi ad viſitandum deſtinata, ſemel in anno luſtrabit, tempore, & cum ſocio Sacerdote ab eodem deſignando.* App. n. 15.

4. Hic Præpoſitum Generalem hortamur in Domino, ut quantum fieri poterit, anno ſuæ viſitationis generalis excepto, in certo aliquo Collegio domicilium ſibi eligat, & Viſitatorum unumquemque ſuam in propria Provincia viſitationem obire æquo animo patiatur.

5. Viſitatorum auctoritas, etiam extra viſitationem hæc erit, nimirum proceſſus (quos vocant) informativos in rebus gravioribus conficere, teſtes examinare, reum conſtituere, carceri mancipare, & alia id genus facere, quæ à Conſtitutionibus decernuntur, uſque ad definitivam ſententiam excluſivè.

6. Omnibus ſuis ſubditis in virtute ſanctæ obedientiæ aliquid præcipere, cenſuris eoſdem ligare, & ab iiſdem ſolvere: ſtatuta ſalutaria Conſtitutionibus, ac decretis Capituli Generalis,

vel Definitorii non adverſantia, prout cuique loco conducere ſibi viſum in Domino fuerit, condere; rationes accepti, & expenſi exigere, diligenti examine percurrere, & rationum libris ſubſcribere.

7. Perſonas intra ſuam Provinciam degentes ob neceſſariam aliquam, urgentemque cauſam, quæ moram non patiatur, ad alium ejuſdem Provinciæ locum deſtinare.

8. Ea denique omnia agere, quæ Conſtitutiones paſſim, vel Præpoſitus Generalis illis conceſſerit.

9. Viſitatorem ad loca noſtra viſitationis gratia adventantem, ſtatim pulſato tintinnabulo, poſtquam in Eccleſia de more paulisper oraverit, cuncti hilariter, & reverenter excipient, & ad benedictionem petendam in cubiculum ipſi, religioſo apparatu inſtructum convenient, quos ille ad oſculum manus, & religioſum complexum, amanter, benignèque recipiet. Quod item faciendum erit, & majore cum reverentia, & honore in adventu Præpoſiti Generalis.

10. Viſitator cubiculum ingreſſus, receptiſque, ad benedictionem, & ad oſculum manus ſingulis ea in domo commorantibus, Superiorem rogabit, nunquid ſit, quod in præſens neceſſarium expoſcat remedium, illudque protinus adhibebit.

11. Cum ſibi opportunum viſum fuerit, profeſſos omnes convocari jubebit, & dicto Hymno. *Veni Creator Spiritus, &c.*

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur,*
℟. *Et renovabis faciem terræ.*
℣. *Memento Congregationis tuæ.*
℟. *Quam poſſedisti ab initio.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus adte veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *Concede nos famulos tuos, quæſumus, Domine DEUS, perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

DEUS virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, ut quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita, cuſtodias. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

12. Literas commiſſæ ſibi Provinciæ à Collegii Cancellario, ſi adſit, vel à primo Vocali poſt Superiorem perlegi jubebit.

13. Tum brevi oratione eos ad verum in rebus ad viſitationem ſpectantibus, integrè, ſincereque aperiendum adhortabitur, admonebitque, ne vindictæ ſtudio aut alterius rei affectione moti ea dicant, quæ ſilenda forent, aut contrà quæ dicenda eſſent, ſileant; præterea, quatenus expedire cenſuerit, hujus rei neceſſitatem per præceptum imponet; docebit, quæ ad fraternam charitatem, & correctionem pertinere Doctores communiter aſſeverant, ne fortè zelus ſine legis ſcientia charitatem evertat, aut perturbet. Tum talionis pœnam indicet iis, qui in probationibus defecerint.

Quòd ſi ad majorem ipſorum conſolationem aliquid præſente ſocio exponere voluerint, liberum erit unicuique id facere.

14. Viſitationem à rebus ſacris inchoabit. Itaque templum ingreſſus, clauſis januis, quà populus ingredi conſuevit, videat, qua cura, & diligentia auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, oleum infirmorum, aqua baptiſmalis, & cætera ſacramentalia, ac Sanctorum etiam reliquiæ aſſerventur; num Altaria mappis ornata ſint mundis, lapideque ſacro rite munita: an confeſſariorum ſedes idoneas habeant crates: an Miſſarum obligationibus perfectè ſatisfiat, & demum ea omnia, quæ tum in templo, tum in ſacrario ad divinum ſpectant cultum, diligenter ſcrutabitur.

15. Antequam ſubditos alloquatur, ab aliquo Patre Vocali Capituli Generalis, ſi adeſt, vel ab aliquibus Senioribus rerum omnium tam ſpiritualium, quàm temporalium, domus, perſonarumque ſtatum, ac vivendi rationem curabit edoceri, & ut ſibi viſum fuerit expedire, hujuſmodi prænotiones ſcriptis conſignabit, quas tamen, ne in aliorum manus incidant, accuratiſſimè cavebit.

16. Quibus diligenter expenſis, ac de ſingulorum actionibus ac ſtudiis brevi etiam à Superiore edoctus, indicem perſonarum juxta profeſſionis ordinem conſcriptum accipiet; tum ſingulis ad ſe per certum miniſtrum accitis, ea benevolentiæ, charitatiſque exhibebit argumenta, ut nemini obmurmurandi anſam præbeat.

17. Hinc

17. Hinc prudenter ab unoquoque ſciſcitabitur, quomodo corpore, ac viribus valeat, an libeatet in illa domo degat, num quid ſibi ad victum, veſtitumque deſit, num quid ad ipſius ſpirituale ſolatium, vel inſtitutionem ſpectans proponere velit: quonam modo obedientiæ ſanctæ, Superioris voluntati promptum ſeipſum agnoſcat, & hujuſmodi pleraque.

18. Quod verò ad alios attinet, rogabit, qua ratione Superior erga ſubditos ſe ſe gerat: an rectè ille in omnibus rebus ſuo fungatur officio; num quid in illo correctione dignum adverterit: num aliquem ſuſurronem, vel inobedientem norit: an inter ſubditos ſit concordia: num quis de nimia familiaritate ſit ſuſpectus: ſintne in eo Collegio aliqui, qui vel à Superiore, vel ab aliis in omnibus rebus plerunque diſſentiant: quonam modo Conſtitutiones, atque etiam decreta Capituli, Definitorii, aut Præpoſiti Generalis, & Viſitatoris, vel Superioris ſerventur: qualis ſit omnium in DEI via, timore, ac pietate, atque etiam in literis progreſſus.

19. Aliquid contra Superiores, vel alios deferenti non facilè aſſentietur Viſitator, ſed diligenter animadvertet, accuratéque circumſtantias omnes perpendet: ſin aliquid gravius in aliis præter Superiorem deprehenderit, re cum ipſo Superiore, & cum ſocio Viſitationis communicata, quid facto opus ſit, deliberabit: quòd res ejuſmodi ſit, ut dilationem patiatur, Præpoſitum Generalem conſulet.

20. Abſoluta perſonarum viſitatione, ſingulorum cellas perluſtrabit in id maximè incumbens, ut ſervetur communitas, ut habita religioſæ paupertatis ratione, nihil cuiquam ſuperſit, aut deficiat, neve ſit in iis aliquid, quod religioſum virum minus deceat.

21. Communia etiam conclavia, & officinas obibit, & inviſet: Sacrarii, Bibliothecæ, & publicæ ſupellectilis indices diligenter perleget, & comparari quamprimum à Superiore jubebit, quæ, ut communi ſuppleatur indigentiæ, opus eſſe judicabit.

22. Poſtremò Superioris cubiculum ſcrutabitur: arcam, qua pecuniæ reconduntur, aperiet, & has coram Superiore, & Procuratore numerabit, libros rationum expoſcet, atque rationes accepti, & expenſi accuratè ſubducet, & examinabit, quibus, prout prudentiæ, & juſtitiæ conſonum videtur, ſubſcribet.

23. Antequam libros Superiori reſtituat, jurejurando Superiorem, & Procuratorem adiget, ut æs alienum, ſi quod domus illa contraxerit, & pecuniam omnem fideliter detegant. Forma juramenti hæc erit.

Ego N. Collegii, vel Academiæ, aut domus ſancti N. talis Civitatis, vel oppidi Deum teſtor & JEſum Chriſtum Crucifixum, quem mihi opto in hora mortis propitium, quòd Reverendæ Paternitati tuæ omnia debita, & credita, & omnem pecuniam hujus Collegii, ſive domus, fideliter indicabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia.

24. Tum Viſitator ſi quid circa bonorum temporalium adminiſtrationem, vel rationum libros admonere Superiorem, & Procuratorem domus operæ pretium duxerit, hoc loco admonebit: mox ſcriptum conficiet, in quo ſingillatim exprimantur incerti juxta, ac certi domus illius annui proventus, & expenſæ: quidquid ibi annonæ, æris alieni, & pecuniarum reliquerit, item Eleemoſynæ alicujus momenti intuitu cujuſpiam ex Noſtris illi domui, vel Eccleſiæ erogatæ, ſimiliter, & reditus per Superiorem aliū, vel per alium quemcunque nuper acquiſiti, Miſſarum, & anniverſariorū obligationes: impendia in fabricam, vel in ſupellectilem, ſive ſacram, ſive pro noſtrorum uſu, ſi notabilem ſummam attigerint; & ſcriptum hujuſmodi à Superiore, & à Procuratore ſua manu obſignatum, juratumque ſecum ad Definitorium deferet, cujus interim exemplar ſtatim ad Præpoſitum Generalem mittet.

25. His peractis, atque iis, de quibus in ipſo Viſitationis actu admonitus fuerit, ſive ad perſonarum ſtatum ſpectent, ſive ad domus adminiſtrationem, accuratè perpenſis, prævia oratione, ac divino ſacrificio, quid notorium, quid probabile ſibi viſum fuerit, diligentiùs adnotabit.

26. Si quem in culpas minimè leves (qua de re ipſe viderit) non omnibus tamen notas lapſum fuiſſe deprehenderit, coram Superiore illum arguet, pænamque pro delicti magnitudine infligat. Superiorem verò ejuſdem culpæ reum coram aliquo, prout meliùs ipſi videbitur benignè, ſed ſeriò corriget.

27. Tandem decretis, ſi quæ erunt facienda, cum Superiore illius domus

communicatis, Capitulum Collegiale convocari jubebit, in quo de ſpirituali animæ quaſi renovatione, de religioſæ perfectionis, virtutumque omnium, præſertim charitatis, ac pietatis ſtudio brevem, ſed gravem orationem inſtituet, qua perorata, omnes & ſinguli genibus flexis exteriores culpas conſitebuntur, & pro culparum gravitate correptionem, & pœnam à Viſitatore impoſitam æquo animo ſuſcipient.

28. Corrigere autem debebunt Viſitatores culpas omnes, quæ corrigi poſſunt, nec eas ad Definitorium deferre, niſi ex earum ſuppreſſione grave aliquod detrimentum Congregationi timeatur, quod idem de pravis propenſionibus ſtatutum ſit.

29. Noviſſimus omnium Superior domus, quacunque dignitate inſignitus ſit (ſolum enim Præpoſitum, & Vicarium Generalem eximimus) reliquis tum ſtantibus, culpas ſuas ad Chriſtianæ humilitatis exemplum, & ſolamen conſcientiæ accuſabit; & ut ſibi pœnitentia irrogetur, ſuppliciter rogabit.

30. Demum Viſitator decreta facta perlegi elata voce, eaque in libro Actorum Collegii ſcribi mandabit, quæ ſuccedentibus Viſitatoribus exhiberi debebunt.

31. Capitulo dimiſſo Viſitator, quantum in ipſo erit, contendet, ut pacis, tranquillitatiſque bonum, familiæ, quam inviſit, ita relinquat, ut poſt ipſius diſceſſionem auctum illud mirum in modum omnes intelligant.

32. Quapropter viſitatione abſoluta, per aliquot dies ea in domo poterit commorari, quibus diebus ſubditos benignè alloquetur, atque in Domino conſolabitur.

33. Illud tamen ob oculos ſibi potiſſimùm proponet, ne dum ſatis ſubditis facere cupit, eos in religioſæ vitæ obſervatione negligentiores, aut erga Superiorem minùs obſequioſos reddat: quin potiùs Superioris cauſam ubique tuebitur, illiuſque dicta, & facta omnia æqui, boniqne facienda ſubditis perſuadebit.

34. Interim viſitationem habitam, in qua uniuſcujuſque mores à Superiore illius loci ducto initio ingenii facultas, habilitaſque, & cætera hujuſmodi contineantur, duplici in ſcheda exſcribere, & manu propria obſignare teneatur, & harum alteram ad Præpoſitum Generalem quamprimum poterit, mittat; alteram verò apud ſe retineat, Definitorio ſuo tempore producendam.

35. Quamquam autem Viſitatorem patris potiùs, quàm judicis perſonam agere, præſertim erga imbecilles, & infirmos volumus: ſi quem nihilominus inter fratres, aut (quod eſt gravius) inter Superiores, & ſubditos diſſenſionum, ac diſcordiarum, vel publici ſcandali auctorem deprehenderit, in eum ita graviter animadvertet, ut illius correctio ad continendos in officio cæteros plurimùm conducat.

36. Sumptus in viſitatione, moderatè tamen faciendos (qui à Definitorio præſcribentur) loca viſitanda ſuppeditabunt.

Pecuniæ pro viaticis acceptæ rationem, & quidquid ab impenſis itinerum Viſitatoribus ſupererit, Præpoſito Generali, & illius Conſiliariis reddere fideliter teneantur.

37. Munera nulla à quovis ex Noſtris, ne poſt viſitationem quidem, liceat viſitatori accipere: nec item quidquam de locis, & perſonis, quas inviſit, niſi virtutes, & bona alibi enuntiare, aut evulgare.

38. Superiores locorum, ubi reſidere Viſitatores contigerit, humaniùs cum ipſis agent, concordiæ omnibus in rebus, & quieti ſtudentes: meminerint etiam in iis, quæ ad Viſitatorum munus attinent, ſe nihil omnino juris obtinere.

39. Viſitatores autem in primis muneri ſuo, deinde iis, quæ ad regularem ſui Collegii, ſeu domus diſciplinam referuntur, ſatisfacere debebunt, neque ullum interim jus illis in locis, in quibus reſidebunt, exercere eis liceat, niſi ubi neceſſitas, vel Superioris conſenſus id exigat.

40. Eorum unuſquiſque ſigillum habeat, in quo inſculpta ſint inſignia Religionis, & ſequentia verba circumſcripta legantur. * *VISITATOR CONGREGATIONIS SOMASCHÆ, ET DOCTRINÆ CHRISTIANÆ IN GALLIA.* App. n. 16.

De munere, & auctoritate Provincialis Galliæ.

CAPUT XIV.

PRovincialis Galliæ ex duobus, vel tribus à Provinciali Capitulo nominatis, ſeu propoſi-

poſitis poſt Viſitatores ſtatim, & eadem, ut ſupra, ratione eligetur.

Communis illi cum aliis Viſitatoribus erit auctoritas præter eam, quæ in literis ſuper Unione facta à Summo Pontifice conceditur, vel illi communicabitur à Præpoſito Generali pro rerum occaſione, & varietate, ac locorum diſtantia.

Novitios ut recipere poſſit, Collegiis deſtinatis poteſtatem faciet: eoſdem per ſe, vel per locorum Superiores ad profeſſionem admittere debebit.

Locum intra Provinciam pro reſidentia ſua eliget, quem maximè opportunum muneri exercendo judicaverit.

Capitulo Generali cum utroque ſuffragio intererit. Ejus officium per triennium durabit.

Si eveniat Provincialem Galliæ diem obire ultimum, eo caſu Superior profeſſione ſenior cenſeatur electus.

Sigillum habeat, cui impreſſa ſit JESU Chriſti Crucem geſtantis effigies, & circumſcripta hæc verba PROVINCIALIS GALLIÆ CONGREGATIONIS SOMASCHÆ, ET DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Capitulum Provinciale menſe Septembri præcedente Capitulum Generale convocabit, cui præter Provincialem intereſſe debebit quilibet Superior localis unà cum Socio ſeu Diſcreto à Capitulo Conventuali ejuſdem loci, dummodo ſex ſaltem ibi reſideant, eligendo.

Archivium commune ſcripturarum ſtatuatur in domo per Capitulum nominanda, & illius claves è manibus Superioris nunquam exeant: in ſingulis etiam domibus Archivium ſit, & ſcriptura in eo diligenter aſſerventur.

Acta Provincialis Capituli in librum Cancellarius referat: liber in Archivio cuſtodiatur.

Capitulum Provinciale Superiores eligere, deponere, eoſdem confirmare poſſit, prout melius è publica re, & commodo viſum fuerit: ſed ſi neceſſitas, vel utilitas maxima urgeat, hortamur, ne triennium in eodem loco Superioribus prorogetur.

Super natalium defectu ad dignitates in Provincia conſequendas cum profeſſis, & ad habitum Religionis ſuſcipiendum cum Novitiis diſpenſare valeat.

Exemptiones ex præſcripto Conſtitutionum concedere: Decreta pro bono Provinciæ regimine condere; perſonis aſſignare loca, munera, & officia: locum pro Capitulo Provinciali proximè congregando determinare.

Duos, aut tres ſpectatæ probitatis, & prudentiæ Patres per vota ſecreta nominare, nominatos Capitulo Generali præſentare, ut ex iis unus ad Provincialatum eligatur: item Socium unum eligere, qui ſimul cum Patre Provinciali intererit Capitulo Generali cum utroque ſuffragio, & reliqua peragere, quæ in literis Unionis continentur.

Munus erit Provincialis de celebratione futuri Capituli Præpoſitum Generalem opportunè commonefacere, & de ſingulis, quæ in Capitulo peragentur, quæque in Provincia notatu digna occurrerint, ad eum ſcribere: eundem rebus in arduis, ubi commodè poterit, conſulere: tandem omni ſtudio contendere, ut etiam in disjunctis Provinciis vinculo charitatis, & ſocietatis conjuncti ſint animi, & ut in domo Domini ambulemus omnes cum conſenſu.

De qualitatibus, & munere Definitorum.

CAPUT XV.

1. DEfinitores * *quatuor regulariter* eligentur ea rationeque de cæteris Officialibus præſcripta eſt, iique non modò experientia, & probitate, ſed etiam eruditione, quantùm ſatis erit, exculti, triennio duraturi. *App. n. 17.*

2. Eorum munus erit Capitulo Generali, vel Definitorio, cum commodè poterunt, adeſſe; ſi quæ ad Capitulum, vel Definitorium reiiciantur; ſi quæ inter ſubditos controverſiæ, vel adverſus Superiores, vel etiam inter Vocales oriantur, ea omnia, ſola facti veritate inſpecta, cognoſcere, & pro rerum gravitate Præpoſiti Generalis, Vicarii, & Conſiliariorum judicio definire, vel Definitorio definienda proponere.

3. Eorundem etiam erit oratione, & conſultatione præmiſſa, quidnam literis ad Capitulum, vel Definitorium miſſis reſcribendum ſit, videre: rerum ſummam cum Præpoſito Generali ante communicatam, atque ab ipſo probatam Cancellario ſcriptam deferre.

4. Præterea iis in locis, ubi ſuum domicilium habuerint; diſciplinæ regularis, cæterarumque virtutum præbere ſtudebunt documenta, Superioribus conſilio, & ope adeſſe: ea denique præſtare omnia, quæ ad ipſos pertinere in Conſtitutionibus noſtris decernitur.

De qualitatibus, & munere Procuratoris Generalis.

CAPUT XVI.

1. TOtius Congregationis Procurator à toto Capitulo Generali eligetur is, in quo probitas vitæ, morum integritas, in negotiis tractandis prudentia, in omnibus naturalis quædam ingenii dexteritas reperiatur, qui denique eo animo erga Congregationem ſit, ut ejuſdem negotia magno ſtudio, ac fide procuraturus eſſe videatur.

2. Ut

Digitized by Google

2. Ut autem Congregationis negotia diligenti aſſiduitate tractare valeat, declaramus in iis, quæ ad ſuum munus pertinent, ipſum non eſſe Superiori locali ſubjectum, & eſſe à communibus obſervantiis immunem.

3. Peculiarem tamen ſocium Laicum profeſſum notæ probitatis, qui loquendi, & tacendi tempus prudenter noverit, eidem Superior Collegii aſſignet.

4. Tantum autem habebit auctoritatis, quantum à Patribus univerſis in Generali Capitulo fuerit illi conceſſum: & procurationis mandatum publicè in Capitulo Generali à Cancellario legatur, & in librum Actorum Capituli Generalis referatur.

5. In actu Viſitationis Viſitatoribus & ipſe ſubjectus ſit in iis, quæ privatas ipſius actiones reſpiciunt, non in iis, quæ ſpectant ad officium, iisdemque accepti, & expenſi reddere rationem teneatur.

6. Quæcunque conceſſiones, aut Apoſtolicæ literæ pro Congregatione, Collegio, domo, vel privata aliqua perſona impetrandæ erunt: quæcunque lites noſtræ, & quicunque contractus externi Romanæ in Curia ineundi ad Procuratorem tantum, præterea ad neminem attinebunt.

7. Quæ verò ad univerſum Congregationis ſtatum referuntur, aut Conſtitutiones reſpiciunt, non aggrediatur, niſi habita nominatim à Capitulo Generali, vel à Definitorio facultate.

8. Nihil præterea aliud, quàm, quæ modò meminimus, niſi approbante, & mandante Præpoſito Generali, præſtabit.

9. Excipimus tamen hìc, quæ ad internum conſcientiæ forum, vel ad Indulgentias impetrandas pertinere videntur. In quibus ea prudentia ſe geret Procurator, ut publicum Congregationis commodum privatæ ſemper uniuſcujusque utilitati præferat.

10. Congregationis noſtræ profeſſi Urbem adeuntes nulli negotio, niſi de Præpoſiti Generalis, vel Procuratoris Generalis conſenſu ſe immiſceant, exceptis iis, quæ pertinent ad forum internum.

11. Si Præpoſitus Generalis rem aliquam conſultatione dignam arbitrabitur, Procuratoris rogabit ſententiam, qui eam dicet, vel ſcribet, & rationibus, quibus ad id ſentiendum adducitur, confirmabit.

12. Omnem Congregationis ſtatum exploratum habeat: idcirco, ſi quid novi in Collegiis, aut aliis locis acciderit, quod ad illius officium ſpectare poſſit, à Superioribus illorum locorum ſtatim per literas eidem ſignificandum erit.

13. Bullas authenticas, & inſtrumenta fundationis, erectionis, & acceptionis quotumcunque locorum Congregationis noſtræ apud ſe habebit.

14. Rebus iis quàm maximè invigilet, quas ad publicam Congregationis utilitatem pertinere animadverterit, & per ſingulos tabellarios in ſingulas hebdomadas de rerum, ac negotiorum ſtatu, & eventu Præpoſitum Generalem commonefaciet.

15. Bullarum, Brevium, ſcripturarumque omnium alicujus momenti, quæ in Archivio aſſervantur, indicem conficiet, atque omnia diſtinctè, & ordine diſponet, ac cuſtodiet.

16. Summam omnium negotiorum, & libellorum ſupplicum, quæ ad ipſum mittuntur eorumque progreſſum, ac exitum in librum referet, diligenterque deſcribet, & annum, menſem, ac diem notabit, quem ſuo ſucceſſori fideliter ut conſignet, diſtrictè præcipimus.

17. Bullarum, Motuum propriorum, ac Brevium, quæ in dies à Pontifice Maximo eduntur, exemplaria aliquot emet, & primo quoque tempore ad Præpoſitum Generalem, & ad Viſitatores ſingula tranſmittet, quorum deinde tranſumptum & ipſi Viſitatores ſuæ Provinciæ Superioribus deferendum curabunt.

18. Ad eos, qui negotia aliqua ipſi commiſerint, eorundem negotiorum ſtatum, atque exitum diligenter, & benignè reſcribet.

19. Summam pecuniarum, quas à Præpoſito Generali, vel ab aliis Patribus ad res gerendas, & negotia tranſigenda acceperit, nec non ſumptus in ipſis factos, fideliter, ac diſtinctè (à quibus videlicet ſingillatim pecunias acceperit, quas in res inſumpſerit, & cætera hujuſmodi) in libellum referet, ut dati, & accepti ratio, eo etiam abſente, ſubduci poſſit, ſimulque cognoſci, quantum ex alterutra parte debeatur.

20. Ca-

20. Caveat, ne pecuniam ſibi concreditam, Præpoſiti Generalis injuſſu, in alia, quamvis honeſta & utilia impendat, & præterquam in ea, quorum cauſa à Præpoſito Generali, vel ab alio quovis ſibi tradita fuerit.

21. In virtute autem Spiritus ſancti, ac præcepto ſanctæ Obedientiæ, ſub pœna etiam privationis officii ipſo facto incurrenda, & aliis pœnis à Definitorio irrogandis, Procuratorem Generalem adſtringimus, ne literas ullas, aut vivæ vocis oracula ſine expreſſo Capituli Generalis mandato, etiam ejuſdem Congregationis, ſeu alio quocunque nomine mediatè vel immediatè petat, quærat, aut impetret, quibus Congregationis gubernatio varietur, aut alicujus Conſtitutionis mutatio contineatur, nec hujuſmodi literas aut oracula alicui alii impetrare volenti faveat, neque ullum præſtet conſenſum: declarantes irritum, quidquid ſecus fieri contigerit.

22. Eundem præcepto ſanctæ Obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ adſtringimus, ne ſcripturam aliquam, vel proceſſus, ſeu Bullam, Motum proprium, aut literas Pontificias, ſeu manu alicujus Cardinalis ſubſcriptas ex Procuratoris Archivio tollere, & auferre, quocunque prætextu non obſtante, audeat: quod ſi facere auſus fuerit, dicto præcepto & pœnæ addatur à Patribus Definitorii privatio utriuſque vocis per tempus eorum arbitrio, & juxta culpæ qualitatem conſtituendum.

23. Si Procuratorem Generalem aliquo caſu deficere contingat, ne publica negotia quidquam detrimenti patiantur, poterit Præpoſitus Generalis cum conſenſu Conſiliariorum vel Aſſiſtentium unum ex Vocalibus in ejus locum cum ea auctoritate, quæ ſibi videbitur, ſubrogate uſque ad proximè futurum Definitorium, in quo ille confirmabitur cum duabus partibus ſuffragiorum, vel alter eligetur.

Sigillo eodem, quo Viſitatores, utetur, verbis ſic mutatis: PROCURATOR GENERALIS CONGREGATIONIS SOMASCHÆ, & *DOCTRINÆ CHRISTIANÆ IN GALLIA.*

De qualitate & munere Cancellarii.

CAPUT XVII.

1. CAncellarius à toto Capitulo Generali ratione ſuprà de Officialibus tradita eligetur, qui triennio expleto, alteri locum cedet.

2. Vir erit ſermonis parcus, ſpectatæ fidei, & in literis ſcribendis non mediocriter verſatus, quique pietate ſimul ac prudentia pro iis rebus, quæ ſibi mandabuntur, maximè excellat.

3. Cancellarii munus erit, quæ in Capitulo Generali geſta ac decreta fuerint, vel quæ à Definitorio ſtatuta, in librum Actorum Generalis Capituli manu propria accuratè referre, quibus, cùm à Præpoſito Generali priùs fuerit ſubſcriptum, ſuam & ipſe ſubſcriptionem apponet.

4. Volumus autem, ut Acta & Decreta, quæ in Capitulis & Definitoriis peragentur, à Cancellario ſubſcripta vim apud nos habeant publici inſtrumenti.

5. Idem ex eodem libro Acta ipſa ad Procuratorem Generalem mittenda exſcribet, ſigillo publico obſignabit, ac Præpoſiti Generalis ſubſcriptioni ſuam & ipſe adſcribet.

6. Literas præterea undequaque ad Capitulum, ſeu Definitorium miſſas accipiet, ad Præpoſiti Generalis vel Præſidis nutum leget, & ſumma rerum capita à Definitoribus vel Conſiliariis (ùt ſuprà) recepta ad eaſdem reſcribet: literas etiam publicas electionum de more conficiet.

7. Quatuor apud ſe habebit libros, quorum in primo Acta omnia Capituli, ac Definitorii cujuſque diſtinctè, & ordine diſpoſita deſcribet; diligenter cavens ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut ne verbum quidem malitiosè deleat, vel addat, aut immutet, nec ipſe, nec alius quilibet, quod ſenſum invertat.

In ſecundo nomina & cognomina profeſſorum omnium tam Clericorum, quàm Laicorum, diverſa tamen in parte, ordine profeſſionis ſervato, conſignabit.

In tertio nomina Vocalium omnium, quo anno, quóque die adſcripti fuerint, perſcribet.

In quarto Novitiorum omnium nomina & cognomina, item, quo anno, quo menſe, quo die Congregationis habitum induerint, adnotabit.

8. Duplicem librum Actorum habeat, unum aſſervandum in Archivio S. Majoli Papiæ, alterum apud ſe cautè cuſtodiendum. Et ſub pœna graviſſimæ culpæ conſtituta, ſub formali etiam præcepto

cepto ſanctæ obedientiæ eidem præcipimus, ne librum, Acta Capitulorum, & Definitoriorum continentem, quem apud ſe retinuerit, aliis præterquam Vocalibus oſtendere, aut ex eo aliquid deſcribere, ſeu deſcriptum tradere, vel mittere; niſi de licentia Præpoſiti Generalis, aut Viſitatoris audeat.

9. Cui item præcepto ac pœnæ ſubjacere volumus Præpoſitum Collegii S. Majoli, ſi quod Cancellario præſenti Conſtitutione prohibemus, attentare ipſe præſumpſerit. Claves Archivii, quod in Collegio S. Majoli Papiæ aſſervatur, penes Præpoſitum ejusdem Collegii ſint, neque alicui unquam conſignentur, qui inter Vocales Capituli Generalis adſcriptus non ſit.

10. Hic Capitulo Generali celebrando triduo ante præſcriptam diem aderit, eique cubiculum cum arca ſeris bene munita ad ſcripturas cautè cuſtodiendas aſſignabitur.

11. Ea denique omnia præſtabit, quæ ipſi paſſim tribuunt Conſtitutiones: quibus omnibus ut planè poſſit, cumulatéque ſatisfacere, Vocalis illi à Præpoſito Generali ſocius deſtinabitur.

De ordine & modo rerum in Capitulo proponendarum.

CAPUT XVIII.

1. Electionibus majorum Officialium præſcripta ratione & ordine reſpectivè abſolutis, ſi quid temporis ad deliberandum ſupererit, literæ ad Capitulum miſſæ publicè legantur, & audita Conſiliariorum ſententia, reſponſiones ad ea, quæ levioris fuerint momenti, decernantur.

2. Res autem graviores pridie ſemper, quàm de iis agatur, omnino proponantur, ut diei unius ſpatium ad deliberandum concedatur.

3. Quicunque igitur aliquid proponere voluerit, Cancellarium extra Comitium adibit, eidem propoſitiones in Capitulo legendas ſcriptis conſignabit: tum Conſiliarios conveniet, & rei propoſitæ rationes brevì declarabit: ipſi verò Conſiliarii benignè & patienter auſcultent, nihil tamen reſpondeant, nec utram in partem propendeant, ullo modo ſignificent.

4. Præpoſiti Generalis, Vicarii, & Conſiliariorum erit, ea, quæ propoſita fuerint, diligenter examinare, an nimirum contra commune bonum ex iis, quæ ipſi ſecretò noverint, aliquid manifeſtò contineant, atque eo caſu propoſitiones rejicient, & proponenti ſilentium modeſtè indicent. Hoc caſu excepto, quidquid ab unoquoque propoſitum fuerit, audiatur.

5. Hic ordo in rebus proponendis ſervabitur. Primo loco agendum erit de iis, quæ ad diſciplinam regularem in Congregatione retinendam, vel reſtituendam, vel ad Dei gloriam augendam conferre videbuntur: atque adeo, ſi Decreta ulla in celebrato proximè antè Capitulo Generali fuerint conſtituta, ea primùm proponenda erunt, ut vel comprobentur, vel reprobentur.

6. Secundo, quæ ad animarum ſalutem pertinent, utpote ſi quod grave detrimentum ſalutis Fratrum in Congregationem irrepſerit; ſi quæ patrata fuerint gravia crimina, & ſit periculum, ne eorum contagio latiùs in cæteros pervadat; ſi qui à Religione defecerint, & extra clauſtra de ſua ſalute nihil prorſus ſolliciti vivant, & qua ratione revocari poſſint, aut eorum ſaluti poſſit conſuli, & alia id genus.

7. Tertio, quæ ad Eccleſiarum cultum, & ad cæteras res Eccleſiaſticas pertinent.

8. Quarto, ſi quæ loca erunt recipienda, vel, ſi quæ tanquam proprio inſtituto minùs conſentanea dimittenda.

9. Quinto, bona temporalia, ut, ſi quæ inſtrumenta conficienda, vel confirmanda: ſi inopiæ alicujus loci ſubveniendum; ſi collectæ aliquæ ex communi faciendæ, & id genus conſimilia.

10. Ratio proponendi erit hujuſmodi: Cancellarius propoſitionem ipſam ſcripto traditam voce elata, univerſis attentè audientibus, nihil de ſuo addendo, vel de ſcripto detrahendo recitabit: Major Conſiliarius utriuſque partis rationes inter ſe pugnantes in medium afferet, deinde propriam dicet ſententiam, poſtremò oppoſitas rationes diſſolvet.

Secundo loco alter Conſiliarius, quid & ipſe ea in re ſentiat, & quibus rationibus adducatur, declarabit, & contrariæ ſententiæ rationibus, qua decet, modeſtia reſpondebit.

Tertio loco ſententiam dicet eadem ſervata ratione Vicarius Generalis, & ſic deinceps ſinguli uſque ad noviſſimum, ſervato profeſſionis ordine.

No-

Noviſſimus Præpoſitus Generalis, cui aſſentiatur parti, & quibus rationibus, commonſtrabit.

11. Si major Vocalium pars in aliquam conſenſerit ſententiam, ea ſcriptis extra librum à Cancellario conſignata altiori voce ab eodem pronunciabitur.

Poſt hæc is, qui ſuffragiis diſtribuendis fuerit à Præpoſito Generali electus, calculos ſingulos ſingulis diſtribuet, & cadiſco affirmationis & negationis notam præferente circumlato, à ſingulis recipiet; poſtremò eundem ad Conſiliarios deferet, qui calculis palàm, & in omnium conſpectu numeratis, quid major pars ſenſerit, publicabunt.

12. Si ſuffragia æqua concurrerint, iterum ad calculos deveniatur: quòd ſi adhuc æqualia deprehendantur ſuffragia, Præpoſito Generali tunc jus ſit duplici utendi ſuffragio, atque hac ratione ſecretis ſuffragiis firmata ſententia à Cancellariu nulla prorſus ex parte immutata ſuo tempore in librum referatur.

13. Quod autem hìc de ſuffragiorum æqualitate ſtatuimus, idem ad quamlibet rem etiam in Definitoriis, & Capitulis Collegialibus, quibus Præpoſitus Generalis intereſt, definiendam obſervabitur.

14. In omni conſultatione, ſive in Capitulo, ſive extra Capitulum, per Præpoſitum Generalem cum Conſiliariis, ſive in Definitorio cum Definitoribus habenda, in qua aliquid definiendum ſit virtute Conſtitutionum, ſecreta ferantur ſuffragia, &, quod major pars cenſuerit, id definitum intelligatur, niſi aliter fuerit in aliquo caſu nominatim determinatum, & à cæteris omnibus etiam contrà ſentientibus Decreto illi ſubſcribatur.

15. Nunquam verò legitimæ ſententiæ ſtatutæ habeantur, etiamſi omnes idem ſentire videantur, niſi ſecretis majoris partis ſuffragiis fuerint confirmatæ, quod & ad alium quemvis tractatum etiam extra Capitulum Generale habendum extendatur, niſi per verbum *Placet* omnes in eandem ſententiam conveniant.

16. Sin propoſitum negotium difficultatibus ſit uſque adeo involutum, ut, cùm in una ex pluribus Congregationibus fuerit examinatum, necdum in eo, quid ſtatuendum ſit, ſatis liqueat, quatuor, vel ſex ad ſummum ex iis, qui Capitulo interſunt, per calculos eligantur, & quod ipſis omnibus, vel majori ipſorum parti viſum fuerit, ab uno ex ipſis ad Præpoſiti Generalis nutum toti Capitulo Generali promulgetur.

17. Si quis tamen aliter ſentiens voluerit prædictorum rationibus contraire, audiatur; ſed tandem, quod prædicti omnes, vel plures ſenſerint tanquam à Domino dictum & decretum, ab omnibus probetur.

18. Ratio horum quatuor aut ſex eligendorum hæc erit: Præpoſitus Generalis duodecim Patres nominabit, qui omnes calculis ſubjiciantur ordine profeſſionis: qui omnium primus majorem ſuffragiorum partem ſupra dimidium habuerit, is electus cenſeatur, & cùm ſenarius numerus expletus fuerit, reliqui prætereantur.

19. Pro negotiorum verò gravitate, vel pro alicujus rei plena cognitione habenda, unum, aut plures Vocales Capitulum eligere poterit, qui vel rem omnino definiant, ſi eidem ita videbitur, vel ad Capitulum definiendam referant.

20. In ſententiis dicendis verborum ambages omnes devitentur: ſimplex oratio nec longior, quàm par ſit, adhibeatur: compoſito corpore, & detecto capite, non tamen aſſurgentes, loquantur, neque altiùs vocem intendant, quàm loci poſtulet amplitudo.

21. Unicuique ſemel tantùm ſenſum ſuum proferre liceat, nunquam iterare ſermonem: verùm ſi res magni momenti ſit, iterum dicere, petita à Patre Generali benedictione, liceat, poſtquam cæteri omnes ſuam dixerint ſententiam.

22. Sermo, qualis decet religioſum virum, religioſus ſit, ac modeſtus: verbum nullum aſperum, aculei nulli, nullus omnino alterius contemptus, ne geſtu quidem: unuſquiſque, quod verè ſentit, liberè enunciet, quocirca nulla cujuſquam ab ullo interpelletur oratio.

23. Silentium ita ſervetur, ut ne ſubmiſſa quidem voce longum colloquium concedatur: dum electiones & ſcrutinia fiunt, & vota recenſebuntur, mentem ad Deum tollent Patres noſtri, & pio affectu pro ipſo Capitulo deprecabuntur, vel librum aliquem legent, non tamen horas canonicas perſolvent.

24. Nemini à Capitulo egredi, aut proprio loco abire liceat injuſſu Præpoſiti Generalis.

De gradibus dignitatum, & ordine ſedendi.

CAPUT XIX.

1. IN Congregatione noſtra præcipua, & omnium maxima dignitas eſt Præpoſiti Generalis: ſecunda Vicarii Generalis: tertia Conſiliariorum: quarta Viſitatorum: quinta *Provincialis Galliæ*: ſexta Definitorum; ſeptima Procuratoris Generalis: octava Cancellarii: nona Superiorum localium, ſive Præpoſiti ſint, ſive Rectores: noviſſima Vice-Præpoſitorum. Præter has nullam aliam volumus in noſtra Congregatione exiſtimari aut appellari dignitatem.

2. In Capitulo Generali Præpoſitus Generalis, peractis electionibus, ſemper medius inter Conſiliarios ſedebit,
App. n. 18 ante quos menſa erit de more, * *major à dextris, minor à ſiniſtris*: poſt hunc Cancellarius: Vicarius Generalis in propria ſede primus omnium: poſt illum Vocales omnes, tum Socii profeſſionis ordine ſervato.

3. Dum habetur Definitorium, Præpoſitus Generalis locum habebit, ut ſupra, Conſiliarii itidem: in capite menſæ à dextris Vicarius Generalis, poſt illum circumſtabunt reliqui profeſſionis ordine, non dignitatis, ſervato: noviſſimus ſedebit, ùt ſupra, Cancellarius.

4. Tempore, & in loco Capituli, vel Definitorii Vocales & Socii extra locum Comitii Collegialibus omnibus, etiam profeſſione antiquioribus præcedant.

5. Extra tempus verò & locum Capituli vel Definitorii ſedendi ordo ex profeſſionis, non ex ætatis antiquitate, ſervandus erit; niſi profeſſione aliqui ſint æquales: tunc enim inter ipſos ætate major præcedere debebit.

6. Præpoſitus Generalis primus omnium ubique ſedeat, poſt illum Vicarius Generalis. Viſitatores, & *Provincialis Galliæ* in ſua ſimiliter quilibet Provincia: in aliena autem poſt Superiorem loci, & Romæ poſt Procuratorem Generalem ſedebunt: Procurator Generalis proximè poſt Superiorem Collegii Romæ ſolùm, ſed extra Domum, omnes præcedat Superiores, non tamen Vicarium Generalem, neque Viſitatorem: Proviſitatores, durante eorum officio, Viſitatoris locum occupabunt, &, cùm ſuo defuncti fuerint munere, ad propriam ſedem revertentur.

7. In domibus noſtris primum locum tenebit Superior, ſecundum Vice-Superior, deinceps reliqui, * *etiamſi in* App. n. 19.
dignitate aliqua ſint conſtituti, ex profeſſionis ordine.

8. Ubi verò loci regimen penes Rectores eſt, niſi à Collegiali Capitulo, vel à Definitorio Vice-Rector electus fuerit, niſi adſit Vocalis Capituli Generalis, profeſſione maximus, & in ſedendo, & in adminiſtranda domo Vice-Rectoris locum & munus ſubeat.

9. Clericus Sacris initiatus, alios non initiatos, quanquam profeſſione antiquiores, præcedat: ſed, cùm iſti eodem fuerint ordine inſigniti, ad debitum ſibi profeſſionis locum aſcendent.

10. Laici profeſſi poſt Clericos (quanquam Novitios) Novitii ſupra Hoſpites & Aggregatos locum teneant.

Inter Novitios præcedat, qui primò ad probationem admiſſus fuerit.

Clericus Novitius Sacris initiatus, primus inter Novitios ſedeat; ſi Sacerdos, ultimus poſt Sacerdotes profeſſos.

De Definitorio, ejúsque munere.

CAPUT XX.

1. Cùm ab uno ad aliud Capitulum Generale graviſſima negotia accidere ſoleant, ne Congregatio damnum aliquod patiatur, Præpoſitus Generalis ſingulis annis intermediis, Dominica tertia poſt feſtum Paſchatis Reſurrectionis Definitorium cogere debebit, quod tredecim votis conſtabit, nempe Præpoſiti Generalis, Vicarii Generalis, * *utriuſ-* App. n. 20.
que Conſiliarii, trium Viſitatorum, *quatuor* Definitorum, Procuratoris Generalis (*ſi ultra triennium confirmatus non fuerit, quòd ſi fuerit confirmatus, ejus loco quintus Definitor jam à Capitulo electus aſſidebit*) & Cancellarii.

2. Quoties autem aliquis ex prædictis deerit, dummodo per literas ad ſingulos Definitorii Patres miſſas fuerit & ipſe vocatus: Præpoſitus Generalis, vel, eo impedito, is, cujus erit Definitorium cogere, & cæteri ex Definitorio prædicto, ſi tamen ſenarium numerum expleant, cum majori votorum parte tot Vocales eligent, quot ad præſcriptum numerum tredecim explendum deerunt: qui ſic electi fuerint, in eo tantùm Definitorio auctoritatem habeant, ultimum in conſeſſu locum. Interim autem, ſi qui ex iis, qui antea Definito-

rio

rio erant adſcripti, ſupervenerint, noviſſimè electi officio cedant.

3. Quòd ſi ex Definitorio quiſpiam perpetuo aut diuturno aliquo impedimento detineatur, Definitorium duabus ex tribus concurrentibus partibus eligat Vocalem alium loco defuncti, aut aliàs impediti.

4. At verò ſi Præpoſitus Generalis, vel infirma detentus corporis valetudine, vel alia legitima cauſa Definitorio intereſſe non valuerit, Vicarius Generalis primum locum cum tota illius auctoritate obtinebit, & alter ad prædictum numerum explendum ea vice tantùm deligetur, ratione qua ſupra. Quòd ſi Vicarium quavis legitima cauſa impeditum eſſe contigerit, tota illius poteſtas id temporis ad Viſitatorem ſeniorem transferatur, quæ Definitorio illo dimiſſo, ſtatim ceſſabit.

5. Dominico die, quo inchoabitur, Miſſa ſolemnis decantetur à Præpoſito Generali, vel ab alio ex dignioribus de ejus mandato, & in aliis Congregationis noſtræ locis piæ ad Deum effundantur preces ad Superioris cujuſque arbitrium.

6. Quamvis autem penes Generale Capitulum legitimè congregatum ſumma & præcipua in omnes, atque omnia Congregationis noſtræ poteſtas ſit, ſecundaria tamen penes Definitorii Patres erit.

7. Spectabit igitur ad Definitorium Novitios recipere, etiam illegitimos, ſed iſtos cum duabus votorum partibus: Superiores, & alios quoſvis locorum Officiales eligere: officii vel dignitatis, ad quam quis electus fuerit, renunciationem juſtis de cauſis admittere: pœnam graviſſimam corporalem extra clauſtra ſubeundam, quæ infamiam irroget, vel carceris perpetui, ſive ad decennium infligere: quæ exemptiones, & quibus ultra annum concedendæ ſint, declarare: perſonas omnes de loco ad locum pro arbitrio mutare: Collegia, in quibus ſoli profeſſi degant, Orphanotrophia, atque etiam Academias, vel Collegia, ubi pueri educandi ſunt (non tamen Clericorum Seminaria) dummodo domus ipſæ Congregationi perpetuò incorporentur, cum duabus Definitorii partibus recipere: Præpoſitum Generalem juſta de cauſa, prout ſupra, ſervatis ſervandis deponere: aggregandos recipere, & alia, quæ à Conſtitutionibus illi tribuuntur.

8. Convocato Definitorio jurabunt Patres de ſecretò tegendis iis, quæ in Definitorio tractabuntur, cujuſcunque illa ſint generis, & primus quidem Præpoſitus Generalis manu libro Evangeliorum appoſita jurabit in hæc verba:

Ego N. Præpoſitus Generalis Congregationis Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia *teſtem invoco Deum, quòd nihil ex iis, quæ in toto hoc Definitorio peragentur, quæ in alterius præjudicium vergere poſſunt, & quæ ſecreta eſſe Patres decreverint, tempore ab iiſdem præſcribendo, cuiquam patefaciam, aut communicabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

9. Eadem ratione reſpectivè alii coram Præpoſito Generali, & cæteris jurabunt; quod in omnibus Definitoriis, etiam tempore Capituli Generalis habendis fiet.

10. Antequam de rebus in Definitorio tractandis agatur, ipſe Præpoſitus Generalis Definitorio exeat, ut cæteris de ipſo liberè loqui liceat, & ſi quid reprehenſione dignum deprehenſum in eo fuerit, à Vicario Generali corripiatur impoſita etiam, ſi ita viſum fuerit, pœna à Definitorio toto ſtatuenda: & hoc ipſum præſtabunt cæteri Definitorii Patres à Vicario Generali uſque ad noviſſimum.

11. Præmiſſo juramento, primùm literæ ad Definitorium datæ perlegentur, &, ſi quæ faciliora erunt, ſtatim definientur: ſi quæ verò difficiliorem, & longiorem requirant diſquiſitionem, in ſequentem ſeſſionem eorum definitio differatur.

12. Solus autem Præpoſitus Generalis in Definitorio proponet, nihil omnino de ſuo addens, nec utram in partem propendeat, indicans: quòd ſi aliquid relatione dignum à Præpoſito Generali fuerit prætermiſſum, licebit alteri ex Conſiliariis, benedictione priùs à Præpoſito Generali petita, proponere.

13. In dicendis ſententiis primus omnium poſt Conſiliarios dicet Vicarius Generalis, deinceps reliqui profeſſionis ordine ſervato. Denique cætera omnia ſervabuntur, quæ ſuprà Cap. *de ordine & ratione rerum in Capitulo proponendarum* præſcripta ſunt, quæ omnia & ſingula hic tanquam repetita habeantur.

14. Novitii, ſi qui perſonaliter aderunt, à duobus ex Definitorio Patribus examinabuntur, qui rem ad totum Definitorium verè & ſincerè referent, pri-

mique omnium ſententiam dicent. Atque hic Patres noſtri ab iis, quæ de Novitiis recipiendis ſtatuta ſunt, nulla ex parte diſcedent.

15. Decretis factis, & à Cancellario deſcriptis, ad Superiorum electiones Definitorii Patres accedent, & ſi qui erunt Superiores, acceſſentur, ut & ſchedam Cancellario tradant, in qua omnes tam profeſſi, quàm non profeſſi, ſub ipſorum regimine degentes, locorumque quibus præſunt, neceſſitates, & quæ iiſdem profutura judicaverint, deſcripta ſint: tum credita, & ſummam pecuniæ, quam reliquerunt in arca Vice-Superiori conſignatam, & quam ſecum detulerunt, & apud ſe ſervant, ſcripto fideliter exhibebunt Definitorii Patribus.

16. Poſt hæc Præpoſitus Generalis, & Viſitatores, ſi quid erit animadverſione dignum de Superioribus, vel amovendis, vel commutandis, vel promovendis, proferent, nihil ſupprimentes eorum, quæ ut dicantur, ſaluti publicæ, etiam cum alicujus certæ perſonæ incommodo, utile futurum cenſuerint; nec non locorum neceſſitates tam temporales, quàm ſpirituales proponent.

17. Ante Superiorum electiones caput primum libri tertii noſtrarum Conſtitutionum prælegatur à Cancellario, & quidquid in illo præſcribitur, attentè, diligenterque notetur, & obſervetur.

18. Electio Superiorum ab antiquioribus locis ſumet initium, & Scrutatores erunt Præpoſitus Generalis, Conſiliarius minor, & Cancellarius. Emiſſo juramento ab omnibus de probioribus, & magis idoneis eligendis, ſchedam, in qua Vocales omnes deſcripti ſint, præ manibus ſinguli habebunt: mox eorum, qui ad Superioritates idonei cenſebuntur, diligens à Patribus fiet inquiſitio. Interim in paratis ſchedis illum unuſquiſque ſcribet, quem nominare voluerit, atque in urnam mittet: in ſcribendis ſchedis pro Superiorum electione cura diligens adhibeatur, ne ſcriptura ab ipſis etiam Scrutatoribus dignoſci poſſit.

19. Si in primo ſcrutinio nemo electus reperietur, omnes nominati calculis ſubiiciantur, & qui majorem ſuffragiorum partem ſupra dimidium reſpectivè obtinuerit, is electus declaretur.

20. Illud verò in Superiorum electionibus obſervent Patres, ut, qui per triennium Superiores fuerint, à Superioritate ejusdem loci amoveantur * *Si verò ultra triennium ob gravem aliquam neceſſitatem, vel juſtam ob cauſam confirmari expediet, quod ut rarò fiat, valde exoptamus, cum duabus Definitorii partibus prorogatio talis decernatur.* *App. n. 21.*

21. Illi autem erunt eligendi, * qui *App. n. 22.* non ambiiſſe dignitates, ſed ex intimo humilitatis affectu abhorruiſſe potiùs exiſtimentur: qui charitate, prudentia, patientia, in rebus agendis dexteritate, virtutum perfectione, religionis zelo ſic inter alios excellant, ut aliis meritò & præeſſe debeant, & prodeſſe poſſint. Nunquam in Superiorem is aſſumetur, qui ab emiſſa profeſſione ſexennium non expleverit; qui propriis commodis, non publicæ utilitati deſervire ſoleat; qui bis à Religione defecerit, vel annum integrum, ſeu circiter Apoſtata fuerit; qui pœna graviſſimæ culpæ mulctatus; qui reus à ſanctæ Inquiſitionis Officio judicatus; qui de infideli bonorum temporalium adminiſtratione, aut dilapidatione convictus aliquando fuerit; qui ſæcularium hominum, etiam Principum conſuetudine delectetur, cum præjudicio vel Religionis, vel religioſæ diſciplinæ.

22. Nemo, qui ob adverſam valetudinem communes Chori, vel Triclinii obſervantias ut plurimum ſubire nequeat, niſi probitate, prudentia, & rerum experientia defectus illi compenſentur, eligatur in Præpoſitum, vel Rectorem.

23. Locorum Superioribus electis, ſi qui Officiales alii, puta Vice-Præpoſiti, vel Parochi eligendi Definitorio videbuntur, hic erit eligendi locus: poſt quorum electiones de cæteris perſonis mutandis agetur.

24. Cancellarius libellum habeat, in quo Concionatores, Confeſſarii, & Præceptores omnes, ac Clerici tam in ſacris conſtituti, quàm ſimplices deſcripti ſint.

25. Caveant autem Definitorii Patres, ne ſupra vires, & facultates perſonarum numero loca onerentur, & nimiùm frequentes fiant earundem perſonarum de loco ad locum mutationes. Cæterum jam factas à Definitorio, quantùm fieri poterit, ſervandas curet Præpoſitus Generalis.

De

De novis Domibus recipiendis.

Caput XXI.

1. Nova loca ſi Capitulo Generali, vel Definitorio proponentur, illud in primis animadvertent Patres præteriti temporis experientia edocti, ſatius eſſe fundatis jam bene providere, quàm nova recipere, perſonarum, quibus novis locis eſt ſubveniendum, habita ratione. Conventiones, onera, & qualitates loci, ſitus videlicet, proſpectus, vicinia, & hujuſmodi diligenter examinentur, an ſcilicet in iis aliqua reperiantur, quæ noſtris privilegiis, & religioſæ libertati, ſeu decori adverſentur: an ab acceptis domibus temporis progreſſu ulla de cauſa ejici poſſint Patres noſtri: redituum temporalium non ſola habeatur ratio, ſed profectus in vinea Domini, & animarum ſalutis potiſſima.

2. Domus novæ, quo ad fieri poterit, fundentur in Urbibus tantùm, vel Oppidis inſignioribus: ubi fuerit inſalubritas aeris, recuſentur; honeſta adhibita excuſatione: quæ ab aliis Congregationis locis valde diſtant, rariſſimè recipiantur: ubi proventus annui certi, vel conſuetæ Eleëmoſynæ adeo ſint tenues, ut duodecim ex Noſtris ali non poſſint, nullo modo. Hæc ut faciliùs cognoſcantur, priuſquam proponatur Capituli, vel Definitorii Patribus novi loci receptio, duo ex Noſtris à Præpoſito Generali, ſi commodè fieri poterit, ad eum videndum deſtineotur: ii Capitulo, vel Definitorio referent à ſe viſa, & obſervata, ac libro Actorum Capituli Generalis deſcribentur ab iis narrata, illorum firmata juramento. Quæ loca Congregationi detrimento eſſe cognoſcent Patres Definitorii, ab iiſdem dimittantur, Capituli Generalis accedente conſenſu, ſi tamen tunc temporis Capitulum celebretur.

3. Nova loca nulli ex Noſtris ibi habitaturi adeant, niſi priùs literis Apoſtolicis, ubi opus fuerit, vel ſcripturis quibuſcunque neceſſariis expeditis, ac illarum exemplo à Præpoſito Generali recepto.

4. Orphanorum loca ſumma animi promptitudine recipiantur, ſed cum Protectoribus prudenter agatur.

5. Extra Definitorii, vel Capituli Generalis tempus poſſit Pater Generalis cum voto Conſiliariorum per literas habendo Collegium aliquod, vel Orphanotrophium recipere, ſi ita expedire judicabit, penſatis circumſtantiis, quæ ſuprà.

De aggregandis ad Religionem.

Caput XXII.

1. Varietate domorum noſtræ Congregationis inſpecta non inutile erit, ſi quis laicus ſe obtulerit, qui profeſſioni minimè ſit idoneus aptus tamen judicetur ad ſerviendum, maximè in locis Orphanorum, illum noſtræ Congregationi aggregare. Hoc à Definitorio, vel cum conſenſu Definitorii à Præpoſito Generali fiet icto per Notarium fœdere, ut ſcilicet illum in hujuſmodi locis alere teneamur, ipſe nobiſcum perſeverare, duabus additis conditionibus: quarum altera erit, ut ſi illius crimina, vel mali mores id merebuntur à Congregatione expelli poſſit ad judicium Definitorii: altera, quòd ſi aliquo caſu inopinato eveniat, ut in locis Orphanorum à nobis ſuſtentari non poſſit, in Collegiis noſtris hujuſmodi Aggregatum alere nullo fœdere obligemur, ſed ei favere apud Hoſpitalium regentes, ut eum in ſuam recipiant tutelam, vel in alio noſtro loco Orphanorum ſuſtentare. Sacerdotes etiam, ſi ita ad majorem DEI gloriam, & ad Congregationis commodum expedire videbitur, à ſolo Definitorio aliquando aggregari poterunt, modò eandem vivendi rationem cum cæteris profeſſis ſuſcipiant, nec unqnam pecunias apud ſe retinere ſub ullo prætextu præſumant, quod etiam aggregatis Laicis vetitum ſit.

2. Volumus tandem, ut hæc ratione Aggregati, qui nobiſcum vivunt, ſimplicia vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ manu ſui Superioris in ingreſſu tantùm privatim profiteantur, quorum obligatio duret, quouſque nobiſcum fuerint.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS.

Monita ad Interiorem Cultum, & ſpiritualem profectum pertinentia.

CAPUT I.

1. SOmaſchenſis Religionis caſtra quicunque ſumus ingreſſi, hunc nobis initio finem propoſuimus, ut expugnatis vitiis, quibus anima turpiter deformatur, & evitatis peccandi occaſionibus, quæ in ſæculo plurimæ paſſim obiiciuntur, per virtutum gradus ad perfectionis faſtigium conſcenderemus. Hunc eundem finem ita neceſſe eſt aſſiduè verſari nobis ob mentis oculos, ut internum obtutum ab eo nunquam avertamus. Sic enim fiet, ut de eo conſequendo miru[m] in modum ſoliciti, lætis animis amplectamur univerſa, quæ tanquam ſolida adjumenta in noſtris Conſtitutionibus proponuntur. Pro interiore igitur animæ cultu ſequentia documenta præcipuè ſubjicimus, quæ qui ſui ſpiritualis progreſſus amantior fuerit, tanquam præcepta Domini excipiet, & diligenter obſervabit.

2. Cogitemus de terra Ægypti, quæ ſæculum eſt, in terram lacte, & melle manantem, quæ Religio eſt, nos evocatos à Domino, ut ſimus gens ſancta, populus electus, & dilectus, in cujus medio ipſi jucundum eſt inhabitare; ac proinde, quidquid illius oculis diſplicere poteſt; ſtatim tollendum de medio: amorem amore compenſandum, & dummodò Deum diligamus, nihil reliqua omnia eſſe facienda.

3. In iis omnibus, quæ cogitamus, quæ privatim, quæ publicè dicimus, facimus, etiamſi minima ſint, DEI gloria, & ſpiritualis utilitas vel noſtra, vel proximi ſemper ſpectetur.

4. Sicut nullum eſt momentum, quo DEI bonitate, & miſericordia non perfruamur, ita nullum ſit momentum, quo internis oculis eundem præſentem non intueamur, tanquam operum, verborum, & cogitationum noſtrarum teſtem, atque inſpectorem. Hac enim laudatiſſima præſentiæ DEI commendatione nihil ferè efficacius eſt ad mala quæque præcavenda, & ad perfectionem attingendam.

5. Moleſtia quæcunque, & qualiſcunque ea fuerit, & undecunque obvenerit, ipſa etiam impedimenta, quibus à ſpirituali progreſſu retardari nobis videbimur, peccatis excluſis, pacato animo tanquam è manu DEI parentis optimi ſuſcipiantur, & eidem offerantur conjuncta cum cruciatibus Domini Noſtri JESU Chriſti ad laudem, & gloriam ipſius.

6. Tepiditas ex animo prorſus, & ſtatim evellenda eſt, alioquin inſtar febris hecticæ univerſum robur, vireſque ſpiritus enervabit.

7. Cum graves ſeſe nobis objecerint difficultates, quæ nos à DEI cultu, & à ſtudio perfectionis avertere conentur, cùm peccatorum metus, & juſti judicis rigor ad diffidentiam nos impulerit, tunc maxima fiducia ad Deum confugiamus, eundemque Patrem, & quidem amantiſſimum cogitemus, ſciamuſque non confundi aliquem, qui ſperet in DEO, imò quod noſtrum ad ſolatium, Divus Bernardus ajebat, nil omnipotentiam Verbi clariorem reddere, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui ſperant in eo, ut nimirum omnia quæcunque voluerint, & petierint, conſequantur.

8. Quidquid in aliis vel nos ipſi reprehenſione dignum judicaverimus, vel ab aliis reprehenſi audierimus, ſtudioſè à nobis declinetur: quidquid etiam laudatione dignum animadverterimus, id æmulari, & conſequi ſtudiosè nitamur.

9. Congregationem noſtram loco parentis habeamus, amemus, &, ut ea bene audiat ab omnibus, quantum in nobis eſt, ſtrenuè laboremus: privati tamen affectus omnino eradicentur.

10. Conſuetudines à ſæculo in Religionem allatæ valido conatu, adhibito Superiorum, & Patrum ſpiritualium adjumento, prorſus evellendæ ſunt. Contra verò omni diligentia contendendum, ut novitius ille fervor, qui noſtræ converſionis initio animum inflammabat, ad ſerviendum DEO in ſanctitate, & juſtitia, proceſſu temporis non intepeſcat.

11. Initio cujuſque menſis virtutem unam ſinguli deligent, in qua ſeipſos toto illo menſe diligenter exerceant, & ſingularem pugnam ſimiliter ſuſcipient adverſus vitium, quod eidem virtuti opponitur. Sanctum unum ex multis, qui eo menſe occurrerint, forte patronum eligent, cujus ad honorem quo-

quotidie Dominicam precationem cum Angelica ſalutatione recitabunt, precabuntúrque, ut ad eam virtutem acquirendam, & vitium extirpandum, ſua interceſſione opem à Deo impetret.

12. Parvi, qui videntur, animorum morbi, & leviſſima vitia à nemine negligantur. Nam à parva ſcintilla magnum ſæpè excitatur incendium.

13. Parentes, conſanguinei, amici, facultates, & id genus alia, quibus renunciavimus, ut nudi nudum Crucifixum ſequeremur, ſi denuo noſtros per affectum invaſerint & occupaverint animos, Chriſti aſpectu indigni judicabimur, ac proinde etiam Regno cæleſti.

14. Chriſti ſervo omne ſolum patria eſt, imò veriùs totus mundus exilium eſt, & ſola cæleſtis Hieruſalem, ad quam adſpirat, patria. Nulla ſit igitur apud nos locorum vel Gentium diſtinctio: ſed unum Patrem, qui Deus eſt, unam Matrem, quæ Religio eſt, unam Patriam, quæ Paradiſus eſt, cùm habeamus, communi benevolentia & charitate omnes, & omnia loca complectamur in Domino, ibique & cum illis libentiùs verſari velimus, ubi abnegandæ voluntatis frequentiorem & majorem nanciſcimur occaſionem.

15. In tentationibus, quibus variè, atque etiam durè illum exagitari oportet, qui ad Dei ſervitutem acceſſit, declinanda eſt, & diligenter cavenda imbecillitas animi, & infirmitas, timor juſtò major, vana triſtitia, conſcientiæ ſcrupuli, quibus cordis libertas, & ſpiritualis profectus præpediri ſolet: revocanda verò ad mentem merces ampliſſima, quæ bonum certamen certantibus promiſſa eſt, illéque imitandus, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Plurimùm proderit, omnia vel Superiori fidenter, vel Patri ſpirituali indicare, atque aperire, & ex eorum conſilio vivere.

16. Aliquid lectionis ex unico pio libro, donec integrum percurrerint, quotidie noſtri memoriæ impriment, & documentum aliquod pro ſuo interiore profectu inde ſtudebunt haurire.

17. Pax noſtra interna ex linguis, judiciiſque hominum non pendeat, ſed ex teſtimonio propriæ conſcientiæ, & ex fiducia, quæ tam in adverſis, quàm in proſperis ponenda nobis in Deo eſt.

18. Si ex imbecillitate, fragilitatéque noſtra ad impatientiam, vel ad indignationem ab aliquo ex Fratribus irritari nos ſenſerimus, ne pax turbetur, & rixæ oriantur, cuſtodienda diligenter lingua eſt, ne ea proferat, ad quæ importuno, & quaſi concitato ſpiritu impellitur, & quæ ſi effutierimus, dixiſſe poſtea nos pœniteat, cùm mentis ſerenitas redierit. Meminerimus beatos nos eſſe, cùm pro amore JEſu Chriſti injurias patimur & contumelias.

19. Religioſo verè humili nemo in hac vita felicior. Cùm enim & ſe ipſum pro nihilo habeat, & terrena omnia; ridet, ſi irrideatur; gaudet, ſi conculcetur; ſi reprehendatur, culpam libenter agnoſcit; ſi offendatur, ſtatim ignoſcit. Unuſquiſque noſtrum igitur JEſu Chriſti humilitatem, manſuetudinémque imitari ſtudeat, & eligat abjectus eſſe in domo Dei, vilioribus exercitiis addici; ſubeſſe, non præeſſe; doceri, non docere; & vilis potiùs, quàm humilis haberi: ſic enim & tranquilla quiete fruetur in hoc ſæculo, & feliciſſima in futuro.

20. Unius Dei favore & benevolentia contenti, ab hominibus amari, præterquam à bonis, nunquam affectemus. Neque enim Deo placet, qui placere mortalibus ſtudet.

21. Facilè inquieti, ſuſpicioſi, indignabundi erimus; facilè etiam noſtri obliviſcemur, ſi aliena dicta & geſta curioſè conquirere voluerimus. Niſi ergo officii neceſſitas, & charitas nos urgeat, vel tacendum nobis eſt, cùm de aliorum vitiis agitur, vel ſermo prudenter amputandus, & ad meliora transferendus.

22. Temeraria judicia ſedulò vitentur: ſuſpiciones, quæ noſtris ſeſe importunè ingerunt animis, non facilè admittantur, neque continuò putemus nullos ibi bonos eſſe, ubi multos videmus non rectè vivere. Aliorum peccata doleamus, continuis precibus à Deo depoſcamus emendationem, & de nullius peccantis vera converſione & pœnitentia deſperemus.

23. Noſtri omnes, & Superiores præſertim, modeſtiam, religioſámque ſerenitatem potiùs, quàm nimis auſteram gravitatem vultu præferant, benigni ſint omnibus, nemini ſigna charitatis denegent, nemini invideant, benefaciant iis potiſſimùm, à quibus læduntur, cum iiſdem mitiùs & benigniùs agant, quàm cum aliis.

24. Ut proximum opere, & veritate diligamus, prout debemus, eundémque, ut ex noſtro Inſtituto, in obſequium Dei promoveamus, non aſpicienda eſt in homine vilitas exterior, ſed animæ præcellens nobilitas, & forma, quam ita Dei Filius adamavit, ut pro ea & carnem aſſumpſerit, & crucem. Sic enim dolebimus, ſi eam peccatis aut vitiis dedecorari; lætabimur, ſi in via ſalutis proficere conſpexerimus, & illius juvandæ omnem avidè occaſionem arripiemus.

25. Solatia & oblectamenta in rebus externis quærenda non ſunt, ſed in ſolo Deo, & rebus divinis.

26. Ad virtutum perfectionem ille feliciùs, ac ſine dubio faciliùs perveniet, qui communi mentis orationi tam manè, quàm veſpere alteram ſemihoram privatim adjunget.

27. Cavendum eſt, ne in internis exercitiis adnixu, plusquàm par eſt, vehementi occupentur mens & cogitatio; ut capite, ac reliquo corpore ſani, & ſpiritu integri in Dei obſequio perſiſtere puſſimus.

28. Deus non ſolùm internis ſtudiis, ſed etiam externis exercitationibus pro ſui amore piè ſuſceptis magnopere delectatur: Quamobrem & Laici, & qui ad miniſtrandum aliis deſtinati ſunt, ſuis ſi naviter functi fuerint officiis, & gratiſſimi Deo erunt, & per laborioſas vitæ præſentis actiones ad ſupernam quietem ab eo deducentur.

De Conſtitutionibus universè.

CAPUT II.

1. Quod primo loco Noſtros monitos volumus, illud eſt, ut ſciant, ſe in Somaſchenſem familiam, quæ Chriſti militia eſt, ab ipſo vocatos idcirco fuiſſe, ut perfecti ſint & integri, in nullo deficientes, ut ait Divus Jacobus; eum autem deficere, qui in Legum & Conſtitutionum obſervatione indies non proficit, & qui ſic deficit, eum non eſurire, non ſitire Juſtitiam, ut ſcilicet ſemper juſtior ac perfectior evadat, prout debet, ſed paulatim in humanam carnis libertatem abripi & abſtrahi: omnia illi dura, omnia aſpera & amara, quæ à Superioribus jubentur, vel præſcribuntur à Conſtitutionibus, videri: nihil illi dulce, nihil ſuave, quod ex inſtituto ſit Religionis. Quamobrem ſciant, ſeriam Conſtitutionum obſervationem ſcalam eſſe Jacob, qua ad perfectionis altitudinem, hoc eſt, ad Dei conſpectum, unionémque conſcenditur; eandem verò neglectionem præcipitem eſſe deſcenſum, quo è virtutibus in vitia, è plano ac ſtabili loco in prærupta ſaxa infeliciſſimè delabimur.

2. Licèt ergo noſtra Congregatio, ubi primùm à ſanctiſſimo Pontifice Pio V. in Religionum numerum relata eſt, Regulæ D. Auguſtini ab eodem ſubjecta ſit, peculiaribus tamen Legibus & Conſtitutionibus ad inſtituti ſui rationem accommodatis, facultate ſuper hoc ab Apoſtolica Sede obtenta, hactenus innixa eſt, & ex illis in divino famulatu, non ex aliqua alia Regula, ad charitatis amplitudinem, & propoſitam perfectionis normam dirigi conſuevit.

3. Conſtitutiones verò, quas diuturna tot annorum experientia, tot Patrum in celebratis hucuſque Comitiis prudentia, diligentia, ſollicitudo edidit, & conſcripſit, additis precibus ac jejuniis ad divinum in re tanta lumen implorandum, in noviſſimo anni MDCXXV. Generali Capitulo rurſus, quàm fieri potuit, diligentiſſimè, accuratiſſiméque ad examen revocatæ, & Patrum omnium per ſecreta ſuffragia approbatæ conſenſu, decretum eſt, ut Apoſtolicæ firmitatis robore communitæ, quamprimùm imprimerentur, & evulgarentur, ne ab earum obſervatione quemquam excuſaret ignoratio.

4. In primis ergo & ſi cupimus Leges, Conſtitutionéſque noſtras à Noſtris haberi, tanquam externa adminicula & Incitamenta religioſæ perfectionis, ac proinde eas in omnibus rebus, quantumvis minimis, ab omnibus ſanctè, inviolatéque obſervari: cùm tamen optemus Noſtros omnes ſecuros eſſe, aut certè adjuvari, ne in laqueum incidant alicujus peccati, quod ex vi Conſtitutionis proveniat; declaramus nullas ex noſtris Conſtitutionibus obligationem aliquam ad culpam ſive mortalem, ſive venialem inducere, niſi unius ex tribus votis ſit illi annexa violatio, vel contemptus accedat, vel præceptum in virtute ſanctæ Obedientiæ, vel cenſura Eccleſiaſtica, vel aliquid ſimile, quod ſua natura eum, qui Legi non obtemperaverit, peccato reddat obnuxium.

5. Ne autem idcirco vigor, ſeu etiam rigor religioſæ diſciplinæ deferveat, qui, ubi ſemel in Religione remittitur, deformari ſtatim ejuſdem Religio-

nis

nis decorem, omniúmque rerum ſpiritualium nauſeam ac interitum ſequi neceſſe eſt; volumus, ut pœnarum uſus apud nos, & cum noſtris omnioo vigeat, ita ut minima etiam delicta nunquam diſſimulentur, ſi in illis vel notetur, vel timeatur diſciplinæ neglectus; ſed ſingulis ſingulæ pœnæ reſpondeaot, ùt in libro de pœnis decernitur.

6. Hìc ad evitandum evitanda ſtatuimus, & declaramus, in pœnam nullam ante declarationem incurri, quamvis appoſita illi eſſent conſueta verba, *ſub pœna &c. ipſo facto incurrenda*, ſecus de pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quæ ſtatim afficiet, & de caſibus in jure expreſſis.

7. Cùm omnia legibus comprehendi non poſſint, ſi res occurrerit, de qua noſtræ Conſtitutiones nihil decreverint, agatur tunc ex juris communis præſcriptione, & cum Seniorum conſilio, ad rectas conſcientiæ & prudentiæ regulas.

8. Si dubitatio aliqua vel obſcuritas emerſerit, quæ interpretationem aut declarationem poſtulare videatur, ad Capitulum Generale, vel ad Definitorium res tota deferatur: interim tamen Præpoſitus Generalis, quid faciendum ſit, ſtatuat, cum conſilio Conſiliariorum vel Aſſiſtentium.

9. Quidquid in uno Generali Capitulo aut Definitorio fuerit in Domino ſtatutum, curabant Superiores ſuo in primis exemplo, ut omnes magna cum humilitate & alacritate illud amplectantur, & obſervent: ſed inter Conſtitutiones non referatur, niſi ita faciendum per vota ſecreta ſubſequeotis Capituli Generalis Patres cenſuerint.

10. Singulis ſextis feriis Conſtitutiones publicè legantur inter refectionem, vel ſingulis diebus unum caput earum, unà cum Decretis, ſi quæ in Capitulis Generalibus, Definitoriis, aut à Patre Generali emanaverint: quæ Decreta ſtatim imprimi mandamus, & ad Superiores locorum mitti, ut ad omnium notitiam deveniant.

11. Laicis capita illa, quæ ad eos ſpectant, ob illorum Latinæ linguæ imperitiam idiomate vernaculo explicentur à Patre Vice-Superiore, vel ab alio Sacerdote de Superioris mandato ſemel in hebdomadam, idque feſtis diebus, quibus & ad Legum obſervationem, & ad ſpiritualem profectum ab eodem diligenter & accuratè ut animentur, volumus, & hac in re Superiorum conſcientias oneramus.

12. Immunitates à Choro, à triclinio, à communibus cibis, & aliis legibus non paſſim, nec ſine cauſa urgenti, & ea tantùm durante, concedantur: &, ſi quæ concedendæ fuerint, Præpoſitus Generalis ad annum duntaxat, & non ultra, Viſitatores ad quatuor menſes, ad breviſſimum tempus Superiores, prout ſuis ſubditis opus fuerit, diſpenſare poſſint: & tam ille, quàm iſti proximum Definitorium de cauſa, ſive cauſis factæ diſpenſationis commonefaciant. Perpetuæ exemptiones ſoli Capitulo Generali ex cauſa reſervantur.

13. Novæ Conſtitutiones nunquam fiant, neque jam factæ immutentur, niſi gravis adſit neceſſitas; ſed aliqua alia ratione provideatur, prout in Domino meliùs viſum fuerit.

14. Quòd ſi in novis faciendis aliquid obrepſerit, quod ſacris Canonibus, Conciliis, Decretiſque ſummorum Pontificum adverſetur, nullius ſit momenti, niſi ex privilegiis noſtræ Congregationi conceſſis robur & auctoritatem deſumpſerit.

De Horis Canonicis.

CAPUT III.

1. Clericos noſtros, ſtatim atque profeſſionem emiſerint, ex eo tempore, ubicunque degere illos contigerit, ad horas Canonicas ex Romani Breviarii præſcripto, ritúque perſolvendas, ſanctæ Obedientiæ præcepto, ac proinde pœna peccati lethalis adſtringimus, & obligamus.

2. Laici (non quidem eo præcepto, ſed pœna per Conſtitutiones & Superiores infligenda) ſi legere noverint, Officium parvum B. Mariæ Virginis; ſin ſecus, pro Matutino orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam vicies & quinquies, pro Veſperis decies, pro ſingulis horis quinquies recitare teneantur.

Iidem Miſſæ ſolemni, feſtis diebus, niſi legitimè impediantur, & Veſperis, cùm decantantur, ſemper interſint.

3. In omnibus noſtris plenis Collegiis uſque ad præſentem annum fundatis (plena Collegia vocamus ea, in quibus duodecim plerumque reſident, quicunque

illi ſint, ſive ſoli profeſſi, ſive cum profeſſis Novitii, Aggregati, Hoſpites) & in iis Eccleſiis, quæ à Definitorio ad hoc ipſum ominabuntur, totum divinum Officium in Choro quotidie recitetur. Matutinum cum Prima circa Auroram abſolvatur: Tertia, Sexta, & Nona circa horam prandii. At, ubi Miſſa ſit decantanda, tunc dicetur ad præſcriptom rubricarum Miſſalis. Veſperis jungatur Completorium, niſi ſacra lectio ſit interponenda. Io Quadrageſimæ jejuniis ante 'refectionem prandii recitabuntur horæ veſpertinæ; Completorium poſt horam vigeſimam tertiam, & dimidiam.

4. Dies feſti Sanctorum Auguſtini, & Majoli duplici ritu cum octava apud nos ita ſolemniter celebrentur, ſicut & Patroni Eccleſiæ cujuſcunque loci.

5. In feſto S. Petri Martyris, qui dies eſt noſtræ Congregationis natalis, totum Officium duplex fiat, & Miſſa ſolemniter pro gratiarum actione decantetur: Clerici, & Laici poſt peccatorum coofeſſionem ad ſacram Communionem accedent, & profeſſi omnes coram Superiore, vel proprio Confeſſario ad formulam in Rituali editam vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis pio affectu renovabunt. Hæc verò votorum renovatio ut quotidie poſt matutinam mentis orationem à Noſtris privatim fiat, maximè cupimus, & vehementiſſimè eos hortamur, ſed in præcipuis ſolemnitatibus, & præſertim prima die Ianuarii majori cum pietate, ac cæremonia ab omnibus ut fiat, Superiores ſua charitate, ſuis item cohortationibus conſequi nitentur.

6. Singuli Sabbatis poſt horam vigeſimam tertiam hyeme, poſt vigeſimam ſecundam æſtate canantur in Choro Litaniæ B. Mariæ Virginis cum Antiphona *Salve Regina*, vel alia, quæ eo tempore Divinum Officium ad præſcriptum Romani Breviarii terminari conſuevit: idem fiat in vigiliis, & feſtis diebus ejuſdem B. Virginis.

7. Nemo ſine venia aberit à Choro, vel ab eo recedet, & omnes adeſſe curabunt, dum datur ultimum campanulæ ſignum.

Inter pſallendum ſi errorem aliquem commiſerit Clericus, terram ore deoſculetur; ſi Sacerdos, manu.

Oſtia Chori, ſi per ea facilis eſſe poterit ſæcularibus io Chorum aditus, clauſa ſint, dum Noſtri officia divina perſolvent.

Candelæ cereæ ſaltem duæ tam profeſtis, quàm feſtis diebus, dum recitantur Horæ diurnæ, ardeant ſuper altari.

Collocotionibus, riſu, & nutibus mentem diſſipatam, & evagantem indicantibus omnes abſtineant.

8. In recitandis Horis Canonicis ſtudeant, ut voce continenti, ac perpetua, non flexionibus ac minuritionibus variata pſallant omnes: moderata in pronuntiando tarditate utantur: ſimul deſinant; mediis in verſiculis paululum interquieſcant: in extrema verſiculorum ſyllaba ne immorentur. Denique & pietatis affectum exprimant ipſi, & eundem io audientibus exciteot.

9. Chorum quoties aliquis ingreditur, poplite ad terram uſque flexo, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum adoret; inde ad Superiorem converſus debitæ reverentiæ ſignum eidem exhibeat quod & faciendum eſt, quoties e Choro quis egreditur.

Decens corporis habitus ubique retinendus eſt, ſed in Choro præſertim, ubi divinis adſtaotes myſteriis ſupremum omnium Regem alloquimur.

10. In Choro hæc ab omnibus accuratè diſciplina ſervetur, ut antequam Superior ſedeat, ſedere nemo audeat: ut ſimul omnes aſſurgant; cum dicitur *Gloria Patri*, cum oomen JESU, ſeu Mariæ pronuntiatur, caput ſimul detegant, & inclinent; dum cantantur Antiphonæ, omnes, qui ſtant à lateribus Chori, vel nimiùm diſtant à libro, in medium prodeant: ſi in cantu erretur, nemo errantes corrigat, niſi Superior, vel qui cantui præeſt: ut levitatem, multò magis immodeſtiam ſedendo, eundo, ſtando, genua flectendo unuſquiſque deviter: ut ſilentium omnioo, & præſcriptæ in Romano, & in noſtro Rituali cæremoniæ exactè ſerventur.

11. Officia, & Miſſæ Sanctorum, quorum noſtris in Eccleſiis inſignes Reliquiæ cuſtodiuntur, ritu duplici celebrentur, & debita cum veneratiooe feſtis eorum diebus exponantur.

De Miſſarum celebratione, & Mortuorum exequiis.

CAPUT IV.

1. SAcerdotes noſtri rem ſacram quotidie peragant ad Miſſalia Romani præſcriptum, hora, & le-

loco conſtituendis ab eo, qui huic muneri præerit, ad cujus nutum præſto omnes eſſe debebunt.

2. Qui aliqua die à celebratione abſtinere voluerit ex cauſa, id opportunè ſignificabit Sacrarii Cuſtodi, & Miſſam nihilominus audiet: quod ut Clerici, & Laici noſtri quotidie faciant, præſenti Conſtitutione præcipimus.

3. In Miſſis novis nullæ fiant oblationes, neque hujuſmodi Miſſæ celebrentur in Eccleſis alienis ſine Præpoſiti Generalis, vel Viſitatoris licentia: in votivis, & anniverſariis nemo defraudetur. Miſſam novam nemo celebret, qui in ritibus, & cæremoniis non bene ſit inſtructus, judicio Superioris.

4. Ritus, & cæremoniæ ex præſcripto Miſſalis, Cæremonialis Romani, & Ritualis noſtri accuratè ab omnibus obſerventur. Superiores exemplo ſint aliis, & ut ſubditorum unuſquiſque in iiſdem excellat, ſtudioſè curabunt.

5. Quamobrem ex Sacerdotibus aliquem in cæremoniis maximè peritum, & exercitatum conſtituant, qui Sacerdotes alios, & Clericos inſtruat diligenter, vitia vel minima notet, iiſque indicet; ab eodem verò doceri nemo erubeſcat; petere non gravetur; ſi corrigatur, id æqui, bonique conſulat.

6. Hujus munus erit omni ſtudio & diligentia eniti, ne in ſolemnibus Miſſis, Horis Canonicis, Supplicationibus, aliiſque functionibus, iis præſertim, quæ Majori Hebdomada fiunt, ac præcipuis totius anni ſolemnitatibus confuſio, aut error aliquis obrepat, unde ſpectantium oculi, & animi offendantur.

7. Sed ut omnia exquiſitè, & cum decore peragantur, pridie quàm Miſſa ſolemnis, vel alia publica functio in Eccleſia celebretur, Superior cum Seniorum conſilio ſchedulam conſcribi, eandemque loco conſueto jubebit affigi, diſtinctè continentem munera & officia, quæ unicuique ea in ſolemnitate erunt obeunda.

Cæterum ut in cæremoniis religioſam gravitatem, ita in Eccleſiis, & in functionibus ejuſmodi cultum, geſtum, inceſſum, in Noſtris deſideramus; ut veros DEI miniſtros noſmetipſos repræſentemus.

8. In Eccleſiis alienis præcipuè Monialium, aut puellarum (Confeſſariis, & iter agentibus exceptis) celebrare Noſtris non liceat abſque Superioris facultate, quæ ſine urgenti ratione minimè concedatur.

9. Si quid celebranti Sacerdoti occurrerit, de quo admonendus ſit Clericus, vel alter qui illi inſerviat, id faciat ſubmiſſa voce, & à charitate admonitio ortum habeat. Legitimè tamen ad Superiorem, vel ad Viceſuperiorem, abſente Superiore, ſpectabit errantium correctio.

10. Extra noſtras Eccleſias onera Miſſarum celebrandarum nulla recipiantur.

11. Miſſarum, & divinorum Officiorum, & aliæ quæcunque obligationes perpetuæ non accipiantur, niſi cum expreſſa licentia Præpoſiti Generalis, vel Definitorii *in Italia*, *Provincialis in Gallia*: acceptarum verò extet tabella in ſingulis Sacrariis, quæ illas fideliter exprimat, & quot annis à Viſitatore viſitationis tempore recognoſcatur. Iiſdem ut ſuo tempore ſatisfiat, operam dabunt ſedulam Superior, & Æditus: pecuniæ verò, ſeu bona mobilia pro hujuſmodi obligationibus accepta in bonis ſtabilibus fructiferis quamprimum implicentur.

12. Simul cum Sacerdote ad Miſſam ſe præparante orent genibus flexis, qui eidem inſervituri ſunt, Deumque precentur, ut ſacrificium illud dignè offeratur.

13. Nemo, etiamſi ſit Superior, non ſibi ſubditis Miſſas dicendas, vel applicandas aſſignet, & nemo ab alio præterquam à proprio Superiore recipiat ſine expreſſo Præpoſiti Generalis, vel Vicarii conſenſu.

14. Curent noſtri Sacerdotes, ut dum divinam rem faciunt, internæ pietati, & religioni externam conjungant gravitatem, modeſtiam, reverentiam.

15. Studeant unius eſſe moris in domo Domini, & voce, pronunciatione, devotione, quantum fieri poterit, conſimili celebrent, quòd ſi quis aliqua in re delinquat, & præſertim in feſtinatione nimia, poſtquam bis, aut ter admonitus à Superiore fuerit, nec ſeipſum correxerit; Superior cum voto Seniorum, & Viſitatoris celebrare illi deinceps non permittat, ſuſpenſi-

oneque durante, ultimum poſt Sacerdotes ubique ſedere jubeat, & domo non egrediatur, donec emendetur.

16. Sine corona, quæ in capitis vertice geſtari ſolet, neque Sacerdotes, neque Clerici ad altare accedant: Laici non niſi mundi, ac decenter tum vultu, tum veſtitu compoſiti.

17. Quoties aliquis ex noſtris Profeſſis obierit, illius Superiores omnes ſtatim commonefaciet, & in loco ubi deceſſerit, integrum Officium Defunctorum recitetur (quod etiam fiet, ſi Novitius ſit vel Hoſpes) in cæteris verò locis, ſi Sacerdos fuerit, totum; ſi Clericus, vel Laicus profeſſus, unum nocturnum. Poſt recitatum Officium Defunctorum cantabitur Miſſa ſolemnis, & ab unoquoque Sacerdote tres Miſſæ
App. n. 23. pro illius anima offerentur; * ſi Novitius, aut Hoſpes, vel Aggregatus unica à ſingulis, ubi is obierit, commorantibus; alibi verò pro Sacerdote tres Miſſæ, pro Clerico, vel Laico unica à ſingulis Sacerdotibus dicetur; Clerici, & Laici Officium Defunctorum, vel Roſarium B. Virginis devote recitabunt, eademque die ſacra ſe Communione pro anima defuncti reficient.

18. Prima die poſt Commemorationem omnium Defunctorum non impedita, in omnibus noſtræ Congregationis Eccleſiis anniverſarium fiat pro noſtris defunctis fratribus: & ſi id permittant Miſſarum obligationes, quibus ex juſtitia ſatisfacere debemus, curet Superior, ut præter Miſſam ſolemnem aliæ etiam Miſſæ privatæ pro iiſdem celebrentur.

19. Noſtrorum cadavera, poſtquam religioſa charitate eorum facies, manus, & pedes abluta fuerint, & noſtræ Congregationis habitu conveſtita: ſi Sacerdotes ſint, ſacris ſuperinduantur veſtibus; ſi Clerici, ſuperpelliceo ſupra veſtem, cum pileo quadrato; ſi Laici, conſueto ipſorum indumento. Eadem decenter teneantur, & ſepeliantur ad præſcriptum noſtri Ritualis. Dum in cubiculo eſt cadaver, ſolum nunquam relinquatur: neque contumuletur, niſi poſt elapſum unius diei naturalis curſum, niſi Superiori, & Senioribus juſta ex cauſa aliter faciendum videbitur.

20. Qui in Orphanotrophiis deceſſerint, in Orphanorum Eccleſiis, & non alibi ſepeliantur: & ſi Rectorem Orphanorũ mori contigerit, conficiatur ſtatim per Vicerectorem coram Commiſſo, vel per eundem Commiſſum, ſi alius ibi non adſit ex noſtris Sacerdos, rerum omnium, librorum, pecuniarum, ſcripturarum, quæ ad Religionem ſpectare videbuntur, & totius ſupellectilis inventarium cum juramento ſubſcriptum, quod ſtatim ad Præpoſitum Generalem mittendum erit, omniaque interim, vel à Vicerectore, vel à Commiſſo diligenter cuſtodientur.

21. Singulis menſibus pro Religionis noſtræ neceſſitatibus, pro bono illius regimine, pro ſpirituali profectu, & ejuſdem Religionis incremento Miſſa unica de Spiritu ſancto, additis orationibus B. Mariæ, & pro Prælatis, & Congregatione, in unaquaque ex noſtris Eccleſiis celebretur: diem verò ad hoc ſacrum faciendum conſtituet Superior, habita ratione obligationum, & onerum, quæ ſuis Sacerdotibus incumbunt.

22. Cum duos eodem tempore Sacerdotes in Eccleſia celebrare oportuerit; provideat ſacrarii Præfectus, ne uterque ſimul Miſſam incipiat: & ipſi etiam celebrantes ita vocem moderentur, ut unus alterum non impediat.

23. Quoties vel negotium aliquod, vel perſonam DEO commendari Superior juſſerit; ſcheda, quæ id revocet in memoriam, affigatur eo in loco, ubi Sacerdotes celebraturi orare conſueverunt.

24. Externis Sacerdotibus Sacrum facere noſtris in Eccleſiis non permittatur, niſi priùs explorata Superioris voluntate: &, ſi prorſus ignoti fuerint; videantur eorum literæ patentes

25. Pro noſtris benefactoribus præter quotidianas preces, quæ à ſingulis Profeſſis & publicè, & privatim fient, hortamur etiam, ut Sacerdotes in Miſſis, quandocunque poterunt, aliis orationibus addant Collectam, *Deus qui charitatis*, cæteri non Sacerdotes Coronam Beatæ Mariæ Virginis frequenter recitent.

26. De ſepeliendis mortuorum cadaveribus hæc ſtatuta volumus. Patres noſtri excepto Parocho, & illius ſocio funus neque ad alienas, neque ad noſtras Eccleſias deducent.

27. Quòd ſi aliquis de noſtra Congregatione optimè meritus in noſtris Eccleſiis humari voluerit, tunc Patres noſtri albis amiculis induti, Superior, ſive parochus cum pluviali: cum Cruce,

ce,

re, & duobus candelabris ad januam Eccleſiæ expectatum cadaver eo, quo decet, honore excipient, & funus ex Rituali celebrabunt.

28. Poſt Miſſam ſolemnem Defunctorum è Choro nunquam ad Abſolutionem egrediantur Patres, niſi præſente alicujus ex Noſtris cadavere, & in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

De Eccleſiis, & earum ſupellectili.

Caput V.

1. Noſtris in Eccleſiis hujuſmodi nitor effulgeat, qui poteſt eſſe maximus, omnique ſtudio divinum cultum, & chriſtianam pietatem promovere, & augere enitantur Superiores. Itaque Sacroſanctum Chriſti Corpus in omnibus Eccleſiis etiam Orphanorum aſſervetur, & octava quaque die renovetur: id muneris alicui Sacerdoti ex ſubditis à Superiore injungatur, & claves diligentiſſimè cuſtodiantur.

2. Oleum Infirmorum nulli deſit ex noſtris domibus, & decenter aſſervetur.

3. Sanctorum Reliquiæ loco tuto, & decenti collocentur, & conveſtiantur, quantum in nobis erit, pretioſo ornatu, & claves loci apud Superiorem aſſerventur. Illæ verò non paſſim, nec omnibus oſtendantur: ſed ſi aliquando viro, aut matronæ alicui nobilitate, vel dignitate inſigni, cum licentia Superioris, vel Viceſuperioris, eo abſente, devotionis cauſa commoſtrandæ erunt, id fiat accenſis duobus cereis; & qui eas oſtendet, ſuperpelliceo induatur, & ſtola, ſi fuerit Sacerdos.

4. Præcipimus autem, & inhibemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Præpoſito Generali reſervatæ, ne quiſquam auſit partem aliquam, etiam minimam Reliquiarum quovis prætexru, vel ſuo, vel alieno uſui deſumere, aut ſubtrahere, ſive per ſe, ſive per alium: & eodem præcepto, ac cenſura teneri declaramus etiam Superiores, qui Reliquias ab aliis deſumi, aut ſubtrahi permiſerint.

5. Sacræ veſtes, aulæa, tapetes, altarium pallia, candelabra, calices, Reliquiæ, Reliquiarum thecæ, & conſimilia quæ magni æſtimantur, ſine expreſſo per vota ſecreta Capituli Collegialis conſenſu, commodentur nemini extraneo.

6. Hora ſeu tempus Miſſas inchoandi, & eaſdem finiendi præfigatur à Superiore cum Seniorum voto.

7. Amplam habeant Eccleſiæ, ſacrariaque noſtra, & nobilem quoad ejus fieri poterit, ſupellectilem; ad quam comparandam, niſi defuerit in Superiore voluntas, & animus, ſperamus, Deo adjutore, cujus ad gloriam ea dirigitur, neque vires defuturas: ad conſervandam eandem Superioris, Viceſuperioris, & omnium, quorum intererit, diligentiam, curamque deſideramus maximam.

8. Corporalibus, & Purificatoriis crux in medio non deſignetur, ſed in angulis. Idem fiet in ſudariolis, quibus ſacrificantes poſt digitorum ablutionem utuntur, ne alium in uſum adhibeantur.

9. Calices, & patenæ auro obducantur ſaltem interiùs, ſi ex argento conflata fuerint; & ita ſint nitida, ut nullæ in eis maculæ conſpiciantur.

10. Curet Superior, ut omnium altarium, aut ſaltem minorum pallia ſint uniuſmodi; ut mutentur pro temporum, & feſtorum varietate; ut Sacerdotum ſacræ veſtes cum iiſdem conveniant.

11. Supellectilium omnium Eccleſiæ, & Sacrarii index quotannis diligenter renovetur coram Viceſuperiore, & uno ex Senioribus, à quibus, & ab Æditu o ſubſcribatur; duoque fiant illius exemplaria, quorum unum apud Superiorem, alterum apud Sacrarii Præfectum conſervetur.

12. Eorum nomina, quibus & candelæ benedictæ in die Purificationis B. Mariæ Virginis, & Palmæ ſuo tempore diſtribui ſolent, habeat apud ſe Superior in libro notata, & ſingulis annis coram Viceſuperiore, & Senioribus accerſito etiam, ſi opus fuerit, Æditu o, opportuno tempore recognoſcantur, & pro occaſione vel mutentur, vel alia jam adſcriptis adjungantur.

13. In ornandis noſtris Eccleſiis nihil unquam adhibeatur, quod vanitatis ſeu levitatis ſpeciem oculis intuentium obiiciat. Tabernaculum in interiori parte circumveſtiatur, & exornetur, & claves illius inaurentur cum floſculo ſerico. Nihil fiat, nihil curent Noſtri ab externis ſibi commodari, inconſulto Superiore, & quæcunque petentur, cuſtodiantur caurè, aliis non accommodentur, ſtatim reſtituantur.

De App. n. 24.

De Cantu, & ejus uſu.

CAPUT VI.

1. IN noſtris Eccleſiis Miſſæ, Officiave divina, & preces quæcunque fuerint decantandæ, ex antiquiſſima Eccleſiæ Romanæ conſuetudine, ſtabili ſive firmo, ut vocant, cantu concinantur. Modus canendi ubique uniuſmodi ſit, & cum religioſa gravitate congruens.

2. Levitas in cantando, quæ vel ex ſuavitate vocis, vel ex cantus ſcientia plerumque ſolet obrepere, omnino fugiatur; ſed eadem & vocum conſonantia, & morum concordia ſervetur ab omnibus.

3. Hujuſmodi cantus uſum, ubi jam invectus ſit, non liceat Superioribus ſine Definitorii conſenſu tollere: neque Definitorium illius tollendi poteſtatem, niſi bene cognita cauſa, & per ſecreta ſuffragia comprobata, cuiquam faciat.

4. In omnibus noſtris Collegiis unus à Superiore conſtituatur (hic autem vel Sacerdos erit, vel ſacris ſaltem initiatus) qui cantandi peritus alios, & præſertim adoleſcentes, ſingulis, ſive alternis diebus per horam circiter inſtruat: cujus etiam munus erit meditari, & diſponere ea, quæ in Choro publicè canenda erunt, cantum, & Chorum moderari. Ad hujus voluntatem, & vocem reliqui omnes propriam voluntatem, & vocem ſine ulla contentione conformabunt.

5. Novitii anno probationis eandem cantus ſcientiam, ritus, & cæremonias Eccleſiaſticas edoceantur, in iiſdemque ad profeſſionem admittendis habeatur ratio illorum docilitatis, & progreſſus his in rebus.

6. Ad Subdiaconatum nemo promoveatur, qui Epiſtolam; ad Diaconatum, qui Evangelium; ad Sacerdotium, qui Miſſam ſolemni ritu, Romanoque more decantare probè non noverit, niſi cum illo Præpoſitus Generalis legitima ex cauſa priùs diſpenſet.

7. Cum feſtum aliquod occurrerit, præſertim Titularis Eccleſiæ, vel Quadraginta horarum tribus ultimis Bacchanaliorum diebus oratio, quam in omnibus noſtræ Congregationis Eccleſiis laudamus ſolemniter fieri; vel nova Miſſa, vel Indulgentia viſitantibus Eccleſiam conceſſa, ſeu aliquid ſimile; tunc permittitur uſus illius cantus, qui Muſicus, ſive figuratus nominatur, quem etiam ad relaxandos animos, recreationis tempore, Noſtris non interdicimus, modò tamen privatim intra clauſtra, & moderatè adhibeatur, amotis prorſus iis cantionibus, quæ laſcivum aliquid, ſive impurum continent.

8. Organa in propriis duntaxat Eccleſiis pulſare Noſtris permittimus, modò tamen à ſæcularibus non videantur: & Monochordorum uſus, ſeu clavicymbalorum privatim in cubiculo conceditur iis, à quibus pulſanda in templo ſunt Organa. Alia quævis muſica inſtrumenta & publicè & privatim Noſtris interdicta ſint.

9. Harmonicum cantum in alienis Eccleſiis Noſtri non exerceant, neque integrum ſit Superioribus ſuper hac Conſtitutione cum aliquo diſpenſare.

De Oratione mentali.

CAPUT VII.

1. MEntalis Oratio nullo modo prætermittatur, cum teſte D. Io. Chryſoſtomo lib. 1. de orando Deum, impoſſibile ſit ſine illius præſidio cum virtute vitam degere, & egregiæ dotis in animo quidquam poſſidere. Illud certiſſimum eſt, neminem à Religione ad ſæculum, ſæculique mores deflexiſſe, qui priùs orationis ſtudium per neglectum non deſeruerit; neminem è contra in Religione virtutibus fuiſſe conſpicuum, neminem miraculis, & vitæ ſanctimonia illuſtrem, qui in orationis, & meditationis ſtudio ſeipſum die, noctuque non exercuerit.

2. Quotidie igitur bis à Noſtris omnibus orationi incumbatur; manè poſt Primam in Choro, veſperi tam hyeme, quàm æſtate poſt Salutationis Angelicæ ſignum.

3. Ad utramque etiam Laici aderunt, & hac in re Superiorum conſcientias oneramus. Utraque ad ſemihoram prorogetur.

4. Si deſignatum tempus veſpertinum ob aliquod impedimentum minus opportunum alicubi fuerit, aliud à Præpoſito Generali admonito de impedimento conſtituatur. Poſt orationem Litaniæ dicantur, ut in Rituali.

5. In omnibus noſtris Collegiis, Academiis, Orphanotrophiis omnes Noſtri, niſi quem morbus excuſet, ad orandum in Eccleſiam, Chorum, vel Oratorium pro locorum commoditate, præſcrip-

ſcripto tempore convenient. Horologium arenarium ubique adhibeatur, & eo ponatur loco, ubi facilè videri poſſit à Superiore; ſed illius cura alicui ex Sacerdotibus, ſeu etiam Clericis demandetur, qui Semihora elapſa Superiorem admonebit, dicendo: *Benedicite Pater.*

6. Orationi præmittatur brevis lectio ex aliquo Meditationum libro ad Superioris judicium.

7. Interim dum oratur, nemo Horas Canonicas, vel alias preces recitet, ne à meditatione diſtrahantur alii, & ipſemet, qui vocaliter orat, mentaliter orare deſueſcat. Nemo obſtrepat deſpuendo, exſcreando, vel aliquid ſimile faciendo, quod orantibus aliis eſſe poſſit impedimento.

8. At ne intimus quidem fervor, ſive affectus ii, qui in oratione ſæpe excitantur, per ſuſpiria, per motiones corporis, per claram invocationem nominis JEſu Chriſti, vel Mariæ Virginis, ſeu alia ratione, audientibus aliis, exprimendi ſunt; ſed, ubi opus ſit, violenta contentione comprimendi.

9. Invigilet Superior, ne quovis prætextu quiſpiam abſit à communi oratione, & ex iis, qui adſunt, nemo recedat, niſi gravi compulſus neceſſitate, petita priùs benedictione.

10. Frequenter Superior de hac re privatim cum ſingulis, publicè cum omnibus ſermonem inſtituet, orationis utilitatem, neceſſitatémque explicabit: idem per domeſticos Confeſſarios, per Seniores, per Magiſtros Novitiorum & Profeſſorum privatis in colloquiis faciendum ſedulò curabit, inexpertos erudiri jubebit, & ipſemet ad ſe benignè vocatos inſtruet, de ſingulorum progreſſu ſollicitum ſe mirum in modum exhibebit.

11. Noſtri etiam omnes diligenter ſtudeant, quà piis de oratione tractatibus legendis, quà ſermone cum verſatis hac in re hominibus habendo, & orandi peritiam comparare, & eandem naviter exercere: fieri enim non poteſt, ut, qui fœcundiſſimo virtutum ſtudio deditus eſt, feliciter in iis non proficiat.

12. Superiores graviter in eum animadvertent, quicunque is fuerit, qui orandi aſſiduitatem, vel ſenſum, & appetitionum coërcendarum ſtudium, quam mortificationem dicimus, ſive alia pietatis exercitia, etiam per jocum, vel ridiculis, vel ſæcularibus nominibus alteri exprobrare auſus fuerit, interdicta etiam illi, ſi ita videbitur, aliorum conſuetudine.

13. Veſperi, antequam Noſtri cubitum diſcedant, diligenter conſcientiam diſcutient ſuam, & quo modo diem illum pertranſierint, ſedulò perquirent.

De peccatorum expiatione, & ſacra Communione.

Caput VIII.

1. Sacerdotes, qui quotidie ſunt celebraturi, & quos ſanctos eſſe decet, ut ſancta ſanctè adminiſtrent, ſaltem ſemel in hebdomada, præcipuè diebus feſtivis, peccata confiteantur, timeántque, ne, ſi culpas leviores parvifaciant, gravioribus ſe ipſos facilè inquinent. Clerici ad ſacram Communionem, niſi præmiſſa peccatorum confeſſione, accedere non audeant: proprii tamen Confeſſarii judicio ſe ipſum unusquiſque ſubjiciat.

2. Subditorum confeſſiones non excipient Superiores, niſi rogati, ſed duos aut tres, & pro numero ſubditorum etiam plures Confeſſarios deſignabunt ex diſcretioribus & ſenioribus, qui quidem ſuis in cubiculis Sacerdotum ſolummodo, non aliorum confeſſiones, abſque Superioris licentia, auſcultare poſſint. Nemo aliis, quàm deſignatis à Superiore; Superior verò Confeſſariis alterius inſtituti peccata ſua confiteri non poſſit: aliter confeſſio ſit irrita.* *App. n. 25.*

3. Sic ubi contigerit, ut ex Nobis aliquis regendis Orphanis, vel alibi ab obedientia deputatus ſolus commoretur, aut cum uno tantùm Sacerdote, ii non ad ſuam voluntatem, ſed cum obedientia Præpoſiti Generalis vel Viſitatoris Confeſſarium eligent.

4. Quot annis in Quadrageſima generalem totius anni confeſſionem, præmiſſa oratione, & diligenti examine, Noſtri omnes ut faciant, magnopere cupimus, & Superiores ſuis exhortationibus ſuadebunt.

5. Quod ad ſacram Communionem attinet, Clerici & Laici noſtri, prætterquam quòd quotidie ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio adſtantes ſpirituali Communione ex ſacri Concilii Tridentini præſcripto ſe ipſos reficient; ſingulis etiam Domini-

minicis diebus & feſtis, & in die ſancti Petri Martyris, item feria quinta in Cœna Domini, feria ſecunda poſt tertiam Dominicam Reſurrectionis, vel poſt eam, qua inchoatum fuerit Capitulum Generale, die octava Februarii, & frequentiùs in Quadrageſima, & in Adventu communicabunt. Qui Sacris initiati fuerint, ut altiorem gradum obtinent, & proximiorem Sacerdotio, ita ad Sacramentum hoc ſæpiùs accedent.

6. Clerici, Laicique omnes ſimul (quoad fieri poterit) ſacratiſſimum ſumant Chriſti Corpus è manu Superioris, vel Vice-Superioris, vel ipſorum Magiſtri ad Superioris arbitrium.

7. E Choro Communionis gratia cùm egredientur, exteriorem reverentiam cum interiore conjungent. Exterior in membrorum compoſitione, in oculorum depreſſione, in modeſtia, lo gravitate, in deſerendis junctis ante pectus manibus, in genibus ad terram uſque flectendis, ſtatim atque ad Altare maximum omoes acceſſerint, quod regulariter pro Noſtrorum Communione deputamus: interior verò in religionis, humilitatis, fidei, ſpei, charitatis, & reliquarum virtutum exercitationibus poſita eſt.

8. Clerici ſuperpellieeum induant; Laici pallium, quoties Auguſtiſſimo hoc cibo refici debebunt.

9. Poſt ſacram refectionem per ſemihoram, vel circiter omnes in Choro remanebunt, ad gratias Deo pro accepto munere agendas: ex Clericis profeſſione maximus, vel alins à Superiore ſeu Magiſtro deſignandus horologium vertet, & ſemihora elapſa, ſignum dabit reliquis, qui ſimul terram exoſculati conſurgent, & niſi recitandæ fuerint Horæ diurnæ, ad propria cubicula ſilentio proficiſcentor.

10. Feria quiota majoris Hebdomadæ nemo Sacerdotum Sacrum faciat, & omnes è manu Superioris, vel alterius ſolemniter celebrantis Euchariſtiam ſuſcipient, juxta conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ. In die autem Sabbati ſancti, excepta ſolemni Miſſa, unuſquiſque à celebratione omnino abſtineat.

De obedientia & reverentia erga Superiores & Seniores.

Caput IX.

1. NEminem ad perfectionis faſtiglum expeditiùs, velociúsque vero obediente currere Noſtri pro certo habeant. Quamobrem ita ſit unuſquiſque ad obediendum paratus, ut in iis ſtatim exequendis, quæ à Capitulo Generali, vel à Definitorio, ſive à Præpoſito Generali, aut Superioribus ſancita fuerint, *nec corpori tarditas*, quod monebat D. Bernardus, *nec cordi tepida reſiſtat voluntas.*

2. Veri obedientis, ejus nimirum, qui JEſu Chriſti veſtigiis ſecurus inſiſtit, boni ſint æmulatores Patres & Fratres noſtri. Is verò non expreſſam ſolùm, ſed tacitam etiam Superioris voluntatem, quoties eam præſagire poteſt, exequeudo prævenire conteodit, & non, qualis ſit Soperior, ſed qnem repræſentet, cogitaos, totus ab illius voluntate pendet.

3. Qui vel iuvitus, vel obmurmurans, vel metu pœuarum obedit; is indignus eſt eo, quem gerit, habitu, indignus æterna felicitate, in quam dator hilaris, uon durus, non contentioſus legis executor ingreditur.

4. Qui ab obedientia in aliquo officio aut miniſterio conſtituetur, ad quod præſtandum exiſtimet ſibi eruditionem, vel prudentiam, vel auctoritatem, vel animi fortitudinem deeſſe, poſtquam animi ſui ſenſum Superioribus humiliter aperuerit, animum exinde non abjiciat, ſed obedientiæ tanquam cæleſti auxilio innixus, rem aggrediatur, & ſperet in Deo, quia ipſe faciet.

5. Cavebunt ſubditi, ne ſtudium perfectionis, & zelum regularis inſtituti conſervandi, rigiditatem & ſeveritatem in Superiore compellent. Nolint proprio detrimento indulgentiorem ſibi eum reddere. Quidquid ipſis negatur, quidquid contra voluntatem injungitur, expedire id divinæ gloriæ, & ſuæ perfectioni arbitrentur.

6. Si quid à Snperiore petendum ſit, id Noſtri precibus importunis, vel alia minùs religioſa ratione ne extorqueant, ſed cum humilitate, & proprii judicii abdicatione petaot.

7. Frequentes locorum mutationes horreaut Noſtri, ut quæ inquietum animum, & propriæ voluntatis affectum, effectúmque uimis apertè iodicant.

8. Locum peculiarem ſollicita cupiditate & poſtulatione quærere, vel munus ambire fas ſit uemini. Qui ſic quæſierit, aut ambierit, uunquam obtineat, ſed neque locum, aut munus aſſigna-

ſignatum ab obedientia pertinaciter recuſare quiſquam auſit.

9. Ad communes actiones Chori, Capituli, Tricliuii, & alias, quæ per ſigna campanulæ iudicuntur, tanquam ad vocem Domini vocanris, nulla interjecta mora, omnes, & primi omnium Superiores accurrant.

10. Negotium aliquod aggredi, vel promovere, ſeu curam quamlibet ſuſcipere, etiam pietatis prætextu, ut litis componendæ, pacis conciliandæ, defenſionis viduarum vel pupillorum procurandæ, matrimonii ſtabiliendi, & aliarum rerum, nemini liceat, niſi re priùs cum Superiore communicata, & de illius licentia: rebus autem Sæcularium ut perquam raro ſeſe Noſtri immiſceant, præſenti Conſtitutione decernimus:

11. Nemo ſub pœna ſuſpenſionis, & aliis pœnis arbitrio Præpoſiti Generalis infligendis, Euergumenos adjurare, ſuper homines veneficiis infectos ſacras preces legere audeat, ſine facultate à Præpoſito Generali in ſcriptis obtenta.

12. Nemo literas commendatitias ſibi, aut aliis emendicet, ut obedientiæ reluctetur, vel ut illam impediat, & remoretur.

13. Nihil vile putemus, nullum officium abjectum, nihil ab honore noſtro alienum, quod nobis per obedientiam Deus injungat, ſed nobiſcum reputemus, eum in oculis divinæ Majeſtatis illuſtriorem eſſe, qui omnium ſit humillimus, & ſui ipſius contemptum rebus in omnibus quærat.

14. Excuſationes languentium virium, inſalubritates aëris, & hujuſmodi, quæ interdum afferuntur, non admittantur, niſi ipſemet Superior Medicum priùs allocutus, loci mutationem alicui neceſſariam eſſe, ſuis ad Patrem Generalem, vel ad Viſitatorem literis affirmet.

15. Superiorem Patrem eſſe ſubditi exiſtiment, & eadem fiducia rebus in omnibus ad ipſum, quà filii ad Genitorem accedant.

16. Aliquem ex Noſtris, ſive ſubditum, ſive Superiorem in judicium vocare, aut accuſare coram alio, quàm noſtris Superioribus, culpa ſit graviſſima, & pœna pariter graviſſima mulctanda.

17. Eorum conſilia, qui Congregationem adminiſtrant, cæteri nolint curioſè perſcrutari, multò minùs improbare: ſubditos tamen hortamur, ut, ſi quid ipſis occurrerit, quod vel publico Congregationis, vel privato alicujus domus, ſeu etiam perſonæ commodò prodeſſe poſſe videatur, rem ad Præpoſitum Generalem, vel ad Viſitatorem, ſeu etiam ad proprium Superiorem referant, ſed quidquid ab iis poſtea decretum fuerit, & ipſi ſtatim tanquam prudenter factum collaudent.

18. Quæ in Capitulis Generalibus, vel Definitoriis ſtatuenda erunt, nemo audientibus aliis quaſi divinando audeat conjectare, nemo per jocum exponere, nemo talia exponentem audire; quæ verò jam definita fuerint, ſi quis carpere auſus fuerit, ſeverè puniatur.

19. Clerici primæ & ſecundæ probationis, Laicique juniores, ſi à ſuo Superiore ob culpam aliquam reprehendantur, vel corrigantur, humiliter ſtatim genua flectant, jungant manus antè pectus, & demiſſo capite patienter auſcultent; alii omnes correptionem libenter admittant. Obloqui, vel reſpondere Superiori corripienti, atque etiam corrigenti audeat nemo, ſed Deum corripientem & corrigentem in Superiore revereatur, ſicque cum precatione veniæ culpam unuſquiſque agnoſcat, & emendationem, Domino adjuvante, promittat.

20. Superiorem qualemcunque Deus dederit, reverentia, & honore maximo, ut eum, qui Dei locum tenet, & per quem divina nobis voluntas innoteſcit, proſequantur omnes, ii in primis, qui ætate, auctoritate, doctrina, & ingenio aliis præſtant.

21. Qui animo ſunt erga Superiorem minùs compoſito, curioſiores defectuum Superioris inveſtigatores, qui ejuſdem imperata, facta, & dicta pravum in ſenſum detorquere ſolent, illúmque in contemptum inducere, ſi qui unquam reperientur, à reliquis omnibus tanquam animarum & Religionis peſtes evitentur; nullis in Congregatione honoribus decorentur, niſi diuturna experientia emendati cognoſcantur; & poſt unam aut alteram admonitionem vel correctionem à Viſitatore, aut à Definitorio pœnis reprimantur, quæ aliis exemplo ſint & documento.

22. Caveant diligenter Noſtri, ne cùm familiariter invicem colloquuntur, vel

vel in ipſa etiam nominis alicujus ex Patribus aut ex Fratribus appellatione quidquâ irreverenter, ſcurriliter, contemptim nedū inhoneſtè dictum, aut factum ipſis excidat: caveant, ne dicacitate, jocis, aut dicteriis aliquem ita exagitent, ut provocent ad indignationem, ſed inter ipſos religioſa ſemper intercedant colloquia, conſuetudo, & mores.

23. Cum Præpoſitum Generalem nominare contigerit, M. R. P. titulus præmittetur; quicunque eundem adierit, genuflexo eum reverebitur; tum humiliter explicabit animi ſui ſenſum, ſed nunquam caput operiet, niſi ab eodem facta fuerit illi facultas: ſubditi cùm Superiorem, vel Vocalem Capituli Generalis alloquentur, & nominare voluerit, *Paternitatem veſtram* dicent.

24. Inter loquendum, & etiam ſcribendum Sacerdotum nominibus *Pater*, aut *Pater Don* præponatur, ſeu titulus *Reverentiæ veſtræ*; Clericorum, qui Sacris initiati fuerint, *Don*; ſimplicium Clericorum, *Frater*, Laicorum etiam, habita ratione meritorum & ætatis, idem titulus *Fratris* præponi poterit, ſed *Patris* nunquam, & nemini.

25. Reverentia, charitas, & cura erga ætate ſeniores talis ſit in unoquoque noſtrum, qualem decet eſſe filiorum in Parentes optimos.

26. Iis, qui Præpoſiti Generalis, Vicarii item Generalis, poteſtate obierint, honor præcipuus cum exteriore obſervantia, ut Patribus de Congregatione bene meritis, deferatur ab omnibus, & præſertim à junioribus.

27. Honore invicem ſeipſos Noſtri præveniant, ſed cum religioſa ſimplicitate conjuncto: non affectato: & omnino illud obſervandum, ut in perſona dignitas, & gradus honoretur, iſque honor cuique exhibeatur, quem virtutes, gravis ætas, & merita poſtulant.

28. Si quis conſultò, ac deliberatè, multò magis ſi concitato ad iracundiam animo alium ex fratribus alloqui, vel ſalutare noluerit, ſtatim per Superiorem moneatur, ut omni depoſita indignatione, communia ſigna charitatis, & benevolentiæ loquendo, ſalutando illi exhibeat. Quòd ſi admonitus intra unius diei naturalis ſpatium id non præſtiterit, gravi pœna puniatur.

29. Qui aliis aliquando dignitate qualibet præfuerunt, ſi poſtmodum ſubditi cum iiſdem verſentur, taciturnitatis, reverentiæ, obedientiæ reliquis ſint exemplo.

30. Extraneos quoſcunque de rebus ad noſtram Congregationem ſpectantibus quomodocunque ſcripto, vel ore, per ſe, vel per alios conſulere, non habita à Superiore licentia, omnino vetamus.

31. Quicunque à Præpoſito Generali cum voto Conſiliariorum, & debitis præmiſſis admonitionibus, contumaces in obedientia declarabuntur, ii ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſubjecti exiſtant, & pœnam luant culpæ graviſſimæ.

De Caſtitate.

CAPUT X.

1. CAſtitatis amantiſſimos eſſe decet religioſos viros, *cùm* ex D. Gregorii ſententia, *non ſit opus bonum ſine caſtitate*, quæ ut intemerata ſervetur, externæ ſenſuum cuſtodiæ aſſiduè invigilandum eſt, & oculi præſertim cuſtodiendi, occaſiones etiam minimæ illius labefactandæ diligentiſſimè ſunt à Noſtris evitandæ, atque, ut evitentur, curam omnem, & vigilantiam Superiores adhibebunt.

2. Mulierum familiaritates, etiam prætextu Confeſſionum, inſtructionum ſpiritualium, ægritudinis, vel Conjunctionis ſanguinis, maximè ſuſpectæ ſint, & omnino tollantur. Adoleſcentes in cubicula intromitti non permittet Superior; & qui hac in re etiam leviter deliquerit, graviter puniatur. Confeſſariis, Æditiuo, illiuſque ſocio exceptis, aliorum nemo mulieres in Eccleſiis alloquetur niſi conſanguineas. Omnia demum cautè evitentur & , quæ mala ſunt, & quæ videntur in ſe retinere ſpeciem mali.

3. Noverint Noſtri nullum eſſe vitium, quod in homine religioſo ipſi etiam ſæculares magis execrentur, quàm incontinentiam.

4. Non ſolùm peccantes contra votum caſtitatis (ut verò nemo unquam peccet optamus quàm maximè) puniri ſeverè mandamus, ſed etiam, ſuſpecti hac in re qui fuerint, ſi paternè, priùs, privatimque à Superiore correpti non reſipuerint, obedientiæ præcepto coram duobus ex Senioribus iiſdem impoſito, aliiſque pœnis propoſitis ad omnem tollendam ſuſpicionem conſtringi volumus. Quòd ſi adhuc vigere ſuſpicionem Superior animadverterit, tunc ſuſpecti, lo-

co

eo movendi erunt, & denuntiatis antea pœnis, aut etiam gravioribus arbitrio Præpoſiti Generalis, vel Viſitatoris affi- ciendi, ac, ſi per ætatem, & validitatem licuerit, pedites eò mittentur, quò fuerint ab obedientia ad reſidendum deſtinati. Suſpiciones verò judicentur à Superiore cum Seniorum conſilio.

5. In Superiores autem, & in Vocales Capituli Generalis, quorum exemplum facilè abit ad alios, ſeveriùs ſemper animadvertent Præpoſitus Generalis, & Viſitatores, ſi fortè (quod avertat DEUS) ipſi ſe impuritatis labe, aut gravi ſuſpicione contaminaverint.

6. Iis omnibus, qui noſtra conſuetudine utuntur, & delectantur, ejuſmodi præbeamus puritatis indicium, ut in carne nos extra carnem vivere per DEI gratiam cognoſcant, prædicent, & Deum bonorum omnium auctorem collaudent.

De Paupertate.

CAPUT XI.

1. QUicunque Religionis agrum votis ſolemnibus emiſſis ingreditur, agrum ſanè emit Theſauro religioſæ paupertatis ditiſſimum, qui quidem theſaurus adeo cautè cuſtodiendus eſt, ut & nota quælibet, & ipſa etiam umbra proprietatis, qua theſaurus comparatus deperditur, omnino ſit declinanda.

2. Ex conceſſione Sanctiſſimi Pontificis Pii V. habere, poſſidereque bona in communi poteſt quidem noſtra Religio; Noſtris tamen aliquid ut proprium retinere, vel ut proprio uti, culpa ſit contra votum Paupertatis.

3. Quamobrem libros, gladios, vel eorum aliquid, quæ privatim ad uſum conceduntur, peculiaribus ſignis, aut propriis nominibus notare Noſtri prohibentur, imò & loquendo caveant, ne verbum illud *meum*, ac *tuum* ipſis excidat, quod ſpeciem præſefert dominii, ſed *noſtrum* ominent, quicquid ad uſum ſinguli apud ſe cum licentia Superioris habuerint.

4. Omnia communi ſupellectili addicta ſint, & in communem ſupellectilem Superioris ad voluntatem, vocem, nutum ſtatim referantur.

5. Iis exceptis, qui domorum regimini, & bonorum adminiſtrationi præficiuntur, interdicitur aliis omnibus pecuniæ uſus, & ejuſdem tam apud ſe, quàm apud alios, etiam in parva quantitate, retentio.

6. Superiores omnino prohibentur alicui ex ſubditis uſum pecuniæ concedere, ſeu diſſimulando permittere.

7. Munera nemo ſibi procuret, ab aliis oblata, etiam à fratribus noſtræ Congregationis nemo recipiat, iiſdem, & multò minùs exteris nemo elargiatur. Nemo quidquam commutare cum alio, quicunque ille fuerit, & quacunque dignitate emineat, ſine Superioris obedientia præſumat.

8. Quæcunque bona tam mobilia, quàm immobilia, & quacunque ratione, jure, cauſa ad aliquem ex noſtris Profeſſis pervenerint, vel iidem quocunque nomine acquiſiverint, etiamſi ſubſidia ſint conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, donationes, tanquem propria, aut etiam nomine Collegii, ſive Domus, nemo, etiamſi Superior ſit, poſſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & domui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis confundantur.

9. Superior ſubditorum cubicula ſaltem bis, aut ter in anno, & frequentiùs ſi ita videbitur, inviſet, unà tamen cum Viceſuperiore, vel cum aliquo ex Senioribus, perluſtrabit omnia, & ſi quid ex neceſſariis alicui deeſſe cognoverit, providebit quamprimùm; ſi quid ſupervacuum, ſi quid à ſpiritu, & puritate paupertatis alienum repererit, protinus auferet: ipſe verò in primis ſtudio, & exemplo paupertatis prælucere debebit omnibus.

10. Quoties Superior cubiculum ſubditi ingredi, & viſitare voluerit, hic petita benedictione, reverenti, hilarique animo eundem excipiat, nec moleſtè id ſe ferre vel ſolo nutu ſignificet.

11. Cubiculorum parietes nudi ſint, cubilia religioſa paupertate, & munditie reſplendeant, conopea, & circa lectum velamina, quæ cortinæ nuncupantur, ipſi etiam Præpoſito Generali, nedum aliis interdicta ſint; ſtragulum opertum ſerico à nemine adhibeatur. Imagines, quæ cubiculorum parietibus affiguntur, vel appenduntur, piæ ſint: imaginum ornamenta, Reliquiarum, ſacrarúmque rerum capſulæ, quæ vel materia, vel artificio magni æſtimantur, libri extrinſecùs inaurati, etiamſi Breviaria ſint, Diurna, vel Officia, omnibus vetita ſunt, Eſculenta, &

& poculenta quanquam levia in proprium cubiculum ſine licentia non inferantur, ſed omnia in commune deferantur, & in communi menſa diſtribuantur: Superiores hac in re vigilent, & exemplo ſint aliis.

12. Horologia, quæ rotularum circumactu, aut per ſonitum aut ſine ſonitu per ſolum ſtylum horas deſignant, ex quocunque metallo fabrefacta ſint, Noſtri apud ſe privatim habere prohibentur, ita ut ne mutua quidem, aut depoſita à quoquam retineri velimus. Clepſammidia verò, quibus per arenam, dummodo ſimplicia ſint, & cum religioſa paupertate congruant, permittuntur.

13. Habeat apud ſe Superior, ſive domus Procurator indicem rerum omnium, etiam minimarum, quæ in unoquoque cubiculo cuſtodiuntur, neminique liceat quidquam cum alio commutare, vel ex alieno in ſuum cubiculum inferre, ſine Superioris facultate; quam non paſſim, nec ſine legitima cauſa concedet, & ſi aliquando conceſſerit, in indicem ſtatim id referet, quod ab uno in aliud cubiculum translatum fuerit: & indices bis ſaltem quot annis renoventur.

14. Hujus indicis exemplar extet in ſingulis cubiculis, & per Superiorem, vel Viceſuperiorem unicuique in iiſdem commoranti tradatur, ut, cùm eundem oportuerit, vel in aliud cubiculum migrare, vel locum mutare, omnia priùs Superiori, vel Viceſuperiori coram Procuratore ipſe reſtituat, quæ notata erunt in indice.

15. Libros, veſtes, manuſcripta, pecuniam, vel aliud quodvis ſi quis apud exteros, quamquam propinquos, & conſanguineos, aut etiam Religioſos ſervandum depoſuerit, ſi quis vendiderit, alienaverit, donaverit, ſine licentia in ſcriptis à ſuo Superiore habita, is proprietatis labe notatum, & pœna mulctandum ſeſe noverit; ſicuti eidem obnoxium crimini eum declaramus, qui titulo depoſiti, vel Eleemoſynæ, vel reſtitutionis faciendæ gratia, vel alio quolibet prætextu quidquam apud ſe detinuerit, etiamſi ſcheda ſit, quæ dici ſolet, confidentiæ, non habita in ſcriptis à Superiore, cui indicari omnia ſingillatim volumus, benedictione, & facultate.

16. Superiores ii etiam, qui in Orphanotrophiis Proreĉtorum ſæcularium adminiſtrationi ſubjectis commorantur, Eleemoſynas ſibi datas in libello fideliter adnotabunt, & viſitationis tempore de omnibus, & ſingulis rationem Præpoſito Generali, vel Viſitatoribus ita reddendam ſciant, ut proprietarii ſint cenſendi, ſi quid pecuniæ, vel rem aliquam illis occultaverint.

17. Quæcunque veſtes, ſive laneæ, ſive lineæ, omniſque alia ſupellex in aliquem commodum locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus ex Noſtris huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, ſubminiſtrari opportunè poſſint.

18. Cavebunt autem Superiores, ne dum ſubditis ea, quæ ad victum, & veſtitum, ac valetudinis curam neceſſaria ſunt, religioſa charitate non providerint, occaſionem illis præbeant labefactandæ paupertatis, vel obedientiæ. Subditi verò in uſu, diſtributioneque rerum omnium à Superioris voluntate prorſus pendebunt, nec quiſquam vel aliquid ſuperfluum, vel ea ſibi utenda permitti velit, quæ noſtris Conſtitutionibus, & paupertati repugnare Superior judicaverit.

19. Novitii ante profeſſionem, ſi quid relinquere tempore legitimo voluerint Congregationi, Collegium ſeu Domum aliquam, cui relictum applicetur, nominabunt, vel Præpoſiti Generalis voluntati rem totam integram reſervabunt. Qua in re Patres à quibuſcunque ſuaſionibus abſtineant, liberam Novitiis poteſtatem relinquentes: caveant tamen Novitii, ne in ſuis ultimis voluntatibus aliquid relinquant, iis adjectis conditionibus, quæ regulari diſciplinæ, vel Conſtitutionibus noſtris præjudicium aliquod afferre poſſint.

De Confeſſionibus excipiendis, & cura animarum exercenda.

CAPUT XII.

1. Confeſſarii, qui in noſtris Italiæ locis ad audiendas Confeſſiones admittendi erunt, in quolibet Definitorio nominatim deſignentur: præter nominatos nemo niſi obtenta in ſcriptis à Præpoſito Generali licentia, *& extra Italiam à Provinciali*, id muneris obeat. Hoc autem in miniſterio, quod omnium ferè, quæ in Eccleſia DEI per ejuſdem miniſtros exercentur, maximum eſt, videant Noſtri, ut cautè ſeſe gerant, ne dum

dum aliorum animas laqueis peccatorum extricare voluerint, irretiant ſuas.

2. Nemo Epiſcoporum examinationi pro confeſſionibus audiendis ſe ſubiiciat, quià tribus ex noſtris Patribus coram Superiore examinatus ad tantum miniſterium idoneus non judicetur, & facultatem ab eodem in ſcriptis priùs non obtinuerit. Hæc verò facultas vel amplior eſſe poterit ad quoſque accedentes audiendos, vel reſtrictior ad viros dumtaxat, prout Superiori videbitur.

3. In Confeſſariis præter vitæ integritatem, morum honeſtatem, & doctrinam, firmam etiam ætatem requirimus, ſecretorum tenacitatem, conjunctamque cum charitate prudentiam. Quamobrem nemo idoneus cenſeatur, qui trigeſimum ſaltem ætatis annum non attigerit, niſi ſit Superior.

4. Nemo pœnitentes promiſſionibus, juramento, vel voto ſibi obſtringat, pecunias ab iiſdem nemo extorqueat, ne turpis lucri cupidum potiùs, quàm ſalutis animarum ſe appetentem oſtendat. Quiſque accedentes ad ſe tam pauperes, quàm divites, tam ignobiles, quàm nobiles eadem benignitate auſcultet; in pœnitentiis injungendis prudens ſit, & diſcretus: in carnis afflictationibus proponendis, & ſuadendis, honeſtatis, valetudiniſque ſingulorum rationem habeat maximam. Adoleſcentes ad emittendum votum vitæ regularis amplectendæ non inducat: in mulierum colloquiis abſtineat ab otioſis, curioſis, jocoſiſque verbis, & à riſu.

5. Studeant noſtri Confeſſarii habere in promptu Sanctorum Patrum exempla, ſeu dicta, & ſacræ Scripturæ locos, quibus poſſint afflictis, tentatis, vel adverſa valetudine laborantibus eſſe adjumento, & ſolatio, atque ut artem hanc, quæ ars artium eſt, pro dignitate exerceant, libellos, quibus ſalutaria remedia, & inſtructiones Confeſſariorum continentur, aſſiduè pervolvant: ſed oratione in primis à DEO animarum Creatore, & curatore præcipuo lumen, & opem impetrent.

6. Lectio ſacræ Scripturæ, vel Caſuum conſcientiæ bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis noſtris Collegiis habeatur, ad quam omnes conveniant, eaque abſoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe utiliter exerceant.

7. Confeſſariis libros de rebus ad Chriſtiani hominis officium ſpectantibus Superiores deeſſe non patiantur, & quàm fieri poterit diligentiſſimè curent, ne vel lectio, vel Caſuum diſcuſſio unquam intermittatur, præterquam à Vigilia Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ uſque ad primam hebdomadam Novembris; à Dominica Paſſionis uſque ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha; quindecim diebus ante Cineralia; & à Dominica tertia Adventus uſque ad Epiphaniam.

8. Formam abſolutionis à peccatis, & à cenſuris eam Noſtri adhibebunt, quæ in Rituali Romano præſcribitur: in modo agendi cum pœnitentibus inter ſe conſentiant, & ſalva ſemper conſcientia, ſalvam etiam, & integram omnium exiſtimationem conſervare ſtudeant.

9. Vocati ad audiendas confeſſiones præſto ſint, aliorum tamen Confeſſariorum ad ſe pœnitentes allicere nefas ſit: ſi ultro acceſſerint, benignè excipiantur; & Confeſſarius, à quo receſſerint, id non ægrè nec moleſtè ferat.

10. In privatis domibus mulierum confeſſiones à Noſtris non auſcultentur, niſi vel infirmitate detineantur, vel inſignes matronæ ſint, & tunc comes eo ſit loco, ut Confeſſarium poſſit intueri, non audire; & janua cubiculi pateat.

11. Sæcularium Confeſſiones non in privatis Noſtrorum cellis, ſed vel in Eccleſia, vel in Oratoriis, aliiſve locis ad hoc conſtitutis audiantur.

12. Sedilia ad Confeſſiones audiendas noſtris in Eccleſiis ita diſponantur, ut tam Confeſſarius, quàm pœnitens conſpici facilè poſſit.

13. Cum mulieribus, quæ confeſſiones frequentant, longos ſermones miſcere Confeſſariis non permittat Superior: ſi quem nimia viderit conſuetudine, & familiaritate ſuſpectum, poſt unam admonitionem, corripiat coram Senioribus, & niſi emendatum cognoverit, rem Præpoſito Generali, vel Viſitatori per literas ſignificabit, qui ab audiendis confeſſionibus illum ſuſpendent, loco movebunt, & aliis pœnis afficient, prout in Domino expedire viderint. Si tamen periculum immineat ſcandali, ad quod evitandum præſentaneo ſit opus remedio, tunc Superior cum Seniorum conſilio agat, & occurrere ſcandalo ſtatim, atque viriliter ſatagat, ſubdituſque illi non ſecus ac Præpoſito Generali parere teneatur.

14. Con-

14. Conſuetudinem alicubi jam invectam, ut diebus Dominicis, & feſtis Confeſſarii cum ſuperpelliceo, & ſtola pœnitentiũ confeſſiones audiant, cupimus ab omnibus in noſtris Eccleſiis admitti, & obſervari.

15. Confeſſarii mulieres, quarum confeſſiones excipiunt, rarò inviſant domi, nunquam ſoli, nec ſine Superioris licenria, neque ab aſpectu ſocii omnino remoti.

16. Quod ad Moniales artinet, earum cura, ut graviſſima eſt, ita ſi per aliquem ex noſtris Patribus loco Ordinarii ſuſcipienda erit, à Capitulo Generali per vota ſecreta, & cum duabus votorum partibus, non aliter, poſſit admitti: *in Gallia à Provinciali Capitulo cum majori votorum parte.* Confeſſarius etiam hujuſmodi, *locis Galliæ exceptis*, non à Superiore locali, ſed à Præpoſito Generali, vel à Definitorio eligetur, duraturus ad triennium, non ultrà: is verò ſciat, præſenti Conſtitutione ſibi diſtinctè prohibitum inſinuare ſe ſe in aliud quodcunque à ſpirituali animarum regimine, & cura diſtinctum.

17. Extra locum confeſſionibus audiendis deſtinatum Moniales non alloquatur, munera privatim nulla prorſus accipiat, clauſuram in caſibus à jure permiſſis ſi eum ingredi oportuerit, ſuperpelliceum induat, & ſtolam.

18. Confeſſarii, qui extraordinarias Monialium, vel puellarum, quæ in noſtra clientela non ſunt, confeſſiones audiant, non paſſim concedantur à locorum Superioribus. Ipſi quàm rariſſimè id muneris obeant, alii ultra duos menſes eidem loco non inſerviant.

19. Ore ſententiam dicere circa caſus conſcientiæ, qui ab extraneis proponuntur, cuiliber Confeſſario integrum ſit; ſcriptis verò conſignare, illis tantùm liceat, quibus Præpoſitus Generalis, vel Viſitatores id conceſſerint.

20. Qui in noſtris Parochialibus Eccleſiis curam animarum exercebunt, à Definitorio deputentur, vel à Capitulo Conventuali per vota ſecreta, & prævio examine per duos ex Patribus coram Superiore faciendo, & munus non ſubeant, niſi ſervatis ſervandis.

21. Parochi noſtri viri ſint religioſa gravitate, & probitate conſpicui, zelo ſalutis animarum ferventes, & charitatis, pietatiſque operibus dediti. Hi ægrotos, maximè pauperes, frequenti viſitatione recreabunt, & ad Sacramenta ſuſcipienda opportunè diſponent. Doctrinæ Chriſtianæ miniſterium ſummo affectu complectentur, & promovebunt, ſinguliſque feſtis diebus rudes pueros, & puellas intra Parochiæ fines commorantes, dato per æs campanum ſigno, convocabunt ad Eccleſiam, & rudimentis Catholicæ fidei curabunt imbuendos, eorundem conatum, & induſtriam alii, Superioris juſſu adjuvabunt.

22. In mortuorum funeribus, & publicis quibuſque functionibus unus ex Noſtris comes Parocho deſignetur. Parochus attentè vigilet, & diligentiam omnem adhibeat, ne ſine Sacramentis quiſpiam in Parochia decedat, ſi numero, & neceſſitati ægrotantium par ipſe non ſit, Superiorem conveniat, & ab eodem deſignari ſibi ſocium poſtulet.

23. Habeat libellum, in quo deſcripta ſint jura, fines Parochiæ, emolumenta, &c. & in eo deſcribat, quæ notatu digna evenient, ſucceſſori tradendum.

24. Mortuorum, matrimoniorum, & Baptizatorũ libros diſtinctè complectentes nomina, cognomina, & patrias apud ſe diligentiſſimè cuſtodiat; accuratè item obſervet ſingula, quæ in ſacro Concilio Tridentino, & in Synodis à locorum Ordinariis ſervanda præſcribuntur; Rituale Romanum nuper editum frequenter percurrat, & ad illius formam actiones ſuas, & alia omnia accomodet: tandem, quæ ſui ſunt muneris, ad DEI gloriam perfectè ſtudeat exequi.

De Concionatoribus, & Lectoribus.

Caput XIII.

1. Miniſterium Verbi Divini tam in concionibus, quàm in ſacris lectionibus, enuntiandi, ut Chriſti fidelibus utiliſſimum, ita fideliter, ac prudenter à Noſtris exercendum eſt, qui ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ DEI, in alterutrum, id eſt, in proximorum utilitatem illam adminiſtrabunt: publicè tamen neque concionetur aliquis, neque legat in Eccleſiis, niſi ab obedientia mittatur: nemo admittatur, qui indole, ingenio, fide, probitate, & eloquio non excellat, qui Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia methodicè non abſolverit, vel ſaltem poſt Philoſophiam myſticæ Theologiæ, & ſacræ Scripturæ operam ad triennium non dederit, prævioque examine approbatus à Patribus deputatis facultatem concionan-

nandi in ſcriptis non obtinuerit à Præpoſito Generali, vel à Provinciali.

2. Concionatores, antequam id muneris aggrediantur, fidei profeſſionem emittant; quod idem præſtabunt, qui ad docendum deputabuntur.

3. Concionatoris munus cùm ſit vitia evellere, virtutes inſerere, omnem conatum in hunc quaſi ſcopum Noſtri dirigant, ut in Chriſti Fidelium animis odium peccatorum, amorem probitatis excitent, & exemplo non minùs, quàm verbo Evangelium prædicent.

4. Studio ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum ita ſint dediti Concionatores noſtri, ut, quam aliis trادituri ſunt, doctrinam ex ipſo fonte cum labore hauriant, & difficilia quæque Scripturæ loca, oblata opportunitate, etiam ex tempore explanare poſſint.

5. Illuſtrioribus in Eccleſiis qui concionati aliquando ſunt, non dedignentur illud idem miniſterium in oppidis, villis, & Eccleſiis, ad quas parvus ſit hominum concurſus, exercere; ſed eò pergant alacriter, quò à Spiritu ſancto, obedientia directrice, mittentur.

6. Noſtri Prædicatores nihil publicent in ſuggeſtu, neque etiam Indulgentias, niſi de licentia Superioris illius Eccleſiæ.

7. Magnum præbeant ubique probitatis & humilitatis exemplum, & nullum unquam animi impatientis indicium: neminem dictis ſive privatim, ſive publicè, multò minùs actione qualicunque contra ſe ipſos, & contra Religionem noſtram irritando provocent; adverſa omnia, etiam injurias, æquiſſimo animo patiantur, & quidquid ſive proſperi, ſive adverſi eis acciderit, protinus ad DEI gloriam & laudem referant.

8. E multis, qui modum concionandi tradiderunt, hortamur, ut ſinguli Concionatores noſtri familiarem unum aliquem habeant, atque ejuſdem præceptiones conentur & memoriæ commendare, & ſuis in concionibus obſervare.

9. Verborum lenociniis, poëticis loquendi formulis, facetiis, ſtylo affectato, longiuſculis rerum deſcriptionibus, incompoſito geſtu, immoderata vocis elatione, aſſentationibus, curioſis diſputationibus, nimiis exaggerationibus, acrioribus reprehenſionibus, memoriæ & ingenii oſtentatione, atque iis omnibus, quæ aliquam vanitatis ſeu levitatis ſpeciem referunt, prorſus abſtineant.

10. De Principibus, Magiſtratibus, Prælatis, Superioribus modeſtè omnino, & honeſtè ubique loquantur. Vitia generatim inſectentur, neminem nominatim reprehendant; aliorum Ordinum Regulares commendent, & quoties nominare occurrerit, nominent reverenter.

11. Qui cibis quadrageſimalibus in Quadrageſima veſci non poterit, concionibus abſtineat, niſi aliter Definitorio, vel Præpoſito Generali conſideratis conſiderandis viſum fuerit.

12. Brevitatem in dicendo amplectantur, quæſtiones, ſi quas aliquando proponent, breviter etiam exponant, & ad captum, utilitatémque multitudinis accommodent omnia.

13. Extra proprias Eccleſias Concionatoribus ſocius à Præpoſito Generali, vel à Viſitatore aſſignetur, non eligatur ab ipſis, quamvis Superiores eſſent.

14. Illud ſimpliciter obſervent, *gratis accepiſtis, gratis date:* quocirca nec pactionem aliquam inire pro concionibus, nec eleëmoſynas quærere noſtris liceat; ſpontè tamen à fidelibus oblatas ut recipere poſſint, concedimus: eas verò, qui Superiores fuerint, libris rationum accepti & expenſi fideliter adnotare faciant; & ſubditi ſtatim atque ad locum ipſis ab obedientia deputatum redierint, ſuo conſignabunt Superiori, cui etiam factarum expenſarum & in itinere, & in victu, ſi quæ factæ fuerint, rationem reddent.

15. Non liceat ſubditis eleëmoſynas pro concionibus acceptas in libros, veſtes, vel aliud quodcunque expendere, ſed à proprio Superiore illa ſibi provideri, quorum indiguerint, humiliter depoſcant.

16. Exemptiones Concionatorum & Lectorum hæ ſint: Quotidie concionaturi in Quadrageſima per menſem integrum ante Cineralia, & per dies quindecim proximè poſt Quadrageſimam, ſi in noſtris Eccleſiis concionati fuerint; per menſem, ſi in remotis à loco ſuæ reſidentiæ, Choro cùm aliis intereſſe non teneantur, niſi diebus feſtis ad horas diurnas, ad Miſſam ſolemnem, & diebus ſingulis ad orationem mentalem.

17. Qui feſtis ſolùm diebus concionem, vel pomeridianis horis lectionem habere ſolent in Eccleſia, & pridie ante concionem vel lectionem, & poſtridie à nocturnis horis ſint exempti. Extra triclinium comedere permittitur Concionatoribus, qui quadrageſimali tempore quotidie concionantur, aliis non item.

18. Ad Moniales ſine ſui Superioris licentia nemo ſermonem vel concionem habeat.

19. Adoleſcentes, ſtudiis necdum completis, in triclinio, diſcumbentibus aliis, in concionibus frequenter exerceantur; habita concione ſupplices in medium triclinii prodeant, & corrigi de ſuis ipſorum erratis à Superiore humiliter poſtulent.

20. Qui dixerit, & non fecerit, hoc eſt, qui probè dixerit concionando, ſed probè non fecerit exequendo, quæ aliis prædicaverit; à Definitorio, vel à Præpoſito Generali, vel à Viſitatore concionandi munere privetur, & ſtudio mortificationis interim exerceatur.

21. Diebus feſtis poterunt ex Noſtris aliqui, etiam non Sacerdotes, qui ſpectatæ ſint probitatis & modeſtiæ, ad proximas villas & pagos, vel intra civitatem ad ſcholas Doctrinæ Chriſtianæ, ad pios Conventus ſæcularium, & quocunque pro Dei gloria expedire videbitur, à Superioribus mitti, ut populum piis exhortationibus inſtruant in Lege Domini, & ad illius obſervationem, propoſitis pœnis, præmiis, & exemplis, cum affectu inducere conentur juxta antiquum, & pium noſtræ Congregationis inſtitutum.

22. Concionandi provinciam etiam ſponte oblatam à Prælatis, vel à ſæcularibus viris nemo aggrediatur, nemo ſuam promittat operam, niſi facultatem à Præpoſito Generali vel Provinciali priùs obtinuerit, cujus eſt, Operarios in vineam Domini arbitrio ſuo mittere.

De caſtigatione corporis per jejunium & verberationem, & de ciborum qualitate & quantitate.

Caput XIV.

1. Internis virtutum actionibus, humilitati, charitati, patientiæ, motuum animi, ac perturbationum moderationi, morum mutationi, in quibus religioſæ vitæ conſiſtit perfectio, totis & viribus, & animo incumbendum eſt à Noſtris, in iiſdémque ut proficiant, omni conatu contendendum: ſed ne externæ quidem virtutum exercitationes relinquendæ; eæ verò ſunt jejunia, vigiliæ, cilicia, verberationes, literarum ſtudia, & hujuſmodi, quæ (ùt Caſſianus air) perfectionis inſtrumenta ſunt; ut meritò S. Cyprianus dixerit, neminem virtutibus excelluiſſe, vel ſingularia à Deo dona atque beneficia promeruiſſe, qui per hæc caſtigandi corporis media non aſcenderit. Præter privatas igitur & voluntarias corporis afflictationes, quas cuilibet integrum erit aſſumere, ſed cum Superioris, vel proprii Confeſſarii obedientia, communes omnibus ſequentes præcipimus:

2. Jejunium per Adventum integrum, qui more Romano incipiendus erit.

3. Omnia Eccleſiaſtica jejunia à Noſtris omnibus inviolatè obſerventur.

4. Singulis quartis feriis à carnium uſu Noſtri omnes ubique locorum abſtinebunt, niſi pridie præceſſerit, vel poſtridie ſequatur aliqua de præcepto, aut ex magna devotione Vigilia ad judicium Superioris.

5. Sabbato ante tertiam poſt Paſcha Dominicam, vel eam, quæ Comitiorum, aut Definitorii erit initium, jejunetur ab univerſis.

6. Diem feſtum ſacratiſſimi Corporis Chriſti, & diem feſtum ſancti Auguſtini præcedat nobis Vigilia cum jejunio.

7. Feria ſexta cujuſque hebdomadæ jejunium à Noſtris ſervetur, niſi pridie fuerit jejunatum, aut poſtridie ſit jejunandum. Superiores tamen diſpenſent duos ultimos dies Veneris ante Quadrageſimam, & poſtremum ante Adventum, & totum illud tempus, quod inter utrumque Paſcha, Reſurrectionis ſcilicet, & Pentecoſtes interlabitur.

8. Veſpertina refectiuncula erit fruſtum panis, & fructus unius ſpeciei; ſed in Quadrageſima, & Vigiliis de præcepto Superior agat pro ſua charitate & prudentia.

9. Eadem ſexta feria ſtatim poſt mentalem orationem, quam nunquam prætermitti volumus, vel alio ad Superioris arbitrium magis opportuno tempore

pore dabitur ſignum, quo convocati Noſtri omnes in eundem locum conveniunt, ibidémque flexis genibus ad renovandam cruciatuum JEſu Chriſti Domini noſtri memoriam, & pro commiſſorum expiatione peccatorum, carnem ſuam unuſquiſque moderatè, diſcretè, loris cædendo affliget, *quod* (teſte Divo Bernardo) *genus quoddam martyrii eſt*, ac proinde Divinæ Majeſtati acceptiſſimum, ſi pia intentione, & ſanctâ executione ad ipſius honorem dirigatur. Superior, vel alius de illius mandato adhortatiunculam præibitur, aut lectionem breviuſculam præleget ad excitandum in audientium animis pium devotionis affectum. Exinde ipſe incipiet, & alii proſequentur Antiphonam: *Apprehendite diſciplinam*; Pſalmum quinquageſimum, *Miſerere mei Deus*; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum; *Salve Regina*; *Chriſtus factus eſt* &c., & Orationem: *Reſpice, quæſumus, Domine* &c.; qua finita, ſignum detur à Superiore, ceſſandi à verberatione, & ſtatim idem jubeat quinquies *Pater noſter*, & *Ave Maria* devotè dici pro neceſſitatibus Eccleſiæ, noſtræ Congregationis Benefactorum, & pro animabus Fratrum noſtrorum in Purgatorio exiſtentibus; iiſque abſolutis dicat: *Unigenitus Dei Filius nos benedicere & adjuvare dignetur*, cæteri reſpondeant, *Amen*, & ad propria cubicula ſilentio ſe recipiant.

10. Qui in Seminariis, in Convictorum Collegiis, & in Orphanotrophiis commorantur, eandem omnino carnis caſtigationem ſimul eodem in loco, idem jejunium eodem die obſervabunt.

11. Ad carnis domandæ & macerandæ ſtudium, propoſita hujus utilitate & neceſſitate, quo (ùt Caſſianus ait) extirpantur & marceſcunt vitia univerſa, ſubditos ſæpe Superior adhortetur: ipſe ſuo iiſdem præeat exemplo.

12. In aſſignandis mortificationibus prudentia opus eſt, & moderatione maxima, luménque à Deo impetrandum. Ferè tamen à levioribus incipiendum, honeſtati & ſanitati conſulendum, & diſponendus priùs animus, quàm medicina corpori adhibeatur.

13. Quod ad cibos attinet, iidem ſint omnibus, ſintque vulgares, non lauti, munditiès in illis magna eniteat, ſint bene cocti, bene etiam pro religioſa paupertate conditi. Singulis ſingulæ portiones ubique, & quocunque tempore, etiam cùm Præpoſitus Generalis vel Viſitator advenerit, diſtribuantur, & cum æqualitate dividantur. Singularitas in omnibus, ſed in victu & veſtitu præſertim evitetur. Quamobrem præter communes cibos nemo tam in prima, quàm in ſecunda menſa quidquam ſecum deferet, vel deferendum curabit, quodcunque illud ſit, ſine Superioris licentia. Volumus tamen haberi rationem ætatis, valetudinis, laborum cujuſcunque. Cùm jejunatur, duplex apponatur obſonium omnibus.

14. Diebus feſtis, & diebus Jovis quatuor fercula dentur, reliquis tria, niſi juſtis ex cauſis cum Præpoſiti Generalis facultate aliter faciendum alicubi ſtatuatur. Extra communem menſam nemo quidquam comedere, nemo bibere audeat ſine Superioris obedientia. In bibendo nemo alteri propinet, nemo alteri quidquam comedendum in menſa porrigat.

15. Cum ſæcularibus, quanquam conſanguineis, affinibus, pœnitentibus, vel aliis quibuſque comedendi facultatem non paſſim, nec ſine juſta cauſa Superiores aliis faciant, nec ſibi ipſis uſurpent. Ad nuptiale convivium nunquam Noſtri accedent, & ad illud accedendi licentiam Superiores concedere non poſſint.

16. Externi noſtras ad menſas quàm rariſſimè, & (ſi fieri poteſt) nunquam vocentur: vocati non ſæculari, non aulico apparatu, ſed religioſa ſimplicitate, maxima tamen munditie recipiantur, & tunc lectio non omittatur, & Noſtri ita ſe contineant intra religioſæ modeſtiæ ac decentiæ limites, ut, qui nobiſcum diſcubuerint, magnam concipiant de noſtra conſuetudine opinionem & temperantiam commendent.

De Silentio, & Modeſtia.

CAPUT XV.

1. Cùm ex D. Auguſtino à *religando* Religio dicta ſit, lingua in primis cuique Religioſo per ſilentium religanda eſt. Etenim vix Religioſus eſt, qui linguam non refrænat, à qua, tanquam à fera indomita, plurima, eáque graviſſima incommoda proficiſcuntur.

2. Omni igitur tempore Patres & Fratres noſtri ſint amantiſſimi, obſervantiſſimique taciturnitatis, quam ſancti Patres *cultum juſtitiæ*, *virtutum omnium parentem*, *cuſtodem*, *nutricem* vocant; lo-

quacitatis contrà inimiciſſimi, ut quæ mentem & à Deo, & ab ipſomet, qui loquitur, disjungat, atque ad vana ac nociturna divertat.

3. Præcipuè verò obſervari ſilentium præcipimus in Choro, & in Triclinio, & quidem ita religiosè, ut non ſolùm verbis, ſed ne ſignis quidem aut nutibus fas ſit illud violare. Quamobrem neque poſt Horas Canonicas, neque poſt mentis orationem in Choro, neque poſt refectionem in Triclinio remanere colloquendi gratia cuiquam liceat; orandi verò cauſa in Choro, ſerviendi in Triclinio conſiſtere liceat, ſed cum obedientia.

4. Hyeme poſt calefactionem, quæ fieri ſolet matutina oratione completa, ad quadrantem horæ, vel circiter, unuſquiſque ad propria ſive cubicula, ſive officia cum ſilentio accedet.

5. In omnibus Religioni noſtræ ſubjectis domibus ſignum veſpertinum Salutationis Angelicæ, niſi poſt illam ſtatim ad cœnam Noſtri advocentur, ſilentii ſignum erit. Poſt prandium, & poſt cœnam hora, vel circiter, elapſa, ſilentii ſignum detur; ſtatim ſuum unuſquiſque cubiculum ingrediatur, alienúmque interim introire, cujuſcunque illud ſit, præterquam Superioris, vel rerum ſpiritualium Magiſtri nefas ſit: ſed & manè, cùm horæ matutinæ recitantur, nemo, qui in Choro non interſit, alterius cubiculum intrare, vel cum altero colloqui poſſit; & in eum, qui ſecus fecerit, ſeverè animadvertet Superior, cujus conſcientiam hac in re ſeriò oneramus.

6. Quoties unus cellam alterius ingredi voluerit, januam illius digitis pulſet; clara voce dicat: *Deo gratias*; is verò, qui intus fuerit, reſpondeat: *Semper*; tum oſtium aperiat, quod intus obſerari nolumus, dum in cubiculo ille commorabitur.

7. Quadrageſimali tempore, & diebus, quibus vel ex Eccleſiæ præcepto, vel ex Conſtitutionum præſcripto jejunatur, ſilentium ſeveriùs ſervetur.

8. Silentii tempore nemo alterum convenire ſine expreſſa Superioris licentia poſſit; Laici à pulſandis campanulis, à collocutione, ab omni ſtrepitu abſtineant, quantum neceſſitas officiorum, quibus deputati ſunt, permiſerit: idem præſtabunt, dum panem conficient, dum lances, & vaſa coquinaria abſtergent, niſi malint pſalmos, aut preces aliquas interim invicem recitare, vel de vitis Sanctorum agere, & colloquendo aliquid meditari.

9. Nocturno tempore ex propriis cubiculis, niſi neceſſitas urgeat, exire, vel aliò pergere, quàm, quò neceſſitas impellit, nefas ſit.

10. Poſt ſemihoram à veſpertino ſilentii ſigno pulſabitur denuo tintinnabulum, & omnes ſtatim lumina extinguent, ut ſomnum capiant, niſi qui à Superiore ob aliquam cauſam aliter faciendi facultatem impetraverit.

11. Superior tamen, vel (eo impedito) Vice-Superior cautè domum tunc temporis circumeat, & ſilentii, hujuſque Conſtitutionis violatores, ſi quos deprehenderit, ad aliorum exemplum puniat.

12. Si quis noctu in Oratorium, vel in Eccleſiam ad orandum proficiſci voluerit, id faciendi poteſtatem prius obtineat à Superiore.

13. Quòd ſi ſilentium ſervandum, multò magis murmurationes fugiendæ, quibus & Dei, & Religionis gloria minuitur, charitas ſcinditur, & læditur. Vigili ergo cura Superiores in id incumbent, ne vitium hoc, quod totam Religionem labefactare poteſt, inter Noſtros ſerpat, nunquam cum delinquentibus connivebunt, ſed ex præſcripto charitatis, atque juſtitiæ cum iisdem agent, ut emendentur.

14. Collocutiones autem ſemper fiant ſubmiſſa voce, & inter Religioſos religioſæ ſint, nimirum de Scripturis ſacris, de cuſtodia diſciplinæ, de rebus ad mores, & ad conſcientiam ſpectantibus, de virtutibus, de forma, & facili ratione earundem acquirendarum, de præclaris aliorum dictis & factis, de literarum ſtudiis, de concionibus, & hujuſmodi; modo nugæ, & inutiles narrationes fugiantur, *quæ inter Sæculares nugæ ſunt*, ùt ait S. Bernardus, *ſed in ore Sacerdotum, & religioſorum hominum blaſphemiæ*. Illud præterea intelligant Noſtri, non multùm referre, dum cum Sæcularibus colloquuntur, quàm elegans ſit religioſi hominis ſermo, ſed quam gravis, circumſpectus, atque utilis. Quamobrem omnes ſeriò contendant, ut externos, præcipuè ſæculares, quibuſcum verſabuntur, arrepta prudenter occaſione, ad pietatem, & ad reliquas Chriſtiano homine

mine dignas virtutes ſuis adhortationibus inflammeut.

15. Aliorum dicta, factáve quis facilè improbare aſſueſcat, neque ſe ipſum, ſuáque emendare, & efferre paſſim audiatur.

16. Circa modeſtiam, cùm ea ſit, quæ actiones hominis externas componit, & motibus ejus honeſtum quendam tribuit decorem, conabuntur omnes ita ſe gerere, ut vitæ genus, quod profitentur, regula quædam, & profeſſio modeſtiæ eſſe cognoſcatur. Eſt enim externa modeſtia index compoſitionis internæ. Quocirca ita ſe corpore componere ſtudebunt, ut capite & vultu honeſti, oculis verecundi, inceſſu graves videantur: voce moderata utentur: nec incompoſitè amicti, nec nimis culti incedent: omnes, præſertim Seniores & Superiores, reverenter alloquentur: geſtus orationis comes ſit gravis & comptus, ut inde externi, maximam in animo interiùs eſſe compoſitionem, conjiciant.

17. Modeſtiæ verò comites perpetuæ ſint benignitas, & humilitas; ita ut & eandem vultus & animi ſemper præferre compoſitionem adnitantur; modeſtiam enim laus, benevolentia, & bona exiſtimatio conſequitur: immodeſtiam econtra averſio, depreſſio, & contemptus.

De Capitulo Collegiali congregando, & culpis dicendis.

Caput XVI.

1. Charitatis præcipuum opus eſt, errantes corrigere, & eosdem per humilitatis gradus ad perfectionis faſtigium promovere. Propterea octavo, vel quintodecimo ſaltem quoque die Capitulum Collegiale Superioris juſſu, aut, eo impedito, ſeu abſente, Vice-Superioris, campanula convocabitur; &, niſi Altare erectum ſit in loco Capituli, menſa ibidem paretur, in qua JESU Chriſti cruci affixi effigies collocetur, cadiſcus, Liber Conſtitutionum, & Actorum Capituli Collegialis, ac tintinnabulum reponatur. Omnibus conſueto in loco congregatis, Superior, aut Vice-Superior ſignum dabit flectendi genua, & orandi. Precum autem formula erit ejuſmodi:

Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.

Pater noſter. Credo. clara voce.

℣. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus; prætende ſuper famulos tuos, & ſuper Congregationes illis commiſſas Spiritum gratiæ ſalutaris, &, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Mentes noſtras, quæſumus, Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra, ut videre poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt, agere valeamus.

Defende, quæſumus, Domine, beata Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis.

Deus Largitor pacis, & Amator caſtitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus, quæ nos pulſant, tentationibus liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Addatur oratio Titularis, ſeu Patroni Eccleſiæ.

2. Finita oratione, ſurget Superior, & ſedebit, quod idem facient ſubditi omnes profeſſi, alii ſtabunt; ſtatimque brevem proponet Superior adhortationem, tempori & occaſioni accommodatam: cùm dicendi finem fecerit, hoc Caput de Capitulo Collegiali congregando, & culpis dicendis à Cancellario, vel ab alio, jubente Superiore, alta voce legatur; tum ſinguli prodeuntes in medium Capituli, & genibus flexis proprias culpas externas humiliter, ſed clara voce fatebuntur; primi omnium Hoſpites & Aggregati, tum Novitii, exinde Laici profeſſi, mox Clerici, ultimo loco Sacerdotes ex ordine profeſſionis, ita ut minores præeant, alii ſequantur. Hoſpites, Aggregati, Laici, & Clerici, antequam ſuas culpas aperiant, terram exoſculabuntur; Sacerdotes manum, qua priùs terram tetigerint, ori admovebunt, tum inclinato capite dicent: *Deo gratias*, reſpondebitque Superior: *Semper*, & ſtatim ſubditus initium propriæ accuſationis in Domino faciet. Accuſatione abſoluta, correptionem unuſquiſque libenter audiet, & pœnitentias, ſive mortificationes, quas illi injungere voluerit Superior, grato, hilarique animo excipiet; inde facto recedendi ſigno, Clerici & Laici denuo terram ore, Sa-

cerdotes manu oſculabuntur, & cum ſumma animi demiſſione ad propria loca revertentur.

3. Nemo ex ſubditis, quacunque dignitate præſulgeat, à culpa dicenda ſit immunis, ſed non profeſſi egrediantur è Capitulo, cùm profeſſi ſe ipſos accuſabunt. In Triclinio autem, ubi publicæ pœnitentiæ publicis erratis injunguntur, cùm profeſſi culpam dicent, non profeſſi intereſſe poteruot: hoc enim ad exemplum iiſdem cunſeret.

4. In Capitulo dum aliqnis à Superiore corripitur, excuſationem afferre non poſſit, niſi petita priùs benedictione, & facta à Superiore poteſtate, qua etiam parcè, modeſtè, humilitérque utetur.

5. Si quis irreverenter vel immodeſtè ſe geſſerit, vel impoſito illi ſilentio non ſtatim obedierit, dimittatur è Capitulo, & graviter puniatur.

6. Superior coram ſubditis, præterquàm in adventu Præpoſiti Generalis, ſeu Viſitatoris, culpas ſuas non accuſabit; Patres tamen rogabit, ut ex charitate ſuos illi defectus, aut exceſſus privatim in cella ſignificent, vel ex Senioribus aliquem ad ſe admonendum mittant, ſe id æquiſſimo animo laturum, gratias omnibus habiturum maximas, & emendationem pro viribus, adjuvante Domino, in ſe ipſo curaturum.

7. Quæ in Capitulo dicta vel geſta fuerint, extra Capitulum referri omnino prohibemus, maximè ſi charitatem minuere poterunt: Capitulo, & voce privetur, qui ſecus fecerit, aliiſque pœnis judicio Superioris & Seniorum mulctetur.

8. Culpis abſolutis, Superior, ſi contractum aliquem, vel quidpiam magni momenti in utilitatem Domus, aut Collegii præ manibus habeat, re coram iis ſubditis, qui ſuffragium in Capitulo ferre poſſunt, propoſita, calculiſque adhibitis illud efficiet, quod majorem partem votorum velle compererit. In contractibus ea ſervetur forma, quæ à Decreto ſacræ Congregationis Concilii tradita eſt.

9. Suffragia deinceps nulli ferent, qui poſt Subdiaconatus ſuſceptionem triennium non expleverint. Si verò aliquis Sacris initiatus, profeſſionem inter nos emiſerit, is poſt emiſſam profeſſionem per idem temporis ſpatium in Capitulo Collegiali neutram vocem habiturum ſe ſciat.

10. Antequam dimittatur Capitulum, ex charitate, & in Domino requiret à ſubditis, eóſque rogabit Superior, num pro Dei cultu augendo, pro bono Congregationis oomine conſervando, pro booo item Domus regimine aliquid admooendum iiſdem in meotem veniat, an alicui ſit occurrendum ſcandalo, an neceſſaria cuiquam deſint, an omnia, quæ ad victum & veſtitum pertinent, ea ſint æqualitate diſtributa, ut unus non eſuriat, & alter ebrius ſit; & liceat omnibus hoc tempore & loco animi ſenſum aperire, ita tameo libere, ut à dicendi libertate charitas, modeſtia, humilitas, reverentia nunquam divellantur, & voluntati, prudeotiæque Superioris propriam unuſquiſque voluntatem & ſenſum ſtatim ſubjiciat.

11. Abſolnto Capitulo, pulſabit Superior tintinnabulum, omnéſque procumbent in genua, & orabunt, ut infra.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.

Pater noſter, & Salve Regina. clara voce.

℣. *Confirma hóc Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A temple ſancte tao, qued eſt in Hieruſalem.*

℣. *Domine exaudi oratiouem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus. *Præſta nobis, quaſumus, Domine, auxilium gratia tua, ut, qua te Auctore facieada cognovimus, te operaate impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Oremus. *Protector noſter aſpice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis, ut, omni perturbatione ſemota, liberis tibi meutibus ſerviamus.*

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in huac mandum; illumina, quaſumus, corda noſtra gratia tua ſpleudore, ut dignè Majeſtati tua miniſtrare, téque in aterna claritate diligere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Retribuere dignare, Domine, Benefacteribus noſtris vivis atque defunctis vitam aternam. ℟. *Amen.*

12. Tum Superior converſus ad Patres, eorum conſalutationem excipiet, omnes cum ſilentiu & pace recedent, & ipſe ultimus omnium.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER

LIBER TERTIUS.

De iis, quæ Spectant ad Perſonarum, & domorum gubernationem.

Quales eſſe debeant Superiores noſtri, & de illorum munere, ac facultate.

CAPUT I.

1. SUperiores noſtri tam Præpoſiti, quàm Rectores per vota ſecreta, ut lib. primo cap. de Definitorio dictum eſt, à Definitorii Patribus eligentur.

2. Electus Superior primo loco ſibi proponat, ut vitæ viam ſubditis bene vivendo magis, quàm bene dicendo, vel docendo indicet; atque enitatur, ut in ſe ipſo ita expreſſum videant exemplar regularis diſciplinæ, ut quod in aliis reprehenderit vitium, retorquere in ipſum ſubditi non poſſint.

3. Procerto exinde habeat optimam rectæ gubernationis regulam eſſe Conſtitutiones, & Decreta, quæ à Capitulo Generali, à Definitorio, à Præpoſito Generali pro rerum occaſione ſanciuntur: quæ quò diligentiùs, ſtudioſiùſque curabit, ut obſerventur, eò laudabilior erit gubernatio, & Deo ipſi acceptior.

4. Elapſo triduo poſtquam Superior ad proprium locum pervenerit, vel ſi ibidem degere illum contigerit, poſtquam de injuncto ſibi munere factus fuerit certior (quo triduo dabit operam, ut ſtatum domus pleniſſimè cognoſcat) ſubditos omnes ſolito ſigno convocabit in Capitulum, literas, quam patentes vocant, ſuæ electionis teſtes publicè per Cancellarium legi jubebit, & Capituli Generalis, vel Definitorii decreta, ſi quæ ſancita fuerint, recitari: ipſe verò omnes ad orationis aſſiduitatem ac ſtudium perfectionis, ad prælucendum exemplo ſæcularibus, & ad reliqua virtutum ornamenta, quæ propria ſunt religioſi hominis, adhortabitur. Tum inventaria Sacrarii Bibliothecæ, & ſupellectilium omnium, quæ tam in publicis officinis, quàm in privatis cubiculis aſſervantur, vel à prædeceſſore, ſi aderit, vel ſi aberit, à Vice-Superiore recipiet, & quàm primùm cum rebus ipſis conferenda curabit. Quòd ſi inventaria deſiderentur, vel res inventariis notatæ, quæ magni pretii ſint, aut magna in quantitate non reperiantur, hac de re, quæ graviſſima cenſenda eſt, Præpoſitum Generalem, vel Viſitatorem, & hic deinde Præpoſitum Generalem illico certiorem reddet, & novos ſtatim rerum indices per Vice-Superiorem, & duos ex Senioribus confici jubebit, quibus cum iiſdem anno, menſe, & prænotato die ſe ſubſcribet.

5. Libellum etiam continentem obligationes Miſſarum, Anniverſariorum, & precum, quæ illi Eccleſiæ incumbunt, ad ſe deferri præcipiet, & ſimul cum prædictis rerum inventarijs ſuo in cubiculo cuſtodiet.

6. Nomina ſingulorum ex ſua familia evulgabit, & ſuum cuique miniſterium, ac munus aſſignabit, neque deinceps permittet, ut unus in alterius officium ſine licentia ſe ingerat.

7. Confeſſarios, qui confeſſiones Noſtrorum auſcultent, nominabit, & caſus exprimet, quos ſibi reſervare voluerit, juxta decretum fel. rec. Clem. VIII. Præpoſiti Generalis ſtatuta, caſuum, cenſurarumque reſervationes, ſi quas ille ediderit, promulgari, & libro Actorum Capituli Collegialis, ut reliqua etiam pro bono domus regimine à ſe diſpoſita, adnotari præcipiet.

8. Debebit tamen bis ſaltem, aut ter in anno ſubditis Confeſſarium unum, aut plures extraordinarios concedere, qui intra tempus præfigendum ſingulorum confeſſiones audire poſſint pro ipſorum conſcientiæ tranquillitate.

9. Novitatem aliquam non inducet, inductas verò conſuetudines nec violabit ipſe, nec violari permittet ab aliis: ſed, ſi quid videbitur juſtas ob cauſas innovandum, cum majori parte votorum ſui Capituli id decernet, vel Præpoſitum Generalem conſulet; & illud efficiet, quod ipſe faciendum reſcribet.

10. Superioris munus erit invigilare omni ſolicitudine, ut divinus cultus augeatur: ut Conſtitutiones noſtræ, & Decreta, ſed tria potiſſimùm vota inviolatè ab omnibus obſerventur; ut ſua ſinguli

gull munera naviter exequantur: ut concordia in ſubditorum animis, eadem ratiò in moribus, in victu, & veſtitu, amor in Congregationem, reverentia in Superiores, & in Seniores diligentiſſimè conſerventur: ut, ſi quid rixarum inter ſubditos excitatum fuerit, debita cum ſatisfactione protinus tollatur: ut malis, & ſcandalis, quæ domi, vel foris ſive immínere, ſive contingere poſſe cognoverit, prudenter occurrat, &, ſi quæ jam evenerint, opportuno remedio ſanet: ut nihil relinquat intentatum, quò ſubditum tentatum, atque adeo deficientem, deſidioſum, titubantem excitet, adjuvet, confirmet. Quamobrem eniti debebit, ut ſingulorum ingenia, propenſiones, animi morbos agnoſcat, & ex ſanctorum Patrum, & magiſtrorum ſpiritualis vitæ libris tanquam ex officinis ſtudebit opportuna deptomere, & habere in promptu remedia, quibus ægrotantium ſubditorum animos facilè curet.

11. Ejuſdem etiam munus erit Clericos quanquam ſacris initiatos octavo quoque die accerſere, & quid in ſpiritualibus profecerint, ab unoquoque illorum cognoſcere: ad culpas dicendas, & ad alia pro rerum occaſione peragenda Capitulum congregare: communes officinas interdum adire, & explorare, num miniſtri ſuo ſatisfaciant officio: inveſtigare, num intra, vel extra cubicula aliquid fiat, quod fieri dedeceat: claves Reliquiarum perpetuò, Eccleſiæ verò, & domus nocturno tempore apud ſe cuſtodire; & poſtquam Ædituus, ac Janitor claves ad ipſum detulerint, ex improviſo ſæpius inſpicere, num revera fores occluſæ clavibus fuerint: libros omnes, qui aliquid laſcivum continent, de medio tollere: literas à ſubditis ad alios, vel ab aliis ad ſubditos datas aperire, lègere, obſignare, de iiſdem reddendis, aut non reddendis id ſtatuere, quod ad majorem DEI gloriam expedire cognoſcet.

12. Superior Clericorum profeſſorum, qui, ut in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia meliùs conſtabiliantur, in ſecundo novitiatu, ſeu profeſſorio educantur, in eam curam ſeriò incumbet, ut præter communes omnibus Conſtitutiones, ſuæ ipſorum peculiares inviolatè ab illis obſerventur, præcipuè, ut vitæ ſpiritualis Magiſtro promptè obediant; ut propriæ conſcientiæ ſtatum, propria item vitia eidem ſemel in hebdomada, niſi id præſtare malint coram Superiore, liberè, & ſincerè in Domino aperiant; ut quoties Miſſæ inſerviunt, terram exoſculentur ſtatim poſt elevationem tam hoſtiæ, quàm calicis, magna cum humilitate JESUM Chriſtum adorantes; ut cùm prodeunt in aliorum conſpectum, oculòs demittant, caput, pectus verſus, aliquantulùm inclinent, non inflectant ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ut junctis ante pectus manibus è Choro in Eccleſiam exeant, & interſint rei ſacræ, ut cùm verrunt Eccleſiæ pavimentum, cùm altaria veſtiunt, & ornant, vel ſuis exuunt ornamentis, ſilentium non violent; ut latinè inter ſe ſtatis diebus ubique loquantur; ut omnes ſimul cum proprio Magiſtro, vel cum illius Vicegerente domo egrediantur; ut ab antiquiorum profeſſorum, quicunque illi ſint, conſuetudine, & colloquio prorſus abſtineant; ut habitatione ab iiſdem ſegregata utantur; ut in externis actionibus modeſtiam cum humilitate, hilaritatem cum gravitate, munditiam cum religioſa decentia, inceſſum, geſtum & motum cum decore conjungant; ut ſine obedientia nihil omnino attentent, aut efficiant, nihil cuiquam dent, aut à quoquam, ne ex Noſtris quidem accipiant mutuò, & multò minus dono, vel alio quovis titulo; ut neminem ex ſæcularibus alloquantur, niſi præſente Superiore, & Magiſtro, vel Magiſtri ſocio; ut politioribus literis quàm maximè delectentur: ut ſtudiosè in ſeipſis corrigant maternas voces, & pronuntiandi modum, cùm barbariem aliquam redolere videbuntur; ut in ſubigenda propria voluntate, & in moderando intellectu, atque judicio, aſſiduè, & ex induſtria exerceantur; ut, dum à Superiore, vel à præceptore corripiuntur, ſtatim genua flectant, reſpondere non auſint, neque aſſurgere, niſi deoſculata priùs terra, & obtenta benedictione.

13. Debebit præterea Superior paterna charitate, & benevolentia ſubditos omnes ſic amplecti: ut amari ſe potiùs, quàm timeri velle demonſtret, ea tamen moderatione, ut amans timeri debeat, & iratus amari, atque ideo cavebit, ne nimia cum ſubditis familiaritas ipſum reddat contemptibilem, nec immoderata gravitas odioſum.

14. Accedentes ad ſe ſubditos, ut tentationes, inſpirationes, animi ſenſa, atque etiam morbos aperiant, benignè, libenterque audiant, conſolari conetur, invitet, ut confidenter veniant, &, quantum Deus permiſerit, placida quiete, & ſpirituali conſolatione recreatos à ſe dimittat.

15. Par-

15. Partium ſtudium ita declinabit, ut virtuti tamen, humilitati, doctrinæ, laboribus, ac meritis plurimùm tribuat, elatos verò animos viriliter in Domino reprimere non prætermittat.

16. Ægrotantibus ut nihil deſit, vigilantiſſima charitate ſtudebit. Omnium neceſſitatibus tam animæ, quàm corporis, ſubditis etiam non efflagitantibus, magna charitate, & ſolicitudine proſpiciet. Publicas adhortationes in Triclinio, vel in Capitulo frequenter habebit. Frequentiùs tamen privatis colloquiis, magna ſignificatione charitatis ſubditos conſolabitur, & ad ſtudium perfectionis inflammabit. Libros ſpirituales, & alios juxta ſingulorum indigentiam, profeſſionem, & intelligentiam omnibus ſubminiſtrabit. Choro, & Triclinio, atque etiam primæ menſæ, niſi graviter ſit impeditus, ſemper intererit.

17. Libellum habebit, in quem ea omnia referet, quæ ſibi ad DEI cultum augendum, & ad bonum domus regimen ſubinde occurrerint, ut illa Præpoſito Generali, ſeu Viſitatori, & ſuis etiam Senioribus communicet.

18. Invigilabit, ut Parochi, & Viceparochi opportunè, religioſaque charitate Sacramenta Confeſſionis, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis infirmis adminiſtrent. Alios etiam confeſſarios pro rei occaſione ad audiendas confeſſiones pauperum, & eorum, qui in carceribus, & triremibus detinentur, ad illos juvandos, qui capitis damnati ad ſupplicium ducendi ſunt, libenter mittet, & qui mittentur, hoc pietatis opus cum hilaritate amplectantur.

19. Negotium, curámve nullam ſuſcipiet, quæ ita illum occupet, ut munus ſuum rectè exequi non poſſit. Cum aliis, qui propriis in miniſteriis negligentiores, aut ſordidiores fuerint, pœnarum remedio utatur, prout æquitas, & ratio dictaverit.

20. Inſignes locorum noſtrorum benefactores non modò ſuperſtites, ſed etiam vita functos publicè, nominatimque aliquando commendabit, ut & illorum memoria apud Noſtros ſit diuturna, & temporalia beneficia beneficiis ſpiritualibus, precibus nimirum, & ſacrificiis compenſentur.

21. Seniores honorabit, ſed eorum defectus, atque exceſſus, maximè ſi ſcandalum adoleſcentioribus parere poſſint, nunquam diſſimulabit, imò benignè quidem, ſed tamen ſeriò corripiet, & corriget. Quò enim error auctoritate, dignitate, ætate errantis eſt gravior, eò eſt etiam periculoſior.

22. Reliquis Collegiis, & noſtræ Religionis domibus ex intimo charitatis affectu ſtudiosè faveat, & eorum neceſſitatibus, quantum cum præpoſiti Generalis, & ſui Capituli Collegialis conſenſu poterit, ſubveniat.

23. Conabitur conſequi ſuadendo, ut ſinguli ex ſubditis ſemel ſaltem quot annis ſe ipſos colligant, & ab omni alia cura ſejuncti per dies decem, vel quindecim ſpiritualibus exercitiis toti, & ex animo vacent.

24. Præpoſito Generali, & Viſitatoribus eandem præſtet obedientiam, quam à ſuis ſubditis ſibi deſiderat exhiberi.

25. Ad Superiorem etiam ſpectabit, omnium ſanitati conſulendo, prohibere quæcunque infirmare illam poſſe animadverterit, & providere, quæ cognoverit confirmare eandem poſſe: Singulis ſaltem hebdomadis, & quoties opus fuerit, de rebus ad gubernationem attinentibus, ne quid faciat ex proprio ſenſu, cum Senioribus agere, qui deinceps à Definitorio, vel à Præpoſito Generali nominabuntur, & cum eorum conſilio punire ſubditorum gravia errata, quibus in noſtris Conſtitutionibus peculiares pœnæ ſtatutæ non ſunt.

26. Caveat tamen, ne ſubdito provinciam nimis oneroſam, aut viribus illius imparem, ſeu etiam verbis aſperioribus injungat; ne nimio rigore, perpetua ſeveritate, contractoque ſupercilio imperet, ſed ex amore naſcatur imperium, & cum amore illi pareatur. Omnem ſuſpicionem malevolentiæ à ſe ipſo, quantum poterit, amoveat; & fugiat contentiones, verba, & multò magis injurioſa verbera.

27. Archivium optimè conſtructum, & clavibus bene munitum in ſua, vel aliena, ſed tutiſſima cella quiſque Superior habeat: in eo diplomata Pontificia, Brevia, libri diſtinctè, atque ordine continentes bonorum omnium Domus, & Eccleſiæ, redituum, jurium, & obligationum tam ſpiritualium, quàm temporalium inventaria, & nomina debitorum, & creditorum, aſſerventur; Præterea inſtrumenta omnia authentica, ſcripturæ, ſyngraphæ, atque hujuſmodi alia, quæ nunquam, niſi magna neceſſitas tulerit, inde extrahantur, & ſi quando fuerint extracta; pagella in ipſo

ipſo Archivio affigatur, quæ colnam, & quando tradita ſint, demonſtret: propriis locis, ſtatim ac fuerint reddita, reponantur: exemplaria, ſeu illarum nota ſint apud Procuratorem Domus; claves apud Superiorem.

28. Libros accepti, & expenſi Superior in ſuo cubiculo fideliter cuſtodiat, ſicut & capſam pecuniarum duabus diverſis clavibus obſerandam, quarum una apud ipſum, altera apud Procuratorem Domus aſſervetur, addita etiam tertia, ſi ita Præpoſito Generali expedire videbitur.

29. Rationes accepti, & expenſi ſingulis menſibus à Superiore recognoſcantur, convocatis ad id Viceſuperiore, Procuratore Domus, & uno Seniorum, ſubductiſque rationibus ab iiſdem ſubſcribatur.

30. Poteſtas autem Superioris hæc erit, ut poſſit aliquot caſus ſibi reſervare: præcepto ſanctæ obedientiæ, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vel ſuſpenſionis cum conſenſu Viceſuperioris, vel unius ſaltem ex Senioribus, ſubditos (ſed non paſſim) conſtringere: leges peculiares, quæ bonum ſui Collegii, vel Domus reſpiciant, noſtriſque Conſtitutionibus non adverſentur, cum voto Seniorum, vel Præpoſiti Generalis ſtatuere, & promulgare, ad quarum obſervationem volumus omnes, & ſingulos illi ſubditos teneri: juſta exiſtente cauſa & cum ſuis, & ſecum diſpenſare in iis, quæ ad communis vitæ diſciplinam pertinent, ad breve tempus tamen, & in levioris momenti rebus: pœnitentias cuilibet erranti pro qualitate erroris, & ad præſcriptum Conſtitutionum imponere: Eleemoſynas uſque ad nummum aureum in ſingulos menſes, & ſi pinguioribus fortunis loca gaudebunt, uſque ad duos erogare pauperibus, non tamen apud ſe diu retinere: in cauſis graviſſimis, ut vulnerum, violationis voti caſtitatis, furti, & ſimilium contrudere reum in carcerem, adhibitoque Cancellario, teſtes coram duobus ex Senioribus, ſi adfuerint examinare, & proceſſum, quem vocant informativum, conſtruere; ad ſententiam verò definitivam devenire, niſi obtenta priùs à Præpoſito Generali facultate, non poterit: ſubditum pervicacem, nimia ſuperbia tumidum, nimis iracundum, qui cum periculo ſcandali, multò magis, qui cum aliorum ſcandalo Superiorem liberè carpere, vellicare, aut in eundem audacter inſurgere, vel invehi auſus fuerit, cum Seniorum conſilio in cubiculum, ſive etiam in carcerem includere, donec Præpoſitus Generalis, *vel Provincialis extra Italiam* ſcripſerit, qua ſit ratione cum illo agendum.

31. Præterea licebit Superiori miniſtros omnes, Viceſuperiore Parocho, Procuratore, & Cancellario exceptis, pro ſuo arbitrio eligere, & mutare; cùm autem experientia compertum ſit, frequentes miniſtrorum mutationes plerumque cum detrimento Domus fieri, ad illas non deveniet, niſi neceſſitate aliqua compulſus: mortificationibus ſubditos exercere, prudenter tamen, ac moderatè, ut ſuorum animi in ſpirituali pugna roborentur, non frangantur: alia denique omnia peragere, quæ vi juris communis, noſtrarum Conſtitutionum, privilegiorum, & quomodocunque legitimè illi competunt, niſi aliud Præpoſitus Generalis, vel Patres Definitori pro ſua prudentia cum aliquo ſtatuerint.

32. Apoſtatas, & profugos à Religione in eadem Civitate, vel vicinis in locis commorantes quilibet Superior, tanquam Præpoſiti Generalis Commiſſarius in hac cauſa ſpecialiter delegatus, ad clauſtra reducere, in carcerem conjicere, adhibito etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, conabitur: contra eoſdem inquirere, & animadvertere uſque ad ſententiam definitivam excluſivè poterit, ſed ſtatim Præpoſitum Generalem commonefaciet, ad quem ſolùm, præterquam in mortis articulo, abſolutionem excommunicationis contractæ ab Apoſtatis ſpectare decernimus: *in Gallia verò ad ipſum Provincialem.*

33. Cum noſtri Superiores pro Domorum varietate non eodem titulo, ſeu nomine nuncupentur, præſenti Conſtitutione declaramus, eos, qui noſtris præſunt Collegiis, in quibus quatuor ad minimum Sacerdotes cum Superiore incluſivè commorari ſolent, Præpoſitos; qui Academias, Seminaria, loca Orphanorum, & Domos moderantur, in quibus pueri educantur, dicendos eſſe Rectores Præpoſitorum, Viceſuperiores, Vicepræpoſiti, & qui Rectorum vices gerunt, Prorectores appellabuntur.

34. Nullum pecuniæ aut rerum quarumcunque, depoſitum quod aureorum viginti pretium ſuperet, accipiat à ſæcularibus, vel retineat, vel retineri à ſubditis permittat, vel accipi, ſine Seniorum conſenſu ſcriptis expreſſo. Pecuniam ad viginti aureos amicis petentibus mutuò credere, & ab iiſdem mutuò recipere poterit, cum Seniorum tamen conſenſu, non aliter; ultra di-

ctam

Digitized by Google

ctam ſummam cum Capituli Collegialis voto, quo ſine ſi Superiores ære alieno Domos oppreſſerint, deponantur ab officio, & aliis pœnis afficiantur arbitrio Præpoſiti Generalis, Viſitatoris, & Conſiliariorum.

35. Si qui, ut immunitate Eccleſiaſtica gaudeant, ad Eccleſias, & loca noſtra confugerint, quando ultra tres dies apud nos fuerint commorati, Superior Præpoſitum Generalem, vel Viſitatorem admonere teneatur, interim nemo niſi permiſſu Superioris audeat cum illis colloqui, nedum familiariter agere.

36. Sæculares hoſpitii gratia in noſtris Domibus non facilè recipiantur, quamvis de Congregatione optimè ſint meriti, vel dignitate, & opibus inſignes: recepti verò ultra triduum non commorentur, niſi cum licentia Præpoſiti Generalis, vel Capituli Collegialis, & cum iis ſine facultate Superioris nemo familiariter converſetur.

37. Hoſpites inſerviendi gratia admitti poterunt à Superioribus, ſed cum Seniorum conſilio; qui tamen ab aliqua ex noſtris Domibus ejecti fuerint, recipi non poſſint in aliam, niſi cum Præpoſiti Generalis, vel Viſitatoris licentia. Idem de Novitiis ſemel ejectis decretum ſit.

38. Si ad Capitulum Generale, ſeu Definitorium profecturus erit Præpoſitus, vel Rector, ante diſceſſum convocatis ſubditis, quid cuique opus ſit, diligenter videat, & provideat; ne, ubi diſceſſerit illius Viceſgerens infeſtetur, cui præſenti Conſtitutione inhibemus expenſam aliquam præter ordinariam quotidiani victus facere, quæ prævideri potuerit ante Superioris abſentiam, vel ad quam maxima neceſſitate judicio Seniorum non impellatur.

39. A propria reſidentia Superiores non niſi rariſſimè abſint, & ſi Vocales non fuerint, tempore Capituli, ſeu Definitorii à propriis Domibus diſcedere, vel ſubditos eo tempore aliò proficiſci permittere, culpa ſit gravior, & pœna graviore punienda.

40. In unoquoque Collegio volumus carcerem conſtrui tutum quidem, ſed valetudini minimè adverſum, & loco à frequentioribus remotiore: cum eo qui aſſervatur in carcere, nemo loquatur; nemo literas, vel nuntium ad eum mittat, vel ab ipſo recipiat: Debebit tamen Superior ex Sacerdotibus aliquem deſignare, qui confeſſiones illius audiat, & bis, aut ter in hebdomada piis collocutionibus eum conſoletur.

41. Si ultra decem dies pro criminis gravitate aliquem retinere in carceribus ſit neceſſe, non ſolùm carcerationis, ſed totius cauſæ ſtatum Superior Præpoſito Generali ſignificet, *in Gallia Provinciali.*

42. Præpoſiti, & Rectores in libro Actorum Capituli Collegialis adnotari curabunt, quidquid notatu dignum in ſuis ipſorum domibus acciderit, ut Eccleſiæ, vel Altarium conſecrationes: quo quiſque die Religionis habitum ſuſceperit, vota emiſerit, ordines ſuſceperit, ex hac vita abierit, quæ pietatis ſigna moriens dederit, quæ verba exhortationis adſtantibus dixerit, quantum humilitati, orationi, obedientiæ, ſilentio vivens detulerit: & ſi quid magni momenti illi domui, vel Eccleſiæ dono datum, vel teſtamento legatum fuerit: ſi quæ gratiæ, vel miracula votis nuncupatis DEO, vel Beatæ Virgini, vel Ven. Patri noſtro Hieronymo, aut Cæſari de Bus, ſive alicui imagini, quæ apud nos extet, à viris, vel mulieribus fide dignis referantur; eadem ſtatim currabunt authentica fieri; denique præcipuorum benefactorum nomina, & ſimilia.

43. Liber autem hujuſmodi in cubiculo Superioris fideliter aſſervetur, ſed quæcunque adnotata fuerint, deſcribantur juſſu Superioris à Cancellario Capituli Collegialis; & à Superiore, Viceſuperiore, ab eodemque Cancellario ſubſcripta ad Definitorium mittantur, & relationes hujuſmodi in publico Religionis tabulario perpetuò cuſtodiantur.

44. Dabunt operam Præpoſiti, & Rectores, ut pro majori DEI gloria, & proximorum ſalute in noſtris Collegiis & Domibus Oratoria, ad ſæculares ſpiritualibus exercitiis inſtruendos inſtituant, & ubi jam inſtituta ſunt, omni ſtudio augere, eorumque pia opera promovere conabuntur, quò hac etiam in re Ven. Patris noſtri Hieronymi charitatem, ferendæque in aliis pietatis ardorem imitemur.

De Vicepræpoſitis, Prorectoribus, & Procuratore Domus.

CAPUT II.

1. Unusquiſque Superior ſuum habeat Viceſuperiorem, ubi plures Sacerdotes commorabuntur. Hic autem vel à Definitoril Patribus, vel à Capitulo Collegiali ſecretis ſuffragiis eligetur.

2. Si quis ex Vocalibus Capituli Generalis ſit à Definitorio alicubi deſignatus, qui communes obſervantias obire poſſit, ille, ni ſecus à Definitorio decretum fuerit, Vicepræpoſitus ſit abſque ulla alia electione; quòd ſi ibidem plures eſſent Vocales, profeſſione antiquior id habeat muneris, quo nolente, vel ceſſante, ſuffectus intelligatur alius ordine profeſſionis ſervato. Idem ſtatuimus, ſi aliquem diſcedere contingat, quem Definitorium, vel Capitulum Collegiale elegerat, huic enim immediatè ſuccedet Vocalis, qui ibi tunc deget.

3. Vicepræpoſiti, ſeu Vicerectoris auctoritas ea legitimè erit, quæ à Præpoſito, vel Rectore ipſi communicabitur.

4. Eorum munus, & officium erit, abſente præſertim Superiore, illius vices agere, ſpirituale, & temporale regimen interim exercere nunquam tamen à Superioris voluntate recedendo, niſi in repentino aliquo caſu aliter faciendum prudentia, & Seniorum conſilium ſuaſerit; ſed ſtatim, & diſtinctè de cauſis factæ deliberationis docendus erit Superior: cavebunt autem, ne tunc temporis quidquam innovent, aut ab aliis innovari permittant: ſuam omnem curam, atque induſtriam in eo præcipuè collocabunt, ut Conſtitutiones noſtræ, ſtatuta, & decreta exactiùs, ſi fieri poterit, quàm præſente Superiore obſerventur.

5. Dum Præpoſitus, ſive Rector aderit, Vicepræpoſiti, ſeu Vicerectores curabunt, ut Eccleſia, Chorus, Sacrarium, Clauſtra, loca omnia munda ſint, & nitida: tanquam manus, & brachia ſint Superioris, quæ eum & juvent in gubernatione, & protegant à detrahentium labiis, ſi quos aliquando eſſe ad humilitatis & patientiæ exercitium Dominus permiſerit: communes officinas quotidie viſitent; & obſervent, num miniſtrorum aliquis ſuam ſinat operam, diligentiam, & charitatem deſiderari: num cibi tempeſtivè domum comportentur, & ſani comparentur: num bene coquantur, condiantur, & cum æqualitate diſtribuantur. Præceptorum, & ſtudentium præcipuam curam gerant, ut nihil iis deſit ex neceſſariis, ut veſtes, & quæcunque lacera eſſe viderint, reſarcienda ſtatim curent, & paternam cum iis ſolicitudinem potiſſimùm exerceant, quos de ſe ipſis vix cogitare animadverterint. Charitate in infirmos utantur maxima; & charitate etiam miniſtros deficientes moneant, errantes corripiant, de omnibus tamen certiorem reddant Præpoſitum, ſeu Rectorem, maximè ſi imminenti alicui malo occurrendum ſit, vel jam ſequuto ſuccurrendum.

6. Niſi Definitorium, vel Præpoſitus Generalis, vel Superior ipſe alium deſignent, ad Vicepræpoſitum, aut Vicerectorem tanquam ad Magiſtrum rerum ſpiritualium ſubditi confugient, ut internas cogitationes, & tentationes fidenter iiſdem aperiant: quos illi peramanter auſcultabunt, & pro uniuſcujuſque neceſſitate remedia proponent, quæ vel ipſimet experti in ſe ipſis fuerint, vel ex oratione, aut lectione librorum ſpiritualium hauſerint.

7. Partes etiam Viceſuperioris erunt exemplo reliquis eſſe taciturnitatis, modeſtiæ, diſciplinæ, & maximæ tum reverentiæ, tum obedientiæ, erga Superiorem; maximæ item promptitudinis ad Chorum, & ad orationem; Laicos ſingulis diebus feſtis ea, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, ad Conſtitutionum obſervationem, & Doctrinam Chriſtianam edocere, atque conſolari, quandocunque mœſtos, afflictos eſſe cognoverit.

8. Si Superiorem aliqua in re errare, vel in Conſtitutionum obſervatione, aut in ſeipſo, aut erga alios languidum, & remiſſum eſſe viderit, ſi ſubditos de aliquo illius errato conqueri audierit, præmiſſis ad Deum precibus reverenter eum conveniet, & monebit, petita priùs ab eodem liberè loquendi licentia: ſi audire recuſaverit, vel poſt unam, & alteram admonitionem non ſe correxerit, Præpoſito Generali aut Viſitatori ſcripto referet omnia.

9. Cæterum ut officio, & cura, ita animo, conſilio, & ſpiritu ſtudebit eſſe cum Superiore conjunctiſſimus.

10. Quod ad Procuratorem attinet Unumquodque Collegiale Capitulum Procuratorem votis ſecretis eliget aliquem ex ejuſdem Collegii familia, virum in negotiis tractandis verſatum, fidelem, prudentem; humilem tamen,

&

Digitized by Google

& patientem, qui ſuo agendi modo ſæculares ædificet, & benevolos ſibi, Religionique faciat: durabit is ad annum, ſed confirmari poterit pro libito Capituli Collegialis.

11. Hujus partes erunt lites tractare, jura, reditus, bona immobilia Collegii, ſive Domus, ne ab extraneis uſurpentur, omni cura cuſtodire.

12. Sed lites nunquam Procurator intendat niſi coactus, atque, ubi internæ priùs, externæque, etiam, cum adverſariis, concordiæ amantem ſe demonſtrarit, & tunc cum Superioris obedientia. Ante Judicum tribunalia rarò admodum, & Superiore jubente compareat, ſed agat per ſæculares Procuratores, ſive per Juriſperitos arbitrio Superioris deligendos.

13. Contra Principes, vel Prælatos cauſam aliquam magni momenti inſtituere ipſi etiam Præpoſito, Rectori, & Superioribus omnibus prohibetur ſine Præpoſiti Generalis, vel Provincialis licentia, excepto repentino caſu, qui moram non patiatur.

14. Cancellarius etiam à Capitulo Collegiali nominandus erit, qui Capituli Collegialis Acta, & Capituli Generalis, vel Definitorii decreta, Præpoſiti item Generalis, & Viſitatoris ordinationes in libro, cui titulus erit, Acta Capituli Collegialis, fideliter, & claris, diſtinctis, intelligibuſque characteribus deſcribet, & ſubſcribi à Superiore faciet.

15. Durabit is ad arbitrium Collegialis Capituli, & eorum omnium, quæ libro adnotata ſunt, curabit indicem conficere, & memoriæ imprimere, & liber ſit penes Superiorem.

De aliis Officialibus, ſeu Miniſtris, & primò de Æditue, ſeu Sacriſta.

CAPUT III.

1. MAximopere cupimus, & hortamur, ut ſemper, ſi fieri commodè poterit, Sacrario Sacerdos aliquis præficiatur, & eidem unus ex Profeſſis vir honeſtus, gravis, & planè religioſus pro humilioribus exercitiis ſubiiciatur.

2. Qui à Superiore nominatus fuerit Æditus, cum primis diligentiam in nitore, & cultus Eccleſiæ deſiderari non patiatur: curabit, ut munda pavimenta ſint, purgati ab aranearum telis, & ſordibus quibuſcunque parietes: urceoli, candelabra, vaſa, altarium mappæ, & ornatus, flores tam naturales, quàm artefacti, ſacræ Sacerdotum veſtes, & quæcunque divino cultui ſunt dicata, ſint nitida, compoſita, bene in Sacrario ſuis locis diſpoſita: & hac in re operam, ſollicitudinem, imo & cogitationes ſuas, ut in DEI obſequium, libenter impendet, & ſtatim indices rerum omnium, quæ in Sacrario, atque in Eccleſia aſſervantur, ac notas obligationum deſcribet in libello, quem apud ſe cuſtodiet, & ſæpe legendo percurret.

3. Si quid factum, ſi quid furto ablatum, vel alia quacunque ratione deperditum fuerit, quamprimùm ſignificabit Superiori, cui ſimiliter ſtatim oſtendet, quidquid dono datum fuerit, & mox etiam addatur Indici.

4. Fidelem ſe in Eleëmoſynis adnotandis, & Superiori tradendis exhibebit: candelas cereas, fruſtula item cerea nec emere, nec vendere, neque aliam quantumvis minimam expenſam facere auſit inconſulto Superiore.

5. Clauſum retinebit ſemper à prandio Sacrarium; Eccleſiæ fores aperiet, & claudet hora à Superiore præſcripta: Patres in Chorum ad horas tam nocturnas, quàm diurnas convocandos; initium miſſis dicendis, ſinemque faciendum; conſtituto tempore in Eccleſia, & in Sacrario ſervandum ſilentium diligentiſſimè curabit.

6. Mulieres in Eccleſia commorari poſt veſpertinæ Salutationis Angelicæ ſignum non patiatur.

7. Vocatus præſto ſit, & ſatagat, ut Noſtri promptè deſerviant omnibus, ſed iis præſertim, qui Eccleſiam frequentant, de nobiſque ſunt benemeriti.

8. Familiaritatem cum mulieribus, quæcunque illæ ſint, nullam prorſus inibit, colloquia cum iiſdem rariſſima, breviſſima, & religioſam gravitatem, atque modeſtiam redolentia habebit. Non curſitet per Eccleſiam, ſed modeſto inceſſu, devoto aſpectu, ac humili invigilet omnibus, quæ ſui ſunt muneris.

9. Providebit, quàm poterit accuratiſſimè, ne canes templum ingrediantur; ne pueri moleſtiam faceſſant Sacerdoti concionanti, vel celebranti, aut po-

populo oranti; ne mendici per idem templum diſcurrant petentes Eleëmoſynam.

10. Opportunè diſponet ea omnia, quæ ad rem ſacram faciendam ſunt neceſſaria, & Sacerdotum, qui celebraturi, atque eorum, qui inſervituri ſunt, ordinem nunquam invertet niſi præmonito Superiore: repentinum tamen caſum excipimus, in quo aditus ad Superiorem eſſe non poſſit.

11. Idem diligenter ſtudeat, ut Alba, quaqua verſus digito uno, duobus ad ſummum, circa Sacerdotum pedes abſit à terra; nec unquam quid lacerum, quid immundum adhiberi ſinat.

12. Quiſquilias, vel aliquid ſordium videri in Eccleſia, in Sacrario, aut adiacentibus locis non permittat.

13. Fœtorem, qui ex ſepulturis æſtivo præſertim tempore exhalat, ſupprimere conabitur grato aliquo odore, aut ſuffimento.

14. Sacerdotum ſacræ veſtes, Miſſalia, & Calices, Miſſis omnibus abſolutis ſtatim reponantur, ſitque omnis ſupellex ſuis in locis, & armariis optimè ſemper diſpoſita; armaria clavibus occludantur, claves loco ſecreto ſerventur.

15. Ordo recitandi divini Officii, qui ſingulis in Civitatibus quotannis imprimi ſolet, ad interiorem partem valvarum Sacrarii retineatur appenſus.

16. Sæcularium hominum famulatu Sacriſta non utatur, niſi neceſſitate coactus, & cum Superioris obedientia.

17. Opportuno tempore Sacerdotes celebraturos præmoneat; Miſſis ad mentem eorum, qui Eleëmoſynas larginntur, ſatisfaciendum curet, & munus ferè Angelicum Angelica puritate, ſollicitudine, dignitate ſtudeat exercere.

De Bibliothecario.

Caput IV.

1. Cum in unaquaque ex noſtris Domibus amplam, & locupletem peroptemus Bibliothecam extrui, & inſtrui, illius cura Sacerdoti, vel ſaltem Diacono demandetur, viro docto, probo, & ſolerti. Is verò apud ſe habeat librorum indicem, qui in Bibliotheca extiterint, in eoque Ita erunt alphabetico ordine deſcripta nomina auctorum, & quo quiſque loco, claſſe, pluteo locatus ſit, ut facilè occurrant illos inquirenti.

2. Ubi legentium commodo libri deſervierint, curet Bibliothecarius in eodem, à quo fuerant ſublati, loco reponendos, nec extra Bibliothecam ſinat efferri ſine licentia Superioris in ſcriptis obtenta; extra Collegium verò non niſi etiam de Superioris conſenſu cum voto duorum ex Senioribus.

3. Quod ſi aliò commigrandum ſit ei, qui ex Bibliotheca libros acceperat, det operam Bibliothecarius, ut is ante diſceſſum eoſdem reſtituat.

4. Deſcribet in libro, quem aſſervabit in Bibliotheca, libros ſingulos, qui in Patrum, aut Clericorum uſum à Superiore conceſſi fuerint, annum item, menſem, & diem, quibus ex Bibliotheca exportati; iiſdem redditis, quod fuerat ſcriptum, deleatur.

5. Nemo Bibliothecæ claves niſi Bibliothecarius, & Superior retineat. Alii omnes (niſi ex cauſa diſpenſare cum aliquo voluerit Superior) à Bibliothecario in Bibliothecam admittentur, ejuſque fores obſeratæ ſemper erunt.

6. Libris ſingulis ſuos titulos exterius inſcribet, ut faciliùs cognoſcantur; cavebitque, ne iidem pulvere, aut tineis corrodantur, ne complicentur eorum folia, vel dilacerentur, ne atramento vel aliis maculis conſpurcentur.

7. In verrenda Bibliotheca diligentia utetur maxima, ne pulvis elevetur, libriſque adhæreſcat. Eandem Bibliothecam Ita digeret, & diſponet, ut illam adeuntibus religioſus nitor eluceat.

8. In virtute autem ſanctæ obedientiæ præcipimus, & inhibemus, ne librum, ſeu libros & manuſcripta, etiam proprio uſui conceſſa, quiſquam alienare audeat, vel, ſi jam deſtinata fuerint, ab uno in alium ex noſtris locis transferre ſine Præpoſiti Generalis, vel Provincialis, vel Capituli Collegialis conſenſu ſcriptis expreſſo.

9. Ubi contigerit aliquem ex Noſtris ſupremum diem claudere, videat Superior, num poſt ſe reliquerit ſcripta, vel elucubrationes, ſive politioris lite-

literaturæ, ſive ſcientiarum, vel etiam concionum, quæ ſi profutura intelligat poſteritati, ea in publicam Bibliothecam inferet.

De Janitore, & aliis Miniſtris.

Caput V.

1. Cùm Janitoris officium in bene conſtituta domo tanti ſit, ut ab illo maxima familiæ commoda, juxta ac incommoda pendeant, Idcirco, qui hujuſmodi munus juſſu Superioris ſuſceperit, Laicus erit profeſſus, non Novitius, & vir ætate provectus, comis, ſuavis, moribus, pietate, gravitate conſpicuus.

2. Meminerit ſe cuſtodem & vigilem domus agere: aget autem, ſi ſeduiò ac aſſiduè januæ aſſidebit, ut pulſantibus citiùs januam apetiat; ſi literas & ſchedulas omnes, quæ ab externis ad Noſtros, vel à Noſtris ad externos mittuntur, inſciis omnibus, Præpoſito vel Rectori tradet: quod niſi præſtiterit, reus erit gravis, atque etiam gravioris culpæ, ſi ſæpiùs id facere omiſerit, vel magnum inde ſcandalum ſecutum fuerit.

3. Cum omnibus ita religiosè verſabitur, & loquetur, ut ab eo facilè conjiciant externi, quàm piè, quàm ſanctè reliqui vivant, qui in interiore clauſtro reſident.

4. Eleëmoſynas, & munera quæcunque, & cuicunque mittentur, ſtatim deferet ad Superiorem, aut, eo jubente, omnium uſui ac victui aſſervabit: admonebit mox illum, ad quem miſſa fuerint, ut grarias agere poſſit Benefactoribus, & pro ipſis orare: eadem etiam in libello ſcribet, ut qualibet ſexta feria legi poſſint ad menſam.

5. Cum mulieribus, quæ ad januam acceſſerint, longos ſermones ne habeat; nihil quovis prætextu det, aut commodet alicui: nihil ad proprium uſum dono, aut etiam titulo eleëmoſynæ accipiat, inſcio Superiore. Jocis, cachinnis, irreligioſis ſermonibus, aulicis verbis omnino abſtineat.

6. Cum pauperibus, qui januam frequentant, aget ex Superioris præſcripto.

7. Claves intra ſeram januæ, aut januam apertam nunquam relinquet. Si Janitorem occupatum eſſe aliquando contigerit, tunc claves non ad Janitoris, ſed ad Superiotis arbitrium alteri erunt aſſignandæ.

8. Prope januam vaſculum cum aqua benedicta, & pia aliqua imagine extet, ut egredientes eadem aqua ſe ipſos aſpergant, & muniant contra tentationes omnes.

9. Qui confeſſionis gratia Domos noſtras adierint, eos ad loca pro confeſſionibus ſæcularium hominum audiendis deſignata comitabitur Janitor, & omnino prohibebit, ne ad Confeſſariorum cubicula aſcendant.

10. In noſtris clauſtris pila, ſive alio ludo ludere externis nunquam permittet.

11. Nomina omnium, qui domi commorantur, in tabella prope oſtium Collegii deſcripta ſint, & Janitor obſervet aſſerculos, in quibus nomina egredientium fuerint adſcripta: aut alia quapiam ratione obſervet, ut ſciat, qui domi reſideant, qui foras exierint.

12. Cùm Patochum, ſive allum ex Patribus domo egreſſis externus aliqnis quæſierit, Janitor ſtatim ſcribet nomen & cognomen quærentis, mox Superiori ſignificabit omnia, & cnm illius obedientia revertentem Sacerdotem admonebit.

13. Nocturno tempore januam non aperiet, niſi eum probè noverit, qui pulſaverit, & cauſam didicerit, ob quam ad pulſandum ea hora advenerit.

14. Quod ad reliquos Miniſtros attinet, debebunt ii cum humilitate in ea vocatione perſiſtere, & proficere, in qua vocati ſunt à Domino: orationi mentali, & ſpiritualibus exercitiis aſſidui eſſe: quotidie Miſſæ Sacrificio intereſſe, ſpiritualique refectione ſpiritum recreare, & communire contra hoſtes quoscunque; Superiorum juſſa taciti, ſed quàm poterunt, accuratiſſimè, obſervare; Sacerdotes ſummo honore venerari, & alloqui; delectari ſilentio, ac modeſta & ſubmiſſa voce colloqui; jurgia, atque contentiones omnes ſtudioſè declinare; extra communem menſam nihil cibi aut potus ſine licentia ſumere; mutua benevolentia ſe ipſos in Domino complecti; In ſuis miniſteriis charitatem cum diligentia, humilitatem cum ſollicitudine conjungere, exiſtimantes ſe non hominibus, ſed Angelis, imò ipſi DEO ſervire.

15. Da-

15. Dabunt etiam operam, ut mundities maxima in rebus omnibus, quamvis minimis, eluceat, ut accuratiſſimi ſint in re familiari cuſtodienda, ita ut nihil diſſipetur, nihil diſperdatur; ligna, oleum, & hujuſmodi res aliæ non inſumantur, niſi quantùm neceſſitas exiget: & aſſiduè ſecum reputent, pauperes ſe eſſe, & pauperibus miniſtrare, neque aliam ſuis laboribus deberi mercedem, quàm cæleſtem, & æternam.

De admittendis ad noſtrum habitum.

CAPUT VI.

1. CAutè omnino, & ſeria tum diſquiſitione, tum deliberatione hac in re procedendum eſt, ne externorum, licèt illuſtrium virorum, rogatu admittantur, qui minimè divino ſpiritu vocati videntur, & ad ſtudia literarum minimè apti, ſtupidi, inertes ſint, à quibus nihil laudis, nihil fructus ſperari poſſit; plurimum verò dedecoris, detrimenti temporis, laxitatis, & perturbationis meritò timeri.

2. Ubi igitur noſtræ Religionis habitum aliquis efflagitaverit, Superior, probato priùs per id temporis ſpatium, quod ſibi videbitur, illius ſpiritu, & in vocatione perſeverantia, Præpoſito Generali ſignificabit, qui Superiori eidem, & duobus, vel alteri ſaltem ex Sacerdotibus ibidem degentibus, non conſanguineis, nec affinibus admitti cupientis, mandabit, ut illum examinent, & diligentiſſimè, ſed prudenter, inquirant, quæ ſit ejus conditio, quæ patria, qui parentes, quæ corporis habitudo, quæ ætas, qui mores, quæ amicitiæ, quæ dotes, quæ doctrina, quæ indoles, quo ſpiritu ad noſtrum hoc inſtitutum amplectendum moveatur, à quo tempore vocari ſe ſenſerit, quem ſibi finem propoſuerit, an levitate, vel aliquo humano affectu, aut inordinato animi motu ducatur, an aliquid in ipſo deſideretur, quod in iis requiratur, qui noſtro veſtiendi ſunt habitu: & ſuis ſinguli reſcribent literis, quid cognoverint, quid de illo ſentiant, idque ſumma fide, atque etiam jurati affirmabunt. Tum Præpoſitus Generalis matura ac diligenti conſideratione expendet ſingulorum literas, & quæcunque ad ſe reſcripta fuerint, ac ſi in Domino expedire judicaverit, ut rejiciatur, curabit, magna cum dexteritate & ſuavitate id faciendum; ſin ut admittatur, jubebit, ut idem Superior ſuo Collegiali Capitulo (ſi tamen hac potiatur facultate) illum recognoſcendum, & admittendum proponat, quod fiet cum majori ſuffragiorum parte, lectis priùs à Cancellario, examinatiſque teſtimonialibus literis, quæ de vita, moribus, & ætate admittendi fidem adſtruant. Quòd ſi hæc illi Capitulo deſit poteſtas, ad aliud viciníus in eadem Provincia mittetur, cui ejuſmodi ſit impertita facultas, iſque ſecum deferet Præpoſiti Generalis literas, ſine cujus expreſſa licentia neminem ad Religionem noſtram in Italia admitti poſſe, præſenti Conſtitutione cautum ſit.

3. Si verò ob nimiam loci diſtantiam non poſſit admittendus Collegium aliquod ex noſtris adire, ſatis eo caſu fuerit teſtimoniales literas à Præpoſito Generali priùs viſas & approbatas ad Superiorem Collegii, à quo recipiendus erit Novitius, mittere, illiſque in Capitulo lectis, examinatis, & comprobatis, etiam abſens proponi poterit, & admitti.

4. Recipiendi nullo ſint ære alieno gravati, aut ratiociniis reddendis obnoxii, non ſervi, nec matrimonio conjuncti, non diffamatis geniti parentibus, nullo crimine in ſæculo fœdati, non corporis vitio maculoſi, aut deformes, non minores annis quindecim, nec majores quadraginta, * *niſi cum illis* Pater Generalis diſpenſaverit; natalium defectus non patiantur; quòd ſi quis hoc ultimo impedimento laborare dignoſcetur, à Capitulo Generali tantummodo recipiatur, vel à Definitorio extra Capituli Generalis tempus, cum duabus tamen ipſius Definitorii partibus: tandem eas habeat conditiones, quæ à Pontificiis Decretis, & noſtris Conſtitutionibus præſcribuntur. *App. n. 26.*

5. Qui alterius Religionis habitum, etiam per minimum tempus, cum probatione detulerint, aut ætatis ſuæ annos quinquaginta exceſſerint, à Capitulo Generali ſolummodo admitti poterunt. Qui verò ùt hoſpites in alieno Religioſorum cœtu fuerint, vel quadraginta annis majores ſint uſque ad quinquageſimum, cum ſola Præpoſiti Generalis licentia.

6. Illud etiam diligentiſſimè videndum eſt, an recipiendi, parentes habeant re familiari ita deſtitutos, ut probabilis ſit ſuſpicio, poſt filiorum profeſſionem ipſos fore Congregationi noſtræ moleſtos ad ſui ſuſtentationem, & ad inopiam ſublevandam; & nunquam Patres noſtri aliquem admittent, cujus parentes, ſorores, aut neptes ea premantur egeſtate, ut à nobis poſtmodum ſint alendi; neque ulla omnino parentum re-

nun-

nunciatio, aut ab illis, vel à quocunque alio præſtita fidejuſſio ſufficere judicetur, ſed cautiùs agendo tales nec proponantur, nec propoſiti recipiantur.

7. Atteſtationes habeat idoneas Notarii manu conſcriptas cum legalitate, quicunque vult noſtro habitu veſtiri, quæ diligenter aſſerventur in Archivio loci, ubi recipietur, & receptionis in libro Actorum Capituli Collegialis memoria conſignetur.

8. Qui recipiendi erunt, priuſquam habitu noſtro veſtiantur, certiores fiant de juramentis à ſe emittendis ante profeſſionem, ut pleniùs de his ſuo tempore deliberare poſſint, vel conſilium mutare ante ſuſceptionem habitus.

9. Ad Novitiorum receptionem Collegia deſignentur à Capitulo Generali, & deſignata publicentur à Cancellario ſtatim poſt perſonarum deputationes, neque aliud à deſignatis hanc ſibi facultatem uſurpare audeat, neque Præpoſitus Generalis impertiri aliis Collegiis vel Domibus poſſit, ſub pœna arbitrio Definitorii irroganda.

App. n. 27. 10. *Adoleſcentes optimæ indolis, minores quindecim annis, recipi poſſint ad habitum de licentia Præpoſiti Generalis, non tamen detur eis probationis cingulum: interim verò cum Novitiis verſabuntur.*

11. Antequam quis ad probationem recipiatur, per menſem, vel ſaltem quindecim dies in habitu ſæculari, ſed modeſto nobiſcum vivat. Signum probationis erit cingulum coriaceum.

De Novitiorum inſtitutione.

CAPUT VII.

1. Novitiorum in regulari quacunque Congregatione optima inſtitutio tanti facienda eſt, ut, cùm ex hac una conſequentis ætatis omnes laudabiles progreſſiones ferè dependeant, in ea etiam magnopere ſit invigilandum, ut præclara quiſque jaciat fundamenta probitatis; egregius enim Chriſti miles veteranus evadet, quiſquis tyrocinium præclarè inierit, & honorificè prodibit in campum, qui egregiè ſe exercuerit in religioſa probationis palæſtra. Quare in id unum incumbent primùm Patres, quod ad Novitiorum informationem optimè ineundam pertinet, ut illis inſtituendis eum præficiant virum, & Magiſtrum, qui ſpectabili ſit virtute, probitate, pietate, inſignis morum gravitate, quæ tamen non faſtoſum animum ſuboleat, ſed Chriſtianæ diſciplinæ redoleat ſanctitatem; qui ſeveritatem comi & facili norit familiaritate condire; qui prudentia præſertim polleat; qui non obſcura dederit probitatis argumenta & exempla, in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ſuæ ætatis anno ſit conſtitutus: magni enim eſt momenti, à quo quiſque Doctore hauriat pietatis & eruditionis documenta.

2. Quamobrem enixè ſtudebunt Patres, aliquem ex Vocalibus, qui in Comitiis generalibus ſuffragium ferunt, eligere, qui tantam Provinciam obeat, & iis demum virtutibus ſit cumulatè ornatus, quas officii impoſiti dignitas poſtulat.

3. Hic eò cumprimis animum, viréſque intendet, ut præſcripta Novitiis inſtituta ſerventur, eorúmque obſervantiam exactè adeo ſuis à Novitiis exiget, ut minutiſſima quæque, &, quæ leviſſima exiſtimantur, magni ponderis eſſe ducat, violaſſe; ut non minùs à levibus erroribus abſtinere aſſueſcant, quàm à gravibus. Atque eo in munere perfungendo amplam auctoritatem habebit, nullique præterquam Præpoſito, aut Rectori, & Superioribus majoribus ſubjacebit, & nemini in Novitiorum inſtitutione ac regimine, iisdem Superioribus exceptis, quovis colore ſe ingerere liceat.

4. Novitiorum Magiſtro ſocius aſſignetur, qui Sacerdos ſit, & ſanctitatis exemplo præfulgeat. Hic pſallendi, & canendi rationem ex noſtro ritu Novitios inſtruet, Chorum frequentabit, illis aſſiſtet, tunc præſertim, cùm à prandio, vel à cœna recreantur, vel domo exeunt, & quoties impeditum eſſe Magiſtrum contigerit. Laicos Novitios in obſervatione noſtrarum Conſtitutionum, in rebus ſpiritualibus, & in miniſteriis domeſticis, ad quæ ſinguli deputati fuerint, inſtruet. Omnia loca domus circumſpiciet, &, ut munda ſint, &, ut omnia ſuo tempore peragantur, diligenter curabit.

5. Tertius etiam Sacerdos adjungi poterit, qui Procuratoris officium ſubeat, & non minùs virtutum exemplo, quàm in negotiis agendis dexteritate ac diligentia præſtet. Huic litium, redituum, alimentorum, quæ à Novitiis ſolvuntur, & expenſarum, quæ pro iisdem fiunt, omniūm indumentorum, quæ detulerint, cura à Superiore demandabitur.

tur. Tandem diſcet, & Novitiis capillos tondere, veſtes conſuendo reſarcire, ut eorum neceſſitatibus pia charitate conſulat.

6. Ipſi autem Magiſtro ſoli Novitiorum confeſſiones audiendi cura committatur: liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputatum, ſemel, aut bis in anno eorundem Novitiorum confeſſiones audire.

7. Epiſtolas ſingulorum, vel quas Novitii ad propinquos exarabunt, vel quæ ad Novitios preferentur, priùs leget, quas, ut expedire cognoverit, aut mittet, aut legendas Novitio concedet, aut conſcindet.

8. Cavebit, ne Novitius quempiam alloquatur ex ſæcularibus, niſi ſe coram, aut ſocio ſuo Promagiſtro; nullum, ni priùs facultatem ab ſe impetrarit, à quocunque recipiat vel leve munuſculum.

9. Interdicet prorſus cum profeſſis conſuetudinem omnem & collocutionem.

10. Invigilabit identidem, ut mentali orationi vacent, ejuſdémque probè deſiderium imbuant, & ſcientiam illo ſpirituali exercitio mentem cum DEO, ſacro quodam conjugio, uniendi apprimè calleant.

11. Progymnaſmata præſcribet ſalubria carnis edomandæ per mortificationes voluntarias, jejunia, cilicia, diſciplinas, & alia hujuſmodi, quæ diſcreta charitas pro ſingulorum indigentia ſuaſerit. Quid ad conſcientiæ puritatem, & ad animi candorem conſervandum valeat, edocebit. Quàm ſæpe ſit illius diſcuſſio facienda; quantum ſit momenti poſitum in Sacramentorum frequentia ad fovendam & augendam pietatem. Efficiet, ut quotidie Miſſæ Sacrificio interſint.

12. Omnem navabit operam, ut à Novitiorum animis ſuperbiam, jactantiam, faſtum, ambitionem, arrogantiam radicitus evellat; hæc enim vitia, ſi Religioſum occupent, monſtrum ereant, lupum ſcilicet ſub ovina pelle, qui Religionis viſcera, fervorem nempe & zelum diſciplinæ depaſcitur; quamobrem per humilitatis exercitia, tum circa abjectiora miniſteria, tum circa culpas dicendas ad ſui contemptum, & earum rerum, quas ſæculum jactat, deſpectum, inducere, & inflammare conabitur.

13. Ad obedientiam, *quæ* (uti D. Auguſtinus ait) *mater quodammodo eſt, cuſtóſque virtutum omnium*, ſic eoſdem animabit, ut feliciſſimam exiſtiment ſortem obedientis, infeliciſſimam inobedientis, ac proinde certatim contendant in hujus conſecutione & executione virtutis, nec in ea quiſquam ſe ſuperari patiatur ab alio.

14. Eriget illos ſæpe ad interiores animi conturbationes, tentationes, affectus, propenſiones ſibi aperiendas, &, quibus tentationibus quatiantur, identidem explorabit.

15. Diligenter obſervabit, quem in virtutibus progreſſum iidem fecerint, quem ex oratione, aut ex mortificationibus fructum retulerint, quam ſpeciem ingerant futuræ probitatis & doctrinæ, atque de uniuſcujuſque progreſſu, moribus, ingenio Præpoſitum Generalem ſingulis menſibus per literas edocebit.

16. Meminerit ſui præſertim muneris eſſe, ſpiritus interni culturam ſummo ſtudio exercere, quam, ne unquam negligat, monemus, & hortamur in Domino, cui commiſſi hujus gregis in noviſſimo die reddenda eſt ratio; omnem ideo movebit lapidem, ut pietatem, modeſtiam, verecundam animum induant, & maximum in inſtitutum, quod amplexi ſunt, amorem, imò & ardorem.

17. Curabit, ut externam munditiem, quaſi teſtem interioris nitoris, præſeferant, paupertatem ament, non ſordes, exquiſitiore veſtium compoſitione, quæ ſignum vanitatis eſt, non delectentur, ſed habitus, vultus, verba, inceſſus, externa denique omnia, mores graves & religioſos exprimant.

18. Statis interdiu horis, Eccleſiaſticis cæremoniis exercebuntur, ut, quæ ad ſacrum Eccleſiæ cultum pertinent, non ignorent, præſertim Eccleſiaſticum cantum condiſcant.

19. Provectiores ætate Novitii qui erunt, iidem ſtudebunt, ut obedientia & humilitate ſint probatiores.

20. Caveatur quàm diligentiſſimè, ne ſoli unquam relinquantur, jugiter illis vel Magiſter, vel Socius aſſiſtet.

21. Inter probationis tempus nulli venia concedatur, ut ad epulum vel affinium, vel parentum ſe conferat.

22. Ve-

22. Veſtitus erit vulgaris, qui paupertatem præſeferat. Atque illud etiam Novitiorum Magiſter induſtriosè præſtabit, ut abnegandæ voluntatis propriæ, occaſiones crebrò ſuppeditet, quò facilè flectant mentem ad obſequendum Superioris voluntati.

23. Jam verò, quemadmodum in admittendis ad probationem adoleſcentibus cautè & prudenter agendum eſt; ita, ſi qui minùs ad onus ferendum Religionis idonei videbuntur, nullúmque ſpecimen præſeferant, aut conſtantiæ, aut bonæ indolis, rectè illorum animis exploratis, rejiciendi facilè erunt de conſenſu Præpoſiti Generalis, qua in re nulla erit habenda ratio humanæ perſonæ, ſed ſolus Dei honor, & Congregationis utilitas perpendenda.

24. Corporalibus exercitiis interdum ad relaxandum animum, ad fovendam corporis ſanitatem vacabunt; eáque ad remittendas curas ſolatia concedat Magiſter Novitiis, quæ non ita jocularia ſint, ut leges honeſtatis, aut regularis diſciplinæ prætergrediantur, ſed &, quæ remittendo animum, eundem ſalubriter juvent, & experimentum faciant, qualis quiſque ſit indolis ac ingenii; in quibus facile erit Magiſtro intimiùs explorare naturæ propenſionem, & corporis complexionem, quam ut enitatur quibuſcunque artibus perſcrutari, admonitum volumus.

25. Eos, cùm opus erit, quà lenibus, quà ſeveris objurgationibus corripiet, ut in officio ſuo unumquemque contineat; cùm offenderint, pro delicti gravitate puniat; in Refectorio tamen, vel publicè, dum Novitius ſe accuſabit, Superioris ſit, pœnam delicti inferre.

26. In correctionibus, & in emendandis Novitiorum erratis paternam gravitatem, compaſſionem, atque dulcedinem, ſed vividam, efficacémque demonſtret. Aſperum ſe, iratum, aut perturbatum nunquam oſtendat, ne diffidentia illorum pectus invadat, ac proinde vel conſcientiam ipſi non reddant, vel non integrè & ſincerè, quæ res & progreſſiones impedit in virtute, & ingentia damna parit in ſubdito diffidente.

27. In ſingulis Provinciis vel plura erunt deſtinanda probationis loca, (vel ſaltem unus) à profeſſorum conclavibus, ſeu domibus omnino ſejuncta, ſolitaria, quæ hoſpitum commeantium frequentia non perturbentur, in quibus ſolùm religioſum tyrocinium probè & naviter inſtituatur, & ea præſertim ſeligentur, quæ ſalubritate cæli, aëriſque temperie, & amœnitate maximè commendentur. *Laicis tamen quodlibet Collegium pro domo probationis concedatur.* * App. n. 28.

28. Singulis etiam Novitiis ſingulæ ad dormiendum cellulæ aſſignentur. Præter Eccleſiam, in quam ad recitandas diurnas & nocturnas preces ſtatis horis Novitii convenient, Oratorium ſit intra illorum clauſtrum ad reliqua ſpiritualia exercitia peragenda, & (ſi fieri commodè poterit) etiam hortus ad honeſtam recreationem à ſæcularium proſpectu remotus.

29. Illud prætereà cavendum volumus, ne cuiquam Novitio, quo tempore tyrocinium Religionis ponit, domo probationis egrediendi, apud ſæculares pernoctandi, ſeu convivendi facultas concedatur, niſi grave id expoſtulet infirmitatis periculum; neque de loco in alium dimoveatur, niſi Præpoſitus Generalis gravi oborta occaſione ſecus decreverit.

De Novitiis ad profeſſionem admittendis.

Caput VIII.

1. Ubi primùm annum probationis integrum expleverint Novitii; Rectoris ſeu Præpoſiti partes erunt, illos accerſere, propoſiti ſui commonere, ac planè interrogare, an in cœpto vitæ inſtituto perſiſtere velint, & noſtram religioſæ vitæ rationem conſtanter ſequi. Quòd ſi eorundem animo firmè inhæſerit nobiſcum Chriſto militare, & ſupplices id publicè poſtulaverint, Patri Generali ſignificabitur, de cujus licentia Capitulo Collegiali proponet, & ſingulorum Vocalium ſecretis ſuffragiis uno ſaltem ſupra medietatem ſuffragantium numero excedente, aut admittentur, aut rejicientur; quod cùm præſtiterit, eundem Præpoſitum Generalem admonebit, qui Superiorem loci illius, vel quempiam alium pro admiſſis ſpecialiter delegabit, ut Vicarii munere perſungens, Novitios ad profeſſionem recipiat.

2. Antequam ſolemnia nuncupet Deo vota Novitius, coram Superiore & Notario conſtitutus jurare teneatur ſe nullum corporis vitium, aut pravam valetudinem, nativúmque morbum celaſſe, aut celare, ex quo ad Conſtitutiones noſtræ Congregationis ſervandas impotens reddi, vel notabiliter impediri, ſeu App. n. 29.

ad id diſponi poſſit; nec non alterius Religionis habitum ſub obedientia, etiam ſine probatione, nunquam ſe induiſſe. Quòd ſi dolosè in alterutro pejeraverit, erit quidem, quoad ſe, nuncupatis votis ſervandis, & ad ſerviendum Congregationi ſecundùm ejus Regulas & Conſtitutiones obſtrictus; quod autem ad nos ſpectat, in hoc caſu apertè proteſtamur, conſenſum minimè præſtare, ſed perjurio detecto, Pater Generalis unà cum Aſſiſtentibus liberè poſſit vel ipſum habitu exutum à Congregatione ejicere, liberum eundem à votorum emiſſione declarando; vel re accuratè perſpecta, ac diligenter examinata, ſi aliàs expedire videbitur, conſenſum adhibendo, in profeſſorum numero illum referre; quo caſu in pœnam is in ſedendo loco, & profeſſionis tempore perinde ſe geret, ac ſi tunc ſolemnia vota emiſiſſet. De quibus omnibus & ſingulis Novitius in ipſo actu emittendæ profeſſionis dilucidè, etiam vernacula lingua, ſi opus fuerit, à Superiore moneatur; & ipſe Novitius unico contextu ea bene intellexiſſe, acceptare, & expreſsè ad illa ſe obligare aſſerat, conceptis, ut ſupra, verbis jurando. Quæ omnia Notarius diſtinctè in Acta referat. Hæc autem ejectio, aut nova receptio intra quatuor menſes à die detecti impedimenti omnino executioni demandetur.

3. Præterea quicunque Novitius ſcripto conteſtetur, & palàm confirmet, ſe noſtræ Congregationis varia inſtituta, vivendi rationem, obſervantias, & Conſtitutiones didiciſſe, ſed illam præcipuè, qua Clerici ad horas divinas recitandas ſtatim poſt profeſſionem præcepto obedientiæ, & pœna peccati lethalis obligantur; & aliam, qua poſt ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem, vel, ſi Sacerdotio, aut Ordine ſacro jam ante votorum nuncupationem fuerint inſigniti, triennium integrum ab emiſſa profeſſione, utroque ſuffragio, activo ſcilicet & paſſivo privantur: totum integrum probationis annum expleviſſe, non interruptum, ſub Novitiorum Magiſtro à Patribus ſibi conſtituto: ſe ſpontè; liberè, non ullo adactum metu, nec aliqua vi coactum, neceſſitate nulla compulſum, ſolemnibus votis obſtringere: certò etiam noſſe, ac ſcire in idonea & apta ætate à ſacro Concilio Tridentino præſcripta ad ſolemnia Religionis emittenda vota ſe eſſe conſtitutum.

4. Formula verò noncupandorum votorum ex præſcripto Ritualis noſtri Clericis Latina ſit, Laicis vernaculo ſermone; quod erit veluti ſymbolum & teſſera, qua duo ſtatus illi, Clericalis & Laicalis, internoſcantur.

5. Norint autem Laici noſtri, ſibi prorſus eſſe interdictam ad Clericalem habitum, ad primam tonſuram, & Ordines promotionem; quam Conſtitutionem ne violent, Capitulum Generale in virtute Spiritus ſancti, ſanctæque obedientiæ obnunciat, ac mandat: cui præcepto & Conſtitutioni ſi quis Laicorum quovis prætextu minimè obtemperaverit, pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ reus ſubjaceat, & in carcerem detrudatur uſque ad proximum Definitorium, in quo ſevero judicio cauſæ illius diſquiſitio ineatur, & plectatur, ad priſtinùmque ſtatum remeet, intercluſum ad altiorem Ordinem aditum, ſpémque omnem ademptam ſciat. Proinde Laici ante votorum nuncupationem, ſibi probè compertam eſſe hanc Conſtitutionem conteſtentur.

6. Non priùs verò Laici ſuæ probationis annum inibunt, quàm duorum, vel trium, aut etiam plurium annorum ſpatio, Præpoſiti Generalis arbitrio, eorum indolem, ingenium perſpicuis argumentis in Religione Patres experiantur; neque ad profeſſionem admittantur, niſi vigeſimum primum ætatis annum compleverint.

7. Singula Collegia & Domus noſtræ librum habeant, in quo manu propria, qui ſolemnia vota nuncuparit, formulam votorum nuncupatorum exſcribet, ſubſcriptis teſtibus juxta Ritualis noſtri præſcriptum obſignatam, qui liber in Archivio fideliter cuſtodiatur.

8. Noncupatis votis Clerici quinquennii ſpatio, ad arbitrium Præpoſiti Generalis, in uno ex præſcribendis ab eodem Collegio commorabuntur, quibus Sacerdos aliquis morum integritate, doctrináque excellens præficiatur, qui nuper profeſſos ſecundi profeſſorii loco, bonis imbuat moribus, in pietate confirmet, ſpiritualibus exercitationibus detineat, ut interim diſciplinis, bonisque artibus pariter ac pietate excolantur. Naviter verò & impigrè Sacerdos Præfectus eorum ſpiritualibus commodis invigilabit, proſpiciétque ſingula diligenter, quæ ad optimam adoleſcentum informationem, eóſque ad ſeveram diſciplinam promovendos ſpectant, dabitque cumprimis operam, ut leges, quæ pro ſecundi Novitiatus aut Profeſſorii Novitiis peculiari libro ſancitæ ſunt, exactè obſerventur.

De

De Promovendis ad Ordines.

Caput IX.

1. Si qua in re diligenter nobis providendum eſt, ne aliquis error committatur, ea potiſſimùm eſſe debet, in qua de cultu divino agitur, ut quàm maximè illi velimus eſſe conſultum. Quamobrem nullus ex Noſtris, qui Clericali habitu Deo eſt mancipatus, minoribus aut majoribus Ordinibus initiandus promovebitur, niſi præſcriptas à Concilio Tridentino conditiones omnes habeat.

2. Stata ab eodem Concilio tempora inter Ordines ſerventur, niſi alioquin gravis immineat neceſſitas. Non evagabitur quiſpiam, aut aliò ſe conferet, ut Ordinibus initietur, ſed in ea Diœceſi, ubi pro tempore degit à Patribus deſtinatus, juxta Clementis Octavi præſcriptum promovebitur.

3. Caveat Superior quilibet, ne ſacros Ordines quempiam, niſi priùs à Præpoſito Generali vel Provinciali impetrarit facultatem, promovendum curet, quam ubi obtinuerit, Capitulo Collegiali proponet ſacro Ordine initiandum, nec niſi à majori ſuffragantium parte admiſſus cenſeatur.

4. Promovendum verò ad Ordines, antequam Capitulo Collegiali proponat Rector, ſeu Præpoſitus Collegii, examinandum à duobus aut tribus ex doctioribus Patribus curabit, &, an ſit idoneus, accuratè explorabit.

5. Superiores, ſi qui fortè auſi fuerint ex Laicis quempiam Clericalem ad habitum, vel ad primam tonſuram, ſeu Ordines evehere, pœnæ privationis vocis activæ & paſſivæ, ac aliis gravioribus pœnis arbitrio Præpoſiti Generalis, vel Definitorii ſubjaceant.

De ratione ſtudendi, ad ſtudia admittendis, & Præceptoribus.

Caput X.

1. Cùm ex duobus quaſi fontibus pietatis & eruditionis religioſi viri omnis felicitas petenda ſit; Congregationis verò ornamentum quodcunque, laudabiles progreſſiones, hæc duo firmiſſima præſidia ſolùm reſpiciant, Præpoſiti cumprimis Generalis partes erunt, & Viſitatorum, ſtudiorum rationibus omni ſollicitudine proſpicere. In hoc igitur ſedulò incumbent, ut noſtros adoleſcentes ad ſtudia promoveant, eóſque diſciplinis, & bonis artibus erudiendos curent, qui præſtanti ſunt ingenio, quique præclaram ſpem injecerint, non leves eſſe in ſcientiis progreſſus facturos.

2. Id verò præcipuè ſpectabunt Patres, ut, qui diſciplinis addicuntur, non in animi elationem, & faſtum privatum, ſed in obſequium Dei, Congregationiſque ornamentum & utilitatem doctrinam ſint derivaturi.

3. Certa quadam, utili, & accommodata methodo in diſciplinis & ſcientiis profitendis utentur Præceptores noſtri; & adoleſcentes, niſi priùs optima in minoribus fundamenta jecerint, & integrum biennium Rhetoricæ ſtuduerint, ad altiores & ſeveriores diſciplinas aditum ſciant omnem ipſis eſſe occluſum; qua in re Præpoſiti Generalis & Viſitatorum conſcientias oneramus.

4. Præpoſitus igitur Generalis, & Viſitatores tempore viſitationis de cujuſcunque in ſtudiis profectu diligentiſſimè inquirent; examen inſtituent ſe coram, & adhibitis Præceptoribus periculum facient ſingulorum, ſegnes ac deſides graviter coarguent & plectent; tardos verò ac ſtolidos, qui minùs idonei deprehendentur, à ſtudiis removebunt, aliiſque muneribus & exercitiis dedicabunt.

5. Superiores ſinguli, apud quos Adoleſcentes noſtri ſtudiis operam navabunt, nihil intermittent, quod ad excitandos illorum animos, ad ſtudia capeſſenda, & acrioribus ſtimulis urgendos opportunum videbunt, quà hortationibus impellendo, quà objurgationibus, quà præmiis. Neceſſaria, ut promptiori & alacriori animo ſtudiis vacent, & incitatiori deſiderio rapiantur, ſuppeditabunt. Exemptiones verò, quæ ſtudentibus concedendæ erunt, Præpoſitus Generalis vel Definitorium decernet.

6. Nemo impreſſa Theoremata publicè diſputanda proponat, niſi facultatem ineundi literarii certaminis à Præpoſito Generali impetraverit; qua impetrata, nulli ea nuncupabit. Unico folio contenta, ſive typis cudantur, ſive exſcribantur, diſputanda proponet, non alio præfixo ſtemmate, quàm quod noſtra Congregatio præfert.

7. Præceptores illi ad informandos tam noſtros, quàm externos adoleſcentes deligentur, qui ſint vitæ integritate ſpe-

ſpectabiles, moribus graves, & pii; doctrina verò, & ea, quam profeſſuri ſunt, diſciplina apprimè eruditi.

8. Hi verò ab his oneribus, & communibus muniis obeundis erunt exempti, à quibus illos eximere æquum, honeſtúmque Præpoſitus Generalis, vel Definitorium, vel generalium Comitiorum Patres eſſe judicaverint. Menſa ſemper in loco communi utentur, nec quidquam hac in re ſibi Superioris localis auctoritas vindicabit. Veſperis & Completorio, ſi ſtatim poſt Veſperas recitetur, diebus feſtivis in Choro; quotidie verò orationi mentali, ut Cap. *de Oratione mentali* dictum eſt, intererunt; eámque inibunt docendi methodum, quam Patres pro rectâ ſcholarum adminiſtratione privato libro præſcribent.

9. Ex illis autem, & ex ſcholaſticis accerſere Præpoſitus Generalis poterit, quos volet, ad Comitia, ut publicè concluſiones ſuſtineant, vel conciones habeant.

10. Cæterùm Noſtri liberalibus diſciplinis, ſacris præſertim literis & Canonibus excolantur, atque, ut DEO Optimo Maximo, & ſanctæ Eccleſiæ ſuam operam præſtare aliquando poſſint, Hebraica lingua, Chaldæa, Arabica, Græca, Illyrica erudiantur.

11. Prohibemus autem, ac prorſus cuicunque interdicimus, ne librum ullum cujuſcunque argumenti imprimendum curet, vel edat, antequam à Præpoſito Generali, aut *à Provinciali extra Italiam* facultatem obtinuerit, qui eos libros duobus ex noſtris Patribus Theologis, antequam imprimantur, legendos, & diligenter examinandos committent, horúmque partes erunt, non ſolùm accuratè perpendere, an aliquis error irrepſerit, ſed etiam, an digni ſint, qui lucem aſpiciant eruditorum, ſervato tamen Decreto ſuper hoc edito à ſanctiſſimo D. N. Papa URBANO VIII. ſub die XVIII. Septembris MDCXXV.

12. Quòd ſi non conceſſa facultate à Præpoſito Generali vel Provinciali typis cudendum aliquod opus cujuſcunque argumenti quis dederit, vel ediderit, vel edi procuraverit, is ſtatim à Præpoſito Generali aut Provinciali quocunque deturbetur dignitatis gradu, omni ſuffragio tam activo, quàm paſſivo privetur, quouſque Comitiorum generalium Patres, ad quos ſolùm ſpectabit ab hac pœna liberare hujuſmodi privatum, in priſtinam dignitatem reſtituere volent; interim ultimus inter profeſſos ubique erit.

13. Clericis, qui in noſtris Collegiis operam ſtudiis navabunt, ſuprà unam vicem in hebdomada à matutinis horis vacandi in Choro recitandis, alteram etiam vicem hujuſmodi immunitatis conceſſam volumus, hac tamen conditione, ut priùs ſe in Choro ante Præpoſitum Collegii, vel Superiorem ſiſtant, & petita benedictione, antequam matutinæ horæ recitari incipiant, in cellam ad vacandum ſtudiis ſe recipiant.

14. Et ſi quis ex noſtris Adoleſcentibus, quibus ſummum otium literarum conceditur, ut diſciplinis incumbant, ſegniùs ſtudia tractaverit, vel laboris impatiens, vel contumacior aut petulantior, illi obedientiæ detrectet ſe ſubmittere, cui ſecundi Novitiatus ſive Profeſſorii Clericos volumus eſſe ſubjectos, proinde parùm & in ſpiritu, & in literis, & in peritia linguarum profecerit; is poſtquam ſemel & iterum, atque etiam tertiò correptus & caſtigatus fuerit, à ſtudiis amoveatur, ac tanto beneficio privetur. Hunc verò nolumus ad ſacros Ordines, vel Sacerdotium ſine Definitorii conſenſu promoveri, & omnino mandamus, ne ullum in Congregatione noſtra dignitatis gradum obtineat, niſi ſecretis ſuffragiis Patres in Comitiis generalibus, ut proponi poſſit, diſpenſaverint.

15. Secus his, qui naviter, qui impigrè ſtudiis vacabunt, magnóſque progreſſus fecerint, tum in ſcientiis perdiſcendis, tum in linguarum eruditione, declarabunt Patres, quo loco virtutem, atque virtute & probitate præſtantes habeant; hos enim promovebunt ad dignitates, præmiis allicient, honoribus afficient, nulláque prætermittent virtutis promovendæ incitamenta.

16. Poſtquam noſtri Scholaſtici philoſophicum curſum, ſtudiúmque abſolverint, antequam Theologicum aggrediantur, ut iis ſatisfaciamus oneribus, quibus noſtra Religio premitur, aliis politiori literatura informandis præficiendi erunt, triennium integrum in inferioribus ſcholis ad docendum detinendi, iterúmque ſi eo in munere ſtrenuè ſe geſſerint, majoribus ſtudiis addicendi.

De

De Habitu Clericorum & Laicorum.

Caput XI.

1. Non minori cura invigilandum eſt, ut noſtræ Congregationis Patres & Fratres ea utantur veſtium compoſitione, quæ religioſos viros deceat; ut ſcilicet nec nimis elegans & ſplendidus ſit veſtium ornatus, neque ſordidus, & nimis abjectus ullus noſtrum incedat. Erunt itaque omnium externæ veſtes nigri ſemper coloris laneæ, ſimplices.

2. Clericorum tunica protenſior talos feriet, anteriori parte tota uſque ad cingulum ſit conſuta; collare duobus ſaltem uncinulis ita adſtringatur, ne aut collum*, aut guttur appareat. Manicæ nullis aut uncinulis, aut globulis conſtringantur, ſed laxiuſculæ totæ ſint conſutæ. Pallium ejuſdem ferè longitudinis, ita tamen, ut tribus vel quatuor digitis decreſcens ſuperemineat tunicæ. Palliorum collaria haud ſupra tres digitos altiora promineant. Zonæ nullo modo ſint ſericæ, ſemel tantùm circumducantur, & in anteriori parte nectantur. Pilea, quæ nec oblongæ, nec acuminatæ ſint formæ, ſed ad religioſi viri honeſtum decorem accommodata, alas non habeant totas limbo ſubſutas, ſed tantùm ad dimidietatem producto, qui in interiori pilei parte ad tres digitos vix aſcendat, nunquam tamen excedat: nullis eadem funiculis ſericis cum lemniſcis adornentur, ſed ſimplici vitta ex filo; quæ globulo depreſſiore connectatur. Galericuli non ſint ſerici. Induſia omni careant & ad collum, & ad manus ornamento, illorùmque collaria ad collum ſupra veſtem duos tantùm digitos vertantur, ex tela ſimplici linea, nec amylo lævigata ſint, aut aliàs expolita. Nullus ad manum ſupra thoracem induſii manicam, multò minùs adſcitam maniculam obvolvat. Lacernæ domeſticæ ſolùm hyberno tempore deferantur, quæ manicas gerant integrè conſutas, & religioſæ paupertati, quæ omnem horret vanitatem, prorſus conformes: harum collaria veſti æquentur, & invertantur: leviores æſtate nemo deferat. Interiora verò indumenta ſub veſte ſive hyberna, ſive æſtiva, nigri ſint coloris, aut certè ſubobſcuri, qui parùm à nigro recedat, ita ut nullus luxus, aut mollities, aut exquiſita elegantia in illis appareat: quòd ſi thoracem pellitum aliquis geſtet, ante pectus, & ad manus nigri coloris limbo ſubſuto ad quatuor digitos eundem cooperiat. Coriacea colobia omnino interdicuntur. Fibulatas zonas, aut cingula nemo ſub veſte geſtet. Femoralium forma & figura ſit honeſta, ſimplex, religioſo viro conveniens. Tibialia acu intexta cujuſvis generis aut coloris illa ſint, nullus gerat: pellita verò nigri ſolùm coloris permittantur. Calcei abſque auriculis geſtentur. A ſudariolis lemniſci amoveantur, neque acu per angulos depicta illa ſint. Pelliceæ veſtes exteriores prohibentur omnino; interiores verò valetudinariis, aut ætate provectioribus Præpoſitus Generalis aut Viſitator, ut expedire perſpexerit, concedet, hac adjecta conditione, ut & pauci emantur, & ad genua tantùm protendantur. Manicæ pelliceæ, quæ ad frigus arcendum è manibus deſerviunt, laneo operimento extrinſecùs conveſtiantur.

3. Laici paupertatis colendæ, & cæterarum virtutum, humilitatis præſertim, pietatiſque acquirendæ religioſa ſollicitudine cum Sacerdotibus contendent. Eorum veſtitus erit tunica ad ſuras ſolùm deducta, quæ cruris medietatem feriat, & pallium, quod longitudine pallium non excedat.

4. Galero, vel laneo galericulo utentur pro domeſtico capitis cooperimento.

5. Veſtes novas, & quæ communi nomine *zimarræ* nuncupantur, hybernóque tempore intra clauſtra deferuntur, iis tantùm concedi volumus, qui perfuncti laboribus, vel alia ratione de Congregatione ſunt bene meriti; aliis autem ſi Superiores permiſerint, vetuſtæ eſſe debebunt, & ſinguli manicas induent.

6. Nullus veſtes breviores in itinere ad crura ſolùm productas geret, ſive ex panno, ſive ex lana, aut alia quavis materia. Pænulæ, quibus in itinere ad pluvias arcendas Noſtri utentur, nigri ſint, vel ſubobſcuri coloris, nullis redimiculis, vittiſque ulla ex parte ornatæ, ſed ſimplices.

7. Ea demum ſit veſtitus tam interioris, quàm exterioris compoſitio, ut nihil holoſericum vel ſubſericum, nihil vanitatis aut pretioſitatis, nihil nimis exculti & elegantioris ornatus, vel minima qualibet in re appareat, nihil, quod à religioſa ſimplicitate & paupertate declinet, vel ſæcularium oculos, quos maximè in religioſos viros intentos tenent, etiam leviter offendat.

8. Caveant prorſus Noſtri, ne Chorum ingrediantur, aut in clauſtris, alióve

aliόve loco ſæcularibus videndos, ſe exhibeant, niſi decenter amicti, & induti habitu præſcripto.

9. Capillorum, & barbæ ejuſmodi rationem Noſtri habebunt, ut religioſum decorem, non aliquam animi levitatem præſeferant: quamobrem pilos æqualiter attonſos gerent, barbam non è malis, nec totam abradent, neque ad mentum brevi collectam, decenter angulis conformatam, æqualem, nec ultra tres digitos à mento promiſſam geſtabunt.

De Fabricis erigendis.

CAPUT XII.

1. MAgni momenti novæ ædificiorum erectiones exiſtimandæ ſunt, neque ſine diligenti, accurataque conſultatione à Noſtris vel inchoandæ erunt, vel proſequendæ. Cum primis igitur cavebunt, ne ullum priùs opus moliantur, quàm à Præpoſito Generali facultatem obtinuerint Præpoſiti, vel Rectores, quam ubi impetrarint, maturo etiam conſilio, & prudentia opus erit; idcam ædificii graphicè delineatam à perito architecto depromi curabunt primùm, eandem poſtea peritiſſimis duobus, vel tribus aliis architectis examinandam proponent, plures conſulent, nec abſque ſeniorum Patrum conſultatione, & conſenſu quidquam tentabunt, ne poſtea cogatur alter ædificium demoliri.

2. Si quid reparandum, inſtaurandumque erit, quod ruinam minetur, vel vitium faciat, vel in elegantiorem formam parvo impendio commutandum videatur, id ſi viginti quinque aureorum impenſam exceſſerit, auctoritate ſolùm Præpoſiti Generalis concedendum erit, *vel Provincialis in Gallia.*

3. In ædificiis verò erigendis illud ſpectare debebunt Patres, ne vel amplitudine, vel magnificentia, operiſve ſtructura, paupertatis & modeſtiæ oblivíſcantur; ne ullus ſit in ſæcularium domos proſpectus, &, ſi qui jam ſunt, omnino obſtruantur. Incurrat in oculos introeuntium noſtra Collegia, & Domos, ante, & intra oſtium ſacra Chriſti crucem deferentis effigies affabrè, & eleganter depicta, vel ſculptura perpolitè cælata.

4. Noſtris in Domibus clauſura omnino ſervetur.

De Ægrotantium cura.

CAPUT XIII.

1. SI unquam Superiores noſtri paternum erga ſubditos affectum declarare debent, & charitatis æſtuantem pectore ardorem, tunc præſertim declarabunt, cum aliqui in morbum inciderint. Magna itaque cura, & proſpicientia curabunt, ne quidquam illis deſit, omnibuſque remediis ſit cuique ægrotanti probè conſultum.

2. Præficient ægrotorum famulitio Sacerdotem unum, & Laicum qui charitate præ cæteris exæſtuent, & pia, accurata, & verè fraterna ſolicitudine illorum ſanitati procurandæ ſedulam operam navent. Medicorum iſti præſcriptum diligenter ſervabunt, ne leviter quidem ab alio recedent, &, ſi quid ob inopiam Domus noſtræ, aut Collegia ſuppeditare minimè poterunt, ab amicis emendicare, opportuni, importunique Noſtri non vereantur.

3. Si contigerit plures eodem in loco oppreſſos morbo decumbere, plures conſtituantur infirmarii, ſique neceſſitas urgebit, ſæculares adhibeantur.

4. In unaquaque Domo valetudinarium conſtruatur commodum, ſalubriori loco à ſtrepitu, & domeſticorum frequentia, quàm fieri poterit, remotum, in quo ægrotantes, uſque dum convaleſcant, curentur.

5. Cum periculosè aliquis ægrotaverit, ſolus nunquam eſſe permittatur & mutatis vicibus Patres, & Fratres, qui valebunt, ad præſcriptum Superioris jugiter illi aſſiſtent, minimèque negligent aliquid incommodi, & moleſtiæ pati, ut probè fratris ægrotantis ſaluti tam corporis, quàm animæ proſpiciatur.

6. Animæ verò ad ſalutem quod attinet, Præpoſiti, & Rectores neminem ex ſua familia ægrotantem à medico ſinent inviſi, qui ſecundam ſaltem poſt viſitationis vicem ſacramentali confeſſione peccata non expiarit. Invigilabunt, ut ſacræ Euchariſtiæ Sacramento, Extremaque Unctione juxta medici conſilium, ſuamque pietatem ſe æger opportunè corroboret. Præterea moribundis pleniſſimæ abſolutionis beneficium ex conceſſo nobis privilegio Superior impertiet, cujus abſolutionis impertiendæ rationem in noſtro Rituali impreſſam commodè legere quiſque poterit.

7. Scripto infirmarii, vel infirmis aſſiſtentes conſignabunt ſingulæ, quæ facien-

cienda præcipient medici, ut horam propinandi pharmaci, ſyrupi, cœnæ, prandii, & hujuſmodi.

8. Singula etiam obſervabunt, quæ ad morbum ſpectant, ut prognoſticos dies medicus probè, & ſymptomatæ ægrotantis internoſcat: quapropter notabunt diem ægrotationis, horas decrementi, incrementique morbi diligentiſſimè, ne gravis aliquis error infirmarii incuria à medico committatur, magno ægrotantis incommodo, ſalutiſque periculo.

9. Convaleſcentes niſi bene confirmatis viribus, & medico jubente, lecto ſurgere non auſint; iiſdem Superior ex medici præſcripto ad valetudinem confirmandam adjumenta omnia ſuppeditabit.

De Egredientibus domo, atque honeſta animi remiſſione.

Caput XIV.

1. Inſtar piſcis extra aquas Religioſus extra clauſtra; quocirca cura adhibenda eſt, ne labatur in interitum. Ut ergo religioſum virum ſuo remotum è conclavi divina Dominus protectione cuſtodiat, nullum ex Noſtris egredi volumus, qui flexo ad terram genu benedictionem humiliter à Superiore non petierit, & obtinuerit, quam ſimiliter petere non omittet, ſtatim ac domum fuerit regreſſus. Nullum ex Clericis, vel Sacerdotibus domo exire jubemus ſine comite, quem ſuo pro arbitrio Superior aſſignabit,& eundem recuſare,aut permutare quovis prætextu, fas erit nemini.

2. Quilibet ſe domum veſperi ante ſignum ſalutationis Angelicæ recipiat. Cœnandi licentia nocturno tempore extra clauſtra nemini unquam concedatur.

3. Caveant Noſtri, ne egreſſi aliò divertant, quàm ad eum locum, ad quem eundi facultatem obtinuerint; niſi alioquin poſt egreſſum urgens aliqua occaſio ſeſe illis obtulerit,quam deinde,ubi domum fuerint regreſſi, ſincerè manifeſtabunt Superiori.

4. Prudenter tamen aget Superior,ſi, quem ad locum egreſſi ſe contulerint, quæ negotia tractaverint, cujus in congreſſum, & colloquium ierint,& his ſimilia, diligenter, ſed quàm poterit occultè,inquiret, idque ipſi faciendum eſſe, præſenti Conſtitutione ſtatutum ſit.

5. Acceſſus ad quaſcunque mulierum domos ſine expreſſa licentia Superioris prorſus Noſtris interdicitur: pervidebit verò Superior, ne ſit in ea concedenda Indulgentior,nec eam concedet,niſi perſonarum, & occaſionis maturo conſilio accuratè perpenderit rationem, &, qui mulierem eſt alloquuturus, coram comite ſemper alloquatur.

6. Incumbant Superiores, ne nimis frequenter, & paſſim vel exeundi aliis facultatem faciant, vel ſibi aſſumant, nec Collegium unquam ſine competenti numero relinquatur ad ipſorum judicium, & in ſubditorum egreſſu explorabunt, quò quiſque ſe conferat, ne caſus aliquando ferat plures in eodem loco apud eoſdem reperiri.

7. Qui domo egrediuntur, per januam Collegii, non Eccleſiæ tranſeant, ſuique egreſſus janitorem admoneant identidem, & regreſſus, ut is compertum habeat, qui domi ſint, qui extra profecti.

8. Scandala quæcunque ut à Noſtris evitentur, nunquam iis in locis conſiſtent, neque ad ea cominus accedent, ubi ſpectacula publica habentur: hominum conventus, qui ad circulatores, & ad hiſtriones fieri ſolent, cautiſſimè declinabunt.

9. Tam Sacerdotes, quàm Clerici regulariter extra domum & biretum quadratum, & pileum deferent, illud capite, hoc manu; niſi ſol, ventus, frigus, pluvia urgeant, ut caput operiendum ſit pileo, & biretum manu geſtandum.

10. Pallium utroque humero ſuſtentetur, & à parte anteriori decenter, ac religioſè compoſitum; ejus collare non obvolvatur, ſed erectum circa collum deferatur ab omnibus; ſi timeatur, ne pallium decidat, duplici vitta ex filo hinc inde à collari ad tergum dependente, non ſerico funiculo, & globulo ad collum revinciatur. Motus corporis, ut Capite de modeſtia dictum eſt, neque mollis ſit, neque concitatus: oculis ad terram dejectis Noſtri incedant, nec manus agitent incedendo, neque curioſè quidquam, quod obvium habuerint, intueantur.

11. Quod ad recreandum animum ſpectat, cùm nihil ſit durabile, quod alterna requie careat, licebit Superioribus ſemel in hebdomada domi, vel foris, honeſtam relaxationem aliquam ſubditis concedere juxta cujuſque indigentiam, ſed juniorum recreationibus, ma-

ximè cum extra civitatem conceduntur, vitæ ſpiritualis Magiſter, vel Magiſtri Socius, aut ex Senioribus quiſpiam præſens ſemper aderit, qui vigili cuſtodia commiſſum gregem moderando tuebitur; ne diſrupto diſciplinæ fræno ad ſæculi mores, imo & ad vitia, quod juventuti facillimum eſt, præceps ruat.

12. Singulis diebus à prandio & à cœna per horam, vel paulò ſecus mutuis ſe colloquiis Noſtri recreabunt, quæ tamen ſint honeſta, ſeria, & à religioſo viro minimè aliena. Illud præcipuè cavebunt diligentiſſimè, ne Regum, vel Principum factiones inter colloquendum tueantur, ex quo diſſidia, æmulationes, imo & odia oboriri frequentiſſimè ſolent, ſed unius corporis membra eſſe ſinguli cogitent, vinculo charitatis arctiùs invicem copulati, quàm alio quocunque ſanguinis, ac patriæ.

13. Ludi, quibus vel nimium temporis inſumitur, vel ſcandalum aliquod creatur, vel ſanitas læditur, omnino interdicuntur.

14. In villis ſæcularium pernoctandi non detur paſſim facultas, adoleſcentioribus præſertim tam Clericis, quàm Sacerdotibus, quibus aſſignabitur comes ætate gravis, & moribus honeſtus: ſed & ſibi licentiam hanc raro Superior aſſumet.

15. At verò, ut feriarum autumnalium tempore concedimus tam profeſſoribus literarum, quàm ſtudentibus aliquam requiem, & recreandi animi laxationem, non tamen eandem omnibus Philoſophi, & Theologi à die Nativitatis Deiparæ ſtudia intermittent, reliqui ipſa die Sancti Franciſci. Quod in aliis quoque ſtudiorum feriis faciendum præſcribimus, ut breviores ſemper aſſignentur Grammaticis, Humaniſtis, Rhetoricis, quàm Philoſophis, aut Theologis.

16. Nemini eo tempore recreationis prætextu per noſtra domicilia licentiosè vagari permittatur: & ſi quis aliò ſe conferendi facultatem à Præpoſito Generali, vel à Viſitatore obtinuerit, is ad eum dumtaxat locum pergat, ad quem eundi licentiam impetrarit.

De Viatoribus, & Hoſpitibus.

CAPUT XV.

1. NUllus domicilio ſibi ab obedientia deſignato diſcedere unquam attentet, prætextu etiam Præpoſitum Generalem, vel Viſitatorem conveniendi, abſque licentia ab iiſdem ſcriptis obtenta: minùs liceat Superiori cuicunque ex ſuis ſubditis quempiam ad Præpoſitum Generalem, vel Viſitatorem mittere, niſi priùs de re, ob quam mittere decreverit, certiores illos fecerit, & mittendi facultatem impetrarit, graviſſima excepta cauſa, quæ moram non patiatur.

2. Statim atque ad aliquam ex noſtris domibus hoſpes acceſſerit, Eccleſiam, vel Oratorium ingredietur, actiſque DEO religioſo more gratiis, inde rectà Superiorem, aut eo abſente Vice-Superiorem adibit, eidem manum reverenter exoſculabitur, literas, ſi quas ſecum deferet, cuicunque illæ dirigantur, fideliter conſignabit, cauſam ſui adventus exponet, niſi à Præpoſito Generali, vel à Viſitatore mitteretur, & patentes ſuæ obedientiæ literas exhibebit, ſine quibus diſtrictè Superioribus inhibemus, ne quempiam ex Noſtris admittant, vel retineant.

3. Quoti ſcunque iter à Noſtris ineundum erit, Itinerarium devotè pronuntiabunt, &, ſi commodè poterunt, Sacrum, vel facient, vel audient.

4. Caveant hoſpites adventantes, ne liberiùs, quam par eſt, aliorum dicta & facta referentes novis rumoribus domum impleant, ne rogantibus, quid alibi fiat, quid Superiores moliantur, quid ſuſpicentur, quid aliis familiis novitatis evenerit, enarrent, neve curioſiùs ipſi de aliorum actionibus inquirant, aut ſermonem inſtituant. Cum enim oblocutiones hujuſmodi omnem ſolvant mutuæ charitatis nexum, religioſæ domus tranquillitatem perturbent, detractionibus, ſuſpicionibus, diffidentiæ aditum aperiant, reverentiam, & obſervantiam in Superiores vel imminuant, vel prorſus adimant, omnino volumus, ut alienorum exploratores, & delatores hujuſmodi, ſi qui reperti fuerint, ſeverè puniantur, & ſi ita expedire Superiori videbitur, ab aliorum conſuetudine ſejungantur, eorumque nomina ad Definitorium, & ad Capitulum Generale deferantur, ne ullis unquam in Congregatione dignitatibus præfulgeant, niſi

ſpi-

ſpiritum religionis rurſus induiſſe bene cognoſcantur, quem ſe exuiſſe, ſua ipſorum colloquia, & agendi ratio aperte teſtabantur.

5. Contra verò de aliorum virtutibus, de iis, quæ Congregationis bonum nomen, & exiſtimationem augere poſſunt, de Superiorum charitate, & prudentia, ut audientibus aliis hoſpites noſtri diſſerant, & mutuos miſceant ſermones, laudamus, & in Domino hortamur.

6. Neceſſaria quæcunque iter ſuſcipientibus, & aliò commigrantibus, viaticum videlicet, & ſupellex viatoria ad normam paupertatis, & charitatis ſuppeditentur ab eo Superiore, à cujus domicilio recedunt, ut omnis proprietatis occaſio ſubmoveatur.

7. Pulvinaria ad equitandum Sacerdotibus ſolùm conceduntur, præterea nemini, ſive Clerico, ſive Laico, ni fortè valetudinarius, vel convaleſcens aliò commigret.

8. Conductitia lectica nemo ſine Præpoſiti Generalis licentia iter ſuſcipiat.

9. Arma in itinere nullus deferat præter cultros, qui palmi menſuram non excedant, quos ſtatim deponet, cùm ſuum ad domiciiium pervenerit: nam intra clauſtra deferri omnino prohibemus.

10. Supellectilem, ſi quam Noſtri ferent in itinere, eam à Superiore impetrata licentia quiſque aſportabit, quæ & ſtatui conveniat, & itineri non ſit impedimento: omnia autem exſcribentur, & ſcripto Superior manu propria ſubſcribet, ac ſigillo domeſtico obſignabit, ſeriemque ſuæ ſupellectilis ſtatim Superiori, ad quem acceſſerit, ſincerè oſtendet.

11. Inter faciendum iter, qui profeſſione, loco etiam præcedet, niſi officii ratio aliud poſtulet.

12. Iter unius diei, vel paulò ſecus ineundi, cujuslibet loci Superior facultatem concedere poſſit, nonniſi tamen ſuadente rationabili cauſa: ulteriùs verò Præpoſitus Generalis, vel Viſitatores; & tunc idem Superior ſubdito literas patentes concedat.

13. Superiores à ſua reſidentia ultra quinque dies ſine Præpoſiti Generalis, vel Viſitatoris licentia minimè aberunt.

14. Si quis conciones, aut cathedras profeſſus, vel literarum ſtudio deditus, ſcripta, ſeu libros aſportare neceſſe habuerit, id Præpoſiti Generalis, Viſitatoris, aut Superioris loci licentia ſcriptis obtenta præſtabit.

15. Laici ad deſignata domicilia decem annos poſt votorum nuncupationem pedites, vel navigio commigrabunt, & iter quodcunque ſuſcipient: ſi tamen Præpoſito Generali, vel Viſitatoribus ob aliquam gravem occaſionem ætatis, valetudinis, aut alia de cauſa viſum fuerit indulgendum eſſe, eorum prudentiæ integrum relinquimus hac in re diſpenſare.

16. Hoſpites advenientes, dummodo literas dimiſſorias habeant, omni humanitate, & charitate, & charitatis affectu excipiantur.

17. Superiores omnes locum peculiarem hoſpitibus admittendis præparatum habere, &, prout vires noſtræ Congregationis ferent, neceſſaria cuilibet ſubminiſtrare curabunt, ita ut nihil iis deſit, & non minùs contractior parſimonia quàm effuſior liberalitas, deliciæ, ſæcularis apparatus, à noſtris hoſpitiis omnino exulent.

18. Unum ex Laicis virum ſpectatæ charitatis, probitatis, & modeſtiæ, hoſpitum addicent obſequio, qui pedes iiſdem abluat, & omnia hoſpitalitatis officia hilari vultu, & animo exequatur.

19. Comitem, cùm egrediendi è clauſtris licentiam illi petierint, ſemper Superiores aſſignabunt, nec permittent, ut, vel ab ipſis pro arbitrio aſſumatur, vel exeant incomitati.

20. Subdantur Superiori hoſpites ipſi prorſus in omnibus; exemplum taciturnitatis, modeſtiæ, obſervationis noſtrarum Conſtitutionum cæteris præbeant.

21. Ubi fuerint noſtræ Congregationis domicilia, ad ea, & non aliò, recto itinere ſe conferent, nec Superiores, quibus illi ſe præſentaverint, pernoctandi licentiam extra noſtras domos ullo modo concedere poſſint, ſed neque hoſpites ſibi arrogare ſub pœna culpæ gravis in Conſtitutionibus ſtatuta.

22. Adventantes aliunde negotiorum gratia domo non exeant, nec aliquid emant, dono dent, aut mutuò accipiant, niſi de conſenſu Superioris ibidem reſidentis, qui, ut eos corrigere poſſit, imò ut debeat, hac noſtra Conſtitutione ſancimus.

23. Cavebunt Hoſpites, ne oneroſos ſe illis domiciliis exhibeant, ad quæ divertent, maximè, ſi Orphanotrophia ſint, néve ibi moram diuturniorem faciant, quàm literis dimiſſoriis ſit illis conceſſum. Tranſacto primo die, Choro, & orationi præſertim intereſſe, atque Miſſas celebrare meminerint, niſi itineris longitudo, vel patens negotiorum neceſſitas illos excuſet.

De Epiſtolis ſcribendis, & earum inſcriptionibus.

CAPUT XVI.

1. Epiſtolas nemo ſcribat, mittátve, aut ad ſe miſſas recipiat ſine Superioris licentia, nec niſi ſigillo loci, in quo degit, obſignatas. Sigillum commune, cui impreſſa ſit effigies Patroni illius Eccleſiæ, ſuo in cubiculo Præpoſitus vel Rector detineat; aliud peculiare permittat nemini, ſed, ſi quem deprehenderit alio uti ſigillo, quàm communi, vel ſine impreſſione ſigilli literas mittere, puniat graviter.

2. Has quiſque auſpicabitur hac ratione: Si ad Præpoſitum Generalem epiſtola exaretur, ad primam conſalutationem addet *Benedicite*; claudet verò his verbis: *Paternitatis Veſtræ M. R. Servus & Filius in Chriſto obedientiſſimus.* Si ad alios Patres vel Fratres conſcripta ſit, poſt conſalutationem ſit apprecatio: *Benedictus Deus.*

3. Superſcriptiones Epiſtolarum his, & non aliis titulis adornentur. Ad Præpoſitum Generalem qui ſcribet, hac utetur forma: *Multùm Reverendo Patri noſtro in Chriſto colendiſſimo Patri Præpoſito Generali Congregationis Somaſchæ, & Doctrinæ Chriſtianæ in Gallia.* Præpoſitis, vel Rectoribus, aut Capituli Generalis Vocalibus: *Reverendo in Chriſto Patri obſervandiſſimo.* Cæteris Sacerdotibus: *Reverendo Patri Don.* Clericis ſacris Ordinibus initiatis: *Reverendo Don* tantùm aſſignabunt. Clericos in Sacris minimè conſtitutos aut Laicos *Chariſſimos, vel Honorandos in Chriſto Fratres* compellabunt; omnes verò ſubſcribent nomen, & cognomen, & Congregationis titulum, & tam Sacerdotes, quàm Clerici Sacris initiati præponent *Don.*

4. Nemini liceat ludicras literas & ſcurriles conſcribere, & niſi urgeat aliqua neceſſaria occaſio, à literis exarandis quiſque ſe temperet.

5. In iis nihil, quod ad alias familias pertinet, qui ſcribent, curioſiùs perveſtigabunt, quidve alibi agatur, explorabunt, aut nuncia ultrò citróque mittent.

6. Et cùm ad primarios viros ſuperiores literas exarabunt, eam, quam par eſt, erga illos adhibere reverentiam, omnibúſque modeſtiæ & urbanitatis officiis colere meminerint.

7. Caveant omnes, ne in ſcribendo quid incautè, vel, quod nulla ratione tolerandum eſt, veteratoriè & callidè ſcribant, quo Congregationi, vel alicui in aliquo detrahatur, aut quiſquam irrideatur, aut jurgiis oneretur.

8. Quicunque, licèt Superior localis, literas Multùm Reverendo Patri noſtro Generali, Vicario, Procuratori Generalibus, ac Viſitatoribus illius Provinciæ ſcriptas, miſsáſve, vel quæ ab illis mitterentur, per ſe, aut per alios retinere, intercipere, reſerare, conſcindere, aut legere auſus fuerit, excommunicationis latæ ſententiæ pœna Præpoſito Generali reſervatæ, noverit ipſo facto ſe eſſe innodatum, & carcere ad ſex menſes puniendum. Qui Conſiliariorum, Definitorum, aut Cancellarii, vel Superiorum localium literas ſcienter, ut ſuprà, interceperit, præter violationem præcepti in virtute ſanctæ obedientiæ, pœnis arbitrariis à præpoſito Generali mulctetur. Superioribus tamen (ùt alibi dictum eſt) fas ſit ſuorum ſubditorum literas aperire, ac perlegere, ni Præpoſito Generali, Vicario, Procuratori Generalibus, Viſitatori ſuæ Provinciæ mittendæ ſint.

9. Quæ ad quemcunque, Præpoſito Generali excepto, ſcribentur epiſtolæ, eæ non niſi dimidio folio exarentur, ſecus tamen, ſi negotiorum neceſſitas cogeret ſcribere longiores.

10. Quo tempore Definitorium celebrabitur, nemo, etiamſi ſit Superior, audeat epiſtolas ad Patres Definitorii conſcriptas reſerare, aut retinere.

11. Quæ à Principibus, Prælatis, vel Viris illuſtribus dignitate & auctoritate

tate præditis, vel ab Univerſitatibus mittuntur literæ ad Capitulum Generale, vel ad Definitorium, vel ad Præpoſitum Generalem, aut ad quoſcunque alios, ſi Collegiorum erectiones, vel aliquid, quod ad noſtræ Congregationis commendationem, aut alicujus ex Noſtris inſigniter laudem vertat, complectentur, diligenter & fideliter in Archivio aſſerventur.

De otio vitando.

Caput XVII.

1. Ex otio ſeu fonte cùm omnia ferè mala proſiliant, præſertim obmurmurationes, ariditas in oratione, neglectus obedientiæ & mortificationis, tranſgreſſio Conſtitutionum, nauſea rerum ſpiritualium, averſiones à Superioribus, & ab inſtituto, ignaviſſimus tepor rebus in omnibus, privatæ amicitiæ, quæſitæ occaſiones frequenter egrediendi, curioſitas in perquirendis, temeréque reprehendendis Superiorum actionibus, facilitas in damnandis aliorum dictis & factis, pericula caſtitatis violandæ, & hujuſmodi, quæ diſciplinam religioſam enervant, & omnem evelluot ex animis eorum, quibus inſederint, pietatem; ſequitur hinc, ut, quiſquis otioſus eſt, idem ſit & vitioſus.

2. Superioribus igitur acriter inſiſtendum eſt, ut ſubditi bono aliquo opere faciendo jugiter occupati ſint, nunquam otioſi per clauſtra divagentur, vel ad aliorum cubicula conveniant, aut alia ratione tempus inutiliter terant. Quamobrem propria munia ita omnibus aſſignabunt, & tempus illis obeundis ita diſtribuent, ut unuſquiſque ſciat, quid ſibi ſingulis horis ſit peragendum. Sacerdotes, qui ſtudio, contemplationi, Sacramentorum adminiſtrationi, vel pueris erudiendis parùm videbuntur idonei, tondere, veſtes conſuere, panem conficere, corporalia amylo priùs imbuta extendere, eadem lævigare, complicare condiſcent, & miniſteriis hujuſmodi erunt à Superiore applicandi. Poterunt etiam Sacrario, Bibliothecæ, infirmis curandis, hoſpitibus recipiendis præfici, ut Superiori videbitur, cujus conſcientiam ſeriò oneramus, ne otiari ſuos ulla ratione diſſimulet, & patiatur.

***

De Triclinio, & Menſa.

Caput XVIII.

1. In ſingulis noſtræ Congregationis Collegiis & Domibus Triclinium, ſeu Refectorium exſtruatur, quoad fieri poteſt, à frequentia remotum; quod idem ſtatuimus de popina & promptuario.

2. In illo cumprimis ſacra Chriſti Domini Cœna affabrè picta adumbretur, piæque hinc inde imagines appingantur, & Venerabilis Patris noſtri effigies loco conſpicuo appareat. Suggeſtum pro lectione & concionibus eminenti loco erigatur.

3. Duplicibus tantùm vicibus ſive prandii, ſive cœnæ refectio ſibi invicem ſuccedentibus menſa communi fiat, ut, qui primæ intereſſe non poterunt (optamus autem, ut, niſi urgeat neceſſitas, omnes eidem adſint frequentes) ſecundæ interſint.

4. Antequam primæ accumbendum ſit menſæ, duplici ſigno æris campani convocentur omnes, qua abſoluta, ſtatim unico tantùm ſigno dato, alii, qui primæ non interfuerunt, admoneantur.

5. Qui legitimè impediti primæ non interfuerint, Refectorium, poſtquam legi cœptum erit, non ingredientur, ſed exſpectabunt ſecundam.

6. Ante refectionem vel prandii, vel cœnæ benedictio religioſo more, Romanóque ritu præponatur, voce mediocri, non feſtinanter, ſed moderata tarditate, ut de Horis Canonicis dictum eſt, devotè recitetur. Poſt refectionem, pariter dato à Superiore ſurgendi ſigno, Lector dicat: *Tu autem Domine* &c., reliqui omnes reſpondeant: *Deo gratias*, tum gratiæ agantur: quibus completis, egrediantur omnes è Triclinio, minor è Clericis præeat, reliqui ordine proſeſſionis proſequantur cum ſilentio, detectóque capite, quod interim etiam Superior non opertum habebit. Superiore ingrediente Refectorium, omnes aſſurgant, Præpoſito verò Generali, Vicario Generali, & Viſitatore, detegant etiam adſurgentes caput.

7. Silentium inter refectionem religiosè ſervetur, ſive prima, ſive ſecunda menſa. Prima verò perpetua lectione condiatur, recreationis etiam die, cujus initio aliquid ex ſacra Scriptura legatur, quam dum leget, capite detecto ſtabit erectus in pedes Lector, tum de-

votus, piúſque liber ex Superioris voluntate vernaculo ſermone conſcriptus proponatur.

8. Lector clara, alta, intelligibilique voce ſingula verba diſtinctè pronunciet, nec curſim legat, ſed commodè tum ſibi, tum aliis.

9. Secunda etiam menſa ipſa prorſus lectione non careat; ſed vernaculi tantùm ſermonis liber legatur.

10. Surgendi tam à prima, quàm à ſecunda ſignum exſpectetur à Superiore, vel ab eo, qui vices Superioris aget; ante illud, niſi gravis neceſſitas immineat, nemini egredi liceat.

11. Quapropter Janitor extra neceſſitatem Sacramentorum infirmis admioiſtrandorum, vel ob Principis alicujus perſonæ adventum neminem accerſet è menſa.

12. Feria ſexta eleëmoſynæ per hebdomadam receptæ, quas Janitor in librum diligenter referet, à Lectore in Refectorio ante lectionem recitabuntur.

De Seminariorum, & Convictorum regimine.

Caput XIX.

1. Rectores Seminariorum, Convictorum, & locorum, ubi ſive publicè, ſive privatim adoleſcentes in literarum ſtudiis erudiuntur, curam omnem adhibebunt, ut ii doctrinæ Chriſtianæ rudimentis probè inſtruantur, ut quotidie omnes interſint Miſſæ Sacrificio, & Sacramenta ſtatis temporibus ex eorum Regulis frequentent; ut ſingulis ſextis feriis poſtrema ſcholarum matutinarum ſemihora noſtri Præceptores proprios diſcipulos pio aliquo ſermone ad eorum captum accommodato ad virtutis amorem, ad piè, ſanctéque vivendum, ad modeſtiam, ad puritatem, honeſtatémque inflamment; ut Officium beatiſſimæ Virginis, & conſuetas preces devotè quotidie recitent, orationi etiam mentali aſſueſcant ii, qui natu majores & aptiores erunt; ut ſuas Regulas, quæ primo cujuslibet menſis die Dominico ſemper ad menſam legentur, exactè obſervent; ut eorum veſtitus modeſtus ſit, &, quantùm fieri poterit, uniuſmodi; optamus autem eſſe nigri coloris: ut veſtem ſuperiorem, quam *penulam* vocant, ad talos uſque productam, & æſtivo, & hyberno tempore domi aſſiduè gerant: ut in literarum ſtudia & ſedulò, & ſeriò incumbant, moribúſque optimis imbuantur: ut Latinè etiam inter ludendum colloquantur: ut contentiones, mendacia, jurandi uſus, ſeu potiùs abuſus, turpiloquia, immodeſtia, inurbanitas, aliorum contactus, immunditia tam corporis, quàm veſtium ab omnibus evitentur: ut, ſi quos nimis audaces, proclives ad vitia, pervicaces, & omnino non ferendos cognoverint, nunquam diſſimulando tolerent, neque cum aliis ſimul vivere, aut verſari patiantur: ut lampas in ſingulis dormitoriis nocturno tempore accenſa reſplendeat, & ſuum cuilibet cubiculo Præfectum deputent, quem tanquam virum perfectum adoleſcentes admirentur, & imitentur; is verecundiam, quietem, ſilentium ſervandum ab omnibus curabit: ut exempla probitatis, honeſtatis, & religioſæ modeſtiæ à Noſtris referant: ut nunquam prodeant in publicum, niſi bene compoſiti, & cum decore ſimul & cum honore Præfectos, Magiſtros, Superiores, Majores alloquantur.

2. Dormitoria ſæpiſſimè viſitent, etiam nocturno tempore; cubicula privatim alicui nunquam concedant, neque cum Noſtris in eodem cubiculo ex Convictoribus quemquam, licèt conſanguineum, aut etiam fratrem ſinant pernoctare.

3. Si quem ex Noſtris animadverterint nimia familiaritate ſuſpectum, paternè primò moneant, tum corripiant coram Vice-Rectore: & niſi correptus emendetur, aliò mittendum curent, & de eo Præpoſitus Generalis, vel Viſitator ad Definitorium referat, ut illius ſaluti, & Congregationis exiſtimationi conſulatur: ſed interim impunitus non relinquatur. Si eò familiaritas proceſſerit, ut, cùm Vice-Rectoris conſilio ille ſit omnino amovendus, præcidatur ſtatim omnis ſuſpectæ familiaritatis occaſio, & prudentia, qua fieri poterit, maxima occurratur, ne quid mali ſuccedat.

4. Domos Alumnorum noſtrorum adire Magiſtris, aut Præfectis, quanquam ab eorum parentibus & conſanguineis invitati fuerint, prandendi, aut comedendi gratia, etiam vacationis tempore non facilè permittatur: &, ſi juſtis de cauſis hujuſmodi liceat a alicui concedetur, comes ſemper à Superiore eidem aſſignabitur, non ab ipſo eligetur.

5. Munera à Diſcipulis, ſeu Convictoribus, licèt minima, & ad devotionem

nem pertinentia, ſi quis ex Præfectis vel Magiſtris privatim, & ſine obedientia acceperit, graviùs ſemper puniatur, quàm ſi ab alio recepiſſet.

6. Ut ſuæ ſatis conſcientiæ Rectores faciant, ſcholas quotidie vel ipſi, vel per Vice-Rectorem frequentent, privato diſcipulorum examini, diſputationibus, quæ Sabbato fiunt, ſæpe interſint; auſcultent aliquando & legentes ex cathedra Magiſtros, & reddentes diſcipulos, quæ à Magiſtro audierint; videant dictata; inquirant, ſi quid negligenter à Præceptoribus, vel à diſcipulis agatur: Præfectum ſtudiorum unum ex Patribus probitate, prudentia, & eruditione inſignem obique conſtituant, qui & advenientes primùm juvenes examinet, ſcholas cuique deputet, & de Rectoris mandato de profectu ſingulorum experimentum ſæpe faciat. Proderit aliquando publica laudatione diligentes proſequi, negligentes injecto rubore vel metu excitare, & propoſitis præmiis ad æmulationem ſcholaſticam omnes provocare. Huic rei applicabunt Rectores animum, & nihil omittent, quò adoleſcentes, qui noſtris in locis educantur, optima inſtitutione optimi evadant, & aſſiduis literarum exercitamentis optimè eruditi.

7. Cùm verberandi adoleſcentes fuerint, quod & rarò fiet, & ex gravi cauſa; modeſtiæ & honeſtatis ratio habeatur maxima.

8. Maxima etiam in Noſtris circumſpectione opus eſt, ut in continua ferè cum ſæcularibus adoleſcentulis conſuetudine religioſam ubique gravitatem, & religioſæ probitatis opinionem conſervent.

9. Idcirco præſenti Conſtitutione diſtrictè prohibemus, ne Noſtri ludo qualicunque cum ſæcularibus, quicunque illi ſint, unquam colludant; ne intempeſtivo tempore, & extra Triclinium cum iiſdem comedant, vel quidquam eſculenti aut poculenti etiam in menſa, excepto Superiore, ipſis offerant; ne intima ſui pectoris, multò minùs ſecreta Congregationis noſtræ, ſeu alicujus ex Noſtris defectus, vel pœnam illi impoſitam cuiquam externo ſignificent; ne liberiore utantur colloquio & conſuetudine: & omnino ita Noſtri ſe ipſos moderentur, atque componant, ut omnis eorum actio, verba omnia ſint optima noſtrorum Alumnorum inſtructio.

10. In emendandis adoleſcentum peccatis caveant Superiores, Magiſtri, Præfecti, ne indignationem, aut indicium etiam leviſſimum averſionis ab eo, qui corrigendus eſt, præſeferant, néve inſurgant in convitia & contumelias, ſed, dum vitia puniunt, erranti compatiantur, atque à manſuetudine & clementia, quæ propriæ ſunt religioſi hominis virtutes, nunquam recedant.

11. Ubi publicæ fuerint delinquentibus injungendæ pœnitentiæ, eæ ſcripto notentur, ſubſcribantur à Superiore, & à Lectore initio menſæ clara voce prælegantur.

12. Lector cùm noſtras ad menſas legendo erraverit, eum Superior, vel is, qui Superioris vices gerit, corrigat jubendo, ut repetat. Sed lectio etiam in Academiis, Seminariis, & locis Orphanorum ad finem uſque comeſtionis producatur, ita ut Lector ipſe, audito aſſurgendi ſigno, dicat: *Tu autem Domine miſerere nobis.*

13. Quod ad Sacramenta Convictoribus adminiſtranda, eorúmque corpora ſepelienda ſpectat, percurrat Superior diligenter privilegia noſtræ Congregationi conceſſa, & in Bullario impreſſa, quibus, cùm ſeſe obtulerit occaſio, prudenter utatur. *App. n. 30.*

De cura & regimine Orphanorum.

CAPUT XX.

1. Cùm noſtra Congregatio fundamenta olim jecerit in pia Orphanorum inſtitutione & cura, ratio etiam poſtulat, ne illam poſthabeant poſteri, ſed, quanta poſſumus contentione & alacritate, conandum eſt nobis, ut tam pium opus amplectamur, proſequamur, omnique ſollicitudine, ſummo pietatis affectu ad illud illuſtrandum & augendum excitemur, ut Venerabilis Patris noſtri HIERONYMI ÆMILIANI veſtigiis inſiſtentes, intenſum pietatis illius ardorem noſtris pectoribus conſoveamus, qui hujuſmodi cumprimis piis actionibus militiam Chriſto noſtram erexit.

2. Rectores igitur, & Oeconomos (quos communi vocabulo *Commiſſos* vocamus) ad Orphanos regendos Patres deſtinabunt charitate maximè flagrantes, ita ut cum priſcis noſtris Patribus, qui in hoc opere miſericordiæ ſeduſò ſeſe occuparunt, comparari poſſint, & avitam illam Majorum noſtrorum hac in re gloriam non ſolùm conſervent, ſed, ſi fieri poſſit, etiam augeant & illuſtrent.

3. Qui-

3. Quilibet proinde Sacerdos Orphanorum curæ deſtinatus operam dabit, ut primas eorum inſtituendorum partes Chriſtiana educatio, pietas, optimorúmque morum informatio occupet; curabit, ut omnes ſingulis menſibus peccata ſacramentali expient confeſſione, ætate majores quintodecimo quoque die, quos etiam ſemel in menſe convocabit ad ſuas culpas accuſandas; ut omnes quotidie Miſſæ interſint, ſinguli coronas deprecatorias deferant cingulo complicatas, quas etiam quotidie recitent, qui legere ignoraverint; cæteri verò beatæ Mariæ Virginis Officii recitatione priùs ſuum penſum perſolvant.

4. Bis inter diem legendi methodum, rationémque docebuntur; ſcribendi verò normam feſtivis quibuſque diebus, & bis inter hebdomadam.

5. Qui decimum quartum annum attigerint, à ſacra Communione Altaris non abſtineant, probéque inſtruantur de omnibus, quæ ad Chriſtianam pietatem affatim animo haurieudam ſpectant; Doctrinam Chriſtianam veſperi inter cœnandum lectionis loco memoria recitabunt, manè verò refectionem prandii lectione condient.

6. Manè & veſperi per ſemihoram, vel circiter orationi mentali vacabunt.

7. Artem aliquam ut quiſque condiſcat, diligentiſſimè ſtudebunt eorum Rectores, præſertim verò ſutoriam, & tibialium acu texendorum, & calceorum conficiendorum, quò inde habeant vitæ viam expeditam.

8. Verberibus nullus magna cum ſævitia, vel immodicè mulctetur, ſed paterna, quæ pium Inſtitutorem decet, benevolentia, ut blandè quiſque ad bonam frugem, & bonos mores imbibendos traducatur.

9. Quos ad colligendam ſtipem per Eccleſias cum arculis deſtinabunt, monebunt, ne joculare quidquam in iis committant, ne ſe aliis mendicantibus commiſceant, ne ludant, ne concurſent: qua ratione petenda ſit eleëmoſyna, & modeſtè extorquenda, edocebunt.

10. Aliquem deſtinabunt ex majoribus ætate, qui eorum in Eccleſiis actiones obſervet, inceſſum in viis, ſi quid deliquerint, pro delicti conditione mulctam irrogabunt, nec quidquam vel leve ab illis impune commiſſum ſinent; ſtatas horas ad remeandum domum aſſignabunt.

11. Cum illorum Protectoribus, ſi qui erunt, enixè agent Rectores, ut, quoad fieri poterit, per villas quæſtus gratia non evagentur; minùs in eleëmoſynis quotidianis corrogandis ita occupentur, ut literas condiſcere, vel artes ſolitas prætermittant.

12. Iisdem Protectoribus perſuadeant, ut Majorum noſtrorum ordines in pueris recipiendis obſervent, quibus cavebatur, ne quis ante ſeptennium, vel poſt decimum quartum annum admitteretur, aut qui natalibus obſcuris natus eſſet, vel qui verè utroque parente non eſſet orbatus. Qui verò Protectoribus nullis ſubduntur, hæc inviolabili lege irrefragabiliter ſervabunt, & cumprimis ſtudebunt, ut ad eleëmoſynas corrogandas quàm rarò (quoad fieri poterit) mittant.

13. Oeconomi partes erunt, pueros ætate minores ad culpas accuſandas convocare, caput iisdem abluere & pedes, ungues tum pedum, tum manuum abſcindere, linteamina & femoralia, quoties opus erit, immutare. Proſpicient diligentiſſimè, ut decenter nitidi, & in ipſa veſtium paupertate culti & domi ſint, & in publicum prodeant, minimè unquam ſordidati, ut laciniosis nimiùm veſtibus non utantur, nec nudas ſuras, vel pedes oſtendant, ſed bene calceati videantur.

14. Præterea ſedulam navabit operam, ut illorum dormitorium, cæteráque loca, præſertim ubi officina exercetur, ſint munda, ſcopis perpurgata, quotidie ſternantur grabata, palea ſæpiùs è ſtramentis permutetur, ſtatisque temporibus renovetur. Quotidie vel jentaculum, vel antecænium præbeatur. Noctem per totam lampades in dormitorio ardeant: ſingulos lectos habeant: ægrotis præcipua charitate deſerviatur.

15. Jam verò Rector uni etiam huic curæ maximè invigilabit, ut notet, ſi quos pravæ indolis ex grandioribus deprehendat, qui diſciplinæ & inſtitutionis ſint contumaciores, quàm ut flecti, & bene inſtitui poſſint, ut illos quantocyùs exturbet.

16. Pueri ipſi ſæpiùs interdiu operi ſtruendo dum vacabunt, hymnos canent, Litanias, vel Pſalmos.

Si quis externorum officinam ingredietur, ſtatim Orphani more priſco beatam Vir-

Virginem conſalutabunt Salntatinne Angelica: quòd ſi ille fuerit Prælatus, vel gravis aliquis vir, aut dignitate aliqua inſignitus Eccleſiaſtica, genuflexi benedictionem petenr.

17. Verùm, ut tam pii operis jure quaſi hæreditario à noſtro Inſtitutore glorioſæ & piæ memoriæ HIERONYMO ÆMILIANO nobis traditi vigeat apud nos exacta obſervantia, de Orphanorum regimine peculiarem libellum compoſitum, in quo pleniùs ac fuſiùs ſingillatim omnia traduntur, quæ ad hoc religioſum inſtitutum augendum, & diu conſervandum ſpectant, ſinguli Rectores habebunt, cujus à præſeriptis ne latum quidem unguem recedent.

18. Ut in omnibus noſtris Domibus privatis in locis decernimus Venerabilis noſtri Inſtitutoris HIERONYMI ÆMILIANI effigiem pictura adumbratam, ad piam illius memoriam conſervandam; & devotionem excitandam eminenti loco erigi: ita Orphanotrophia, maximè quæ ipſe inſtituit, jubemus, ut Parentis ſui memoriam conſervent: in dormitorio, in officinis, & Refectorio ejusdem Venerabilis Patris noſtri effigiem depictam habeant.

De Puellis Orphanis regendis.

Caput XXI.

1. Puellarum ordinarii Confeſſores non à Superiore locali, ſed à Definitorio, vel à Præpoſito Generali deligentur, ut in Cap. *de Confeſſariis:* ætate ad minus illi ſint annorum triginta quinque, vitæ probitate, morum pietate, ac prudentia ſenes.

2. Ad crates Confeſſionarii, non alibi, confeſſiones excipiant; crates verò ipſæ lamina ferrea perforata, quæ amoveri non poſſit, ſint munitæ, & nigro velo obductæ, adeo, ut puellarum facies minimè dignoſcatur, ac videatur.

3. Clauſuram non ingrediantur, præterquam in caſibus à jure permiſſis, & Sacramentorum adminiſtrandorum gratia, & tunc quidem non alió divertent, non domum circuibunt, ni urgens neceſſitas aliqua aliud ſuadeat.

4. Ab his munera nulla accipient, non pecuniam ad celebrandas Miſſas, vel quidpiam aliud, etiamſi devotionis, & pietatis cauſa, ſine venia Prioriſſæ.

5. Si pernoctare contigerit ob nimiam locorum diſtantiam, dato Salutationis Angelicæ veſpertinæ ſigno, ad proprium commeabunr cubiculum.

6. Omnes verò æquè diligat Confeſſarius; & omnes æquè ignoret. Ultra triennium Confeſſarii munus non obibit eodem loco, ni aliter Definitorium decreverit.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS.

De Culpis, & Pœnis.

Caput I.

Cùm noſtræ Conſtitutiones nullius culpæ reatu, niſi in caſibus ſuo loco expreſſis, obligent, æquum eſt, ut tranſgreſſores aliqua ſaltem pœna afficiantur, ne Legum inſtitutione contenti, illarum obſervantiam negligamus.

1. Illud in primis admonendum occurrit, quòd ſi alicujus notabilis culpæ reus aliquis convictus fuerit, cui nulla ſpecialis vel à jure, vel à Conſtitutionibus pœna ſit impoſita, tunc Superior loci, adhibito conſilio duorum vel trium Seniorum, à prævaricatore fratre pœnam, quam cenſuerit æqualem delicto, repetat. Qùa in re ſemper habebitur ratio quantitatis, qualitatis, malitiæ, conſuetudinis, facilitatis in delinquendo, proterviæ, pertinaciæ, mali exempli, ſcandali, & hujuſmodi, ita ut pœna infligatur major vel minor, pro varietate harum circumſtantiarum; ex his enim culpa alloquin levis evadit vel media, vel gravis &c.

2. Quando verò in Conſtitutionibus pœna indicitur privationis ab officio, etiam ipſo facto incurrenda, propter multa incommoda & pericula, quæ inde plerumque ſolent emergere, declaramus, tranſgreſſores ad eam luendam non ſtatim teneri, niſi cùm in Comitiis generalibus, vel Definitorio convicti coram Superiore fuerint, & lata ab eodem ſententia condemnati.

3. Quoties autem quis privabitur profeſſionis loco & voce, tunc ille in nulla electione ſuffragium feret, nullum gradum in Congregatione obtinebit, in Capitulo Collegiali ultimus poſt Clericos profeſſos culpas ſuas accuſabit; nec intererit, cùm cæteri profeſſi ſe accuſabunt, ultimúmque locum, ubicunque

fuerit, poſt illos habebit: Laicus profeſſionis loco privatus, poſt laicos ſimiliter.

4. Declaramus inſuper eum puniendum, penſatis ſupradictis circumſtantiis, qui cùm habuerit locum accuſandi quempiam coram ſuo Prælato, & non accuſaverit, poſtea malitiosè per literas eum diffamat, vel alio modo; nec non eum, qui alicui crimen objecerit, de quo aliàs pœnitentiam egerit, & ſe correxerit.

5. Cæterum culpas, & pœnas omnes in quinque diſtribuemus differentias, ſcilicet in Levem, Mediam, Gravem, Graviorem, & Graviſſimam, ita tamen infrà pœnæ ſtatuentur, ut nihilominus ſciant omnes, pœnam augeri in omnibus, cum culpa notabiliter augetur.

De Pœna Levi.

CAPUT II.

1. Culpæ Levi, qua quis in levibus, vel leviter à Conſtitutionum noſtrarum obſervatione deflectit, pœna levis correſpondeat. Imponatur ſcilicet aliquis pſalmus recitandus, vel oratio, vel terræ deoſculatio, & hujuſmodi, petita priùs genibus flexis venia.

2. Hac pœna punietur, qui perperam legerit, vel occurrerit ſine ſcandalo; qui immoderatiùs riſerit; biretum non tectè capite compoſitum geſtaverit; caput non aperuerit ſuis Majoribus; ſolutè per clauſtra curſitarit, & minùs religiosè, qui contra Conſtitutionem de habitu leviter deliquerit; tardiùs in Chorum, Triclinium, Capitulum convenerit; qui in infirmis, vel ætate ſenioribus inviſendis, vel juvandis leviter negligens fuerit, & hujuſmodi. Qui etiam ſecundæ menſæ ultra primam interfuerit, vel aliquid ſine venia alteri porrexerit, vel ſilentium violarit in Triclinio; ni fortè Superior judicaverit aliqua ex cauſa, media pœna has poſtremas culpas puniendas.

De Pœna Media.

CAPUT III.

1. Ob mediam culpam, qua quis medio modo inter graves, & leves Conſtitutionum tranſgreſſiones offendit, pœna etiam media plectatur, genibus flexis ſcilicet, petita venia imponatur comeſtio in terra; exoſculatio terræ penes cujuſque accumbentis pedes; vel, ſi Sacerdos ex majoribus præcipuè, legere ad menſam jubeatur, & hujuſmodi.

2. Hac pœna punietur, qui in divinis officiis immoderatè ſe geret; qui levitatem animi viſu, vel geſtu oſtendet, qui aliud canere, vel legere præſumet, quàm uſus Chori communis ſolet; qui turpem ſermonem, vel vaniloquium in uſu habebit; qui injunctum ſibi munus negligenter, tardè, immundè obibit; qui genuflexiones, & reverentias debitas in Choro, in Eccleſia, & coram ſuis Superioribus prætermittet; qui intra clauſtra, & multò magis intra cubiculum quempiam ex ſæcularibus introducet contra ordinationes Præpoſiti Generalis, Viſitatoris, & Superioris particularis; qui ad menſam excandeſcet, aut muſſitabit; qui orationi mentali non intererit, qui contra Conſtitutionem de habitu mediocriter delinquet; qui circa infirmos, vel Seniores viſitandos, & juvandos mediocriter erit negligens; qui Itinerarium non recitabit, vel in adventu Eccleſiam illico ad orandum non ingredietur, & hujuſmodi; qui etiam in conſuetudinem ducet tardiùs convenire in Chorum, in Triclinium, & Capitulum; qui jejunia à noſtris Conſtitutionibus indicta violabit; & qui hoſpites erunt inobedientes, & minùs obſervantes, & qui Superiores negligentes circa hoſpites; ni fortè judicetur gravi pœna has poſtremas culpas eſſe puniendas.

De Pœna Gravi.

CAPUT IV.

1. Gravi culpæ, qua quis vel in gravibus, vel graviter contra Conſtitutiones noſtras peccat, pœna etiam gravis imponatur, ut diverberare ſe, dum cæteri orationi mentali vacant, recitantibus interea Patribus Pſ. 50. *Miſerere;* ſilentium aliquot diebus ſervare; ultimum locum in ſedendo tenere per aliquot dies comedere bis in terra abſque obſonio, & hujuſmodi; niſi fortè reus, ut infra, ſponte veniam peteret, tunc enim mitiùs cum eo agendum, & unica tantùm comeſtio in terra abſque obſonio imponenda.

2. Hac pœna punietur, qui procaciter coram ſæcularibus contenderit; qui ſuo muneri perfungendo deerit, ut inde ſcandalum, vel magna admiratio ſæcularibus oboriatur; qui injuria laceſſitus injurioſo nihilominus veniam petenti offenſam non condonarit; qui cum ſuo

ſuo Superiore contenderit; qui eò devenerit conſuetudinis, ut malitioſis verbis utatur contra pudicitiam, vel pacem vel jurare conſueverit; vel jejunia fregerit à noſtris Conſtitutionibus indicta, eo uſu, qui ſit interpretativus contemptus; qui cellam, veſtem aliquam, librum, vel hujuſmodi cum alio, ſine licentia commutarit; qui indumenta, libros, vel aliud, quod alteri ſit conceſſum, abſque venia acceperit, vel ex communibus officinis abſtulerit; qui dato ſigno eundi cubitum alicubi ſine venia ſe continuerit, in cellam alterius jerit, vel alium in ſuam receperit, mora temporis notabili; qui minùs pudenti alloquio cum mulieribus, vel jocoſo reprehenſibilis extiterit, unde mala ſuſpicio oriri poſſit; qui aſſueverit orationi mentali non intereſſe; qui circa Confeſſionem, & ſacram Communionem Conſtitutiones violaverit; qui Conſtitutionem de Confeſſariis, & Parochis tranſgreſſus fuerit; Superiores, qui non curaverint id, quod ſtatutum eſt de Concionatoribus, & Lectoribus, obſervare; qui tranſgrediuntur ea, quæ ſancita ſunt de cantu, & ratione ſtudendi; qui communi diverberationi non interfuerit, vel non ſe diverberaverit; Superior, qui non ſtuduerit caſtigationem corporis per diverberationem exerceri, vel exhortationem ante illam prætermiſerit, aut loco exhortationis aliquam breviuſculam lectionem prælegi non juſſerit; & qui ſemel ſaltem in hebdomada popinam non inviſerit, ciboſque non luſtraverit, & circum menſas non ierit, ut portiones recognoſcat; qui pictantiam præter communem ſine facultate aſſumpſerint; qui cum ſæcularibus, non impetrata venia, comederint, qui in infirmorum, vel ſeniorum cura graviter ſegnes fuerint deprehenſi; Superiores, qui in recreandis ſubditis negligentiores erunt, vel eoſdem cum viderint jacturam temporis facere evagando per clauſtra, non correxerint; qui notabiliter otio torpere convicti fuerint; qui Conſtitutionem de literis ſcribendis non ſervaverint; qui in præjudicium alterius ſuum locum in ſedendo non tenuerint; qui in electionibus ſuffragium, quod in quempiam ferunt, alteri indicaverint; qui definita in Definitorio, vel Comitiis carpere auſi fuerint; qui debita charitatis officia, vel in ſalutando, vel alloquendo, ſi aliqua ſimultas fuerit oborta, intra unius diei ſpatium non exhibuerint; qui de mulierum familiaritate ſuſpecti fuerint, vel adoleſcentulos in cubiculum introduxerint; qui in Capitulo Collegiali immodeſtè ſe geſſerint, & impoſito illis ſilentio, non obedierint: Janitor tranſgrediens Conſtitutionem de literis tradendis, ut *cap. lib. 3. §. Meminerint*, Detractores hoſpites, ut *cap. 15. libr. 3. §. Caveant*; Hoſpites, qui aliò diverterint, quàm ad noſtra domicilia, vel pernoctaverint, ut *cap. decimo quinto*, *§. Ubi fuerint*; qui alio uti ſigillo, quàm communi Domus auſi fuerint, & hujuſmodi; qui etiam litem inchoaverint ſine licentia; qui circa cultum, & nitorem Eccleſiæ, & ſupellectilis ejuſdem negligentes fuerint: Superiores, qui circa orationem mentalem ſegnes vel in ſe, vel in aliis deprehendentur; qui ſilentium in Choro nutibus, vel riſu, nedum verbis violaverint; qui ſuſurrones, & multò magis, qui detractores erunt, qui in infirmarum mulierum, aut matronarum inſignium Confeſſionibus intra privatas illarum domos excipiendis noſtram Conſtitutionem non obſervaverint; Superiores, qui ſegniores fuerint in inveſtigandis acceſſibus egredientium, vel ſine competenti numero Collegium reliquerint, vel non curaverint, ut Parochus, vel alius, illius vice domi reſideat ad vitanda ſcandala, & ſaluti animarum opportunè conſulendum; niſi exiſtimetur graviori pœna in his delinquentes mulctandos eſſe; quod idem ſtatuimus de iis, qui Conſtitutionem de habitu graviter violaverint, judicio Præpoſiti Gen. vel Viſitatoris, vel cujuſvis Superioris cum interventu duorum ex Senioribus.

De Pœna Graviori.

CAPUT V.

1. GRavior culpa, qua quis paulò ampliùs delinquendo accedit propè ad graviſſimam, graviore etiam pœna puniatur, imponendo ſcilicet delinquentibus, ut per aliquot dies in cubiculo ſe contineant, ſolùm in Chorum ad pſallendum horis canonicis ſingulis, & in Triclinium conveniant, & in Choro ultimi ſedeant, vel in Triclinio pane, & aqua ſolùm reficiantur. Nemo, dum hac pœna expiant delictum, eos alloquatur, vel conſuetudine eorum utatur, excepto aliquo ex prudentioribus, pro conſolatione ſpirituali, ne labantur in deſperationem.

2. Hac pœna punientur, qui pervicaces præceptum in virtute ſanctæ obedientiæ à Superiore indictum tranſgreſſi fuerint; qui in ebrietatem inciderint; qui aleis, vel taxillis luſerint; qui aliquid ſuo Prælato occultarint, præſertim, ſi pecuniam ſibi retinuerint, vel expenderint, vel rem notabilem ab ali-

quo acceptam non præſentaverint; qui res graves, quæ inCongregationis præjudicium, vel alicujus ex Noſtris vertunt, ſæcularibus revelaverint; qui alicui ex fratribus infamiæ notam inuſſerint; qui in impudicis tactibus, oſculis, & ſimilibus inhoneſtis actibus tum domi, tum multò magis extra, fuerint deprehenſi; qui arma tulerint, vel armis minati fuerint alicui; qui ſcandalum notabile, vel domi, vel foris commiſerint; Superiores, qui non curaverint legi Conſtitutiones, & Decreta Superiorum, arbitrio tamen Præpoſiti Generalis, Viſitatoris; qui novum locum acceptarint contra præſcriptum noſtrarum Conſtitutionum (præterquam quod irritum erit, quod effectum fuerit) qui fabricam inchoaverint, aut commutarint ſine facultate Præpoſiti Generalis; dummodo opportuna ſit, hac pœna per tres dies puniantur; qui alienarint, vel mutarint ſtabilia ſine debita facultate, præter pœnas à jure inflictas; qui neglexerint, juxta Conſtitutionem de Miſſarum celebratione, agere in Choro, vel Eccleſia, quæ ſui ſunt muneris, vel ordinis, vel ſpecialiter, vel generaliter, ſi inde ſcandalum; vel admiratio ſæcularibus oriatur; qui Officium divinum, vel *Pater noſter* reſpectivè non recitare convicti fuerint, tot diebus, quot fuerint negligentes, graviori pœna puniantur, & Præpoſiti, qui Officium integrum recitari, & decenter non ſtuduerint; qui in conſuetudinem duxerint tranſgredi Conſtitutiones circa Confeſſionem, & ſacram Communionem, ac de Confeſſariis, & Parochis: qui Vocales Capituli Generalis Conſtitutionem de habitu violarint; qui cauſam juſtam ſe habere putantes jejunia de præceptu Eccleſiæ indicta fregerint, licentia minimè petita à Superiore, qui nullam excuſationem in hoc admittet; qui Superior Capitulum ad culpas accuſandas juxta Conſtitutiones ut plurimum non coegerit; & contractum fecerit ſine Capituli Collegialis conſenſu; qui iter arripuerit vel alium miſerit contra Conſtitutionem de Viatoribus; qui Superior neceſſaria pro itinere non ſuppeditarit; qui aliquid ſine licentia aliò aſportarit, præſertim libros alicui Collegio deſtinatos; qui præſtituto ſibi termino iter aggreſſus ad locum ſuum non pervenerit, niſi rationabilis cauſa excuſarit; qui in literis ſcribendis alicui detraxerint; qui Superiores in hoſpitibus charitate, quæ eos decet, complectendis paulò negligentiores extiterint; & ipſi hoſpites admodum excedentes circa obedientiam, & obſervantiam Conſtitutionum, ad judicium Patris Generalis, vel Viſitatoris, vel Superioris, cum conſilio tamen Seniorum, graviori pœnæ ſubdentur; Superiores, qui tempore Comitiorum Generalium, vel Definitorii à ſua reſidentia abſuerint, vel ſubditos aliò proficiſci permiſerint, ut in *lib. 3. cap. 1. §. A propria reſidentia.*

De Pœna Graviſſima.

Caput VI.

1. Graviſſimæ culpæ reus, qui ſcilicet in graviſſimis, vel graviſſimè, ſpectatis circumſtantiis, de quibus cap. 1. jus violat Conſtitutionum, graviſſima etiam pœna plectendus erit; cujuſmodi eſt detruſio in carcerem per aliquod tempus, vel privatio vocis activæ, & paſſivæ, vel loci, & præcedentiæ, vel inhibitio uſus novarum veſtium ad tempus, vel plures ex iſtis pœnis ſimul conjunctæ infligantur, quæ pœna ſit duratura majori, vel minori tempore juxta rationem delicti, ſcandali, corrigibilitatis, occaſionis, & hujuſmodi.

2. Hanc pœnam ſubibit incorrigibilis, hoc eſt, qui occalluerit in delictis; qui injunctas pœnitentias detrectaverit; qui in adulterium, vel fornicationem (quod DEUS avertat) inciderit; qui apoſtataverit; qui pecuniam in quantitate apud ſe habuerit, vel apud alium proprio nomine habere compertus fuerit, qui alium percuſſerit incidendo in excommunicationem à ſolo ſummò Pontifice abſolvendam; qui infamaverit univerſam Congregationem apud Prælatos, vel Principes; qui clauſuram violari permiſerit; qui mulierem in clauſuram regularem introduxerit, præterquam quod erit excommunicatus, etiam carceri mancipetur ad arbitrium P. Generalis; qui appellarit à correctione regulari, qui de crimine aliquo P. Generalem accuſaverit, & ſtellionatus reus deprehenſus fuerit; Cancellarius, & Præpoſitus S. Majoli, qui violarint Conſtitutionem latam *lib. 1. cap. 17. §. Duplicem*; qui accuſaverit, vel in judicium vocarit aliquem coram alio, quàm noſtris Superioribus, ut *lib. 2. cap. 9. §. Aliquem*; qui contumax in obedientia declarabitur, præter excommunicationem ipſo facto incurrendam, ut *ibidem §. Quicunque.*

3. Declaramus autem, hæc omnia facienda eſſe ſine ſæcularium interventu, excepta neceſſitate invocandi brachium ſæculare ad trudendum aliquem in carcerem. Solius verò P. Generalis poteſtas ſit graviſſimas culpas punire, & de illius facultate Vicarii Generalis, Vi-

Viſitatorum, vel Commiſſariorum. Proceſſus, & ſententias fideliter in Archivio S. Majoli Papiæ aſſervari mandamus.

4. Item declaramus, quòd ſi aliquod crimen quis commiſerit apud Leges maxima dignum pœna, ille in carcerem trudatur, nec inde, niſi plenis Comitiis gratiam impetrarit, eximatur. Nullatenus verò erunt tolerandi rebelles, procaces, inobedientes, contumaces, ſed graviter puniendi à Superiore loci, conſilio duorum vel trium ex Senioribus adhibito, niſi à Patre Generali aliud de iis ſtatuendum eſſet ob culpæ gravitatem.

De quibusdam Pœnis ſpecialibus.

Caput VII.

1. Quoniam in moralibus particularia magis movere dicuntur, quasdam pœnas particulares his ſubrogabimus, ut inde facile ſit deducere, quid agendum ſit, cùm culpæ particularis pœna in Conſtitutionibus conceptis verbis non eſt præſcripta. In primis igitur ſub pœna excommunicationis ſancimus, ne quiſquam contra Superiorem, ſive generalem, ſive ſpecialem aliquem loci conſpiret, aut factionem aliquam pravam & doloſam conciter, vel aliquid citra honeſtum & jus moliatur, ob quod vel in noſtra Congregatione generatim, vel in aliquo particulari ejusdem loco factioſæ partes excitentur.

2. Eandem excommunicationis cenſuram indicimus iis, qui jurejurando fidem obligant, & ſpondent ſibi invicem opitulaturos, & in diſſenſionibus uni ita parti pertinaciter adhæſuros, ut nunquam oppignoratam fidem fallant.

3. Qui inter pſallendum in Choro mentis evagatione errorem commiſerit levem, ſi ſit Clericus, deoſculetur terram: ſi Sacerdos, manu idem peragat. Si autem notabilis erit error, petat veniam in Choro, abſoluto officio, vel in Triclinio.

4. Qui alicui Confeſſario, prætérquam ex Noſtris, & deſignatis à Superiore conféſſus fuerit peccata, ſilentium tribus diebus ſervet, continendo ſe in cubiculo, vel alia arbitraria pœna ei irrogetur, & reiteranda erit ab illo confeſſio; Confeſſarius verò non deputatus confeſſionem audiens, comedat in pane & aqua uno die.

5. Si Studentes noſtri extra clauſtra ſtudiorum prætextu aliò diverterint, prima & ſecunda vice humi comedant panem & aquam, pro tertia per menſem domi ſe contineant; ſi demum non reſipuerint, vel ſtudendi priventur commoditate, vel arbitrio Patris Generalis, vel Viſitatorum puniantur.

6. Qui à Choro, vel à quacunque alia Congregationis obſervantia exempti, eo tempore operam ſtudiis non dederint, eo ipſo ſint exemptionibus privati.

7. Canere cantilenas minùs convenientes, aut honeſtas deprehenſi, pro quacunque vice veniam petant in Triclinio, & ad arbitrium puniantur.

8. Qui Chorum fuerit ingreſſus ſine noſtræ Congregationis habitu, vel ſe publico in loco clauſtri videndum, ſæcularibus præſertim, exhibuerit, petat veniam, & ad arbitrium puniatur.

9. Si quis mulierem in noſtra Orphanotrophia introduxerit, puniatur ad arbitrium Patris Generalis, examinata cauſa & occaſione.

10. Qui Superioris particularis rationabili voluntati non acquieverit, prima vice comedat in terra, ſecunda vice in medio Triclinii in ſolo pane & aqua; ſi verò contumacior perſtiterit, puniatur ad arbitrium Superioris de conſilio duorum ex Senioribus.

11. Deprehenſus pecuniam expendere, aut retinere quicunque nullius adminiſtrationis munus obeat, prima vice, dummodo quantitas pecuniæ decimam partem aurei non exceſſerit, comedat in terra; ſecunda vice octo diebus cella ſe continens ſilentium ſervet; ſi autem quantitas pecuniæ fuerit notabilis, vel ſæpe in hoc offenderit, ſi ſit Vocalis, ultra prædictam pœnam, ſit etiam pœnæ à Concilio Tridentino Proprietariis conſtitutæ obnoxius, & illi tertius addatur annus privationis; ſi Clericus ſit non Vocalis, privetur loco per biennium; Laici per menſem, cùm cæteri mentali orationi vacabunt, ſe loris diverberent bis in hebdomada.

12. Si quis convictus fuerit de vitio indicibili, carceri mancipetur, & aliis pœnis arbitrio P. Generalis puniatur.

13. Qui ſine ſocio fuerit domo egreſſus, vel non petita benedictione, per menſem domi maneat, vel ad arbitrium det pœnas.

14. Qui poſt Salutationem Angelicam veſperi abſque licentia & neceſſitate extra domum manſerit, tribus diebus petat veniam, dum Patres menſæ accumbunt.

15. Si quis negligentia Superioris è vita exceſſerit ſine Eccleſiæ Sacramentis, jejunet Superior in pane & aqua, Patris Generalis arbitrio.

16. Qui gerere arma prohibita, vel apud ſe habere compertus fuerit, ob quod in ſuſpicionem veniat de offendendo aliquem, conjiciatur ipſo facto in carcerem per ſex menſes, vel per annum domo pedem non efferat, adjuncta pœna comeſtionis in terra qualibet ſexta feria.

17. Qui domicilium aliquod Religionis petens, antequam eò ſe conferat, ad domum Sæcularium diverterit, vel etiam aliorum Religioſorum, tribus diebus jejunet in pane & aqua, ſi pernoctaverit; ſi verò tantùm comederit, uno die eandem pœnam ſuſtineat.

18. Quicunque aliquid habuerit, quod Superiori loci, à quo receſſit, non oſtenderit, aut ſingularum rerum, quas ſecum attulerit, ſchedulam non habeat ejusdem manu obſignatam aut ſigillo, & Superiori, ad quem acceſſerit, non præſentaverit, illarum rerum uſum amittat.

19. Qui unius Collegii libros ad aliud ſine facultate Patris Generalis in ſcriptis obtenta detulerit, jejunet tribus diebus in pane & aqua.

20. Si quis à noſtra Congregatione poſt votorum nuncupationem receſſerit, alterius Religionis habitum ſumens, & poſtea pœnitens facti reverti voluerit, tanquam Novitius recipiatur, viliáque ei imponantur munera obeunda.

21. Qui dato ſigno ſilentii veſperi vel meridie æſtivo tempore illud non ſervarit; vel qui ſilentium notabiliter in Choro, aut in Triclinio ſine licentia violarit, petat veniam in Triclinio, & ad arbitrium puniatur.

22. In culpis accuſandis, ſi quis cum fratre altercatus fuerit, vel petulantiùs Superiori reſponderit, petat veniam, & puniatur Superioris arbitrio.

23. Quicunque de Superiore, vel de Fratre aliquo ſciverit aliquid, quod in illius animæ præjudicium, aut Congregationis ſcandalum emergat, niſi eum monuerit, & ubi monitus fuerit, & corrigi neglexerit, non indicaverit, pœnam ſuſtinere cogatur, quam à delinquente Superiores exigerent, vel ad arbitrium aliter puniatur.

24. Si quis alicui crimen objecerit, aſſerens, ſe illud ſcire, ut qui fuerit conſcius vel particeps criminis, quod etiam jurejurando confirmet, & objiciens ſpectatæ vitæ, laudabilis converſationis uſque ad id tempus extiterit; cui verò objicitur, aliquid ſimile aliàs perpetrarit, & apud graves viros in Congregatione parùm commodam opinionem ſui habuerit, licèt non ſit ad pœnam procedendum, erit is nihilominus de loco, ubi id commiſiſſe dicitur, removendus.

25. Qui ſine licentia literas conſcripſerit, aut receperit, per ſex menſes nullas poſſit aut ſcribere, aut recipere, vel una vice diverberatio illi injungatur, aut alia pœna arbitrio Superioris plectatur.

26. Qui convicti fuerint ambiiſſe, vel pactiones iniiſſe invicem, tam pro ſe, quàm pro aliis, in quacunque electione, incidant in pœnas inflictas *Lib. 1. c. 5. §. caveat.*

27. Superiores nimiùm auſteri, qui modum in correptionibus exceſſerint, à Patribus in Comitiis generalibus coërceantur, vel à Viſitatoribus omnino.

28. Qui irato animo alicui comminatus fuerit, & inde ſcandalum notabile ſecutum fuerit, tribus diebus in pane & aqua jejunet; ſin ſecus, uno tantùm die.

29. Quicunque alienaverit, oppignoraverit, vel obligaverit calicem, vel Crucem argenteam, & hujuſmodi, pretium duorum aureorum excedentia, ſine licentia Patris Generalis, vel Capituli Collegialis, & ſine urgenti neceſſitate, per biennium officio privetur. Si verò alienaverit, vel permutaverit ſtabilia, & damnum ſit magnum, puniatur, prout in jure, & aliis pœnis arbitrio P. Generalis.

30. Qui bona Congregationis, quorum eſt Adminiſtrator, notabiliter neglexerit, vel obligationes ſpirituales Miſſarum & Anniverſariorum implendas non curaverit, deponatur ab officio. Qui verò libros cujuſcunque valoris alienarit, juxta rationem delicti puniatur privatione vocis vel loci.

31. Su-

31. Superiores, qui excommunicationis ſententiam tulerint, non tamen in ſcriptis; pœnam gravioris culpæ ſubeant.

32. Quicunque aliquid notabile apud ſe depoſitum acceperit, vel aliquod munus, nec illud ſpatio viginti quatuor horarum Superiori oſtenderit, vel contra illius voluntatem retinuerit, ad annum ſuffragii jus quodcunque amittet. Superior quilibet particularis, qui notabili incuria, vel quoad propriam perſonam, vel quoad ſubditos Conſtitutiones non obſervaverit, vel Superioris dignitate privetur, vel alia pœna puniatur, ut prævaricationis ratio poſtulabit. Idem ſi Conſtitutiones legi ſtatis ſuis diebus non curarit, ubi admonitus, & correptus perſeveraverit in negligentia.

33. Idem fabricam inchoans, vel immutans ſine licentia P. Generalis, ſi illa evadat inutilis, vel damnoſa valde.

34. Superior, qui fuerit notabiliter negligens in nitore & cultu Eccleſiæ, ejuſque ſupellectili, puniatur ſeverè à Patribus Definitorii.

35. Qui ſibi deſignatum domicilium adire recuſaverit, vel munus impoſitum detrectare pertinaciter, & obedientiæ auſus fuerit reluctari, is, ſi Vocalis Capituli Generalis ſit, ad arbitrium puniatur; ſi verò non fuerit hujuſmodi Vocalis, privetur quocunque jure ſuffragii in eo loco, in quo degit.

36. Violatores Conſtitutionis de Paupertate, præter pœnam à Concilio Tridentino Proprietariis inflictam, ſeverè etiam puniantur, vel prorogando pœnam Concilii, vel privando eos loco, vel veſtes novas prohibendo, vel carceri mancipando, judicio Patris Generalis, vel Viſitatoris, vel Commiſſarii deputati. Et quicunque Superior dederit anſam hac in re, non ſuppeditando neceſſaria, eandem pœnam judicio Patris Generalis, vel Viſitatoris pendet. Nulli verò, in materia paupertatis, pœna remittatur, niſi à Patre Generali, vel in Comitiis, vel Definitorio. In pœna autem infligenda penſabuntur circumſtantiæ, prout de pœnis in communi: Nulla tamen hujuſmodi culpa, vel minima, ſit à pœna prorſus immunis. Pœnam etiam proprietaris incurrent ipſo facto Patres in Comitiis generalibus, qui violarint Conſtitutionem *Lib. 1. c. 2. §. Quilibet.*

37. Cùm aliquis ſuſpectus fuerit de caſtitate, agatur cum eo, ut *Lib. 2. cap. 10. §. Non ſolùm, & cap. 12. §. Cum mulieribus.*

38. Qui mulierum domos ſine ſpeciali licentia adierit, vel aliò diverterit, ac facultatem obtinuerit, præſertim contra mentem Superioris, is domo ſe contineat quindecim dies pro ſingula transgreſſione.

39. Qui Clauſtra Mulierum vel Puellarum fuerit ingreſſus, præterquam Sacramentorum adminiſtrandorum gratia, privetur voce activa ad arbitrium Definitorum, & Patris Generalis; qui verò clauſuram Monialium, prærer pœnas à jure inflictas, eandem pœnam ſubeat; ſi autem earundem confeſſiones audierit abſque feneſtella in noſtris Conſtitutionibus præſcripta, is privetur ſuffragio, vel loco reſpectivè ad annum.

40. Procurator Generalis, qui literas ullas ſine expreſſo mandato procuraverit, puniatur, ut *Lib. 1. cap. 16. §. In virtute autem* &c.; vel ſi ſcripturam aliquam ex Archivio abſtulerit, puniatur, ut *ibidem §. Eandem.*

41. Cancellarius malitioſè aliquid immutans verborum in Actis Capituli Generalis, ſubjaceat pœnæ excommunicationis, ut *Lib. 1. cap. 17. §. Duplicem.*

42. Clerici profeſſi, qui Officium non recitarint, peccati lethalis pœnæ ſint obnoxii, ut *Lib. 2. c. 3. §. Clerici.*

43. Qui Reliquias ſacras auſi fuerint ſurripere, pœnæ excommunicationis ſubjaceant latæ ſententiæ, ut *Lib. 2. c. 5. §. Præcipimus.*

44. Qui Energumenos adjurare ſine licentia auſi fuerint, pœnam ſuſpenſionis ſubeant, ut *Lib. 2. c. 9. §. Nemo.*

45. Pervicaces & contumaces erga Superiorem nullis honoribus decorentur, & aliis pœnis reprimantur, ut *Lib. 2. cap. 19. §. Qui animo.*

46. Qui dicta vel Acta in Capitulo Collegiali retulerit, privetur voce, & aliis pœnis, ut *Lib. 2. cap. 16. §. Qui in Capitulo.*

47. Superiores, qui ære alieno domum oppreſſerint, deponantur, ut *Lib. 3. cap. 1. §. Nullum.*

48. Laici,

48. Laici, qui ſacris Ordinibus contra Conſtitutionem initiari tentarint, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam incurrent, carceri etiam mancipentur, ut *Lib. 3. c. 8. §. Norint autem.* Superiores verò promoventes voce activa & paſſiva priventur, ut in eodem *Lib. c. 9. §. Superiores.*

49. Qui facultate non obtenta, libros ediderint, pœnæ privationis cujusque ſuffragii & dignitatis etiam ſubjacebunt, ut *Lib. 3. c. 10. §. Prohibemus.*

50. Cum Studentibus, qui contumaces erunt, & ſegniores in ſtudiis, agatur, ut in Conſtitutionibus *Lib. 3. cap. 10. §. Et ſi quis.*

51. Qui literas Patris Generalis, Vicarii Generalis, Viſitatoris, vel Procuratoris Generalis interceperit, pœnæ excommunicationis latæ ſententiæ ſubjaceat, & carceris ad ſex menſes; qui verò Conſiliariorum & Definitorum, puniatur, prout *in Lib. 3. cap. 17. §. Quicunque.*

52. Cum Apoſtatis, & ejiciendis à Congregatione agatur juxta Decreta ſacræ Congregationis Concilii ſub ſanctiſſimo Domino noſtro Papa URBANO VIII. edita anno Domini 1624. Qui verò ejiciuntur, omni privilegio Congregationis noſtræ privati cenſeantur, habitu noſtro ſpolientur, noſtra non adeant loca, nec cum Noſtris ullam habeant ſocietatem aut commercium; quinimò devitentur omnino, tanquam putrida membra à reliquo Corpore præciſa.

Sequuntur reliqua Bullæ URBANI VIII. *his* Conſtitutionibus *præfixæ.*

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus JOANNES ANTONIUS Procurator Generalis nominibus prædictis, præinſertis Conſtitutionibus pro perpetua illarum ſubſiſtentia, & inviolabili obſervantia Apoſtolici noſtri muniminis firmitatem per Nos adjici ſummopere deſideret, Nobisque propterea humiliter ſupplicari fecerit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos inviolabili earundem Conſtitutionum obſervationi, quantum Nobis ex alto conceditur, conſulere, nec non dictum Procuratorem Generalem, ac totam Congregationem prædictam ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de eorundem Fratrum conſilio præinſertas Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omnésque & ſingulos tam juris, quàm facti, quantumlibet ſubſtantiales, defectus, ſi qui in illis intervenerint, ſupplemus; decernentes easdem Conſtitutiones, nec non præſentes literas ſemper & perpetuò valida, firma, & efficacia exiſtere & fore; nec non in dicta Congregatione ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, inviolabiliter ſub pœnis in eisdem ſtatutis comminatis obſervari, & adimpleri debere, ac quoſcunque ejusdem Congregationis Superiores, Presbyteros, & perſonas ad plenariam illorum obſervationem omnibus juris & facti remediis cogi & compelli poſſe, ſicque per quoſcunque Judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis aliis dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis ipſius Congregationis Superioribus, Presbyteris, & perſonis hujuſmodi, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibúsque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die 5. Maji 1626., Pontificatus Noſtri Anno tertio.

(L.S.) Vt. Theatin.

AP-

APPENDIX EORUM,

QUÆ IN CONSTITUTIONIBUS

CONGREGATIONIS SOMASCHÆ

Ob recentiora Sedis Apoſtolicæ Decreta ſunt immutanda

Locis infra notandis, uti affixus monebit Aſteriſcus.

1. L*ib. 1. cap. 1. n. 4.* Diſſoluta fuit hæc unio anno 1646. ab Innocentio X. petentibus Doctrinariis.

2. *Lib. 1. c. 3. n. 2.* Quadraginta duorum. *Ex Ordinationibus Alexandri VII. in Bullario noſtro pag.* 187.

3. *Ibid. n.* 4. Quadraginta duorum. *Ex iiſdem.*

4. *Ibid. n. 5.* Nullo modo excedat numerum quadraginta duorum; quælibet enim ex tribus noſtræ Congregationis Provinciis quatuordecim habeat Capituli Generalis Vocales, non plures; nec ad novorum Vocalium electionem deveniatur in ulla Provincia, niſi poſtquam ejus Vocales infra quatuordecim fuerint. *Ex iiſdem.*

*5. *Ibid. n.* 9. Hi novem numero erunt; quælibet enim Provincia tres Socios, ſeu Diſcretos mittet ad Capitulum Generale. *Ex iiſdem.*

6. *Ibid. n.* 14. Dummodo in ea commoretur ex obedientia diuturno aliquo tempore, quod ſit quatuor ſaltem menſium ante tempus electionis. Quare caveant Superiores, ne à Definitorio deſignatos in uno loco, ante factas Sociorum electiones, ad alium mittant ſine urgenti cauſa. *Ex Decreto S. Congregationis Regularium negotiis præpoſitæ die 15. Decembris 1634. ut in Bullario noſtro pag. 166. & 167.*

7. *Ibid. n.* 15. Non autem immediatè, & cum proprio ſuffragio ad electionem Socii concurrent, etiamſi paulò antè à Præpoſito Generali, aliiſque Superioribus ad locum mittantur, ubi Socius eligendus eſt, licèt etiam in eo deputentur de familia, aut ibidem reperiantur, ut Socii Viſitatorum; jus enim ſuffragii in electione Socii, in loco videlicet, ubi is eligitur; non habent, niſi qui per menſes ad minus quatuor ante præfinitum electioni tempus ex obedientia vel commorantur, vel ſaltem deputati ſunt. *Ex eodem Congregationis Decreto.*

8. *Lib. 1. c. 5. n.* 21. Poſt Ordinationes Alexandri prædictas confirmari nequit Procurator Generalis, ſed ſolùm ex ea Provincia eligi, cui per turnum contingit.

9. *Lib. 1. c. 6. n.* 1. Ejus Provinciæ, cui per turnum ea dignitas contingit, facto initio anno 1662. à Provincia Romana, & inde ad Venetam. *Ex Ordinat. citat.*

10. *Lib. 1. cap. 7. initio.* Congregatio noſtra juſſu Alexandri Papæ VII. die 23. Decembris 1661. diviſa eſt in tres Provincias, videlicet Lombardiæ, Venetiarum, ac Romanam nuncupatas. Provincia Lombardiæ continet loca omnia, quæ in Statu Mediolanenſi, & adjacentibus ditionibus Ducum Sabaudiæ, Mantuæ, ac Parmæ, & Dominii Helvetiorum poſſidet, vel poſſidebit noſtra Congregatio. Provincia Veneta complectitur omnia loca, quæ continentur, ſeu continebuntur in Dominio Reipublicæ Venetorum, & Principatu Tridentino. Provincia denique Romana comprehendit loca omnia poſita, vel ponenda in reliquis Italiæ ditionibus. Et quidem qui profeſſi ſunt ante annum 1662., intelliguntur filii ejus Provinciæ, in qua nati ſunt: qui verò exinde profeſſionem emiſerunt, vel emittent, ejus Provinciæ cenſentur, in qua ad Religionem admiſſi fuerint, & in qua profeſſionem emiſerint. Qui hac ratione non ſit Provinciæ filius, non poſſit in eadem eſſe Superior.

Dignitates Præpoſiti Generalis, Vicarii Generalis, & Procuratoris Generalis ita diſtribuantur, ut cuilibet Provinciæ per turnum ſemper una ex his conferatur.

Singulæ Provinciæ ſingulos habeant Conſiliarios, ſingulos Viſitatores (qui poſthac vocentur Præpoſiti Provinciales, habeántque poteſtatem ordinariam ſupra quamlibet domum ſuæ Provinciæ) ſingulos denique Definitores. Cancellarios tandem ex ea Provincia ſit, ex qua Præpoſitus Generalis.

In primo itaque congreſſu poſt Præpoſiti Generalis electionem ad cæteros Capituli Generalis Officiales eligendos deveniatur; & primùm quidem Vicarius Generalis, tum Procurator Generalis (ex Decreto ſpeciali Capituli Generalis anni 1662.) deinde Conſiliarii, mox Præpoſiti Provinciales; tum Definitores, poſtremò Cancellarius creabuntur: Procurator autem Generalis officio functus, ſit ipſo jure per ſubſequens triennium ſuæ Provinciæ Conſiliarius, niſi eligatur in Præpoſitum Generalem, aut Vicarium Generalem, aut Provincialem. *Ex iiſdem Ordinationibus Alexandri VII. loc. cit.*

11. *Lib.* 1. *c.* 11. *n.* 2. Confirmationis locus non eſt poſt citatas Alexandri Ordinationes.

12. *Ibid.* Neque Vicarius in Præpoſitum Generalem eligi poteſt.

13. *Ibid. n.* 6. Remanet adhuc eadem facultas in Vicario Generali; non enim illi expreſsè derogatum eſt per Ordinationem Alexandri; quare Vicarius ea loca, quæ ſibi à Præpoſito Generali deſignabuntur, viſitet, ſine præjudicio tamen juriſdictionis Provincialis.

14. *Lib.* 1. *c.* 12. *initio.* Tres Conſiliarii. *Ex prædictis Ordinationibus.*

15. *Lib.* 1. *c.* 13. *n.* 3. Quælibet ex tribus noſtræ Congregationis Provinciis ſuum habeat Provincialem, qui in loca omnia illius ordinariam poteſtatem habeat.

16. *Ibid. n.* 40. Præpoſitus Provincialis Congregationis Somaſchæ. *Ex Ordinat. Alexandri.*

17. *Lib.* 1. *c.* 15. *n.* 1. Definitores tres eligentur. *Ex iiſdem.*

18. *Lib.* 1. *c.* 19. *n.* 2. Primus Conſiliarius à dextris, cui adhærebit tertius; à ſiniſtris ſecundus; ac poſtea Cancellarius.

19. *Lib.* 1. *c.* 19. *n.* 7. Ex profeſſionis ordine, niſi adſint aliqui ex Definitorii Patribus; hi enim omnes cæteris quibuſcunque ſubditis præcedant; & ſi quando contingat eos eſſe ſubditos in aliqua domo, immediatè poſt Superiorem Domus ſedeant. *Ex iiſdem.*

20. *Lib.* 1. *c.* 20. *n.* 1. Trium Conſiliariorum, trium Viſitatorum ſeu Provincialium, trium Definitorum, Procuratoris Generalis, & Cancellarii. *Ex Ordinat. cit.* Inſuper qui Præpoſiti Generalis, aut Vicarii Generalis munus obierunt, ſi aliam in Definitorio dignitatem non obtineant, poterunt, donec vixerint, imò & debebunt pro bono publico cum titulo Aſſiſtentium, ac jure ſuffragii intereſſe Definitorio, ſine tamen præjudicio numeri ſoliti Definitorii. *Ex Decreto Urbani Papæ VIII. die* 4. *Februarii* 1642., *ut in Bullario noſtro pag.* 175.

21. *Lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 20. Imò nemo ullo modo poteſt eſſe Superior in eadem Domo, niſi per triennium, quo elapſo, alterum integrum triennium elabi debet, priuſquam ad ejusdem Domus regimen ſub quovis titulo ſive Superioris, ſive Vicarii admuveatur. *Ex Ordinat. Alexandri.*

22. *Ibid. n.* 21. Illi autem erunt eligendi, qui ſint ejus Provinciæ filii. *Ex iiſdem.* Qui non ambiiſſe dignitates &c. Notandum eſt Breve Clementis X. die 5. Februarii 1675., quo ad ambitum prorſus propellendum, omnibus noſtræ Congregationis Clericis, & perſonis prohibet, ne propter dignitates obtinendas ad exteros ullo modo recurrant, ſub graviſſimis pœnis, quæ extenduntur etiam ad complices, & fautores, ac non revelantes. Itémque Generali, aliiſque Superioribus præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne ullo favore, aut precibus exterorum adducti, ad dignitates Religionis, aut Vocalatum ullum promuvere audeant. Videatur Breve, quod in quovis Capitulo Generali, aut Definitorio publicè legi debet.

23. *Lib.* 2. *c.* 4. *n.* 17. Huic obligationi celebrandi tres Miſſas pro Sacerdote noſtræ Congregationis defuncto ſatiſfieri poteſt, celebrando unam duntaxat, & pro reliquis duabus faciendo commemorationem de Defuncto in Miſſis de Sancto, vel de die occurrenti. *Ex Indulto Urbani VIII. die* 20. *Novembr.* 1628. *ut in Bullario noſtro pag.* 174.

24. *Lib.*

24. *Lib. 2. cap. 5. in fine.* Non eſt omittendum hoc loco privilegium conceſſum ab Urbano Papa VIII. die 22. Decembris anno 1632., quòd noſtra Congregatio in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis etiam non propriis Congregationis, ſub noſtra tamen cura, & gubernatione exiſtentibus, Oratoria privata habere, noſtrique Præsbyteri Profeſſi in eis Miſſæ Sacrificium in perſonarum in dictis Orphanotrophiis &c. degentium & commorantium præſentia tam intra, quàm extra tempus Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ celebrare poſſint: *ut in Bullar. noſtro pag. 159.*

25. *Lib. 2. c. 8. n. 2.* Ne tamen ſpirituali commodo, quo ſubditi gaudent (ut nimirum de Superiorum licentia expiare peccata poſſint apud Confeſſarios etiam alterius Inſtituti) careant ipſi Superiores, neve ita eorum confeſſiones, ſi fiant extraneis, evadant irritæ, quòd facultatem ejuſmodi ſibi ipſis concedere nequeant; Sacra Congregatio negotiis Regularium præpoſita, die 25. Junii 1638. decrevit, ut Superiores (graduum ordine ſervato) ſibi invicem hanc facultatem impertiri poſſint; hoc eſt, locorum Præſides, ſeu Superiores locales à Viſitatoribus, ſeu Provincialibus, hanc impetrare poterunt facultatem. Viſitatores verò, ſeu Provinciales, & Procurator Generalis à totius Religionis Generali Præpoſito, qui tandem Generalis Præpoſitus ab eo Patrum numero, qui Congregationem Generalem repræſentat, eandem obtinere facultatem debebit. Nec tamen propterea obligantur iidem Patres Superiores ad hanc facultatem petendam toties, quoties ea nominatim indiguerint; ſed ſufficit eam ſemel petere, cùm onera ſibi injuncta aggredientur, eaque generaliter uti poterunt, quouſque munera ſibi impoſita abſolverint. *Bullar. noſtrum pag. 174.*

26. *Lib. 3. c. 6. n. 4.* Non poteſt Generalis diſpenſare cum minoribus annis quindecim. *Ex Decreto S. Congregationis ſuper ſtatu Regularium juſſu, & auctoritate Alex. VII. die 1. Junii 1655. ut in noſtro Bullar. pag. 180.*

27. *Ibid. n. 10. Repete mox dicta.*

28. *Lib. 3. c. 7. n. 27.* Huic §. de quovis Collegio pro Domo probationis Laicorum derogavit eadem S. Congregatio, quæ pro Noviciatu tum Clericorum, tum Laicorum in qualibet Provincia nominatim deſignat certa Collegia, extra quæ nemo legitimè tyrocinium Religioſum facit: *In Bullar. noſtro pag. 178.*

29. *Lib. 3. c. 8. n. 1.* Quamplura de Novitiis ad profeſſionem admittendis præcipit S. Congregatio decreto ſupra indicato ſub 1. Junii 1655. quæ ut maximi ſunt momenti, ita hic ob oculos ponere, operæ pretium futurum eſt. Recipiantur igitur ad profeſſionem Novitii, *ſub exacta tamen vita communi ad præſcriptum Regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſeu potiùs corruptela in contrarium introducta, ſervataque forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præcipuè Decretorum Sanctæ mem. Clementis Papæ VIII. nec non ſtatutorum prædictæ Congr.*

Quòd ſi aliquem ex dictis Novitiis ante profeſſionem à Religione diſcedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum ſubrogari poſſit, dummodo tamen in omnibus ſervetur forma ſuperiùs præſcripta.

Sed & illud omnino cavendum erit, ne à volentibus ingredi Religionem pro ipſo ingreſſu, nec poſt ſuſceptum habitum probationis pro admiſſione ad profeſſionem, vel alio quocunque prætextu, excepto victu, & veſtitu Novitii illius temporis, quo in probatione eſt, ab ipſo, vel ejus parentibus, aut propinquis, vel curatoribus aliquid accipiatur ſub pœnis per Sacros Canones, & Tridentini Concilii ſtatutis.

Cæterum ut prædicti Novitii poſtquam in Profeſſorum numerum, ut præfertur recepti fuerint, meliùs in bono ſpiritu, Regularíſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & confirmentur, ſtatim poſt Profeſſionem emiſſam, ſi in Conventu pro Noviciatu, ut ſupra, aſſignato, locus aderit ſecundi Noviciatus, ſeu Profeſſorii, ab eo, qua Noviciorum eſt, atque antiquorum profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus; ibi collocentur; ſi Collegium eos alere queat; ſin minùs, transferantur in aliud Collegium ex deſignatis pro Profeſſorio, ſeu ſecundo Noviciatu, ubi is locus cum requiſitis ad Noviciatum ipſum præſcriptis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur. Ita tamen ut, ſi prædicta Religio ex ſuarum Conſtitutionum, ſeu Inſtitutionum vigore majoris temporis curſu novos profeſſos intra Noviciatum detinere conſueſcat, illis in hac parte minimè derogatum eſſe intelligatur: & nihilominus permittitur Superioribus, ut idipſum facere poſſint, ſi rationi, ac Religioni magis expedire judicaverint.

In quo quidem Profeſſorio degant ſub regulis, & modo vivendi adhuc ſtrictiori; quam ſervent antiquiores Profeſſi; ita ut nec negotiis Collegii ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, nec alterius exterioris obedientiæ officium exercere debeant; ibique permaneant quinquennii ſpatio ad arbitrium Præpoſiti Generalis juxta præſcriptum Conſtitutionum Religionis. Quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt literarum ſtudiis operam navare ſub directione, & regimine Superioris, ac Magiſtri, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportet, quemadmodum ipſius Clementis Decreto providè ſancitum eſt.

Porro in Collegiis tam pro primo, quàm pro ſecundo Novitiatu, ut præmittitur, aſſignatis nec Præpoſitus, nec Novitiorum Magiſter deputetur, niſi ab ipſomet Præpoſito Generali cum toto corpore Definitorii: Familia verò conſtituatur ad præſcriptum Conſtitutionum ipſius Congregationis, & à Viſitatore amoveri non poſſit niſi de Præpoſiti Generalis conſenſu; neque in eis collocentur, niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, & Regularis Obſervantiæ, ac puritatis Regulæ ſtudioſi. Præcipuè verò caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſervare vitam communem, quæ in prædictis Collegiis ad Regulæ præſcriptum exactè obſervetur: indeque amoveantur, qui tam Sanctæ Ordinationi contradicere, aut quoquo modo ſe opponere auſi fuerint.

Ad extremum, Poſtquam Novitii in Profeſſorum numerum, ut ſupra, cooptati fuerint, Superiores Regulares, ad quos pertinet, illico Sacram Congregationem edoceant, ſupradicta omnia, & ſingula fuiſſe ad unguem adimpleta, & executioni mandata: alioquin pœnas in memoratis Decretis Clementis VII. fel. record. ſtatutas ſe ſubituros, ac novas licentias recipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos certò ſciant.

30. *Lib.* 3. *c.* 19. *n.* 13. Paul. V. conceſſit, ut ſinguli Presbyteri Profeſſi noſtræ Congregat. omnibus, & quibuſcunque perſonis degentibus, & commorantibus in Orphanotrophiis, Seminariis, Academiis, & Convictorum Collegiis ſub noſtra cura, regimine, & adminiſtratione exiſtentibus, extremæ Unctionis, nec non etiam tempore Paſchatis Reſurrectionis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrare queant. Alexander verò VII. Alumnos, & Convictores Collegiorum ſub noſtra cura, & regimine exiſtentium poſſe in Oratoriis, ſeu Cappellis eorundem Collegiorum, in quibus de licentia Sedis Apoſtolicæ poteſt celebrari Miſſa, confiteri Sacramentaliter ſua peccata Præsbyteris ab Ordinario approbatis, etiam Sæcularibus, ſi nollent confiteri Presbyteris noſtræ Congregationis. *Ex noſtro Bullar. pag.* 183.

ADDITAMENTUM XXXI.

CONSTITUTIONES URBANÆ FRATRUM ORD. MINORUM CONVENTUALIUM S. FRANCISCI.

OBSERVATIO CRITICA.

INter varias ſancti Franciſci Ordinis Congregationes celeberrima eſt illa, quæ FRATRES CONVENTUALES complectitur, & quidem ex primæva Seraphici Patris Inſtitutione originem ducere videtur. Ille enim vitam communem non eremiticam inſtituit, utpote Diſcipulos ſuos ſub uno Superiore congregans, atque veris obedientiæ, paupertatis & humilitatis præceptis imbuens. Unde Innocentius IV. ſummus Pontifex, omnes Viros Religioſos, ſub Regula ſancti Franciſci DEO militantes & vitam communem ducentes, appellavit CONVENTUALES, per publicam Bullam anno MCCL. datam, ad eoſdem diſtinguendos ab aliis vitam eremiticam & ſtrictiorem Regulæ obſervantiam ſequentibus. Immo poſtquam anno MCCCXXXVI. ſub Generalatu GERARDI DE ODONIS, ſurrexerunt varii Conventus in communi viventes & ſtrictiorem Regulæ obſervantiam ſequentes habitu & moribus ab aliis diſtincti, attamen & illi CONVENTUALIUM nomen nunquam uſurpabant, ſed OBSERVANTES & REFORMATI appellari maluerunt. Nec ſane, prævalentibus ubique ſtrictioris obſervantiæ Patribus, CONVENTUALES primævis ſuis privilegiis ſuffulti, ad unionem cum OBSERVANTIBUS & REFORMATIS ineundam adduci potuerunt, quamvis ſummus Pontifex Romanus Leo X. ſummoperè laboraverit, talem unionem maximè anhelant, quatenus nimirum omnes Religioſi Regulam ſancti Franciſci ſequentes, eandem arctius amplecterentur, præſertim quoad Evangelicam Paupertatem, & ſic ad STRICTIORIS OBSERVANTIÆ PATRES tranſirent, eorum Miniſtrum Generalem, pro unico totius Ordinis Seraphici legittimo Superiore agnoſcerent. Cùm vero CONVENTUALES privilegia jam dudum conceſſa derelinquere renuerint, neque à poſſeſſione bonorum temporalium deſiſtere voluerint; ſic ſummus Pontifex eoſdem à reliquis Franciſcani Ordinis Congregationibus ſeparavit, ipſiſque ſpecialem Miniſtrum Generalem conceſſit, cum quadam tamen reſtrictione. Nam, anno MDXVII. Bullam edidit, qua CONVENTUALIUM Miniſtrum Generalem quodammodo primario totius Ordinis Miniſtro ſubjecit, à cujus tamen ſubjectione liberatus, poſtea beneficio ſubſequentium Pontificum Romanorum & ipſe legittime electus, independenter CONVENTUALIUM FRATRUM Provincias hinc inde late patentes regit & gubernat, nulli niſi ſummo Pontifici Romano ſubjectus. Hac eſt famoſa illa Bulla unionis, cujus exordium: ITE ET VOS IN VINEAM MEAM: per quam, ſuppreſſis variis aliis Franciſcanorum Fratrum Congregationibus, nimirum: CÆSARINORUM, COELESTINORUM, CLARENINORUM, NARBONENSIUM, SPIRITUALIUM, AMADEORUM, COLLECTANEORUM; Sacer Ordo Seraphicus diviſus eſt in duas celebres Congregationes, & duobus diſtinctis Miniſtris Generalibus gubernatus. Nam, ad Congregationem STRICTIORIS OBSERVANTIÆ, & reliquæ omnes ſuprà nominatæ, adunatæ ſunt, & ſub ejuſdem Miniſtro Generali, arctiſſimam Regulæ

ſancti Franciſci obſervantiam aſſequi conantur, *cujus Congregationis Alumni aliquando* Observantes, Reformati, *&* Discalceati *nominantur. Taceo hic celeberrimam Capucinorum Congregationem*, *quæ gradatim creſcere cœpit; quod modò* Observantes *arctiſſima Regulæ obſervantia*, *& Alumnorum numero*, *ſi non ſuperet*, *ſaltem adæquet*, *proprio Miniſtro Generali gubernata*, *& ſupra quinquaginta Provincias complectens. Sed ut ad Conventuales redeamus*, *illi quidem jam ab aliis Sacri Ordinis Congregationibus ſeparati*, *& antiquis Privilegiis*, *circa retentionem bonorum temporalium*, *frui cupientes*, *rarò nova Monaſteria acquiſierunt*, *ſed & plurima antiqua ad* Strictioris Observantiæ *Congregationem tranſierunt*, *præſertim per Hiſpaniam*, *poſtquam nimirum Eminentiſſimus Cardinalis* Ximenes *negotia Hiſpanica ſolus ſub Rege tractare cœperat. Hinc exortæ æmulationes*, *inter utramque Congregationem*, *neque* Conventuales *reliquis cedere voluerunt*, *antiquitatem Ordinis præ ſe ferentes*, *& ideo præeminentiam ante* Strictioris Observantiæ *Miniſtrum Generalem prætendebant. Hæc ſane omnia fuſius tractantur ab Annaliſtis utriuſque Congregationis*, *Gonzaga & Wadingo. Notum quoque eſt*, *Reverendiſſimum* Conventualium *Miniſtrum Generalem*, *anno MDCXXV. inſignem librum edidiſſe ſub hoc titulo*: Speculum Status Religionis Franciscanæ: '*quo quidem jura*, *privilegia*, *& antiquitas Ordinis Conventualium dilucidantur*, *atque* Strictioris Observantiæ *Miniſter Generalis acriter arceſſitur*, '*ob uſurpatum totius Ordinis Seraphici Miniſterium Generale. Sopitis tandem inter Viros Religioſos talibus jurgiis*, *integer Ordo Franciſcanus in tres ſuprà nominatas Congregationes dividitur; atque cuilibet ſuus Miniſter Generalis independenter ab alio aſſignatur*, *ita ut tres quaſi diſtincti Ordines Religioſi*, *ſub Regula ſancti Franciſci DEO militantes*, *incedere ſoleant; habitu & moribus quodammodo diverſi. Interea* Conventualium Fratrum *Congregatio*, *etiam poſt factam à Leone X. ſuprà nominatam diviſionem*, *compoſita erat ex triginta ſex Provinciis; quarum tamen nonnullæ ſunt tantummodo Titulares*, *quales ſunt* Scotica, Hibernica, Anglica, Danica, Saxonica *&* Provincia Terræ Sanctæ; *prævalente apud iſtas Regiones hæreſi Lutherana*, *ſimul ac Calviniana. Atque*, *etiamſi aliæ Provinciæ ſint adeo diminutæ*, *quod paucos Conventus contineant*, *quales ſunt: Provincia Romaniæ ſolos tres Conventus complectens*, *totidemque Leodienſis*, *ſicuti Orientalis duos*, *& Tranſilvanienſis ſolummodo unum; attamen ſub obedientia Miniſtri Generalis numerari ſolent mille Conventus*, *& quindecim Millia Religioſorum utriuſque ſexus. Quod autem maxime adornat Ordinem horum* Conventualium Fratrum, *eſt*, *quod etiamnum hodie poſſideant Conventum Aſſiſienſem*, *ubi ſacrum Seraphici Patriarchæ ſancti Franciſci corpus ſummo cum honore conſervatur*, *magnâque cum veneratione à frequenti Populo colitur. Pari quoque modo retinent Paduæ conventum ſumptuoſiſſimum Magno Thaumaturgo ſancto Antonio ſacrum*, *ejúſque ſacris exuviis celebratiſſimum. Deinde Coloniæ Agrippinæ fruuntur numeroſiſſimo Conventu*, *cujus Eruditi Inquilini publicas Philoſophiæ & Theologiæ Cathedras in Alma Ubiorum Univerſitate poſſident*, *quam olim doctrina ſua illuſtravit Doctor ille ſubtilis Beatus* Jonnes Duns Scotus, *ibidem ſumptuoſiſſimo ſepulchro honoratus*, *cujus doctrinam verè ſubtilem & Marianam ſequuntur in ſcholis omnes reliquæ ſacri Ordinis Seraphici Congregationes*, *quamvis & ipſe Conventualium Alumnus extiterit. Adeoque* Fratres Conventuales *conſtituunt antiquiſſimam & celeberrimam ſacri Ordinis Seraphici Congregationem*, *pietatem & doctrinam ubique excolentes*, *atque in celeberrimis orbis Catholici Academiis primarias Cathedras occupantes. Et quidem*, *quamvis ex variis ſummorum Pontificum Privilegiis*, *poſſideant*, *quoſdam annuos redditus*, *nec Paupertatem Evangelicam adeo ſtricte obſervent ſicut reliqui Franciſcani*, *attamen & Regulam ſancti Franciſci quodammodo mitigatam*, *& ab* Honorio III. *confirmatam ſequuntur*, *juxta quam ſequentes Conſtitutiones conditæ ſunt. Hanc ſane Regulam ſupra relatam iterum adducere ſupervacaneum foret*, *ſufficit enim ejuſdem confirmationem à prædicto Honorio III. Papa factam proferre*, *cui etiam ſubjungimus verba exhortatoria ſancti Franciſci ad Fratres prolata*, *ùt videtur*, *quando hæc eadem Regula ſolenniter confirmata erat; ſaltim illa confirmationi ſequenti ſubjuncta ex Archivo Conventus Aſſiſienſis*, *edidit Reverendiſſimus Felix Franceſchinus univerſi Ordinis Fratrum Conventualium Miniſter Generalis*, *& ſequentium Conſtitutionum Propagator Zeloſiſſimus.*

Bulla Confirmatoria Domini Papæ Honorii III. ſuper Regulam Secundam Fratrum Minorum.

Honorius Epiſcopus ſervus Servorum DEI, dilectis Filiis, Fratri Franciſco, & aliis Fratribus de Ordine Minorum, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Solet annuere ſedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium deſideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino Filii, veſtris piis precibus inclinati, Ordinis veſtri Regulam à bonæ memoriæ Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro approbatam, annotatam, præſentibus auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, quæ talis eſt: (*ſequitur Regula, quæ exſtat paginâ hujus tomi* 30.) Nulli ergo omnino hominum liceat paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris. Pontificatûs noſtri anno octavo.

Verba B. P. N. Franciſci exhortatoria ad Fratres.

O Dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti Filii audite me, audite vocem Patris veſtri.

Magna promiſimus:
Majora promiſſa ſunt nobis:
Servemus hæc:
Suſpiremus ad illa:
Voluptas brevis:
Pœna perpetua:
Modica paſſio:
Gloria infinita:
Multorum Vocatio:
Paucorum electio:
Omnium retributio:

Fratres, dum tempus habemus, operemur bonum. *Gal.* 6.

Ex Regula igitur S. Franciſci ſic mitigata & confirmata ſuas Conſtitutiones condiderunt Fratres Conventuales, *quos ſummo Pontifici Romano Urbano VIII. obtulerunt, qui & eaſdem anno MDCXXVIII. per authenticam Bullam confirmavit; à quo Pontifice & hæ Conſtitutiones appellantur* Urbanæ. *Circa idem quoque tempus erant apud Italos quidam* Fratres Conventuales *ſtrictam Regulæ Seraphicæ obſervantiam ſequi contendentes, ſed antiquos Monaſteriorum fundos & redditus poſſidentes; quos tamen idem Urbanus VIII. Papa ſuppreſſit, anno MDCXXVI. præcipiens, ut, tales* Fratres Conventuales Reformati, *vel Congregationi ſtrictioris obſervantiæ, vel Capucinis adjungerentur; Conventuum verò redditus ad* Veteres Fratres Conventuales *redirent, quibus & hanc ſequentem Bullam conceſſit.*

Bul-

Bulla URBANI VIII. Papæ, confirmans ſequentes Fratrum Minorum Conventualium Conſtitutiones.

URBANUS Papa VIII. ad Perpetuam Rei memoriam.

Militantis Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus, per abundantiam divinæ gratiæ præpoſiti, inter graviſſimas, multiplicéſque Apoſtolicæ ſervitutis curas, in eam peculiari ſtudio jugiter incumbimus, ut qui abjectis vanitatibus huic temporali vitæ renunciarunt, charitatémque ſectantes, & ſpiritualia æmulantes divini numinis ſe obſequiis manciparunt, ſub providè, atque ordinatè editis ſtatutis feliciter regantur, atque gubernentur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Felix Franciſchinus de Caſcia Miniſter Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, quòd in proximè præterito ipſius Ordinis Capitulo Generali de anno MDCXXV. celebrato pro feliciori ipſius Ordinis, ejuſque Fratrum progreſſus, ac diſciplinæ regularis obſervantia, novæ ipſius Ordinis Conſtitutiones Urbanæ nuncupatæ in unum volumen compilatæ fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, pro majori earundem Conſtitutionum validitate, atque obſervantia, dictus Felix plurimùm cupiat illas Apoſtolicæ confirmationis patrocinio communiri, &, aliàs per Nos, ut infra, provideri, Nos, qui Conſtitutiones ipſas per dilectum filium Jacobum Creſcentium Monaſterii Abbatiæ nuncupatæ S. Euthitii, S. Benedicti, ſeu alterius Ordinis Spoletan. dictorum Commendatarium diligenter examinari, & revideri juſſimus, piis dicti Felicis votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, illumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis. à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium duntaxat conſequendarum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones hujuſmodi in unum volumen compilatas, ac de mandato noſtro examinatas, & reviſas, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Omnes verò, & ſingulas alias dicti Ordinis Conſtitutiones in antea factas etiam auctoritate Apoſtolica roboratas in iis, quæ præſentibus repugnant, & quæ annis proximè præteritis pro reformatione Fratrum dicti Ordinis Regni Poloniæ factæ fuerunt, revocamus, caſſamus, & annullamus, viribuſque, & effectu evacuamus. Decernentes, Conſtitutiones hujuſmodi compilatas, ac de mandato noſtro examinatas, & reviſas, ut præfertur ab omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Fratribus, cæteriſque perſonis ſub pœnis in illis contentis inviolabiliter perpetuò obſervari debere, ſicque & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenore præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum in Arce Gandulphi Albanenſis diœceſis ſub Annulo Piſcatoris, die 15. Maij MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

M. A. Maraldus.

CON-

CONSTITUTIONES IN CAPUT I. REGULÆ.

De Titulo, Stemmate, & Sigillo Ordinis.

TITULUS I.

1. SERAPHICUM Patrem noſtrum S. Franciſcum; Divino lumine afflatum, Ordinem ſuum ſub titulo Fratrum Minorum inſtituiſſe, hocque nomen delegiſſe, nè fratres ſui (ut D. Bonaventura teſtatur) de ullo dignitatis gradu contenderent, neque honorificum nomen ſibi vendicarent, ſed omnibus, ſalvo DEI honore, ſe ſubiicerent, & ad temporalem magnitudinem non aſpicerent, ſatis compertum eſt.

2. Huic autem in ipſis quaſi primordis Religionis ex Apoſtolica auctoritate nomen Conventualium acceſſit, quod uſque hodie apud nos perſeverat, Id verò nihil aliud, quàm Minorum Fratrum ad unam Regulam, unamque Vitæ Communitatem Uniformem animum ſignificat.

3. A quibuſvis ergo Ordinem ipſum Minorum Conventualium, ipſoſque Fratres Minores Conventuales S. Franciſci perpetuò decretum eſt appellari, quòd ſi quis ſecus temerè, & pertinaciter præſumpſerit, ipſo factò excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrat.

Stemma. 4. Sacrum verò Religionis Stemma Rubea, ſimplicive Cruce inter Chriſti Domini, Divique Patris Franciſci Brachia decoretur. Æquum eſt enim; eadem inſignia venerari, quibus ubique terrarum Ordinis noſtri Vexilla feliciter prodierunt. Nemini tamen ſupra gentilitium hoc Stemmate uti licebit; Miniſtro Generali, & Ordinis Procuratore pro tempore exiſtentibus duntaxat exceptis.

Sigillum majus. 5. Sigillum quoque Religionis majus, quo ad hæc uſque tempora uſi ſunt Generales Ordinis Miniſtri, inviolatum permaneat. Apparet in ipſo Paracliti Spiritus ſuper Sanctiſſimam Virginem, & ſuper Apoſtolos Domini in igneis linguis miranda miſſio, quæ Die Sacratiſſimo Pentecoſtes Hieroſolymis contigit In Calce Seraphici Patris figura à medio ſurſum, extentis brachiis, & in extrema inferiori parte Religionis Inſignia. Inſcripta ſunt & hæc verba circa. *Sigillum Miniſtri Generalis totius Ordinis Minorum Conventualium.* Hoc verò utatur Generalis Miniſter in diplomatibus, ac patentibus (ut ajunt) literis. Sigillum majus.

6. Minoris autem Sigilli (In quo divi Patris Franciſci à Chriſto Domino Sanctiſſima Stigmata recipientis, ſacra figura cernitur) hanc inſcriptionem circa extremas circuli partes habentis. *Sigillum Generalis Fratrum Minorum Conventualium;* uſus continuus ſit in obedientialibus, & miſſivis, ſeu familiaribus epiſtolis. Sigillum minus.

7. Stemmatis verò, ac utriuſque Sigilli Imagines, quò ſingulis notiores fiant, hic impreſſas porrigimus.

De Regula Ordinis.

TITULUS II.

Text. *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt.*

1. QUoniam ſeraphicæ Regulæ textus his Conſtitutionibus jure præmiſſus ex originali, quod Aſſiſii in ſacro noſtræ Eccleſiæ Reliquiario pia veneratione ſervatur verbatim excerptus eſt, propterea ſi quis eum ullo unquàm pacto immutare, ſeu quomodolibet innovare præſumpſerit, falſi pœnam ſtatim ſe ſubiturum ſciat. Proindeque ad tantum nefas vitandum, Miniſtris provinciaIib. nec non Superioribus quibuſcunque, ad quos id negotii attinet, ſeu ullo unquàm tempore ſpectabit, diſtrictè mandatur, firmiterque præcipitur, quatenus hujus præſcripto cætera Regulæ exemplaria conformari quàm diligentiſſimè curent. Tex. Regulæ originalis ubi. Alia exemplaria originali conformanda.

2. Ad eorum verò temeritatem coercendam, qui dicteriis, captioſiſque verbis ordinem inſequentes, Regulæ transgreſſores Conventuales vocant, quòd non ad literam ſine gloſa, ſed ad præ- Conventuales veri ſeraph. Reg. obſervatores.

præſcriptum privilegiorum, Apoſtolicarumve declarationum ſancti Franciſci inſtitutum obſervent. Monemus omnes, & ſingulos, quòd quiſquis, ſeu dictis, ſeu ſcriptis Fratres Minores Contuales, juxtra has Conſtitutiones viventes, non eſſe veros Regulæ ſancti Franciſci obſervatores, auſus fuerit quoquomodo aſſerere, mox Apoſtolicæ Sedis excommunicationem ſeſe incurrere ſciat.

Regulæ confirmatio, & declaratio.

3. Cum enim neminem aſtringere poſſit ſancti Franciſci Regula, niſi quia à Summis Pontificibus, & Apoſtolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hanc ob rem ipſius ſanctiſſimæ Sedis arbitrio eſt, eam pro tempore ſic declarare, mitigare, interpretari, & quòd fratres ſic declaratam firmiter, & fideliter obſervantes, veri filii ſint, & ſancti Franciſci ſequaces, ejuſque ſanctiſſimæ Regulæ profeſſores, & ſervatores ſtatuere. Quare contra Conſtitutiones, & declarationes hujuſmodi, quidpiam attentare, ſive præſumere unuſquiſque facile intelliget, quàm temerarium ſit.

De Conſtitutionibus.

Titulus III.

1. Legum, atque Conſtitutionom multiplicitas cùm ordinem potius, quàm ſtatuat, omninò pervertat, hinc eſt, quòd ex omnibus majorum noſtrûm Conſtitutionibus, & ordinationibus, ſtatutis, ac decretis, etiam Pontificiis præcipua qoæque libantes, & in unum colligentes, in proximo Generali Capitulo celebrato die 17. Maij 1625. præſentes Conſtitutiones de omnium Patrum conſenſu ſancivimus, ac ſtabilivimus. Quas uti nutu, & auctoritate Piiſſimi Pontificis, ac de ordine noſtro optimè meriti URBANI Papæ VIII. conditas: ita glorioſo ejus nomine inſignitas in lucem prodire decrevimus. Placuit proinde Sanctitati ſuæ, omnes, & quaſcumque alias Conſtitutiones, & Ordinationes, tùm quas Farinerias, Alexandrinas, & Pias vocant, ſive quocunqoe alio nomine appellentur, tùm cœtera omnia ſtatuta, & Decreta etiam Pontificia (favorabilibus tantùm, aliiſque Privilegiis exceptis) penitus caſſare, abrogare, & anoullare, ad eorumque obſervantiam nequaquam teneri Fratres poſt promulgationem iſtarum Conſtitutionum voluit, & declaravit; eò vel maximè, quòd iſtis ſingula pœnè, quæ in illis continentur Sacræ Tridentinæ Synodi, Prædictorum Summorum Pontificum Ordinationibus, nec non receptæ, & approbatæ conſuetudini non adverſantia, inſerta, innovata, & opportunis locis adjuncta ſunt.

Aliæ quæcumque Conſtitutiones abolentur.

2. Cum itaque harum URBANARUM Conſtitutionum ſalutaris promulgatio facta fuerit, eo ipſo Fratres omnes, & ſinguli, cujuſcunque gradus, ſtatos, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, quavis conſuetudine, aut Privilegio contrarium quocumque humano prætextu non obſtante, ad earum obſervantiam perpetuò teneri decretum eſt.

Urbanarum Conſtitutionum promulgatio.

Vigor.

3. Novas Conſtitutiones, niſi gravi de cauſa, fieri prohibemus, quòd ſi quidpiam pro temporum varietate denuò ſtatuendum ſit, à ſolo Capitulo Generali ſtatuatur, hoc ordine ſervato, videlicet. Proponat Miniſter Generalis, an placeat Patribus, ut ad exactiorem Regularis Diſciplinæ cultum, & commune Religionis decus aliquæ novæ ferantur, ſeu ex veteribus aliquæ abrogentur Conſtitutiones, mox per ſecreta ſuffragia quiſque ſuam explicabit ſententiam, quòd ſi ex quatuor, tres partes conſenſerint; & ſi ſecus; nequaquàm. Condita nova lege, ſeu ea, quæ abroganda videbatur, abrogata, iterum proponatur, an placeat. Et per ſecreta iterum ſuffragia, quilibet ſenſum ſuum aperiat. Tum denique receptæ leges his conſtitutionibus inſerantur, vel abrogatæ, tollantur, petita prius, & obtenta ab Apoſtolica Sede ſpeciali earum confirmatione.

Novæ Conſtitutiones non condantur, vel quomodo.

4. Quotcunque verò novæ Conſtitutiones, ſeu Generalium Capitulorum ordinationes iſtis addantur, nullis unquàm perpetois futuris temporibus cuivis, etiam Generali Miniſtro, ſive Capitulo Generali liceat earum titulum, ſeu nomenclaturam quoquo pacto mutare, ſed ipſomet URBANARUM Conſtitutionum illæſo titulo, additio, vel abrogatio fiat, notatis dumtaxat Capitulis, & in quibus aliquid fuerit innovatum, hiſce, vel conſimilibus verbis. Reformatæ, ſeu innovatæ, ſive abrogatæ in Capitulo Generali noſtro celebrato Die &c. Anno &c. Sancitum eſt etiam, ut quemadmodum Generales Conſtitutiones à ſolo Generali Capitolo, ita ſtatuta Provincialia à ſolo Provinciali Capitulo, ſeu Capitulari (ut ajunt) Congregatione fieri poſſint. Inferioribus autem Prælatis non niſi temporarias Ordinationes, ſeu præcepta facere liceat,

Conſtitutionum tit. non mutetur.

Si ratio exigat, à quibus novæ Conſtitutiones faciendæ.

Qui præcepta ſtatuere queant.

ceat, ut infra dicetur. Quæ tamen facere licebit etiam Generali, ac Provincialibus Miniſtris.

De Statutis Provincialibus.

TITULUS IV.

StatutaProvincialia quo pacto vim adipiſcantur.

1. Cùm itaque varii diverſarum Provinciarum mores, variæque conſuetudines, varia quandoque ac peculiaria ſtatuta neceſſariò exigant; idcirco (ùt præmiſſum eſt) Capitulis Provincialibus aliqua Decreta, quæ Provincialia nuncupentur, ſtatuere permiſſum eſt. Ut autem hujuſinodi Statuta, ſeu Provincialia Decreta effectum ſuum conſequi valeant, à Generali Capitulo infraſcripto ordine approbanda ac confirmanda erunt; factis enim hiſce Decretis, quæ neceſſaria, vel ſaltem congrua & utilia viſa fuerint, duo ex illius Provinciæ inſignioribus Patribus, qui ad hoc idonei ſint, eligantur, à quibus ea ſtudioſè ac diligenter perlegantur, Patribúſque Generalis Capituli proximè celebrandi eorum neceſſitas vel congruentia pro illa Provincia referatur; à quibus ſi approbata fuerint, deinceps perpetuò ejus Provinciæ Fratres ad obſervantiam illorum aſtringant, aliàs nullius ſint roboris & valoris, quavis alia facultate, aut prætenſa conſuetudine in contrarium non obſtante. Quòd ſi adeo ſalutaria videantur, ut eorum obſervantia, non illi Provinciæ modò, ſed toti Ordini ſplendorem & utilitatem allatura foret; hiſce Conſtitutionibus, velut ſi Generalis Capituli ſanctiones eſſent, inſeri poterunt, eo penitus ordine, quo ſupra.

Statutorum Provincialium approbatio.

Approbationis teſtimonium, Liber Actuum Provinciæ. Statuta, & eorum approbationes regiſtrentur.

2. Cúmque Statutorum Provincialium approbatio & obſervantia à Generalis Capituli Decretis (ùt præfertur) pendeat, poſt ipſum Generale Capitulum mox Provinciales Miniſtri curabunt, ut actus approbationis hujuſmodi ſigillo Religionis munitus, & ſubſcriptione Secretarii Ordinis, eorúmque Patrum, quibus reviſio demandata fuerit, firmatus, ſibi tradatur, ut poſtmodum in libro ad hoc deputando, qui Actuum Provinciæ nuncupetur, & in Archivio Provinciæ aſſervando, & ipſa Statuta & Actus approbationis eorum deſcribantur, & conſerventur.

Statuta Provincialia non mutanda.

3. Exinde verò, niſi ex urgentiſſima cauſa, ipſa Decreta mutari, ſive deleri vetitum eſt; mutata verò vel innovata denuo à Generali Capitulo approbari, & à Miniſtris Provincialibus regiſtrari curetur.

De Præceptis, & Ordinationibus.

TITULUS V.

Temporaria Superiorum præcepta.

1. Quicunque verò inferiores Ordinis Prælati, ſive Superiores juſtis de cauſis temporaria præcepta (dummodo Conſtitutionibus Generalibus, & Statutis Provincialibus non adverſentur, nec Decretis Pontificiis, aut animarum ſaluti contraria, ſed licita, honeſta, diſcreta, atque rationabilia ſint) propria auctoritate ſancire poſſint; ad eorúmque obſervantiam ſubjecti quicunque Fratres arctiſſimè teneantur. Contrà facientes autem, & tranſgreſſores in Capitulo cul parum pro modo culpæ, & aliàs quoque (ùt animarum curæ ſalubriter in Domino expedire videbitur) compeſcere poſſint, & punire.

Tranſgreſſores præceptorum puniendi.

Temporaria præcepta qualiter ferenda.

2. Caveant tamen, ne rigorosè adeò & inconſultò hujuſmodi Ordinationes ſtatuant, ut paſſim levi quacunque ex cauſa ſub excommunicationis pœna, ſeu ſub Eccleſiaſticis cenſuris, ſive ad meritum ſalutaris obedientiæ præcipiant, ſi autem vel rei magnitudo id poſtulet, vel neceſſitas urgeat, iis pœnis ſuo libitu (prout opus fuerit) uti poſſint. Ceſſante autem præſatorum Superiorum officio, & ipſa præcepta, ſive univerſalia vel communia, ſive privata & particularia ſint, penitus ceſſent, nullámque vim ſeu robur deinceps habeant.

Præcepta Superiorum quando vim amittunt.

De Obedientia in genere.

TITULUS VI.

Tex. *Vivendo in Obedientia.*

Obedientiæ votum.

1. Totius regularis ædificii fundamentum, primariámque baſin, Obedientiam eſſe, adeò liquidò conſtat, ut hac una virtute à Religioſis contempta, totam Religionem labi neceſſe ſit; ne verò ex ignorantia cuipiam errare contingat, quæcunque ad Obedientiam ſpectant, hoc titulo ſtatuta ſunt.

Ad Obedientiæ votum quid pertineat.

2. Ad Obedientiam igitur pertinent Regula ipſa, præſentes Ordinis Conſtitutiones, Statuta Provincialia ut ſupra approbata, Ordines, Inſtitutiones, Decreta quæcunque, & quotidiana Superiorum vivæ vocis mandata, quorum omnium primò vim, & diſcrimina, ac deinceps præſcriptas tranſgreſſoribus ſpirituales & temporales pœnas nobis ſingillatim oportet.

Vota, & Regulæ qualiter obligent.

3. Tria vota, & Regulæ præcepta ad mortalem culpam obligant (iis duntaxat

taxat, ſuper quibus fuit vel fuerit à ſancta Sede Apoſtolica expreſsè vel virtualiter diſpenſatum, exceptis). Quod autem reliquum eſt in Regula (modò formalis & verus contemptus abſit) venialem tantùm culpam inducit.

Conſtitutiones qualiter obligent.

4. Itidem & Conſtitutiones, & Decreta tam Generalia, quàm Provincialia in iis, quæ verè præcepta ſunt, & quæ immediatè ad votorum & præceptorum Regulæ obſervationem conducunt, ad mortale obſtringunt; in reliquis verò ad veniale ſolummodo. Idem enim obſervantiæ rigor Conſtitutionibus debitus eſt, qui Regulæ ipſi debetur.

Superiorum præcepta qualiter obligent.

5. Quæ verò à Superioribus Ordinis ſtatuuntur Præcepta, Ordines, Decreta, ſi ad meritum ſalutaris obedientiæ, vel in virtute ſancti Spiritus, vel ſub pœna indignationis divinæ, aut excommunicationis latæ ſententiæ, vel ſuſpenſionis à divinis injunguntur, & res in ſe gravis ſit, & magni momenti (ùt ſuprà dictum eſt) ad mortale non modò obligant, ſed tantæ contumaciæ reus gravi pœna plectendus eſt. At ſi tertiò monitus, in eandem culpam relabatur, quibuſvis legitimis actibus privandus, ad quos non niſi à Generali Miniſtro reſtitui poſſit.

Officiorum Tabula.

6. Ad conſervandam verò ac promovendam obedientiæ perfectionem adeo regulari diſciplinæ neceſſariam, præcipitur Fratribus, ut eorum Superioribus in quibuſvis rebus non modò gravioribus, ſed & levioribus promptè obediant, & evocati ſigno ad communes actus, ſtatim conveniant, & quibuſvis muniis ſeu officiis per communem (ùt ajunt) tabulam ſive in Eccleſia, ſive in Choro, ſive in Dormitorio & Cellis, ſive in Refectorio, Clauſtro, & ubicunque eis injunctum fuerit, omni reverentia perfungantur.

De Obedientia debita ſummo Pontifici

TITULUS VII.

Tex. *Frater Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ &c.*

1. EX ſpeciali promiſſo, quod ſummo Pontifici, & ſacroſanctæ Apoſtolicæ Sedi fecit Seraphicus Pater, in quo vovente univerſi Minores Fratres voverunt, tenentur omnes & ſinguli non ſolùm jure Chriſtiano, & Domini noſtri JEſu Chriſti Decreto, ſed regulari etiam voto, & ſpeciali Seraphici Patris promiſſo ipſi ſummo Pontifici canonicè intranti, & Eccleſiæ Romanæ obedientiam & reverentiam exhibere. Subſunt itaque Fratres, ut Chriſtiani quibuſvis Pontificiis ſanctionibus, ni ſpecialiter eximantur, & ut Minores in hoc præſertim tenentur, ut Apoſtolicæ Sedi, & ſacris ejus Congregationibus in omnibus Decretis ad Regulam declarandam, modificandam, reformandam, & quovis alio modo pertinentibus reverenter obediant.

Summo Pontifici, & ſacræ Congregationi obediendum.

2. Ad cognoſcendum itaque Romanorum Pontificum, nec non ſacrarum Congregationum Decreta, diſtrictiùs injungitur Ordinis Procuratori pro tempore apud Romanam Curiam exiſtenti, quatenus Diplomata omnia, omnia Decreta, ſive ſanctiſſimi Domini noſtri, & præfatarum Congregationum Oracula ad Religionem noſtram præcisè, ſeu ad nos quomodolibet cum omnibus aliis Regularibus, aut quovis alio modo ſpectantia, in forma authentica probata diligenter conquirat, & ſingulorum exemplaria in Archivio Religionis reponi curet, nec non ad Miniſtros Generalem, ſingulóſque Provinciales ſingula in ſuis Provinciis quamprimùm tranſmittat, ut ab iis, quibuſcunque eorum Provinciæ Fratribus notificentur, ut fideliter ac diſtinctè, quid mandetur, quidve prohibeatur, quid concedatur, quidve revocetur explorantes, præcepta ſequi, prohibita vitare, conceſſa grato, revocata æquo (ut par eſt) animo excipere queant. Si verò Procuratoris Ordinis in mittendis ejuſmodi Decretis, vel Provincialium in iis promulgandis notabilis negligentia deprehendatur, à ſuis officiis deponantur.

Procurator Ordinis Sum. Pont. & S Congr. Decreta ad Provincias omnes tranſmittat.

Provinciales Miniſtri Decreta promulgent.

De Obedientia debita Capitulo Generali, & Provinciali.

TITULUS VIII.

1. GEneralis Capituli ſanctionibus, & præceptis ſinguli obedientiam, nemine prorſus excepto, præſtare teneantur, à qua nec ipſe Generalis Miniſter exemptus ſit, niſi ſpecialiter à Generali Capitulo eximatur, qui nec auctoritate ſua præcepta hujuſmodi abrogare, niſi in his, quæ ejus prudentiæ ab eodem Capitulo commiſſa fuerint, ullo pacto valeat.

Generalia quando non ſubjacere Generalis Capituli Decretis, & quando poteſt ipſe abrogare.

2. Provinciales verò Ordinationes ſingulos ejus Provinciæ Fratres, etiam Pro-

Provincialis Statutis Provinciæ

libus quando non ſubjacet, & quando poteſt ipſa abrogare.

Provincialem Miniſtrum (niſi fortè ab ipſo Capitulo immunitatem haberet, & exemptionem) obſtringunt. Nec aboleri poſſunt, niſi per ejusdemmet Provinciæ Provinciale Capitulum, ſive ab ipſo Provinciali in iis duntaxat; quæ ſuæ diſpoſitionis recto judicio ab eodem Capitulo demandata ſunt.

De Obedientia debita Miniſtro Generali & Provinciali, Cuſtodibus, & Guardianis.

TITULUS IX.

Text. *Alii Fratres teneantur Fratri Franciſco, & ejus Succeſſoribus obedire.*

Generali Miniſtro quinam immediatè ſubjaceant.

1. MIniſtro Generali immediatè ſubduntur quicunque Provinciales Miniſtri, Guardiani omnes de ejus menſa, delegati ab ipſo, in actu tantummodo delegationis, Procurator, Socius, & Secretarius Ordinis, & quicunque alii de ipſius familia; mediatè verò omnes & ſinguli Fratres.

Provinciali Miniſtro quinam ſubjiciantur, & quomodo.

2. Miniſtro autem Provinciali immediatè ſubſunt Cuſtodes, Guardiani, & Delegati ab ipſo, in actu delegationis duntaxat; mediatè verò omnes & ſinguli ſuæ Provinciæ Fratres. Itaque quo debito tenentur Fratres omnes Religionis Miniſtri Generalis ſanctionibus, & præceptis parere, eo pariter & ſinguli Provinciæ Fratres Miniſtri Provincialis Ordinibus, mandatis obedire tenentur.

Cuſtodi quinam ſubjaceant.

3. Cuſtodi præcipienti omnes ſuæ cuſtodiæ Fratres obedire tenentur in his, quæ ad Cuſtodiatus officium pertinent, de quibus infrà propria Conſtitut. ſermo erit.

Guardiano ſubjecti.

4. Guardiano verò omnes & ſinguli, qui in Conventu, cui præeſt, commorantur, ſive de familia ſint, ſive non, ſed viatores, vel aliis quibuſvis detenti negotiis.

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT II. REGULÆ.

De Seminariis.

TITULUS I.

AD novellas juniorum plantas in Religione ad Dei cultum, ac Seraphicæ Regulæ, Conſtitutionúmque obſervantiam ſanctiùs alendas, habeat unaquæque Provincia duo ad minus Seminaria: Primum, ubi juniores Novitii in probatione, & ad decimum ſeptimum uſque ætatis annum expletum ſub ſolertis Magiſtri diſciplina & inſtitutione degant, quod *Novitiatus* appellari ſolet: Secundum verò, ubi cæteri à decimo octavo inchoato, uſque ad vigeſimum primum pariter expletum, ſub peculiaris item Magiſtri diſciplina commorentur, & hoc Profeſſatus nomen apud Noſtros ſortitur.

Primum Seminarium.

Secundum Seminarium.

De Conventibus, ubi Seminaria erigenda fuerint.

TITULUS II.

Conventus Seminariorum quales. Clem. VIII.

COnventus, in quibus Seminaria hujuſmodi fuerint erigenda, inſigniores ſint, ac cæteris locupletiores, magisque juxta Clementis VIII. Decreta reformati; ſit in eis certus ac præfinitus tam Profeſſorum, quàm Novitiorum numerus, qui nec infra ſenarium, nec ſupra vigeſimum ſit. Fratres ibi de ſamilia commorantes tales eſſe debent, ut exemplari eorum vita ad regularem obſervantiam ipſi Novitii allici queant. In quo quidem Generalis Miniſtri, aliorúmque reſpectivè Superiorum conſcientias oneramus. Prælati verò, qui loca & Magiſtros Seminariis non deputaverint, aut aliquos in eis extra Seminaria abſque Magiſtro vel Socio vagare permiſerint, privationis officiorum pœnam ipſo facto incurrant.

De forma & qualitate loci Seminariorum.

TITULUS III.

Seminariorum loca.

1. UTriuſque Seminarii locus propria clauſura ab ea parte Conventus, & Monaſterii, in qua alii Fratres ibidem commorantes degunt, ſegregatus ſit,

Clemens VIII. Locus ad ſpirituales collationes

habeátque tot ad dormiendum ſeparatas cellulas, quot erunt numero Novitii, ſive Profeſſi, vel dormitorium ita capax, ut pro ſingulis ſinguli lectuli ſterni poſſint, in quo etiam cellula, (vel certus ac determinatus locus pro Magiſtro, ejúſque Socio reperiatur.

Ad lectiones. Clemens VIII. Locus item calefactionis.

2. In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructionéſque Magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igni communi recipiant.

Oratorium. Clemens VIII.

3. Adſit & Oratorium ſeu Capella ad Novitios vel Profeſſos in ſpiritualibus præſertim cæremoniis, Eccleſiaſticiſque functionibus, ut putà oratione vocali & mentali &c. exercendos.

Hortus.

4. Hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem bene conclufus atque munitus adſit, ſin minùs, hortum cæteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipſis verò Novitiis vel Profeſſis ibi commorantibus curabit Magiſter cum loci Superioris auctoritate (ſi opus fuerit) ne in eundem quiſpiam alius ingrediatur.

Clemens VIII.

Officinæ.

5. Adſint prǽterea (ſi commodè fieri poterit) opportuniores aliæ officinæ, utpote veſtiarium, locus lignorum, & tonſuræ &c. In omnibus autem præfatis locis quàm maximè invigilet Magiſter, ut nitor & munditiæ perpetuò colatur.

Cellæ quænam, & quales.

6. Novitiorum & Profeſſorum hujuſmodi cellæ ſanctam paupertatem, & quoad altitudinem & latitudinem, & quoad omnia præſeferant. Oſtium nullis clavibus, vel aliqua clauſura muniatur, ſed peſſulo tantùm ligneo intùs obſeretur, foriſque, ut aperiri poſſit, funiculus pendeat.

Cellarum oſtia.

7. Sit autem unumquodque cellarum hujuſmodi oſtium in medio perforatum tanta capacitate, ut à Magiſtro commodè per illud foramen perſpici poſſit, quidnam in cella Novitius vel Profeſſus agat, an oret, an ſtudeat, ſive aliud quidpiam (quod Religioſum decet) exerceat. Ac ut hujuſmodi ſalutaris introſpectio liberiùs fiat, tenuem aliquam tabellam ad extrinſecam oſtii partem ipſi foramini ſuperponendam eſſe ſtatuimus.

Cellarum ſupellex.

8. In his autem cellis lectiſternium ligneum ſimpliciſſimi operis ſtatuatur, lectulúſque ſanctæ paupertatis ſtatui conveniens ſuperaddatur, tantæque ſit amplitudinis, ut unum commodè duos nequaquam capiat, linteamina parvula duo ad immunditiam evitandam, ſtragula quoque, vel lodices laneæ pro temporum varietate atque neceſſitate haberi poſſint.

Cellarum uniformitas

9. Ampliùs in ipſis collocanda erit ex ſimpliciſſimo aliquo ligoo menſula ad pios aliquot & ſpirituales capiendum libros, lucerna, ſcabellum, genuflexorium, & aquæ benedictæ vaſculum, ſummáque adhibeatur diligentia, ut Novitiorum & Profeſſorum cellæ in omnibus uniformes omnino ſint.

Nulli ad Seminaria aditus. Clemens VIII.

10. Ad hujuſmodi verò Seminariorum loca nemini ejuſdem, vel alterius Ordinis Regularis etiam Conventus & Monaſterii Officiali ullo unquam tempore ſub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magiſtro, ejúſque Socio, ac etiam Monaſterii aut Conventus Superiori, ſi quando ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimaverit, quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus Conventus vel Monaſterii Patribus ſocium aſſumat.

Seminariorum claves. Clemens VIII.

11. Hujus loci clauſuræ clavis apud Magiſtrum ſemper aſſervetur, illique ſoli liceat ex gravi tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere; ſi quis autem Novitiorum vel Profeſſorum quempiam alloqui voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur. Præcipitur autem Provincialibus quibuſcunque Miniſtris, ut raro licentiam egrediendi è Seminariis ipſorum Seminariorum Alumnis concedant: Nonurgenti vitiiſque præſertim non niſi ob graviſſimas, eáſque legitimas cauſas; habita tameo temporis ac diuturnitatis ratione, ac inevitabili caſu urgente, ut infirmitatis, vel conſimilibus liberè eam in Domino concedere queant.

Seminariorum Alumnis egreſſus urgenti tantùm ex neceſſitate concedendus.

De electione, & qualitatibus Magiſtrorum pro Seminariis.

TITULUS IV.

Magiſter Novitiorum & Profeſſorum qualis.

1. NOvitiorum, ſive Profeſſorum Magiſter Sacerdotali ordine ſit initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus, & qui per decennium à profeſſione emiſſa in Religione perſtiterit. Quòd ſi præ multitudine Novitiorum aut Profeſſorum Inſtruendorum Socio opus habeat, is deputetur vita, & omnibus (quoad fieri poterit) conſimilis, quique trigeſimum ſaltem annum excedat, Sintque ambo

Socii ætas & qualitates.

do-

Clemens VIII.

doctrina, & quantùm per Superiorum diligentiam & vires fieri poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præſtantes, orationis præterea & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitatéque referti, non ſine affabilitate graves, zelum Dei cum manſuetudine præ ſe ferentes, ab omni cordis & animi perturbatione, ira præſertim & indignatione, quæ in ſe, & erga alios charitatem impediunt, quàm longiſſimè alieni, & tales demum, qui in omnibus ſe ipſos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tam metuant, quàm revereantur, nec eis quidquam detrahere poſſint.

Clemens VIII. Magiſtri pro Seminariis à quo eligendi.

2. Eligantur autem tam Magiſter, quàm Socius per Generale ſive Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujuſmodi ſubituri.

Clemens VIII. Magiſtri ac Socii pro Seminariis à quo ſubrogandi, & quo ordine.

3. Quòd ſi fortè intra hoc trium annorum ſpatium alterum, vel utrumque urgenti aliqua de cauſa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit; Generalis tantùm Miniſter alium, vel alios in prædictorum locum ſubrogare valeat. Quapropter decernitur, ut in Proviociali Capitulo tot ad hujuſmodi ſubeundum onus eligantur, quot in illa Provincia idonei reperientur, eorúmque nomina penes ſe conſcripta tum Provincialis Miniſter, cùm etiam præcipuè Generalis retineant, ut ex eis poſtea, ſi qui ad hujuſmodi curam ſubrogandi fuerint, ſubrogentur.

De primo Seminario.

TITULUS V.

Qui primo Seminario adjungendi.

In primis Seminariis Novitii per annum integrum à ſuſcepto probationis habitu permanere debeant, aliàs & profeſſionem nullam eſſe, & admittentes hoc modo ab officiis cecidiſſe ſtatuimus & declaramus; permaneant inſuper in eodem Seminario, poſt emiſſam profeſſionem, ad annum uſque decimum ſeptimum expletum.

De Acceptatione Novitiorum.

TITULUS VI.

Text. *Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros.*

Filiationes Conventuum.

1. Quia filiationis uſum in Ordine noſtro receptum & approbatum nos pariter recipimus & approbamus; propterea ſtatuimus, firmitérque præcipimus, ne quiſquam in poſterum ad probationem vel profeſſionem admittatur, qui priùs ab aliquo Conventu pro ejus filio receptus non ſit, aliàs admiſſio & profeſſio nulla ſit, & admittentes ipſo facto officiorum privationem incurrant.

Ad quos ſpectet in filios Conventuum acceptare.

2. Cùm autem pro alicujus Conventus filio quiſpiam acceptandus fuerit, hic ordo ſervandus erit. Omnium nativorum, etiam illius Conventus Laicorum, dummodo profeſſionem emiſerint, convocato Capitulo, Guardianus recipiendam perſonam coram illis proponat, de gravitate negotii, de damno, futuróque dedecore, ſi qui recipi quærit, pravis moribus eſſet, accuratum ſermonem inſtituens: tum verò dierum ſex, quorum ex tribus canonicis terminis duo unicuique aſſignandi erunt, ſpatium pro deliberatione & ſolutione negotii indicat, ad explorandum ſcilicet natales, Parentes, honeſtatem, eruditionem, cæteráſque recipiendi filii conditiones.

Modus cooptandi filios in nativis Conventibus.

Conſanguinei non admittuntur eo in Conſilio, in quo de qualitatibus recipiendi agitur.

3. Sexto die elapſo, convocatis iterum (ùt ſupra) Fratribus omnibus, ut ſolum Deum in tanto negotio, ſolam animarum ſalutem, & Religionis honorem præ oculis habeant, Guardianus ex munere moneat. Excluſo deinde, ſi quis Fratrum in conſilio ei, qui recipiendus eſt, cognatus ſeu affinis, aut alio quovis modo conſanguineus ſit, liberè à quocunque, quidquid ſibi placuerit, de recipiendo perſona, natalibus, Parentibus, cæteriſque neceſſariis conditionibus proferatur, & opponatur. Nemini autem ullatenus liceat, quæ pronunciata vel oppoſita ſuut, revelare; quòd ſi quempiam ea revelaſſe compertum fuerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam, ac utriuſque vocis in Conſilio privationem perpetuò ſubeat. Si nihil opponatur, vel oppoſita nulla eſſe probentur; accerſito (qui excluſus fuerat) conſanguineo, per ſuffragia ſecreta, an in filium ejus Conventus cooptandus ſit, nec ne, judicetur; quæ ſi ſupra medietatem affirmativa ſint, eo ipſo in filium accepteturi ſi negativa, nequaquam. Si tamen contigerit plures eſſe conſanguineos, vel affines ei, qui acceptandus eſt, duo tantùm ex ipſis digniores habeant jus ſuffragii.

Ad ſuffragia conſanguinei admittuntur, ſed non plures.

Receptus in filium Conventus quando quis cenſeatur.

Quis non acceptandus?

4. Qui verò à Conventus filiatione ſemel rejectus eſt, eodem anno proponi iterum nequeat, receptos autem, vel acceptatos *Fratres noſtri mittant eos* (inquit Regulæ textus) *ad ſuos Miniſtros Provinciales.*

Ad

Ad quos ſpectet ad Religionem recipere.

Titulus VII.

Text. *Quibus ſolummodo, & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.*

Capitula quoſnam ad Religionem recipere poſſint.

1. Miniſter Generalis propria auctoritate ad Religionis habitum omnes, qui ab æſtu ſæculi ad portum Religionis confugiunt, admittere, eandémque facultatem ſolis Provincialibus Miniſtris (ùt ex Regulæ textu apparet) concedere poteſt. At verò ex felicis recordationis Sixti Quinti, & Clementis VIII. Conſtitutionibus abſoluta facultas recipiendi ad habitum Religionis eos, qui ſextum decimum ætatis ſuæ annum exceſſerint, ſolis Capitulis Generalibus & Provincialibus, eorúmque Congregationibus (nonnullis ſervatis conditionibus inferiùs apponendis) reſervata eſt, quam & nos eis pariter reſervamus.

Generalis Miniſter quoſnam recipere poſſit.

Facultas admittendi ad Ordinem quibuſnam concedenda.

2. Generalis itaque Miniſter juvenes præfatum ætatis annum non ſuperantes ad Religionis habitum recipere queat; ſimiliter & Provinciales Miniſtri, ſi à Generali de receptione hujuſmodi ſpecialem obtinuerint facultatem; aliàs nullo modo. Hanc tamen facultatem Provincialibus ultra montes & maria teneatur Generalis Miniſter initio Provincialatus liberam pro toto ejusdem Provincialatus tempore concedere. Cæteris verò ad libitum, prout ipſi magis videbitur expedire. (Provincialibus tamen, ut prætertur, exceptis) nulli alteri, niſi fortè nullo exiſtente Provinciali, ejusdem Provinciæ Commiſſario concedi poteſt.

Recepti ad Ordinem etiam in Capitulis admitti non poſſunt ad habitum ſine Generalis Miniſtri licentia.

3. Recepti verò, ſive admiſſi ad Ordinem, etiamſi à Capitulis vel Congregationibus admiſſi fuerint, ad habitum Religionis nullatenus admittantur, niſi Miniſtri Generalis conſenſu priùs in ſcriptis obtento; in libro verò Novitiorum de eodem conſenſu & facultate ſpecialis mentio fiat, ſicut & de aliis conditionibus, ut infra ſuo loco dicetur.

De examine ante receptionem faciendo, & de recipiendorum conditionibus.

Titulus VIII.

Text. *Miniſtri verò diligenter examinent eos de Fide Catholica.*

Clemens VIII.

1. Ante omnia ab his, qui ad Ordinem recipiendi ſunt, diligenter exquirendum eſt, quo ſpiritu, qua meote, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, & perfectionis vitæ, ac ut Deo liberiùs & ſecuriùs famulari poſſint, an potiùs levitate animi, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, & an eorum Parentes, ope & ſubſidio eorum indigentes, deſtituantur.

De quibus præ etiam interrogandi, qui ad Ordinem noſtrum accedunt.

Clemens VIII.

2. Præterea diligentiſſima perquiſitio habenda eſt de uniuſcujuſque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui ſextum decimum ætatis annum excedent, an criminoſi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus adminiſtrationis rationi obnoxii ſint, juxta formam Conſtitutionum felicis recordationis Sixti Quinti, & Clementis Octavi, & juxta conditiones aliàs à ſacris Canonibus, & ſummis Pontificibus aſſignatas. Impedimenta verò ad Religionem aditum præcludentia, ac de quibus diligentiſſimè recipiendos omnes examinandos eſſe ſtatuimus, hæc ſunt:

Recipiendorum conditiones perquirendæ.

Impedimenta ad habitum Religionis.

1. Hæretici qui ſunt, aut ſuſpecti de hæreſi, vel qui eam abjuraverint, vel quorum Parentum corpora vel ſtatuæ concrematæ ſint; item Infideles, vel Hebræi ad fidem converſi, niſi per triennium inter Catholicos piè & Catholicè vixerint.
2. Schiſmatici, vel de ſchiſmate ſuſpecti.
3. Publicè, ſeu publica ſententia actu excommunicati, irregulares, aut alia Eccleſiaſtica cenſura innodati.
4. Fidei rudimenta penitus ignorantes.
5. Matrimonio conſummato ligati, niſi juxta formam in Regula præſcriptam.
6. Illegitimi omnes, hoc eſt, ex non legitimo matrimonio nati, vel etiam ex infamibus Pareotibus, ſive Patre, ſive Matre tantùm orti.
7. Facinoroſi, & rei, puta furti, latrocinii, homicidii, ſacrilegii, nefarii amplexus, aut graviorum ſcelerum ad Judices delati, & convincti.
8. Infames infamia juris vel facti, vulgari, & publica.
9. Gravati ære alieno, vel ratiocinlis reddendis obnoxii.
10. Profeſſi alterius Religionis arctioris, & æqualis cujulvis, etiam Heremitæ.
11. Morbo contagioſo, vel obſcœno, aut caduco laborantes, ſive alio graviori; item mente capti, ſive per intervalla, ſive jugiter, membro aliquo deſtituti, vel notabili monſtruoſitate affecti.

3. Qui-

Proteſtatio cum recipiendis.

3. Quilibet igitur admittendus de his conditionibus examinetur; proteſteturque ei Superior, quòd ſi quopiam ex antedictis defectibus ſit obnoxius, ſtatim ac innotuerit, à Religione ejicietur; ejus enim mens eſt, tam ad receptionem, quàm ad probationem, vel profeſſionem eorum, qui tales fuerint, nullum præſtare conſenſum.

De impedito malitiosè recepto, ſeu illum recipiente quid?

4. Si autem compertum fuerit, præfatos Ordinis Superiores, ad quos receptio ad Religionem ſpectat, malitiosè ſcientes ac volentes hujuſmodi impedimentis notatos ad Ordinem recepiſſe, ipſo facto excommunicationem incurrant; hi verò, qui ſic recepti fuerint, ab Ordine tanquam indigni ejiciantur.

Recipiendorum ad Ordinem qualitates.

5. Sint itaque recipiendi omnes mites & modeſti, ingenio faciles & dociles, ſit eis voluntas veræ virtutis cupida, & obedire parata. Sint ingenuis moribus, conditione liberi, vel ſaltem emancipati, impollutæ vitæ, animo bene compoſiti; ad ſanctiſſimam Seraphicæ perfectionis vitam, & Regularis diſciplinæ obſervantiam, divino fiſi præſidio, toto corde anhelent, & tales, quorum receptio & adſcriptio toti Clero & populo ædificationem, Ordinique noſtro decorem afferat.

De his, qui ad Clericatum recipiendi ſunt, déque eorum qualitatibus, & examine.

TITULUS IX.

Ætas.

1. Clericorum numero nullus adſcribi poſſit, qui quintum decimum ætatis ſuæ annum non compleverit; excipiuntur tamen ab hoc Statuto inſigniores Conventus, ubi prima Seminaria conſtituta ſunt, in quibus tres vel quatuor tantùm figurato cantu ſufficienter inſtructi, qui tamen duodecimum ſaltem annum expleverint, Clericorum numero adſcribi queant. Generalis quoque Miniſter ob legitimam cauſam, quæ Religioni decorem vel utilitatem allatura eſſet, in hoc caſu cum his, qui nondum quintum decimum attigerint, & duodecimum expleverint, diſpenſare poſſit, & valeat.

Clericorum qualitates.

2. Qui ad Clericatum adſumendi ſunt, Latinam linguam calleant, vel ſaltem illius addiſcendæ ſpem indubiam præ ſe ferant, ut Minoribus, ac deinde ſtatutis temporibus, ſacris Ordinibus initiari poſſint, ac in literarum ſtudio ad Dei gloriam, animarúmque ſalutem proficere; judicium itaque ac ingenium in admittendo Clerico explorabitur; eáque mentis diſpoſitio, & corporis habitudo, quæ ad hujus ſtatus functiones aptè accommodata ſit, diligenter examinetur.

3. Si quis propterea vigeſimum quintum ætatis annum excedens, ad Religionis habitum admitti poſtulaverit, ac Latinæ ſaltem linguæ, & aliqualis eruditionis expers ſit, in Laicorum duntaxat numerum, quibus literarum ſcientia haud neceſſaria eſt, conferatur, ac (ſi admittendus ſit) in eorum Ordinem adſcribatur.

Provectioris ætatis idiota qualiter ad Ordinem admittendus.

De his, qui ad Laicorum ſtatum recipiendi ſunt, déque eorum qualitatibus, & examine.

TITULUS X.

1. Qui Laici futuri ſunt, & ad Laicalem ſtatum admittendi, vigeſimum primum ſuæ ætatis annum, ut jam abſolverint, ac vigeſimum quintum non exceſſerint, neceſſe eſt, licèt cum his quoque ob rationabilem cauſam poſſit Generalis Miniſter, ſi ei in Domino videbitur, in hoc diſpenſare; uxoribus non modò, ſed & filiis & filiabus careant, & artem aliquam ad Conventus, Religionis, & Fratrum utilitatem calleant.

Ætas.

Soluti.

2. Examinetur propterea in admittendis hujuſmodi ea mentis capacitas, ut ad Regularis vitæ documenta, moréſque facilè accommodentur; illúdque demum corporis robur, quo Dei Servis in miniſteriis debitis ſervire queant. Non permittant Superiores à Conventibus Laicorum multitudinem recipi, ſed duo tantùm in ſingulis Conventibus in filios accipiantur; in inſignioribus autem, quot fuerint opus. Generalis autem Miniſter, & Provinciales, quotnam ſingulis hujuſmodi Conventibus opus ſint, declarabunt.

Laicorum qualitates.

Determinatus ſit Laicorum numerus in ſingulis Conventibus.

3. Qui ad Laicorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint, quòd ſi quis Laicorum Clericalem coronam ſibi aſſumere præſumpſerit, ea ſtatim ac innotuerit, privetur, & gravi pœna puniatur; ſi verò ſacros etiam Ordines ſuſcipere auſi fuerint, ad Laicalem ſtatum denuo redire cogantur, viliora Conventus miniſteria perpetuò exerceant, ad alios Ordines promoveri non poſſint, à ſuſceptis perpetuò ſint ſuſpenſi, & gravioribus pœnis

Laici ad Clericorum ſtatum non tranſeant.

nis ſubjiciantur. Decretum hoc impoſterùm dumtaxat valere, ac de præteritis, ad eos tantùm extendi, qui duobus annis proximè elapſis ità promoti ſunt, volumus, & mandamus.

De examine in Capitulis, & Congregationibus faciendo.

TITULUS XI.

Examinatores ad habitum in Capitulis deputandi.

1. IN ſingulis Capitulis tàm Generalibus, quàm Provincialibus, eorumque Congregationibus, nonnulli ex inſignioribus Patribus, qui examinatores, vel receptores ad Religionem appellentur, ſpecialiter ad hoc deputandi ſunt: hi verò de ſingulis ſuperiùs adnotatis diligenter examinent eos, qui ad Religionem admitti petierint, peractoque examine, teſtimoniales literas Notarii, ſeu Cancellarii Communitatis, Parochi, Ludi Magiſtri & Medici certiſſimis monumetis firmatas recognoſcant, factaque Capituli Patribus relatione, ab h s per vota, ſive ſecreta ſuffragia, ſi digni fuerint, admittantur, ſi ſecus, dimittantur.

Teſtimoniales recipiendorum literæ.

De examine extra Capitulum faciendo.

TITULUS XII.

1. QUi extra Capitulum ad Religionis habitum admitti poſtulaverint, ac ſextum decimum ætatis annum (ut præfertur) non exceſſerint, priùs à Generali, vel Provinciali Miniſtro de ſingulis præſcriptis conditionibus diligenter examinandi ſunt. Cum itaque examinari debuerint, convocatis aſſiſtentibus, aliiſque (ſi eis videbitur) ex inſignioribus ejus Conventus, ubi fuerint, Patribus, ad examen procedatur, eoque peracto, literæ, ſeu teſtimonia Parochi, Medici, & aliorum proferantur, quibus ut authenticis, & legitimis comprobatis, & cognitis, ſi admittendi fuerint, admittantur; ſeu aliàs, prout in Domino expedire videbitur, dimittantur.

Examen extra Capitulum in quibus, & qualiter faciendum.

De ordine ſervando in receptione Clericorum ad habitum Religionis.

TITULUS XIII.

Recepti ad ordinem ſub habitu ſæculari aliqualem probationem præagant.

1. POſteaquàm in Clericorum numerum aliquis ad Religionem receptus fuerit, habito Miniſtti Generalis aſſenſu, in primo vel ſecundo Seminario, aut etiam in aliquo Conventus cubiculo, prout ejus poſtulaverit ætas, ut ſupradictum eſt, recipiatur, ibique ſæculari habitu (modeſto tamen) retento, per aliquot dies incluſus cum aliis Novitiis (in loco ab eis, quantùm fieri poterit, ſeparato) maneat, omnique temporalium rerum cura ſepoſita, totum DEO ſe ſe, ſpiritualibuſque exercitiis addicet.

2. Interim apud Magiſtrum functionibus ſingulis Eccleſiaſticis interſint, accuratéque, & attentè Religionis cœremonias, ſacroſque ritus obſervent. Neminem ex Fratribus vel Sæcularibus verbo, aut ſcripto, niſi obtenta à Magiſtro licentia, ullo pacto conveniat. Aſſueſcat inſuper cum aliis Novitiis alternatis diebus proprias culpas publicè in Capitulo Seminarii confiteri.

Religioſis actibus exerceantur.

Neminem alloquantur.

3. Tunc autem accuratiùs exquiratur, quo ſpiritu ad Religionis perfectionem vocatus ſit, omnes ei Regulæ arctiores articuli proponantur, Præcepta quælibet de Regularis vitæ obſervantia, Sanctinnes, Conſtitutiones inſuper, & Regulæ omnes, quæ in Ordine noſtro ſervantur; Cureturque diligenter, ut in quarumcumque virtutum, obedientiæ, & humilitatis præcipuè actibus ſedulò exerceatur, ac ut generaliter confiteatur.

Omnia, quæ in Religione ſervanda ſunt, eis notificentur.

Generalis confeſſio.

4. Aliquot demum diebus tranſactis, quot Magiſter ſuffeciſſe probaverit. Religionis habitu (niſi forte legitima obſtaret cauſa) induatur, & ad probationis annum recipiatur.

Quando ad habitum admittendi.

5. Nomina, & cognomina, quibus in ſæculo vocabatur, item & patria in peculiari libro ad hunc dumtaxat effectum apud Magiſtrum aſſervando, deſcribantur; Annus, Menſis, Dies & Hora ſuæ receptionis, & à quo, & quomodo ex præfatis Receptoribus ad ordinem aſſumptus fuerit, ſedulò inſuper adnotetur. Liceat etiam Novitiis in receptione ipſorum nomina commutare; proborumque (ſi placuerit) defunctotum Fratrum appellationes denuò ſuſcitare.

Liber Noviciorum.

Modus induendi Religionis habitum.

6. Cum autem ad actum induendi Novitios perventum fuerit, ante benedictionem veſtium, Summorum Pontificum Privilegium Religionem ingredientibus, in eaque perſeverantibus conceſſum illis exponatur; qualiter nimirum ab omnibus cenſuris, pœnis, & irregularitatibus (non tamen publicis) abſolvantur; ita tamen quòd ſi per hujuſmodi ſententias debitò, ſive alieno ære adſtricti fuerint, ſatisfaciant. Moneantur inſuper, quantum ex hac voca-

tio-

tione DEO ipſi teneantur, à quo ex Summorum pariter Pontificum Privilegiis omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & baptiſmalem innocentiam miſericorditer aſſequuntur. Hiſque expletis, & ordinaria abſolutione ſuper inducendos facta, Religionis habitu, juxta formam in Rituali noſtro præſcriptam, induantur, & in Seminarium probationis annum incepturi, ſub Magiſtri diſciplina reducantur.

A Novitiorum parentibus, & curatoribus quid recipiendum. Seſſ. 25. c. 16. de Reform.

7. Quoniam verò Conventus noſtri redditibus, ut plurimùm, ita pinguibus carent, ut victum, atque veſtitum Novitiis præbere non poſſint, ſtatuitur juxtà Sacri Concilii Tridentini Decreta, ut ante Religionis ingreſſum aliquid de eorum bonis, pro alimentis præſtandis, Conventui exolvatur; & quidquid pro veſtibus, & aliis neceſſariis rebus erogandum fuerit, erogetur; alioquin etiam ad Religionem recepti non admittantur ad habitum: qui autem admiſſi fuerint, præter ea, quæ dicta ſunt, utenſilia omnia ipſis neceſſaria, etiam lectiſternia deferant: præter hæc autem caveant Fratres, nè ab eorum Parentibus, Propinquis, aut Curatoribus quicquam ante profeſſionem accipiant, nec ad alias inſuper ultrà ſupradictas expenſas ullatenus compellantur.

Omnia Novitiis neceſſaria à quibus ſubminiſtranda.

Pauperes Novitii.

8. Si autem Parentes, vel Curatores eorum, ita pauperes fuerint, ut id ab eis præſtari non poſſit, & induendi ipſi non vulgarem bonæ indolis expectationem, tùm in regulari diſciplina, tùm in ſtudio literarum præſeferant, Conventus illi, quorum nomine, ſive filiatione ad habitum aſſumentur, pro præfatis expenſis ſupplere debeant, ſiu minus, tota nativa Provincia.

De Novitiorum Clericorum probatione.

TITULUS XIV.

Tex. *Poſteà concedant eis pannos probationis.*

Novitiorum educatio.

1. NOvitii ad Probationis annum excepti, eo zelo, eave diligentia in timore Domini educandi ſunt, ut per totius vitæ curſum, in eadem diſciplina permanentes ſanctam, juxta Conſtitutionum reformationem, regularemque obſervantiam exemplo ſuo ſtabilire, & conſervare queant.

Novitiorum à quibuſdam exemptiones.

2. In ipſo igitur Probationis anno nulla eis permittantur officia, quorum cauſa cum externa quacunque perſona ipſis agendum ſit; profeſſos fratres extra Conventum non committentur; nec alibi cum cæteris fratribus, quàm in Choro, & Eccleſia divinorum Officiorum, ac in Refectorio communis menſæ gratia converſentur.

Novitiorum officia qualiter diſponenda.

3. Viciſſim tamen in omnibus, tam domeſticis, quàm familiaribus obſequiis exerceantur; ſinguliſque propterea ſabbathi diebus, Magiſter alternatim munera omnia, ex tabella ab ipſo conficienda, ita eis diſponat, ut modò Lectoris in menſa, modò Ceroferariorum, Janitoris ſeminarii, aliaque hujus generis munia debita ſuorum actuum directione, prout in Regulis inſtitutionum, perſolvat.

Novitiorum veſtiarum.

4. Habeant Novitii omnes in Veſtiario communi neceſſariam ſupellectilem; ex eoque, juxtra Magiſtri diſpoſitionem, de neceſſariis provideantur.

Spiritualia Novitiorum exercitia.

5. Quilibet Novitius bis quotidiè orationi mentali incumbat, unuſquiſque juxta propriam diſpoſitionem, ac ordinem ſibi à Magiſtro præſcriptum; pluriesque in die propriam conſcientiam quilibet eorum examinare contendat; quotidiè item Miſſæ ſacrificio interſint, & ſtatutis horis in Choro nocturnis, diurniſque officiis aſſiſtant.

Clemens VIII.

Tentationes.

6. Quod demùm ad tentationes pertinet, nullam Magiſtro celare debeant; ſed omnes, (quæcunque illæ ſint) nè nullis Diaboli laqueis illigentur, fiducialiter ipſi Magiſtro aperiant, qui eos, & patienter audiat, & benignè ſoletur, ac in ſpiritu lenitatis, quo pacto eas, Deo favente, ſuperare poſſint, edoceat.

Novitiorum probatio.

7. In hoc igitur vitæ genere Novitii omnes per annum integrum, & continuum à ſuſcepto Probationis habitu manere debent; eoque inregrè expleto, ad Profeſſionem, ſervatis ſervandis, admitti poſſint; aliàs, & Profeſſionem nullam eſſe, & admittentes ab officiis cecidiſſe ſtatuimus, & declaramus.

Literæ teſtimoniales ad Profeſſionem quando & qualiter neceſſaria.

8. At ſi Novitius infra ipſum probationis annum, urgenti aliqua cauſa, ad alium Conventum, ubi Seminarium fuerit, mittendus eſſet, antequàm ad Profeſſionem admittatur, teſtimoniales literæ ejus, à quo diſceſſit, Seminarii Magiſtri Novitiorum habeantur; à quo ſi de re gravi à Novitio perpetrata quidpiam referatur, idque verum eſſe conſtiterit; nullaque de emendatione ſit ulterior ſpes, ad profeſſionem non admittatur; ſed ab Ordine ſtatim dimittatur; quòd ſi emendationis certa ſpes reli-

reliqua ſit, vel de ea Novitius quomodolibet ſpecimen dederit, tunc (ſi videbitur) admitti poſſit: ſi verò de illa dubitaretur, profeſſio in aliquot menſes (Superiore conſentiente) differri poſſit; quo tempore ex data de ſeſe ſignificatione rectum feratur judicium.

Profeſſio quo caſu, & quomodo differenda.

9. Verùm ſi à Seminarii loco abſque ſpeciali Superioris licentia egreſſus, ad alias quaſvis domos, vel loca declinaverit, ſi ad Ordinem iterum, & habitum aſſumendus ſit, probationis annum denuò, ac ſi nunquam ipſum Religionis habitum geſtaſſet, nec unquam in Religione permanſiſſet, incipiat.

Probationis annus quo caſu reiumendus.

De Magiſtri Novitiorum Officio, ſanctaque Novitiorum educatione.

TITULUS XV.

1. Magiſtri Novitiorum munus, & officium in eo præſertim poſitum eſt, ut ſibi ſubjectos Novitios, ſive etiam Profeſſos in eodem primo Seminario (ut dictum eſt) ad annum uſque eorum ætatis decimum ſeptimum expletum commorantes, in timore Domini, Regulæ obſervatione, ac Regularis diſciplinæ cultu ſanctiſſimè educare, ac inſtruere quàm maximè ſtudeat.

Novitiorum educatio ad Magiſtrum pertinet.

2. Plenam propterea, & abſolutam habeat poteſtatem circa Novitiorum, & Profeſſorum hujuſmodi inſtitutionem ac Seminarii, cui præeſt, regimen: ita ut in illis nemini) Viſitatoribus, ac Superioribus majoribus exceptis) quovis colore ſe ingerere liceat: localique Superiori, quiſquis ille ſit, præſente Magiſtro corrigendi Novitios vel Profeſſos, aut aliquid erga ipſos, eo inconſulto agendi, vel diſponendi omnis auctoritas per hoc decretum aufertur.

Clemens VIII.

De Novitiis ſolus Magiſter diſponat.

3. Curam itaque diligentem adhibeat, ut Novitii omnes, & Profeſſi in regulari diſciplina ſedulò exerceantur, agnoſcantque præcipuè divinæ, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam, quæ vera ſit, atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria Ordinis Conſtitutionum obſervantia: modum in oratione tum mentali, tùm vocali fructuosè perſiſtendi illicitas paſſiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona, atque proclivis eſt) per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, jejunia, cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, Sacramentorum frequentiam, confeſſionis præſertim (quæ ſemel ſaltem quacunque hebdomada fiat) per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitium humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium; Adeóque circa ea, quæ ad modeſtiam (quæ Religioſos maximè juvenes decet) pertinent, diligentiùs invigilabit, ut juxtà ipſas modeſtiæ Regulas vultu demiſſo, apta membrorum compoſitione, totiuſque corporis habitudine devotionem undique ſpirent, ac ſanctimoniam paſſim, & ubique præſeferant.

Clemens VIII.

Modus inſtituendi Novitios.

4. Divinum præterea Officium attentè, & devotè recitare, & juxta Rubricas diſponere doceat: ac ſi qui adſint, qui ſacra fidei rudimenta aliqualiter ignorent, ut ad ea addiſcenda, ſimul cum Regula, & aliis ſpiritualibus inſtitutionibus adjiciant animum, quàm diligentiſſimè curet.

Divini Officii recitatio.

5. Quoniam verò ad inſerviendum Eccleſiis, in quarum Conventibus Seminaria erecta ſunt, hujuſmodi Seminariorum Alumni deſtinantur, diligentis ideò Magiſtri præcipua cura ſit, ut privatè intra Seminarii ipſius ſepta, in iis omnibus priùs exerceantur, exactéque erudiantur, quæ ab eis in Choro, vel in Capitulo, aut Refectorio publicè recitanda, legenda, ſive canenda fuerint.

Novitii privatim publicas eorum functiones exerceant.

6. Singulis propterea ferialibus diebus, ſtatutis poſt prandium horis, Eccleſiaſtici, ſive Choralis, vel (ut dicunt) firmi Cantus exactiſſima praxis ab omnibus habeatur. Quòd ſi etiam ad figuratum (ut pariter dicunt) cantum, vel muſicam idonei ſint, nec ſciat Magiſter, aut Socius illos in his facultatibus erudire, & ad Organorum pulſationem inſtruere, à Provinciali Capitulo, ſive ab ipſo Provinciali Miniſtro Pater aliquis provectæ ætatis, probatæque, & exemplaris vitæ, qui eos in hujuſmodi cantu, & ſono inſtruat, deputetur. Si qui verò muſicam artem callentes, in primis Seminariis reperiantur, prohibitum eſt Magiſtro eos ad alienas Eccleſias, Domos, Fraternitates, ſeu alia quævis loca, ejuſdem quoque Civitatis, & Oppidi, canendi gratia ducere, ſive ut alii ducant, permittere: eos autem, qui in noſtris Eccleſiis ſacro huic miniſterio deſerviunt, Magiſter, vel Socius ad Organa comitentur, ubi Novitii omni modeſtia, humilitate, ac devotione, quoaduſque ſit opus, ſimul cum Magiſtro, vel Socio perſiſtant.

Cantus Choralis.

Muſica.

Novitii à quo Muſicam edocendi.

Novitii canendi gratia extra noſtras Eccleſias non ducantur.

7. Ma-

Novitiorum ſtudia.

7. Manè, & Veſperè reliquæ lectiones, quas probationis annus permittit, eorumque capacitas exigit, grammaticæ nimirum, linguarum, &c. ſive ab ipſo Magiſtro, vel Socio, ſive ab alio, vel aliis à Capitulo, vel Provinciali Miniſtro deputando, vel deputandis ſine ulla iotermiſſione diligentiſſimè habeantur.

Novitii præſente Magiſtro, vel ſocio doceantur.

8. Magiſter autem, vel Socius quibuslibet lectionibus, tàm cantus, quàm aliarum facultatum una cum ipſis cootinuò intereſſe debebunt.

9. Feſtivis verò diebus orationi, meditationi, cæteriſque ſpiritualibus exercitiis totos ſe dabunt; tum de doctrioa Chriſtiana, de Regulæ præceptis, de ooſtris Conſtitutionibus collatio, ſeu conferentia habeatur; ac ſi quæ dubia fueriot, Magiſter eos patienter audire, benignéque de iis erudire curabit.

Feſtorum dierum exercitia.

Novitiorũ confeſſarius.

10. Muneris quoque Magiſtri Novitiorum ſit, eorum confeſſiones audire, licet, juxta decretum Sacri Concilii Tridentini pro ſanctimonialibus, ſtatuamus, ut alterius extraordinarii confeſſarii copia eis opportunè offeratur, & detur.

Caſus reſervati pro Novitiis.

11. Novitios à caſibus reſervatis abſolvendi, niſi aliter Generali Miniſtro videatur, plenam ipſorum Magiſtro facultatem, pleoumque jus concedimus.

Magiſter Novitiorum non niſi petita, & obtenta à Superiore locali licentia è conventu recedat.

12. Si quando, vel oblectationis gratia, vel alia quacunque ex cauſa ſimul cum Novitiis opos fuerit ipſi Magiſtro à Conventu recedere, localem priùs Superiorem conſulat, à quo benedictione accepta, quam ille nunquam abſque rationabili cauſa denegabit, liberè, & licitè cum iis, quò magis libuerit, pergat: ipſe tamen abſque illis raro, & non niſi urgente neceſſitate, & de Superioris licentia è Conventu egrediatur. Novitios verò minores natu (quantùm commodè fieri poterit) nullatenus adhibeat ſocios.

Magiſtri Novitiorum ad Generalem Miniſtrum relatio.

13. Miniſtrum quoque Generalem opportunè de ſuorum Novitiorum ſpirituali profectu, de ipſorum in literis, aliiſque facultatibus eruditiooe, deque iis omoibus, quæ ad Seminaria pertinent, certiorem ſingulo quoque ſemeſtri reddere teneatur.

Novitii neminem alloquantur, vel quomodo.

14. Illud autem arctiſſimè curabit Magiſter, oè ullus extraneorum, quicunque ille ſit, etiamſi alter ex Parentibus, Novitios abſque ſui benedictione alloquatur; petita verò, habitaque benedictione, non niſi eo, vel Socio præſente, & audiente, eum alloqui ullo pacto permittat. In his verò collocutionibus, quàm paucioribus ſe expediant, modeſtè, humiliter, ac religiosè colloquantur, optimamque iis, qui ſe ſe alloquuntur, ſanctitatis ædificationem præbeant.

Sæcularium etiam proximorum Viſitationes vitentur.

15. Si crebris Parentum, aut Propinquorum quorumlibet viſitationibus Novitiorum aliquis à recta ſpiritus, tranquillaque conſcientiæ, & animi quiete perturbaretur, Magiſtri partes erunt, Generalem Miniſtrum conſulere, ut aliò (ſi neceſſe fuerit) pro ipſius animæ quiete transferatur.

Novitiorum Epiſtolæ.

16. Epiſtolas tùm ſcribere, tùm recipere abſque Magiſtri licentia penitus interdicitur: à quo oon niſi ex legitima cauſa ea concedatur; quidve ſcribatur per ſe ipſum, aot per Socium omnino videatur.

Novitii extra Seminaria non pernoctent.

17. Paternas, ſeu alienas domos frequentiùs inviſere non permittantur; Ibi verò pernoctare omninò, ac quàm ſtrictiſſimè prohibeantur: Magiſtroque id permittenti oon levis pœna infligenda eſt; cujus quidem abuſus ut omnis auferatur occaſio, qui poſt hac ad Ordinem recipientur, extra eorum Patrias, probationis annum acturi, ad alia Seminaria (niſi legitima adſit cauſa) conſulto mittantur.

Alter alterius cellam non adeat.

18. Alterum quoque Novitiorum alterius cellulam iogredi vetitum eſt abſque Magiſtri benedictione: ſi quando autem à Magiſtro hujuſmodi licentia cuipiam ex cauſa coocedatur, cellulæ oſtium ſemper pateat; hujuſque Decreti tranſgreſſores graviter à Magiſtro puniendos eſſe deceroimus.

Clemens VIII Novitiorum recreationes quales.

19. Animi verò remiſſio, ſive modeſta oblectatio loco apto extra Seminarium, vel Novitiatum ſemel in hebdomada ipſis Novitiis benignè his legibus concedatur, videlicet ut Magiſter, vel Socius continuò adſint. Duo ex ipſis, à cæteris omnibus ſejuncti non commorentur: ſtrepitus, manuumque licentioſiores colliſiones, quibus ſpiritualis compoſitio relaxaretur, interdicantur: Interim verò eorum inclinatiooes, animive propenſioues diligentiùs obſerventur.

Abſente Magiſtro, ac etiam Socio, Novitiis quiſnam præſit.

20. Poterit autem Magiſter unum ex Novitiis ætate provectiorem, moribúsque inſigniorem eligere, ut abſente Socio, ipsóque Magiſtro permittente, omnia (prout cujuſque aliorum neceſſitatibus expedierit) agat. Huic januæ cuſtodia, rerúmque levioris momenti intra Seminarium proviſio (ſi opus ſit) demandetur; ac ut recenter ad Religionem adſcriptos ritus & cæremoias Novitiorum edoceat, committatur. Eidem vel alteri (ut uniuſcujuſque indigentiis ſatisfiat) depoſiti cura imponatur, qui ſtatuto qooque tempore ſingulis neceſſaria, juxta Magiſtri præcepta, impertiatur.

Subrogati munus.

Depoſiti cura Novitio commiſſa.

Depoſitario reſtituendæ res poſt uſum.

21. Caveant autem Novitil omnes, ne alter, quæ ad ſui uſom accepit, alteri dare, commodare, ſive quidpiam mutare præſumat; poſtea verò, quàm acceptis rebus uſi fuerint, eas Depoſitario conſervandas reſtituant.

Capitulum culparum pro Novitiis.

22. Colparum accuſationes bis vel ter qoacuoque hebdomada intra Seminarium Magiſter coram omnibus aliis ab eorum ſingulis auſcultabit. Quapropter ſtatutum eſt, ne unquam culparum Capitulis, quæ à Fratribus fierl ſolent, ioterefſe debeant.

Pœnitentiæ publicæ & privatæ.

23. Pœnas aotem, ſive (ùt ajunt) pœnitentias, quæ pro erratis aliquando, vel mortificationis cauſa Novitiis à Magiſtro imponuntor, niſi conſuetæ ſint, ut obſonii privatio &c. publicè, & extra Seminaria fieri penitus prohibemus. Inſolitæ verò pœnitentiæ (ùt præfertur) intra Seminaria imponantur, & à Novitiis, qni Magiſtris ſuis obedire compellendi ſunt, prompto & hilari animo exerceantur.

24. Curet inſuper Novltiorum Magiſter, quæ ad eorum probationem ſpectant, diligenter animadvertere; & an iis couditionibus, eóque ſpirituali profectu, ac religioſis moribus, quibus inſigniri debent, qui ad profeſſionem recipiendl ſunt, decorentur. Quòd ſi eorum quiſpiam minùs ad religioſam vitam accommodatus inveniatur, ſive protervus ſit, inverecundus, contentioſus, ſuæ ſententiæ tenax, ſive hebeti ingenio, omni ſepoſito humano reſpectu, neglectáque paſſione, à Magiſtro ipſo certior de his fiat Generalis Miniſter, cujus auctoritate (ſi emendari nequiverit, & neglexerit) ab Ordine expellatur.

Novitiorum crimina.

Magiſtri Novitiorum diſcretio & urbanitas.

25. Meminiſſe tamen Novitiorum Magiſtros oportet, comitate potiùs, ac benignitate, quàm aſperitate & rigore Novitios, Seminariorúmque Alomnos regendos eſſe. In ſingulis itaque peragendis negotiis, ln quavis culparum correctooe à contumelioſis & aſperis verbis omnino abſtineant, memores, quòd in ſpiritu lenitatis inſtruendi ſunt, qui in via Dei ad perfectionis ſublimitatem contendunt.

26. Præbeat tamen illis crebras exercendi ſeſe in omoibus religioſarum virtutum, humilitatis præcipuè, paupertatis, & obedientiæ actibus, occaſiones, habitóque corporis diſpoſitionis, ac perſonarum diſcreto judicio, ſalutares quandoque pœnitentias, etiam culpa vacantibus, ad ſpiritualem ipſorum profectum irrogare poiſit; ob publicos quoque defectus, publicas intra Seminarium (ùt dictum fuit) pœnitentias injungendo.

Pœnitentiæ Novitiis imponendæ.

27. Cùm verò ad Chorum recitandi Officii gratia recedendum ſit, dato ſigno Magiſter, vel (en abſente) Socius Novitios proceſſionaliter Pſalmum *Miſerere mei Deus* &c., vel *Deus miſereatur noſtri* &c., aut *De profundis* intelligibili voce devotiſſimè recitantes ad Eccleſiam comitetur. Cùm ad locum aſperſionis ſalutaris aquæ pervenerint, humiliter genuflexos aqua ipſos benedicta aſpergat: cùmque ad Altare majus proceſſeriot, dicta Antiphuna *Adoramus te Chriſte* &c. infimo ipſius gradui adorationis cauſa devotiſſima oſcula figant, & ad Chorum accedentes, genuflexi, quouſque ſanctum inchoetur Officium, in oratlone perſiſtant.

AdChorum acceſſus.

28. Divinis expletis laudibus, Officióque abſoluto, antequam ad Novitiatum vel Seminarium reducantur, ducat eos Magiſter ad defunctorum Fratrum ſepùlchra; pro qoibus ſolitas preces & orationes Deo effundant; idque ſemel tantùm in die, ſive poſt Veſperas, ſive poſt Completorium, ut magis coogruum judicabitur, eóque ordine, quo ad Eccleſiam venerant, ad Seminarium revertantur.

Novitii ad defunctorum Fratrum ſepulchra quotidie oraturi accedant.

29. Ut aotem tanto negotio liberiùs incumbere valeant, immunes omnino ſint, tam Novitiurum Magiſter, quàm Socius ab iis omnibus curis ac muneribus, quæ rectum Semioariorum regimen ullatenus impedire valerent. Non audiaot itaque abſque Generalis Miniſtri ſpeciali licentia Sæcularium confeſſiones; noo concionatum diſcedant; Conventuales Miſſas noo teneantur canere; oec in inſignioribus Conventibus, ubi plurimi Fratres degere ſolent, dum hoc mu-

nere

Magiſtri Novitiorum, & Socii exceptiones.

Sæcularium confeſſiones non audiant.

Concionatum non pergant.

In Guardianos non deligantur.

nere perſunguntur, io Guardianos aſſumi queant.

30. At quoniam juſto præmio omnis labor remunerandus eſt, oneri huic maximè arduo, perdifficili, & neceſſario, præter eam, quam ab ipſo DEO, bonorum omnium Largitore ac Remuneratore coronam Novitiorum ſive Profeſſorum hujuſmodi Magiſtri miſericorditer conſequentur; nos quoque præmium hoc adjicimus, decernentes, ut ſinguli Fratrum (quos *Simplices* vocant) qui hoc munere per annos duodecim laudabiliter perfuncti fuerint, Patres omnes (Magiſtris in ſacra Theologia duntaxat exceptis) in omnibus actibus tam publicis, quàm privatis præcedant, ac vocem activam in Capitulo Provinciali, æquè ac ipſi Magiſtri in ſacra Theologia, liberè habeant; qui verò ex Magiſtris in ſacra Theologia per idem duodecim annorum ſpatium huic muneri item laudabiliter incubuerint, ac ſi Regentes fuiſſent, Provinciæ Patres juxta Conſtitutionom iſtarum præſcriptum, ipſo jure ſint, iiſdémque gratiis, favoribus, & privilegiis, quibus alii Provinciæ Patres de jure, approbata conſuetudine in Ordine noſtro fruuntur, potiuntur, & gaudent, & ipſi frui, potiri, & gaudere liberè & licitè valeant.

Magiſtrorum pro Seminariis præmia.

Magiſter pro Seminariis, ſi ſacræ Theologiæ fuerit Doctor, quando Pater Provinciæ.

31. Superiores autem quoſcunque, ne coram Novitiis, ſeu Seminariorum Alumnis Magiſtros eorum, etiam reprehenſibiles, ullo pacto corrigant & coërceant, commonemus. Quod ſi ex perpetrata aliqua culpa corrigendi ſint, illis abſentibus reprehendantur; idque propterea, ne in contemptum ſit ipſis proprii Magiſtri reprehenſibilis vita.

Magiſtri Seminariorum quando, & qualiter reprehendendi.

De Laicorum Novitiorum probatione.

TITULUS XVI.

1. HAbitus, quem, durante probationis anoo, deferent Novitii Laici, ſit talaris tunica, anguſtioribus maoicis, cum caputio eidemmet tunicæ inſuto, rudiorique chorda cingantur, eique perpetuò precariam beatæ Virginis coronam appenſam deferant; quam etiam deferendam decernimus ab omnibus noſtri Ordinis Fratribus, cujuſcunque dignitatis exiſtant.

Laicorum Novitiorum habitus.

Precaria B. M. V. corona.

2. Eo ipſo anno, quo in probatione manebunt, ſub ſolerri, paternáque cura & diſciplina alicujus Patris, regularis diſciplinæ cultoris, ac rebus ſpiritualibus magis addicti, per Provincialem Miniſtrum in unoquoque Conventu, ubi præfatos Novitios commorari contigerit, deputandi, humiliter vivant, Fidei rudimenta (o ſi ea integrè atque perfectè habuerint) ab eo edoceantur, ac de præceptis Regulæ, & Ordinis Conſtitutionibus inſtruantur, ad ſanctiſſima Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta frequenter accedant; orationi tam mentali, quàm vocali quotidie pro ſuo captu incumbant, ſanctiſſimóque Sacrificio Miſſæ ſingulis diebus devotè inſerviant, aut, ſi neſciant, ſaltem interſint, donec edoceantur; Janitoris autem officium, vel Emptoris, ſeu Hoſpitalarii, & hujuſmodi eo anno non exerceant, publicáſque officinas, aut Fratrum cellas non frequentent.

Laicorum Novitiorum educatio, & Magiſtri.

3. Ubi fuerint Seminaria, ſi Laici quoque Novitii extra Novitiatum ſub cura (ùt dictum eſt) probi alicujus Patris commorentur, proprio Noviriorum Clericorum Confeſſario, vel eorum Magiſtro confiteantur. Literas non addiſcant, ſed tantùm in timore Domini, ac in ea vocatione, in qua à Deo vocati ſunt, humiliter perſeverent.

Laicorum Novitiorum Confeſſarii.

Laici Novitii literis non incumbant.

4. Ab ipſo igitur probationis anno in humilitatis exercitiis Domino famulari aſſueſcant, & in domeſticis curis & laboribus exerceantur; quòd ſi à munere ſibi impoſito defecerint, aut immodeſtè & ſuperbè Superioris juſſionibus reluctaverint, corripiantur, ut compoſitis & modeſtis, non duris moribus ſint: illud enim eos meminiſſe oportet, cum Viris Deo dicatis, ſacris Dei Altaribus mancipatis, vel mancipandis ſaltem, ipſis agendum eſſe. Reverenter itaque tum colloquantur, tum agant, ac in ſingulis eorum actionibus modeſtiam, humilitatem, ac charitatem, cæteráſque virtutes omoino colant.

Laicorum Novitiorum humilitas, ac morum compoſitio.

5. Superiores verò, tam Provincialis, quàm Guardianus, qui præter Decreta hujuſmodi Novitios Laicos ad habitum Religionis recipere præſumpſerint; ſive receptos abſque præfato Inſtructore probationis annum tranſigere permiſerint, ſeverè à Generali Miniſtro corripiantur; ſicque recepti & probati ad profeſſionem non admittantur, ſed velut inhabiles ab Ordine rejiciantur.

Laici Novitii ad probationem & profeſſionem indebitè admiſſi &c. Indebitè admittentes.

De his, qui à Religione & Profeſſione dimittendi ſunt.

TITULUS XVII.

1. SI probationis tempore ex legitima cauſa quempiam Novitiorum à Religio-

Expellendi, & quomodo.

ligione rejiciendum eſſe conſtiterit, vel quia ſuſpectæ cooverſationis & vitæ ſit, vel quia morbo aliquo incurabili laboret, conſulat Magiſter Guardianum loci, & Provincialem Miniſtrum, eisque inſimul (ſi verè ſic expedire videatur) plena & abſoluta facultas expellendi quoſcunque indignos liberè demandatur: qua in re accuratè caveant, ne aliquo humano affectu vel paſſione ducantur; quòd ſi aliquem injuſtè rejecerint, gravi pœna à Generali Miniſtro puoiantur.

Injuſtè rejicientes.

Ejectionis cauſæ an, & quomodo propalandæ.

2. Qui autem juſta cauſa dimittendi ſunt, ita dimittantur, ne ipſis dedecus aliquod, vel ignominia inferatur, niſi de cauſa publicè conſtiterit; Superiores verò, quibus expulſio demandata eſt, generali aliqua, probabilique occaſione id factum eſſe affirment, caveántque diligenter, ne contra charitatis, ac religioſæ vitæ præcepta dedecus alicui temerè afferant.

Ejectionis actus.

3. Magiſter itaque de hac deliberatione maturè, diſcretè, accuratéque facta Novitium dimittendum admoneat, & ab aliorum conſortio ſtatim ſecernat, ſuisque rebus opportunè compoſitis detracto habitu, attunſa clericali corona, penitus dimittat. Idémque ſervetur, ſi quis Novitiorum, probatione expleta, à Patribus ſuffragaturis per negativa ſuffragia ad pruleſſionem non admitteretur. Quòd ſi & Laicus Novitius rejiciendus ſit, ſervatis ſervandis, debitisque adhibitis diligentiis, ſalvo (quantùm fieri poterit) ejus honore, ùt ſupra dictum eſt, rejiciatur.

Laicus ejiciendus.

De Profeſſione emittenda.

Titulus XVIII.

1. NOvitiorum quorumlibet probationem ſupra annum, qui eis præfigitur, pıuduci non poſſe ſtatuimus, eóque expleto, qui expreſsè profiteri recuſaverint, ex ſacri Concilii Tridentini Decreto ab Ordine expellantur; ſi tamen ex legitima aliqua cauſa, à Generalibus Miniſtris tantùm approbanda (Novitiis ipſis conſentientibus) permittenda eſſet ſupra præfixum annum probationis dilatio; juxta felicis recordationis Pii Quinti Decretum, non niſi ad ſex menſes extendi poſſit. Legitima verù & approbanda cauſa in primis eſſet, ſi Novitius, quæ addiſcenda ſant, non didiciſſet, adeóque indiſpoſitus videretur, ut intra id temporis ſpatium ea omnia diligentiſſimè addiſcere poſſet, aliæque conſimiles. Accelerari autem Profeſſionem non niſi in caſu mortis Novitiorum conceſſum eſt.

Seſs. 25. cap. 16.

Probationis dilatio.

Dilationis cauſæ.

2. Tacitas Profeſſiones omnino reſpulmus; quinimò, ſi quiſpiam decem, aut viginti, aut etiam pluribus annis abſque expreſſa Probatione in Religione permanſerit, functionésque omnes ad Profeſſos ſpectantes in ea exercuerit, ne tamen ad munus quodcunque, quod Profeſſorum ſit, admitti poſſit (niſi expreſſa priùs Profeſſione emiſſa) ac ut ad omnes legitimos actus penitus inhabilis ſit, diſtrictiùs præcipitur, & ſtatuitur. Ob idque præterea ſancitum eſt, ut omnes deinceps Novitii, tam Clerici, quàm etiam Laici, expleto probationis anno, aut expreſſam Profeſſionem emittant, aut ad ſæculum redeant, ut ſupra dictum eſt.

Tacitè profeſſi.

Omnes expreſsè profiteantur, & quando.

De modo admittendi Novitios Clericos ad Profeſſionem, vel illos ab ea rejiciend.

Titulus XIX.

Text. *Finito verò anno Probationis, recipiantur ad obedientiam.*

1. Cùm denique Novitii Clerici ſextum decimum ætatis annum compleverint, & ad ultimum Probationis menſem devenerint, omnibúsque (ùt præfertur) religioſis moribus & inſtitutionibus, præſertim ad divinum Officium juxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem recitandum ſpectantibus prædití fuerint, Magiſter, Superiore conſulto, ſingulos Fratres de admiſſione Novitiorum ad Profeſſionem agendam eſſe præmuneat, ut ii, divino implorato auxilio, ad tantæ rei negotium maturè, ſanctéque peragendum ſeſe accingant.

Sufficientia admittendorum ad profeſſionem.

Ad profeſſionis admiſſionem quæ præcedere debent.

2. Decernitur autem, ut admiſſio vel dimiſſio Novitiorum, tam intra, quàm extra (ùt jam dictum eſt) Seminaria degentium, probatione expleta, per ſecreta ſuffragia, & non aliter fiat; ſuffragabuntur autem localis Superior, Novitiorum Magiſter, Patres Conventus, & Fratres omnes de familia expreſsè profeſſi, iis, qui in Seminariis fuerint, duntaxat exceptis.

Suffragia ſecreta in admiſſione neceſſaria.

Qui ſuffragantur.

3. Horum omnium ſtatuto tempore, evocato Capitulo, Magiſter, qualis fuerit Novitii profeſſuri vita, qualésve mores exprimat; num futuræ ſanctitatis, probitatisque indicia dederit, num ad ſtudia, num ad alia Religionis neceſſaria munera aptus, num demum, qui recipia-

Magiſter de qualitatibus Novitii referat in Capitulo. Teſtimonio Magiſtri fides adhibenda.

Teſtimonium ſuum Magiſter jurejurando firmet.

cipiatur & admittatur, an verò rejiciatur, dignus; qua tamen ſinceritate, & animi puritate in his teſtificandis uti Magiſtrum neceſſe ſit, inde dijudicetur, quòd cùm Patres omnes teſtimonio ejus ſtare debeant, quippe qui Novitiorum vitam ignotent, ſi falſum (quod abſit) de quopiam teſtimonium ferret, omnes in errorem adduceret. Suum itaque teſtimonium, quò verius cenſeatur, jurejurando confirmet, juſtáque Dei judicia, ne indignos apptobet, dignos reſpuat, ſancto timore caveat.

Quot ſuffragia requirantur, quot Novitius ſit admiſſus.

Dum paria utrimque ſuffragia quid agendum.

4. Audita relatione, teſtimonióque Magiſtri, ad ſuffragia canonicè veniatur, quæ ſi ſupra medietatem affirmativa ſint, Novitius ad Profeſſionem admiſſus cenſeatur; ſi verò negativa, rejectus. Quòd ſi ſuffragiorum paritas aliquo caſu daretur, exſpectato Provincialis vel Commiſſarii ejus adventu, deouo ferantur, quæ ſi item paria ſint, ipſius erit deciſivum votum apponere.

Rejecti dimittantur.

Admiſſus diſcedere poteſt.

5. Si quis tejectus fuerit ab Ordine (ùt ſupra dictum eſt) dimittatur; ſi quis tamen, etiam ad Profeſſionem per hujuſmodi ſuffragia admiſſus, ſpontè diſcedere velit, vis illi inferenda non eſt, ſed potiùs ejus libertati favendum;

Diabolica vexatione diſcedere volentes orationibus juventur.

quòd ſi diabolica fraude vexaretur, benignis cohortationibus & orationibus adjuvetur, modò importunitas vel violentia ejus voluntati non inferatur.

6. Approbationem vérò, vel teprobationem hujuſmodi in peculiari libro, ad hoc duntaxat in Archivio Conventus cuſtodiendo, Cancellarius item Conventus fideliter adnotabit, eámque localis Superior propria de mote ſubſcriptione firmabit.

Receptio vel rejectio Novitii regiſtretur.

Stylus idem in receptione Laicorum, ac Clericorum.

De modo admittendi Novitios Laicos ad Profeſſionem, vel illos ab ea rejiciendi.

TITULUS XX.

Qui de Laici vita teſtimonium ferre debet.

Extenditur prædictum Decretum ad Clericos Novitios extra Seminaria viventes.

IN admiſſione vel rejectione Laicorum Novitiorum ad Profeſſionem eadem omnia ſervanda ſunt, quæ de admiſſione vel rejectione Clericorum ſuperiori titulo decrevimus; niſi quòd Magiſtri Novitiorum vices is Pater, ſub cujus diſciplina in probatione permanſerunt, ſubire, de eiſque teſtimonium ferre debebit; quod etiam Decretum intelligi volumus de iis Novitiis Clericis, qui ob majorem ætatem extra Seminaria ſub alicujus Patris cura in probatione vixerint, ut ſupra dictum eſt.

De modo Profeſſionis emittendæ.

TITULUS XXI.

Profeſſionis emittendæ à Generali poſtulanda facultas.

Ante profeſſionis emiſſionem quid agere Novitius debet.

1. ANtequam ad Profeſſionis emiſſionem accedatur à Generali Miniſtro, quem localis Superior, ſive Novitiorum Magiſter de approbatione facta certiorem reddant, admittendi facultas petenda eſt, & obtinenda; interim verò Novitius profeſſurus divinis rebus ſe totum devoveat, generali confeſſione, continuis orationibus Deo ſeſe commendans, divinúmque auxilium humiliter implorans, ad Profeſſionem ſe præparet.

Localis Superior recipere ad profeſſionem valet.

Tres canonici termini ad profeſſionem.

Teſtes profeſſionis.

Profeſſionis emiſſio.

2. Habito deinde Miniſtri Generalis aſſenſu, localis Superior, cui recipiendi ad Profeſſionem Novitios facultas conceditur, latis primò præfixis de more tribus canonicis terminis, aliquot horarum ſpatio inter ſe diſtinctis; jámque peractis, ſtatutis loco & hora, juxta formam generalis abſolutionis, Novitium profeſſurum abſolvat; ſervatiſque aliis, ùt in Rituali, cæremoniis, coram duobus ſaltem Patribus ad hoc ut teſtibus ſpecialiter advocatis, ad Profeſſionem, juxta formulam inferiùs poſitam, ſi Clericus fuerit, Latina lingua prolatam, ſi Laicus, vernacula excipiet.

Profeſſio notetur.

Teſtes ſubſcribant.

Laicorum profeſſio à quo regiſtrari debet.

Liber profeſſionum.

3. Profeſſionem in libro ad hoc deputato recentes Profeſſi propria manu deſcribant, iique, ac teſtes prænominati propria item ſubſcriptione confirment; Laicorum verò noviter profeſſorum (ſi ſcribere ipſi neſciant) ab aliquo pro ipſis notetur in eodemmet libro emiſſa Profeſſio; ſubſcribant teſtes, ipſi verò ſignum Crucis pro ſubſcriptione apponant. Liber autem præfatus diligenter à Superiore loci cuſtodiatut.

Formula Profeſſionis Clericorum.

EGo Frater N.... voveo, & promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſervare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam, & à pluribus ſummis Pontificibus declaratam, juxta privilegia Ordinis Minorum Conventualium ab Apoſtolica ſancta Sede conceſſa, & Conſtitutiones URBANAS, vivendo in Obedientia, ſine Proprio, & in Caſtitate.

Formula Profeſſionis pro Laicis vernacula lingua.

IO Frate N.... facio voto, e prometto à Dio Omnipotente, & alla Beata Maria ſempre Vergine, al Beato Franceſco, ed à tutti

i Santi, & à te Padre tutto, il tempo della vita mia oſſervare la Regola di Frati Minori, per il Signor Papa Honorio confermata, e da molti Sommi Pontefici dichiarata, ſecondo i Privilegii conceſſi all' Ordine de Minori Conventuali, dalla Santa Sede Apoſtolica, e ſecondo le Conſtitutioni URBANE, vivendo in Obedienza, ſenza Proprio, & in Caſtità.

De ſecundo Seminario.

Titulus XXII.

Ætas Alumnorum ſecundi Seminarii.

1. CLerici profeſſi, qui decimum ſeptimum ætatis ſuæ annum expleverint, ad ſecundi Seminarii loca mittantur, ubi ſub arctioris diſciplinæ irreprehenſibili obſervantia, quouſque Sacris initiandi ſunt, ſub cura peculiaris ac diſcreti Magiſtri modeſtè & humiliter vivant; nullis Conventuum negotiis ſeſe ingerant, aut communibus locutionibus interſint; nullo Conventus officio perfuogantur, ſed ſpiritui ac literis intenti, intra Seminarii ſepta, ab aliis Fratribus omnino diviſi commorentur, nec ſecus ac primi Seminarii Alumni iiſdem inſtitutis & legibus utantur, Magiſter iiſdem qualitatibus præditus ſit, eodémque officio perfungatur, quo primi Seminarii Magiſter (ùt dictum eſt) fungi debet.

Eorundem diſciplina.

Secundi Seminarii adoleſcentes ſegregati ſint ab omnibus.

Magiſtri ſecundi Seminarii.

Studia ſecundi Seminarii.

Lectores ſecundi Seminarii à Provinciali deputentur.

Provincialium hoc negligentium reprehenſio.

2. Bonarum literarum ſtudiis diligentiſſimè incumbant, eritque Miniſtrorum Provincialium præcipua cura, ut, niſi eorum Magiſter idoneus ſit, Lectores probatæ item vitæ & obſervantiæ, qui eos doceant, deputare, omne autem ſtudium, omnémque diligentiam in id adhibeant. Quòd ſi eorum incuria prædictos Profeſſos Præceptoribus ac Lectoribus carere contingat, Generalis Miniſter cum his ſeverius agat, eóſque pœnis etiam ſuſpenſionis ab officio, ſi opus fuerit, afficiat.

Ineptorum ad literas ſtudia.

3. Qui autem ad ſcientias capeſſendas inhabiles ſunt, in aliis facultatibus inſtruantur, caſuum ſcilicet conſcientiæ, ſummis (ùt ajunt) cæteriſque hujuſmodi exercitiis, quæ Religioſum decent, operam non ſegniter navent, ut ſupra dictum eſt.

Provectioris ætatis Novitii.

4. In ſecundis Seminariis permaneant omnes tam Novitii, quàm Profeſſi à decimo ſeptimo expleto uſque ad vigeſimum primum eorum ætatis annum item expletum. Si quempiam autem provectioris ætatis ad Religionis habitum recipi contigerit, qui vigeſimum primum annum non excedat; in ſecundo Seminario pro probatione permaneat; quòd ſi vigeſimum primum exceſſerit, in aliquo Conventus cubiculo, à Fratrum habitatione (quantùm fieri poterit) ſeparato, ſub alicujus probi Patris cura, vel Seminarii Magiſtri probationis annum efficiat.

De Receptione Oblatorum.

Titulus XXIII.

1. OBlati ad Ordinem non admittantur, niſi ſingulis ſervatis, quæ ſacri Concilii Tridentini, & ſummorum Pontificum Decreta ſervanda præſcribunt, & hæc præterea, quæ infra ponuntur, ſtatuta: videlicet ut

Requiſita in Oblatis.

I. Omnia ſua Conventui offerant.

II. Veſtem brevem decenter ac religioſè accommodatam geſtent.

III. Communem prorſus cum cæteris Fratribus vitam degant.

IV. Superiorum localium obedientiæ ſubdantur.

V. Et vigeſimum ſuæ ætatis annum abſolverint.

Extra clauſtra degentibus non concedatur habitus Oblatorum. Ii in filios Religionis cooptari queant, ſi Benefactores ſint.

2. Qui verò extra clauſtra ad libitum evagari, nec Superiorum obedientiæ ſubeſſe voluerint, ſeque tamen, & ſua Religioni devoverint, inter Oblatos non admittantur, nec eis Oblatorum habitus concedatur, ſed inter ſpirituales Religionis filios & amicos connumerentur, eiſque ut Benefactoribus omnium noſtri Ordinis ſpiritualium gratiarum participatio, juxta ſummorum Pontificum Indulta, communicetur.

Juvenes in Conventibus educari prohibitum.

Tranſgreſſorum pœna.

3. Nemo præterea juvenes ſeu pueros quoſcunque, etiam conſanguineos, ſeu quovis modo proximos, ut apud Conventus educentur, ſive intra Conventus commorentur, ſub graviſſimis pœnis ullatenus recipere poſſit; Superiores verò tranſgreſſores, etiamſi id tantùm permiſerint, ab officiis ipſo facto deponantur.

De Veſtitu Fratrum.

Titulus XXIV.

Text. *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur.*

Veſtimentorum honeſtas.

1. VEſtimenta Fratrum tam exteriora, quàm interiora adeò modeſta, adeò religioſa, adeóque ſimplicia ſint, ut nullam vanitatis, levitatis, elegantiæ, ſive ſuperflui cultus ſpeciem præſeferant;

nullo

Color.

nullo modo colorata ſint, ſed cinericii tantùm colóris. Quanquam leviora intrinſeca in æſtate albi duntaxat coloris fieri poſſe concedimus; nullis tamen ornamentis, nullis vanitatibus, nullo luxu religioſis Viris incongrua. Idque præſertim mandamus, ne ſericum quid tam in extrinſecis, quàm intrinſecis veſtibus, vel in earum extremitatibus, vel alibi ullo modo apponatur ſub pœna transgreſſoribus quarta & ſexta feria publicè pane tantùm & aqua jejunandi toties, quoties tranſgredi comperti fuerint.

Nulla in veſtimentis pompa.

2. Ne tamen Fratres noſtri ſæcularibus, exteriſque ullatenus deſormes appareant; néve recentes alter, alter verò vetuſtas, laceras, pannoſáſque veſtes induant, Superioribus ſingulis præcipimus, & mandamus, ne deinceps delinquentes Fratres neceſſarium veſtium ſubtractione, vel in his ſubminiſtrandis ulla unquam dilatione punire audeant, ſed aliis pœnis pro qualitate culparum in eos animadvertant; curéntque, ut (quantùm fieri poteſt) in omnibus veſtimentis, præſertim exterioribus, uniſormitas omnino ſervetur, & quantùm ad colorem, & quantùm ad materiam, & quantùm ad ſormam inferiùs præſcribendam.

Veſtimentorum opportuna ſubminiſtratio.

Veſtimentorum uniformitas.

3. Ipſi verò Guardiani, & alii quicunque Superiores, ſive etiam, ad quos ſpectaverit, Officiales, neceſſaria veſtimenta Fratribus denegantes, ſeu malitioſè retardantes, officiorum privatione eo ipſo incurrant, aliiſque pœnis ſubjiciantur.

Veſtimentorum ſubminiſtrationem retardantium pœna.

4. Pro veſtitu verò & indumentis Fratrum panni integri, ſive etiam diſcepti, vel duntaxat inciſi nullatenus tribuantur, cóque minus pecuniæ ad hujuſmodi tam interiora, quàm exteriora veſtimenta comparanda: ſed ab Officialibus Conventus veſtimenta omnia, tam (ùt præfertur) interiora, quàm exteriora integra, & conſuta fideliter ſubminiſtrentur, aliàs Superiores, etiam tantummodo permittentes, Officiales aliter ſubminiſtrantes, & Fratres quicunque recipientes graviſſimè puniantur; nonnullis autem, qui ex quadam penè intolerabili negligentia veſtes nimiùm lacerant, junioribúſque præſertim non Sacerdotibus Superiores rudiora veſtimenta, dummodo uniformia ſint, ſuppeditare curabunt.

Veſtimenta ipſa, non panni, vel pecunia Fratribus tribuantur.

Superiorum permittentium pœnæ.

Rudiora veſtimenta.

5. Exterior tunica religioſo more compoſita deferatur, nec longa nimiùm, vel brevior, nulláque ſit à latere ſciſſura, qua manus intrinſecùs inferantur,

Tunica exterior.

nec aliud quidplam, quod religioſam paupertatem, modeſtiam, munditiémque offendat. Interior verò tunica eodem modo ſimplex ſit, non vanitati, ſed neceſſitati ſerviens.

Interior.

6. Caputium conſimiliter ſimplex ſit, non ſericis intrinſecùs munitum, ſed ſimplici ſutura ſic decenter ſormatum, ut ab anteriori parte ultimum pectoris in ſorma orbiculari operiat; à poſteriori verò in forma pyramidali ad cingulum uſque protrahatur: ea verò pars, qua caput obtegitur, rotunda, ſimpléxque ſit, nil apicis, vel alterius ſormæ in cacumine habens.

Caputium.

7. Chorda præterea rudis ſit, & religioſo ſtatui accommodata; ſubtilior æquò non deſeratur, ſed mediocris, nec tantæ craſſitudinis, ut ab aliis differat, & indecentiam pariat; non nimio ſtudio vel artificio elaborata, ſed ſimplicibus nexibus de morè aptè & religioſè compoſita.

Chorda.

8. Pallia pariter ſimplicia ſint, & abſque manicis, exteriori tunica breviora, nullis ſciſſuris, neque aliis vanitatibus ornata. Collare (ùt ajunt) breve ſit, trium digitorum menſuram non excedens. Horum verò uſus Prælatis, & Sacerdotibus conceditur; eiſque, cùm opus fuerit, præterquam in publicis ſupplicationibus, iis tantùm uti liceat. Laici verò breviora geſtabunt, ſuæque conditioni & ſtatui magis conformia.

Pallia.

Eorum uſus.

9. Bireto nigro ſacræ Theologiæ Magiſtris, cùm inſignia Doctoratus ſuſcipiunt, & in actu diſputationis (ubi fuerit conſuetudo) liberè uti conceditur. Bireta verò communia decentia ſint, & non nimiùm in latitudinem extenſa; his Sacerdotes tantùm, præterquam in Eccleſiis, & publicè in civitatibus & locis uti queant. Aliis autem Fratribus, Laicis præſertim, interdicitur; quòd ſi ad ſanitatem eis fuerit opus, non biretum, ſed brevius operculum, & undequaque æquale deſerre poſſint; ſi qui verò non ad neceſſitatem, ſed ad pompam & faſtum potiùs, nec religioſa modeſtia eo utetentur, à Superiore coërceantur, & puniantur.

Bireti nigri uſus.

Bireta communia.

Eorum uſus.

10. Pileorum quoque uſus, quando fuerit opus, Fratribus ſingulis concedatur. Domi verò, aut in Choro, vel in Eccleſia, & Proceſſionibus, niſi aliter Superioribus videatur, eorum uſus prohibetur. Sit autem cinericii coloris, modeſtæ formæ; ex eáque parte, qua caput tangit, ſi neceſſe ſit, modeſta ali-

Pileorum uſus.

Color.

Forma, & ornamenta.

qua vitta ejusdem coloris, quæ trium digitorum latitudinem non excedat, operiatur.

Subuculæ. Uſus ipſarum. Collare.

11. Quia verò ex ſummorum Pontificum permiſſu inrerulas, ſeu camiſias geſtare poſſumus, ideo à quibus lineæ deſeruntur, modeſtè ita, religioséque deferantur, ut nullo modo, neque ex ſuperiori parte, neque ab extrema brachiorum videri poſſint; quòd ſi circa collum quidpiam ad munditiem conſervandam apponendum ſit, ita breve, ac depreſſum apponatur, ut à nemine penitus videri poſſit.

Veſtimentorum interiorum religioſitas.

12. Alia autem intrinſeca veſtimenta, præter coloris cinericii & albi modeſtiam, etiam in forma, religioſam humilitatem redoleant, nullis ſciſſuris ornentur, ſericis non muniantur, manicæ in extrema parte non ſcindantur, neque orbiculis claudantur, ſed in omnibus materiam lineam vel laneam, colorémque religioſum comitentur: diligentérque animadvertant Prælati, ne Decretum hoc ullo pacto violetur, ſed ab omnibus Fratribus, quicunque illi ſint, inviolabiliter obſervetur.

Tibialia.

13. Tibialia præſertim modeſtiam, & Religionem præſeferant, non colorata, nec nimio artificio elaborata ſint, ſed ſimplicia, & in omnibus ſtatui Seraphicæ paupertatis & humilitatis conformia.

Calceamenta. Crepitæ. Tranſgreſſores puniantur.

14. Calcei quoque albi non ſint, nec ad vanitatem & elegantiam efformati, ſed clauſi, & ſine occellis deferantur; ſimiliter crepitæ abſque ſuperfluis ornamentis geſtentur, qui ſecus fecerit, à Superiore corrigatur, eique prædicti calcei, etiamſi novi fuerint, auferantur, vetuſtioréſque denuò viles, & modeſti concedantur.

Manicæ pelliceæ. Quando earum uſus conceſſus. Tranſgreſſorum pœnæ.

15. Manicis pelliceis uti Fratribus omnibus interdicitur; quòd ſi urgente neceſſitate cuipiam neceſſariæ eſſent, ea lege à Superioribus concedantur, ut pellis extrinſecùs nullo modo appareat; nec operculum coloris ab habitu alieni ſit, ſed ejuſdem coloris ac materiæ; qui verò aliter manicas haſce geſtaverint, pœnis coërceantur, & corrigantur.

Lintea ſupellex. Lectulorum ornamenta interdicta cum pœna.

16. Lintea quoque pudariola ad abſtergendas manus, linteola ad emungendas nares, & alia id generis neceſſaria ſupellex ſimplex ſit, non pretioſa, nec aliis ornamentis compacta. In lectulis autem ſerica, aut picta conopea, ſive ſtragula quibuſvis Fratribus prohibentur, tranſgreſſores ablatione rerum puniantur; quæ ſi venales fuerint, eo ipſo vendantur; pecuniæ verò Sacrario & Eccleſiæ applicentur.

Veſtimenta ſuperflua & vana tenentes puniantur.

17. Si quis verò contra Decreta præſcripta veſtes ſuperfluas, vanas, aut Religioſis incongruas geſtare, ſive ſuperflua quæcunque, vel etiam veſtes hujuſmodi prohibitas apud ſemet, vel alibi abſconditas retinere auſus fuerit, ſeveriùs puniatur.

Sine habitu etiam intra clauſtra viſi pœnis afficiantur.

18. Fratres præterea, quicunque illi ſint, coram Sæcularibus præſertim, & exteris, ac etiam noſtri Ordinis Fratribus, nec in Conventu, nec extra ſine habitu ullo pacto apparere præſumant; qui ſecus fecerint, à Conventu, ubi de familia collocati fuerint, eo ipſo expellantur.

De Veſtiario, ſeu Depoſito.

Titulus XXV.

Veſtiarii inſtitutio. Veſtiarii liber.

1. Veſtiarii, ſive Depoſiti locus ad majorem Fratrum commorantium commoditatem, prædictorúmque omnium exactiorem obſervantiam in unoquoque Conventu deputetur. Omnia ibi veſtimenta Fratrum tum lanea, tum linea ſeparatim tamen aſſerventur; eáque omnia, quæ ad ipſos denuo induendos neceſſaria fuerint, diligenter cuſtodiantur. Liber etiam, in quo quidquid veſtitus gratia pro ſingulis expenſum fuerit, fideliter adnotetur, & apud veſtiarii Cuſtodem reperiatur, qui ſtatuto tempore rationem reddere teneatur.

Cuſtodia rerum in depoſitum congeſtarum, & ſubminiſtratio. Superabundantium diſpoſitio.

2. Præcipitur autem, & mandatur, ut mobilia Fratrum ſuperflua, poſtquam in depoſitum tranſlata fuerint, ita aſſerventur, & cuſtodiantur, ut his, qui tulerint, loco & tempore de localis Superioris licentia neceſſaria ſuppeditentur; quòd ſi indies ſupererint, à nemine de iis, niſi à Provinciali Capitulo, ſive Capitulari Congregatione (ùt de pecunia decretum eſt) diſponi poſſit.

Veſtiario præfectorum munus. Supellectilia ſubminiſtratio.

3. Veſtiario, ſeu depoſito prædicto unus, aur juxta Fratrum commorantium numerum duo ex Fratribus præficiantur. Hujus, ſeu horum officium ſir, ſingula quaque hebdomada, æſtivo præſertim tempore, ſemel ſaltem pulverem à pannis excutere, & unicuique (prout fuerit opus) conſcio Superiore, debita veſtimenta tradere, ſingulis Sabbati diebus opportunè in ipſo veſtiarii loco Fratres recentes veſtes ſuſcepturos, diebúſque

Domi-

Dominicis ſordidas relaturos, benignè, patientérque exſpectare.

Veſtium lavacrum.

4. Ad veſtes præterea Fratrum quaſcunque (ùt decet) purgandas lavatorium in unoquoque Conventu (ſi fieri poterit) conſtruatur; ubi verò id fieri nequeat, Depoſitarius, ſeu Procurator Conventus de Superioris conſenſu externas ad miniſterium perſonas adhibeat. Nemo tamen ſuas quovis prætextu exteris quibuſcunque veſtes emundandas ſub pœnis ad Superioris arbitrium luendis ullatenus deſerat. Sacras verò veſtes ab aliis ſeorſim, ne cum profanis ullo modo admiſceantur, emundari ſtatuimus.

Externæ perſonæ ad veſtes emundandas.

Sacrarum veſtium emundatio.

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT III. REGULÆ.

De Divino Officio.

TITULUS I.

Text. *Clerici faciant Divinum Officium ſecundùm ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

In Dei cultum debita diligentia.

1. Nil adeo pervigilem curam, omnimodámque tum Prælatorum, tum cæterorum Fratrum diligentiam exigit, quàm ea, quæ Dei honorem, ejúsque Eccleſiæ cultum reſpiciunt. In iis itaque maximam adhibendam eſſe ſolertiam, maximámque animorum occupationem impendendam, & quia Chriſtiani ſumus, & quia Religioſi, multiplex ratio ſuadet.

Divinorum Officiorum tempora.

Matutinum.

Prima.

Cæteræ Canonicæ Horæ.

Nona.

Veſperæ & Completorium.

2. Statutis igitur horis divina Officia celebrari decernimus; matutinæ Laudes media nocte (ubi conſuetudo fuerit) vel paulò pòſt in inſignioribus Conventibus recitentur; alibi verò ea ſaltem hora, ut albeſcente die, & laudibus ipſis, & orationi mentali finis impoſitus ſit. Prima in inſignioribus quibuſcunque Conventibus, & in aliis omnibus, ubi congruus Fratrum numerus fuerit, à matutinis Laudibus diſtincta, orto jam Sole, recitetur. Reliquæ verò horæ, juxta ſacros Romanæ Eccleſiæ ritus, temporum varietate, & concionandi occaſione (ſi aderit) ut in Rituali Romano ordinatur, diligenter attenta, celebrentur. Nona tamen à feſto Inventionis ſanctæ Crucis ad feſtum uſque Exaltationis ipſius, præterquam diebus Jejunii, poſt prandium, peractis gratiarum actionibus, in Eccleſia recitetur; aliis verò temporibus, juxta præcitatos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritus, Veſperæ pariter & Completorium debitis horis recitentur.

3. Diſtrictè præcipitur, & ordinatur, ut in omnibus ad divina officia pertinentibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritus, & cæremoniæ Romani etiam Breviarii Rubricæ tam quoad cantum, & recitandi modum, quàm quoad omnes alias cæremonias ſtandi, genuflectendi, ſedendi, inclinandi, operiendi ſingillatim ab omnibus obſerventur. Officium item beatæ Mariæ Virginis parvum, ac Officium Defunctorum ſingulis anni temporibus, etiam Adventus, & Quadrageſimæ, & aliæ piæ ſupplicationes ſuperadditæ, juxta Rubricas generales, recitentur.

Romanorum rituum & cæremoniarum obſervantia.

Officium B. M V, Defunctorum, &c.

4. Sanctorum noſtri Ordinis Officia tum propria, tum communia, juxta ſummorum Pontificum Indulta, celebrentur. Officium inſuper ſancti Caroli olim noſtri Ordinis Protectoris ſub ritu duplici celebretur. Singulis quoque menſibus, prima die non impedita, ex conceſſione felicis recordationis Pauli Quinti, Officium Seraphici Patris noſtri ſancti FRANCISCI recitetur. Celebrentur præterea ſolemnitates illæ, quæ ex antiqua noſtrarum Eccleſiarum, approbatáque conſuetudine à ducentis circiter annis celebrari conſueverunt. Ordinaria quoque Diœceſanorum in ſuis Diœceſibus à Fratribus obſerventur, & aliæ feſtivitates, quæ ex voto vel devotione Univerſitatum celebrari ſolent, ab ipſis quoque devotiſſimè celebrentur, juxta Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſacróſque Romani Cæremonialis & Rubricarum (ùt præfertur) ritus.

Noſtrorum Sanctorum Officia.

Officium S. Caroli duplex.

Officium S. P. Franciſci ſingulis menſibus.

Solemnitates Ordinis.

Diœceſis feſtivitates.

5. In ſingulis itaque Conventibus Romanum Cæremoniale reperiri præcipimus, juxta quod omnia ad divina Officia pertinentia regulanda ſunt; curabit itaque Generalis Miniſter, ut Cæremoniale præfatum additis, quæ ex noſtro Inſtituto præter divinum Officium ſpiritualia exercitia fieri ſolent, typis Religionis expenſis detur, ac ſingulis Con-

Cæremonialis Romanorum uſus.

Cæremoniale Romanum imprimatur.

ventibus diſtribuatur, deputetúrque à Superiore aliquis Fratrum, qui in id diligenter incumbat, ut ſingula ſingillatim ejus nutu ab omnibus obſerventur.

Ad divina Officia Præparatio.

6. Ante Divini Officii ſignum Novitii, vel alii quilibet ad Churi miniſterium ex munere deputati, eò humiliter accedentes, quæ præparanda fuerint, libros, luminaria, emunctoria, lectorilia, cæteraque omnia neceſſaria diligenter præparent.

Ad Chorū pro divinis canendis univerſalis acceſſus.

Excepti.

7. Dato verò Divini Officii ſigno, Fratres quàm citiùs DEO ſe ſe, cordaque ſua humiliter parantes ad Chorum accedant. Nemoque Fratrum, quicunque illi ſint, immunis à Choro cenſeatur; ſed omnes ad divinas DEO perſolvendas laudes, & ad ſingulas canonicas horas, Conventualeſque Miſſas cum debita tanto loco, tantæque majeſtati modeſtia, ac reverentia convenire teneantur (iis tantùm, qui proprii muneris tunc temporis exercitatione ex Superioris ſcientia, vel alia rationabili occupatione detinentur, exceptis.) Reliqui verò nullius privilegii prætextu, nullius præeminentiæ, & ſuperioritatis intuitu ullo pacto ab hoc debito excipiantur.

Immunes à Chori frequentatione.

Dum ſtudentes lectionibus interſunt. Cæteri Choro aſſiſtant.

8. Qui verò lectionibus, vel concionibus actu occupantur, eo tempore ex Superiorum conceſſione immunes ſint, infirmi præterea, ſenioreſque ac debiles, & impotentes ad Superiorum arbitrium diſpenſentur. Itemque lectores publici, & qui publica ſtudiorum, vel neceſſariorum Conventus negotiorum cauſa detinentur; Quòd ſi Baccalaureos, ac Studentes, quo tempore divina perſolvuntur, lectionibus intereſſe oporteat, cæteri omnes Choro aſſiſtant, nec ullo pacto ad lectiones cum præfatis Fratribus pergant, Lectores verò, qui alios, quàm Baccalaureos, & Studentes ſumerent, lectura priventur.

Divinorum religioſa perſolutio.

9. In pſallendo verò, & concinendo Religioſa modeſtia, debituſque recitandi modus ſervetur, non acceleratè nimis, non perturbatè, ſed reverenter, attentè, devotéque divinæ laudes celebrentur.

Ad librum Chori modeſtus acceſſus. Vicarii, vel Choro præfecti munus

10. Ad librum, cùm opus fuerit, non tumultuariè, ſed reverenter, modeſtéque omnes accedant; Quæ verò ad Divinum Officium ſpectantia pertinent, ſolus Vicarius, vel alius quiſpiam, cui incumbat, ex munere, diligenter, accuratéque moderabitur.

Poſt principium officii accedentes. Diſceſſus à Choro. Digniori in Choro exiſtenti obedientia.

11. Qui inchoato Officio ad Chorum acceſſerint, facta debita ipſi Altari, Superiorique, ac ipſis Fratribus reverentia, cæteris in pſallendo adjungantur, quæ omiſerint, opportunè poſtea recitaturi. Nullus à Choro niſi petita, & obtenta à Superiore licentia diſcedere audeat; quòd ſi quando Superiorem, & Vicarium, ſivè alium quempiam Prælatorum abeſſe contingat, dignior ex his, qui Choro interſunt, Superioris locum obtineat; ipſique & diſceſſus, & quorumcumque ad Divinum Officium ſpectantium gratia, reverentia, & obedientia à cæteris omnibus humiliter præſtetur.

Aliena à Choro. In Choro prohibita.

12. Dum Divina perſolvuntur Officia, omnibus Fratribus diſtrictè præcipitur, & mandatur, nè loqui, ſtudere, legere, ſeu quidpiam aliud à divinis laudibus alienum efficere ullo modo præſumant; Tranſgreſſores verò à diſcreto Superiore puniantur, & corrigantur.

Tempore officiorum non audiantur confeſſiones.

13. Quamdiu divina celebrentur, nemini prætcrquàm ex neceſſitate, & de Superioris conſenſu, ubi præſertim inſufficiens Fratrum numerus, reperitur, audiendis confeſſionibus operam dare liceat.

Extranei in Choro non admittantur.

14. Extraneis niſi Religioſi, aut Eccleſiaſtici fuerint, dum peraguntur divina, Chorum ingredi, ibique permanere, niſi rationabili de cauſa, nullatenus permittatur.

Feſta, quibus in matutino cantus adhibetur.

15. Matutinæ laudes iis diebus, quibus cantari in noſtris Eccleſiis ſolemniter ſolent, devotè cantentur. In feſtis itaque primæ claſſis nona lectio, *Te Deum*, Capitulum, Hymnus, & *Benedictus* cantentur. In aliis autem feſtis duplicibus, & Dominicis nona tantùm lectio, & *Te Deum*: In Dominicis verò Adventus, & Quadrageſimæ Capitulum, Hymnus, & *Benedictus*. Si quæ verò laudabiles conſuetudines in aliquibus noſtri Ordinis Eccleſiis reperiuntur, ſervari poterunt.

Pro Benefactoribus preces Matutino annectendæ.

16. Poſt Matutinum verò (exceptis ſolemnitatibus primæ, & ſecundæ claſſis) pro benefactoribus vivis, & mortuis DEO, preces fundantur, quamobrem Pſal. *Deus miſereatur noſtri*, & *De profundis*, cum ſolitis precibus, & oratione devotè dicantur.

Tertiæ & Miſſæ cantus.

17. Tertia item in inſignioribus cantetur, & debitis horis Miſſa juxta Sacrorum Rituum ordinationes, ſi pro De-

fun-

functis ſit, vel aliàs quomodolibet, ut ibi decernitur.

Veſperarū cantus.

18. Veſperæ quoque in inſigniorum Conventuum Eccleſiis ſemper cantentur; alibi verò, ubi ſufficiens Fratrum numerus reperitur, ſaltem à Capitulo, & deinceps.

Organorum, & Muſices uſus.

19. Ad majorem inſuper DEI gloriam, Populorumque ædificationem Organorum ſonus, & muſicæ cantus, tùm in Miſſis, & Veſperis, tum in aliis horis, ſi opus ſit, vel juxta Eccleſiarum laudabiles conſuetudines conceditur, ea tamen lege, ut juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, ſonus Organorum laſcivus non ſit, vel impurus, ac ut omnia alia, quæ à Romano Cæremoniale ordinantur, diſtinctè, omnimodéque ſerventur. Completorium quoque in inſignioribus Conventibus, vel ubi fuerit, ſufficiens Fratrum numerus, cantetur.

Chori cultum negligentes Superiores corrigantur. Chorum non frequentantium pœnæ.

20. Superiores autem locales, qui Choro non legitimè impediti intereſſe, vel ut alii interſint, curare neglexerint, à Generali Miniſtro, & Provincialibus graviter corrigantur, & puniantur; Fratres autem, qui divinis laudibus, & Choro intenti ex debito non fuerint, à Superiore priùs moneantur, quòd ſi ulteriùs pertinaciter, quæ DEI, & Chori ſunt, neglexerint, tum ſubtractione obſonii, & aliis mortificationibus, publiciſque genuflexionibus, tum ab exitu Conventus prohibitione, publica diſciplina, carcere inſuper, & ſi opus fuerit, ab eo Conventu, ubi de familia commorantur, expulſione ſeverè puniantur.

Laicorum preces pro Officio Acceſſus ad Chorum.

21. Laici quoque Officium ſuum ad præſcriptum Regulæ devotè perſolvant, Chorum, niſi aliis Conventus neceſſariis exercitiis occupentur, ſemper frequentent; ad Matutinum præſertim continuò ſurgant, atque in Choro cum aliis Fratribus ſuas DEO preces humiliter fundant.

Emundatio Chori Sacriſtæ cura.

22. Sacriſtæ munus ſit Chorum frequenter expurgare, omnique munditia, & decentia præparare. Adſint capſulæ arena, vel alia ſimili materia ſæpius renovanda, ad exſpuendum aptæ, cæteraque omnia, quæ ad munditiem pertinent, diligenter curet.

Choralis ſupellex à Superiore curatur.

23. Breviaria inſuper, Pſalteria, Martyrologium, libroſque omnes ad canendum neceſſarios Superior providere, ſivè ut alii ſedulò provideant, diligenter curare teneatur, eaque omnia, quæ ad divinum cultum quomodolibet pertinent, & ante alia quælibet præ oculis habeat.

De Miſſarum celebratione.

TITULUS. II.

Sacerdotum ad Sacra præparatio. Vocari ad celebrandum accedant. Diſtributio Miſſarum. Celebrare impeditus.

1. OMnes noſtri Ordinis Sacerdotes, quorum vitam ſic immaculatam traducere intereſt, ut Angelica potiùs, quàm humana ſit, ad tremendum Miſſæ Sacrificium quotidiè celebrandum, ita ſe ſe diſponant, ut Sacramentali confeſſione expiata conſcientia, ſactaque debita præparatione, cùm evocati fuerint, continuò ad celebrandum accedant; ſicque diſtribuantur quotidiè Miſſæ, ut juxta Sacerdotum numerum Populis ubicumque ſatisfiat. Si quis autem ex indiſpoſitione celebrare non poſſit, Sacriſtam opportune præmoneat, ut in ejus locum alium ſufficere valeat.

Tempus celebrationis cuilibet per tabellam deſignandum. Tranſgreſſorum correctio.

2. Nè tamen ob multiplicitatem Sacerdotum confuſio aliqua oriretur, quæ Populis ſcandalum, Fratribus turbationem afferret, præcipitur, ut in inſignioribus Conventibus, ubi plures Sacerdotes degere ſolent, à Vicario quolibet Sabbato Sacerdotes celebraturi ſuis præfixis horis in tabella, quæ deindè in aliquo perſpicuo Sacriſtiæ loco affigenda erit, deſcribantur; ac juxtà præfatam ſeriem Sacerdotes ad celebrandum conveniant, ſi quis verò defuerit, à Superiore corrigatur, ac prout expedire videbitur, puniatur.

Hebdomadarius in tabella deſignetur.

3. In hac eadem tabella Vicarius alternatim omnes illos deſcribat, ad quos hebdomadarii (ut ajunt) munus ſingulis hebdomadis, pro miſſis canendis, aliiſque ſacris functionibus peragendis ſpectabit.

Qui in hebdomadarium ſtatuendi. Exempti. Tranſgreſſores.

4. Decernitur autem, ut Patres omnes, Baccalaurei, & Studentes huic muneri hebdomadariatus æque ſubjaceant. Excipiuntur autem Patres ſinguli quinquageſimum ætatis annum excedentes, Magiſtri omnes, Concionatores, Lectores, & alii omnes ſtudiorum, vel lectionum occaſione aliàs exempti. Qui verò tertio moniti recuſaverint, utraque voce priventur.

Miſſa Conventualis de officio.

5. Miſſa, quam Conventualem vocant, regulariter cum Officio, niſi alia rationabilis adeſſet cauſa, ſemper conveniat, ita ut ob nullam cujuſcumque ſpecialem devotionem prætermittatur, eaque (ut præmiſſum eſt) juxta Romani

Cære-

Duæ Miſſæ quando cantandæ.

Cæremonialis decreta ſtatutis horis, & modis decantetur: tempore verò Quadrageſimæ, & aliis, quibus duas Miſſas cantari in Collegiatis ſolitum eſt, etiam in noſtris Eccleſiis, ubi fuerit ſufficiens Fratrum numerus, cantentur, ſervatis quoad omnia debitis cæremoniis, & horis.

S. R. E. ritus in celeb. Miſſæ inviolabilis. Nuvi ritus non inducantur.

6. Singuli noſtri Ordinis accuratè addiſcere, adamuſſimque omnes, & ſingulas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in Miſſis celebrandis cæremonias obſervare teneantur. Novos ritus, novaſque cæremonias inducere, ſeu ullo modo ſervare ne præſumant. Qui verò rudes nimiùm, ac ſanctorum rituum ignari reperirentur, vel nimiùm balbutientes nullo pacto celebrare permittantur; Ob idque Provinciales Miniſtri, Viſitatoreſque Provinciarum ſolertem adhibeant curam, ut Fratres quoslibet notabiliter rudes, earumque cæremoniarum (ut præfertur) ignaros, à celebratione ſuſpendant, donec pleniorem, omnimodamque eorum, ad quæ tenentur, notitiam calleant.

Notabiliter rudes ſuſpendantur.

Actiones in Miſſa ſine devotione aptæ. Motus corporis. Vox. Omnia ritib. conformia. Acceleratio, & prolixitas nimia.

7. Pronunciationem quoque in Miſſis celebrandis, & aliam quamcunque exteriorem actionem, ita regant, & moderentur, ut non propriæ tantùm devotioni, verùm etiam circumſtantium ædificationi (ut par eſt) inſerviant. In motu enim, in corporis inflexionibus, in vocis moderatione, in iiſque pronunciandis, quæ partim ſecretò, partim clara voce legenda ſunt, ita ſe ſe Sacerdotes coaptent, ut nihil diverſum, nihil immutatum, alienum nihil à præſcripto ſacrorum Rituum ullo modo appareat. Nimiam celeritatem, quod interruptis verbis, imperfectis genuflexionibus, ac ſignis crucis, circumſtantes confundat, prolixitatem etiam, quod tœdium illis afferat, omnino vitare teneantur.

Novæ Miſſæ.

8. Ii verò, qui ad Presbyteratus Ordinem denuo promoti fuerint, primas Miſſas celebrari ſolemniter poſſint; nulli tamen quæſtus, nullæ pecuniarum, ſeu aliarum rerum oblationes fieri valeant.

De Miſſarum obligationibus.

TITULUS III.

Miſſarum redditus examinentur.

1. Eccleſias ferè omnes Ordinis noſtri multis obligationibus, ſive Capellaniis (ut ajunt) vel Cappellaniarum erectionibus indebitè gravari reperimus; quamobrem ut juſtè (veluti decet) ſubleventur, decretum eſt, ut in ſingulis Religionis Conventibus ſcripturæ omnes pro legatis Miſſarum, aliorumque divinorum Officiorum olim à Majoribus noſtris receptæ diligenter, fideliterque diſcutiantur, quòd ſi data Eleëmoſyna tenuis ita ſit, ut minimè ad ſatisfaciendum ſufficiat, moneantur Hæredes, qui ſi Eleëmoſynam oneri ſufficientem ſupererogare negaverint; in primo à publicatione iſtarum Capitulo, ſive Capitulari Congregatione Miſſarum, ſeu Capellaniarum reductio ex ſacri Tridentini Concilii decreto fiat.

Miſſarum reductio.

Reductionis ſumma

2. Legata igitur, quæ inſufficientia ſunt, tot ſimul jungantur, quot ad Conſtitutionem annui redditus ſexaginta ſcutorum ſufficiant, pro hiſque quotidie celebretur, & ubi plura hujuſmodi legata fuerint, eodem fermè ordine ad ejuſdem taxæ rationem diligentius reducantur: ita tamen ut eorum Defunctorum, qui præfata Legata reliquerunt, commemoratio habeatur, juxtà Sacri Concilii Tridentini Decreta, ipſaque Legata ſic reducta in tabella obligationum Conventuum accuratè deſcribantur.

Commemoratio defunctorum etiam facta reductione fiat.

Miſſarum reductio ſemel facienda.

3. Poſt hanc autem primam reductionem in primo (ut præfertur) ab harum Conſtitutionum publicatione Provinciali Capitulo, vel Capitulari Congregatione faciendam, reductiones Miſſarum denuo fieri quacunque ex cauſa penitus interdicitur.

Obligationes Miſſarum non recipiendæ.

4. Quapropter decernitur, diſtrictéque ordinatur, ne deinceps in Eccleſiis noſtri Ordinis hujuſmodi Capellaniarum erectiones, niſi Cappella ſufficienti dote donentur, ullatenus admittantur. Sufficiens autem dos cenſenda eſt, ſi Cappellaniæ, cui quotidiè ſemel celebrandi onus annectitur, ſexaginta ſcutorum pro ſuſtentatione Cappellani, ſupellectili congrua, aliiſque ad Miſſarum celebrationem neceſſariis annuus redditus adjungatur.

Vel quomodo. Capellæ Dos.

Obligationes perpetuæ qualiter acceptandæ.

5. Miſſarum, ſeu Divinorum Officiorum onera perpetua Legatis vel aliis diſpoſitionibus adjecta, ne acceptentur, niſi ad formam præſcriptam. Hi verò Prælati ſub pœna depoſitionis ab Officiis, non niſi ſervatis his conditionibus, facultatem concedant, ſi ſecus fecerint, acceptatio nullius valoris ſit, & ipſi præfatis pœnis rigoroſè ſubjaceant.

Receptæ in Capitulo referantur.

6. In Capitulis Generalibus, vel Provincialibus fiat hujuſmodi acceptatio-

num relatio, ut, an ſervatæ fuerint debitæ conditiones, nec ne, à toto Capitulo judicari poſſit.

Recipiendi facultas quando danda.

7. Facultas autem hujuſmodi nullatenus concedatur, niſi priùs diligenter de ſingulis celebrandarum Miſſarum obligationibus unicuique Conventui eandem facultatem expoſcenti incumbentibus inquiratur, tum verò ſi jam ſuſceptis ſatisfacere poſſit, concedatur, ſin autem, nequaquàm.

Legata cum onere perpetuo in bona ſtabilia convertenda. Oneris mentio.

8. Perpetuorum Legatorum pecuniæ, diſtrictè præcipitur, ut Conventus nomine in tot bona ſtabilia convertantur, ac re ipſa inveſtiantur cum expreſſa oneris, quod illis annexum eſt, individuaque mentione; ſi verò eadem bona ſtabilia auctoritate Apoſtolica ullo modo alienari contigerit, eorumdem prætium in aliis bonis pariter ſtabilibus, & fructiferis cum ejoſdem oneris repetitione, & annexione converti debeant, quorum annui redditus à ſolo Conventu, & non aliter exigantur ſub pœnis ſupradictis.

Obligationes ad tempus.

De his autem obligationibus, quæ ſunt ad tempus, ne importabile onus addatur, cæterorum noſtri Ordinis inſtitutorum in earum acceptatione præcipua ratio habeatur.

Eleëmoſynæ pro Miſſis quãdo accipiendæ.

9. Oblationes, quæ pro Miſſis celebrandis in dies deferuntur, parcè ita admittantur, ut iis brevi ſatisfieri poſſit; quinimmò ubi ſufficiens Sacerdotum numerus non haberetur, à quibus prædictis Eleëmoſynis ſatisfieri poſſet, vel non recipiantur, vel aliis Sacerdotibus id ipſum ſatisfaciendi onus, eaſdem Eleëmoſynas eis tradendo, imponatur.

Quando aliis tradendæ.

Si Eleëmoſynæ hujuſmodi quotidianæ exiguæ fuerint, & inſufficientes, non recipiantur, alioquin, exiguitate non obſtante, ad ſatisfactionem, vel reſtitutionem penitus obligantur.

Ubi, & quando non licet diurnas Eleëmoſynas recipere. Ordo ſatisfactionis pro Miſſis. Provincialium cura.

10. Ubi verò perpetuæ Miſſarum obligationes exiſtunt, præfatæ quotidianæ ad Miſſas votivas Eleëmoſynæ, niſi in eo Conventu ſufficiens Sacerdotum numerus ad ſatisfaciendum reperiatur, nullatenus acceptentur. Sacerdotes autem præfati perpetuas primùm, deinde temporarias, ac conſequenter quotidianas obligationes fideliter impleant, qua in re Provincialium Miniſtrorum, aliorumque Ordinis Prælatorum conſcientias oneramus.

Perpetuarum obligationum tabula. Miſſarum in dies celebr.

11. In ſingulis noſtri Ordinis Eccleſiis conficiatur obligationum Tabella, ibique Altarium nomina, & obligationum cauſæ ſubiiciantur; & in aliquo conſpicuo Sacriſtiæ loco exponatur. Adſit præterea in quibuſcunque noſtri Ordinis Conventibus, & locis liber, in quo Miſſæ ſingulis diebus celebrandæ notentur. Deſcribantur autem Sacerdotum nomina, Altaria, ubi celebrandum fuerit, obligationes, quibus ſatisfaciendum erit, & an pro vivis, vel pro Defunctis offerendum ſit.

Liber, & uſus. Votivarum Miſſarum liber.

12. In alio item libro Eleëmoſynæ pro Miſſis votivis quotidiè obvenientes, & Sacerdotes iiſdem ſatisfacientes deſcribantur; & in Refectorio ſingulis diebus eorum omnibus Fratribos perlegantur. Deſcribantur autem ſic vernacula lingua.

Adi . . . . N. . . . .

Per una Meſſa dello Spirito S. un giulio. b. 10

Per due per un Defonto due giuli. b. 20

Uſus.

Et ſic de ſingulis.

In tutto giulii tre. b. 30.

E contrà verò ſcribatur ſic.

Adi &. . II. P. N. diſſo la retroſcritta Meſſa.

Et ſic de ſingulis.

Liber conſervetur.

Libellus autem in aliquo tuto loco ſervetur, ut tempore viſitationum Provinciales Miniſtri, & alii Superiores, an ſatisſactum fuerit, nec ne, diſtinctè cognoſcere poſſint.

Obligationum ſatisfactioni invigilent Superiores.

13. Provinciales autem Sacriſtis, Vicariis, aliiſque Sacriſtiæ, aut Eccleſiæ Præfectis, præcipuè verò localibus Superioribus diſtrictè præcipiant, ut omni cura, omnique diligentia accuratè invigilent, ne eorum negligentia piæ Benefactorum voluntates defraudentur. Horum verò muneris erit Provincialem Miniſtrum conſulere, ſi ex aliqua cauſa præfatis obligationibus ſatisfieri haud poſſet.

Decretorũ Obſervantia. Tranſgreſſores.

Provinciales itaque Decreta hujuſmodi ab omnibus obſervari curabunt, omnique ſeveritate tranſgreſſores, eoſque præſertim, ad quos ſpectaverit, ſive Superiores, ſive ſubditi fuerint, liberè puniant; & pœnis etiam privationum Officiorum afficiant.

Sacerdotes ad libitum non celebrent.

14. Sacerdotibus præterea ſingulis cujuſcunque ſtatus, & conditionis fuerint, ne eorum arbitratu, & voto Miſſæ Sacrificia abſque Superioris licentia offerant, interdicitur. Ad diſpoſitionem verò, & ordinem Sacriſtæ, ſeu ejus, ad quem ſpectaverit, eadem Sacrificia piè, devotéque offerant.

Capellaniæ extra noſtras Eccle.

15. Ulteriùs præcipitur, ne Eccleſiæ, ſeu Cappellæ cum onere extra noſtras

ſias. Cura animarum.

ſtras Eccleſias celebrandi ullatenus acceptentut, neque impoſterum Fratres noſtri animarum curam ſuſcipiant, niſi ſecus Provinciali Miniſtro alia rationabili ſuadente cauſa videretur.

De Sacriſta, & de iis, quæ ad Eccleſiam, Sacella, & Altaria pertinent.

Titulus IV.

Sacriſtiæ Munditics, & religioſitas.

1. IN Sacriſtia munditia imprimis, ac perpetuus nitor appareat; nihil indecorum, nihil inornatum, profanum præcipue nihil penitus admittatur, ſed omnia munda, omnia ſancta, omnia demùm adeò benè compoſita, ut ædificarionis, ac ſanctitatis ſpecimen omnibus præbeant. Adſit ibi unum, vel ſi fuerir opus, plura crepidarum paria, quas Sacriſta pro exteris Sacerdotibus, qui eis uti vellent, diligenter cuſtodire teneatur, indeque à nemine ullatenus aſportentur. Confabulationes autem, præſertim rixæ, vociferationes, turbæ, aliaque id generis ab hoc ſacro, Deoque, diviniſque rebus dicato loco quàm longiſſimè arceantur; cum verò divina celebrantur, nemini per Eccleſiam diſcurrere, nec ibi interdiu morari, niſi neceſſaria aliqua adeſſet cauſa, ullatenus liceat.

Vitanda in Sacriſtia.

Per Eccleſias diſcurſus.

Sacriſtæ munus.

2. Sacriſtæ munus præcipuum erit, ut vaſa omnia ſacra, veſtes, & quæcunque alia Eccleſiaſtica ſupellex, qua divina peragantur miniſteria, munda perpetuò, & nitida ſit; quòd ſi ob ejus incuriam quidpiam ſordidum, obſoletum, aut lacerum reperiatur, pœna pro qualitate culpæ ſeverè admodùm puniatur.

Negligentia punita.

Neceſſariorum proviſio.

3. Superioribus propterea, quæ neceſſaria fuerint, tùm ad præfatam ſacram ſupellectilem mundè ſervandam, tùm opportunè reſarciendam, Sacriſtæ diligenter inſinuabunt; Ea verò omnia abſque ulla negligentia, & cunctatione ſtatim ab ipſis ſuppeditentur; quòd ſi in aliquo defecerint, corrigantur, & ſi pertinaciter renuentes fuerint, Provinciales Miniſtri in eos etiam privationibus Officiorum ſeverè animadvertant. Ubi verò propter paupertatem prætioſitas adeſſe nequiverit, munditia ſaltem, & nitor (ut præfertur) perpetuò vigeat.

Munditics

Oppignoratio, & alienatio.

4. Res quaſcumque ſacras, ſive ſacro cultui dicatas nemo Prælatorum, neque inſuper Capitulum oppignorare, ſive ullatenùs alienare præſumat; quinimmò ſi prætioſæ fuerint, aliis accomodari non poſſint, abſque expreſſa Provincialis Miniſtri licentia.

Eccleſiarum ædifica, & Sacella.

5. Superior quicunque localis præcipuam adhibeat diligentiam, ut Eccleſiæ in ſuis ſtructuris conſerventur, & quando fuerit opus, ſedulò reparentur; Sacella, omnia tecta, mundaque ſint, Ipſum Eccleſiæ pavimentum, ejuſque parietes ſæpius diligenter mundentur; nihilque relinquatur, quod domum Dei, vel minimùm immundam reddat, & inornatam; libris, vaſibus, candelabris, candelis, aliiſque omnibus neceſſariis juxta temporum, locorumque exigentiam nullo modo carere permittat.

Supellex.

Seſſ. 22. decret. de obſer. & evit.

6. Curabit inſuper omni majori conatu (quantùm fieri poterit) localis Superior juxta Sacroſancta Concilii Tridentini Decreta, ne à Sæcularibus, vel aliis quibuſcunque vana, profanaque colloquia inhoneſtæ quæcunque actiones, deambulationes, ſtrepitus, clamores, aliave id generis ſacras fidelium, Religiuſorumque orationes turbantia fiant, neve domus Dei, quam maximè decet ſanctitudo, ejus permiſſu domus negotiationis efficiatur.

Erga Eccleſias reverentia.

Provincialium cura.

7. Provinciales itaque Miniſtri in ſuis Viſitationibus circa hæc præcipuè, quæ ad Dei cultum, Eccleſiarum conſervationem Populorumque ædificationem pertinent, quàm maxima diligentia invigilent, ea omnia, quæ à domus Dei dignitate aliena fuerint, eliminabunt, quæ verò divino cultui apta, atque ad Populorum pietatem, devotionemque excitandam augendamque conferre noverint, piè conſtituant, & inducant.

Sacella neglecta.

8. Cappellæ, Sacella, ſive Altaria, ſi quæ obſoleta fuerinr, neceſſariiſque ornamentis nudata (niſi eorum expenſis, qui Juſpatronatus in eis habere prætendunt, reſarciantur, ornentur, & debita dote donentur) poſtquàm hi moniti fuerint & terminus præfixus elapſus, vel deſtruantur, vel aliis (ſervatis ſervandis) donentur, obligationes verò, & alia onera aliò transferantur.

Altarium diſpoſitio.

9. Altaria verò ipſa decenti adeò proportione conſtruantur, conſtructaque (quantùm fieri poteſt) ita reſarciantur, vel renoventur, ut neque nimùm proxima, nimiumve diſtantia ſint, ſed debita diſpoſitione ſic inter ſe compoſita, ut ad devotionem, & ſanctitatem inducant.

10. Al-

Altar. Juſpatronatus.

10. Altaria deinceps abſque Generalis Miniſtri, vel ſaltem Provincialis licentia nemini in Juſpatronatum ullatenus concedantur, niſi qui ſufficienti dote, decentibus ornamentis, neceſſaria ſupellectili; ſacriſque neceſſariis vaſibus ea exornanda, donandaque ſuſceperint.

Seſſ. 25. de Invocat. & Ven.

11. Imagines, quæ præſertim in Altaribus collocantur, conformes hiſtoricæ veritati ſint, nihilque in eis profanum, nihilque inhoneſtum appareat: neve procaci venuſtate, aut laſcivia pingantur ex Decreto Concilii Tridentini; ſi quæ verò ex vetuſtate exeſæ ſint, vel alias ita deformatæ, ut venerationem propè amiſiſſe videantur, curandum eſt, ut ad decentiorem, digniorenque formam redigantur, vel denique auferantur, & comburantur.

Reliquiarum Viſitatio. — Authentica fides. — Aſportatio. — Reliquiæ novæ. — Reliquiæ cultus.

12. In viſitationibus quoque Provinciales Miniſtri, aliique Superiores Sanctorum Reliquias in Sacrario, vel Eccleſiis collocatas diligenter inviſere teneantur; curentque ut hujusmodi Reliquiæ decentibus, tutiſque locis, ac decoris vaſculis debita veneratione cuſtodiantur. Inſtrumenta ipſa, alia monumenta, ſcriptaque authentica de eis fidem præbentia recognoſcant, diligenterque aſſervanda relinquant. Nemini verò Superiorum quidpiam de Reliquiis cuivis, etiam Eccleſiaſticis Prælatis, aut aliis Ordinis Fratribus, & Superioribus, abſque Generalis, ſeu Provincialis Capituli expreſſa licentia dare quoquo pacto liceat, Tranſgreſſores excommunicationis pœnam incurrant, & carceri per duos menſes, ac publica ſemel diſciplina ſeveriſſimè affligantur. Statuitur inſuper, nè ullæ impoſterum Sanctorum Reliquiæ cum aliis collocentur, ſeu publicè exponantur ad venerationem, niſi de illis authentica fides habeatur, quam Superior recognoſcere, & ſi legitima fuerit, approbare inſuper teneatur: Reliquiæ denique omnes, vel in Sacrario, aut in Eccleſia aliquo tuto loco, qua decet reverentia, & ſi commodè fieri poterit, accenſa etiam lampade, cuſtodiantur.

De Confraternitatibus.

TITULUS V.

1. Confraternitates Sæcularium ſive ſaccis induantur, ſive non, abſque Generalis, vel ſaltem Provincialis Miniſtri licentia in Eccleſiis noſtri Ordinis non erigantur, nec eis abſque præfata licentia Altaria, Cappellæ, ſive Sacella donentur, vel aſſignentur, ſi quæ verò hujusmodi Confraternitates erigendæ fuerint, his legibus & conditionibus erigantur.

Erectio.

Erectionis leges. — Viſitatio.

2. Prima, ut jus viſitandi Cappellas prædictas, Altaria, Oratoria, nec non alia quæcunque iis adjuncta, ad exteros non transferatur, ſed apud noſtros Fratres integrum perſeveret, quibus ea omnia, quæ ad Cappellarum, ſive Altarium, in quibus erectæ ſunt dictæ Confraternitates, reformationem, reparationem & ornatum pertinent, ac ad decentiorem Miſſarum celebrationem neceſſaria ſunt, ſtatuere, ordinare, atque decernere abſolutè, & liberè liceat.

Miſſæ celebratio Et eleemoſyna.

3. Secunda, ut pro qualibet Miſſa, quam ibi nemo præter noſtri Ordinis Fratres, niſi de licentia Superioris localis, celebrare poſſit, eleemoſyna conveniens pro temporis, & loci ratione, à Provinciali conſtituenda offeratur.

Confraternitatis ſupellex noſtris Eccleſiis commodetur.

4. Tertia, ut veſtes, paramenta, aliaque ornamenta prædictarum Cappellarum, ſeu Confraternitatum, ſi quando fuerit opus, promptè noſtris Eccleſiis tùm ad Miſſarum celebrationem, cùm ad alios quoſcunque Eccleſiaſticos uſus liberè concedantur.

Eleemoſynæ.

5. Quarta, ut eleemoſynæ omnes, redditus, oblationeſque, ſive piorum fidelium largitiones (quæcunque illæ ſint) decenti Altaris, ſeu Cappellæ, vel ædiculæ ornatui attribuantur; ſi quid autem ſupererit (quod tamen ex approbato Confraternitatis inſtituto, vel ex pia teſtantium voluntate aliter diſtribuendum non ſit) in Sacriſtiæ, totiuſque Eccleſiæ uſum, utilitatemque vertatur.

Localis Superioris auctoritas circa eleëmoſynas.

6. Quinta, ut Guardianus, ſive localis Superior prædictorum redituum, eleemoſynarum, oblationum, ſeu largitionum diſpoſitioni interſit; & cum ab Officialibus, ſeu Confraternitatis Miniſtris (quocunque nomine appellentur) aliquid ſtatuitur, localis Superior pariter intereſſe debeat.

Electionibus interſit Guardianus

7. Sexta, ut idem Guardianus pro tempore, ſive localis Superior electionibus omnium Superiorum, Miniſtrorumque ſeu Officialium ab ipſis Confratribus opportunè habendis, ſemper interſit; vocemque electivam, non ſecus ac ipſi Confratres, perpetuò habeat.

8. Confraternitatum verò, quæ præter has conditiones in noſtris Con-

Erectarum Confraternitatum regulatio. ventibus ſeu Eccleſiis jam erectæ fuerint, Rectores, aliique Superiores diligenter monendi ſunt, ut circa earum regimen & moderationem formula à felicis recordationis Clemente Papa Octavo conſtituta, & in Conſtitutione, quæ incipit: QUÆCUNQUE A SEDE APOSTOLICA &c. tradita, exactè, & ad amuſſim ſervetur, alioquin omnibus indulgentiarum theſauris, qui ſibi ab Apoſtolica Sede conceduntur, ſeſe privatos noverint, prout ex eadem Bulla &c.

De Promovendis ad Ordines.

TITULUS VI.

Facultatem ad Ordines qui concedere valeat. 1. A Solis Provincialibus Miniſtris, & ſacri Conventus Aſſiſienſis Cuſtodibus pro tempore ad quoslibet Ordines, tum Minores, tum ſacros ſuſcipiendos facultas & licentia concedi poſſit.

Quibus ea concedenda. Seſs.23.de reform. c. 11. 2. Circa eos autem, quibus facultas hujuſmodi concedenda ſit, nec ne, decretum eſt, ut ſingula, quæ à ſacra Tridentina Synodo præſcribuntur, omnino inviolatè ſerventur.

Ordinandi ſint Profeſſi. 3. Nemo, niſi expreſsè profeſſus fuerit, cujus profeſſionis authentica fides ab eo Conventu, ubi profeſſus eſt, habeatur, ad quoſcunque Ordines tam Minores, quàm ſacros ullatenus admittatur. Infra annum verò probationis nemo, quicunque ille fuerit, nec Ordines hujuſmodi, ſed nec primam Tonſuram ſuſcipere poſſit.

De vita, & moribus ipſorum conſtet. 4. Ii verò, qui profeſſi fuerint, niſi primùm de eorum vitæ probitate, literarúmque ſufficientia conſtet, ad Ordines non admittantur, & quoad vitæ probitatem ſpectat, à Rectore Seminarii (ſi Minoribus vel Subdiaconatui initiandi fuerint) & Guardianis Conventuum, ubi degerunt, de probis ipſorum, probatisque moribus indubia fides fiat; ſin autem, à ſolis Guardianis locorum, ubi de familia commorati ſunt.

5. Antequam ramen ſuſcipiendi Ordines facultas cuipiam concedatur, diligenter animadvertant Provinciales Miniſtri, ne quid fraudis (quoad Ordinandorum ætatem ſeu tempus attinet) ullo Ætas. etiam pietatis vel ſtudiorum intuitu impiè committatur; quocirca Decretum ſa- Seſs. 23. de reform. c. 12. croſancti Concilii Tridentini ad amuſſim ſervetur.

Ætatis fides examinetur. 6. Provinciales itaque Miniſtri de prædicta ætate fidem, quæ certa & authentica ſit, non numerorum notis, ſed literarum elementis annum, diémque nativitatis exprimat, nullúmque ex nominis variatione dolum, dato jurejurando, admittat, diligenter conſiderent, de eáque ſi probanda fuerit, dimiſſoriis Dimiſſoriæ. literis teſtimonium ferant. Denique Natales, & aliæ omnes conditiones, juxta ſacroſancti Concilii Tridentini ſanctiones, ſacrorum Canonum, & ſummorum Pontificum Decreta, inviolabiliter obſerventur.

Eruditionis examen. 7. Eruditionis prætereà literarum, earúmque rerum, quæ ad ſingulos Ordines ſuſcipiendos pertinent, antequam ad Ordines dimittantur, prævio rigoroſo examine certum periculum faciant. In ſingulis propterea Generalibus & Provincialibus Capitulis, pro dimittendis ad Ordines Examinatores ex Patribus aliqui ſpectatæ vitæ, doctrinæque deputentur, qui de iis, quos examinaverint, teſtimonium ferant. Extra Capitulum verò examen hujuſmodi ab ipſo Provinciali coram duobus Patribus ad hoc ſpecialiter evocatis diligenter fiat.

Cantus, & divini Officii peritia. 8. Qui cantum firmum (ùt ajunt) ſufficienter non didicerint, vel ex ſe divinum Officium ordinare ſecundùm Rubricas neſciverint, ad ſacros Ordines nullo pacto admittantur.

Tranſitus ad alios Ordines. 9. Ad altiorem verò gradum aſcendere nequeat, qui in inferiori Ordine ſufficienter verſatus non fuerit, vel ea, quæ ad altiorem illum gradum pertinent, ignoraverit; maximè verò Decretum hoc diligenter ſervandum eſt, ſi cuipiam ad ſacrum Presbyteratus Ordinem ſit concedenda facultas.

Provinciales nativi facultatem concedant. 10. Provincialibus verò tantùm ſuæ Provinciæ Fratrum ſibi ſubditorum, ſive in Provincia, ſive extra Provinciam degant, ad ſuſcipiendos Ordines licentia reſervatur; ſi autem in aliena Provincia ſubditum commorari contingat, facultas prædicta à Provinciali etiam illius Pro- Licentiæ recognitio. vinciæ, ubi degit, recognoſcatur, & ſubſcribatur.

Ultramontani promovendi. 11. Hoc idem Decretum ad Fratres Ultramontanos in Italia degentes extendatur; attenta tamen nimia locorum diſtantia (ſi opus fuerit) Generalis Miniſter hujuſmodi facultatem concedere, vel Provinciali Miniſtro illius Provinciæ, ubi præfati Fratres degunt, ut concedere poſſit, ordinare valeat. Quo caſu & Generalis ipſe, & Provincialis Miniſter de ſingulis requiſitis diligenter inquirant, literáſque dimiſſorias in Archivio

illius

illius Provinciæ, in qua Fratres hujuſmodi commorantur, aſſervandas curabunt.

A Diœceſanis ordinandi Fratres. Quando ab aliis. Dimiſſoria conditio.

12. Ad ſolos tamen Diœceſanos Epiſcopos, niſi legitimè impediti, aut abſentes fuerint, vel ordinationem non habeant, dimittendi ſunt Fratres ad Ordines ſuſcipiendos: quòd ſi aliquo ex præſatis impedimentis teneantur, ad quemlibet alium Epiſcopum dimittantur, ea tamen conditione, ut in literis commendatitiis vel dimiſſoriis cauſa à Provincialibus ſaltem in genere exprimatur, cur ordinandos ad Diœceſanos non dimiſerint, alioquin pœnis, quæ tranſgreſſoribus à Decretis Pontificiis præfiguntur, ipsique ſummo Pontifici reſervantur, eo ipſo ſubjaceant.

Extra Provinciam pergentes juniores comitentur. Seminarii Alumni.

13. Ad alienam verò Provinciam Ordinationum gratia Fratribus, minoris præſertim ætatis, ac primis ſacris Ordinibus initiandis, niſi neceſſitas urgeat, accedere non concedatur. Ex legitima verò cauſa diſcedentes ab aliquo probatæ vitæ Socio, à Provinciali Miniſtro, vel locali Superiore deputando comitentur, eodémque modo comitentur, qui præſatis Ordinibus initiandi ab eo Conventu, ubi de familia in Seminariis degunt, longiùs abſcedere debent.

Seſs. 23. de reform. cap. 13. Pro diſpenſatione preces.

14. Ab Interſtitiorum verò lege, quam ſacra Tridentina Synodus mandat, non facilè ſolvantur initiandi, ſed ab inſeriori gradu ad ulteriorem aſcendere nequeant, niſi ea temporum Interſtitia, quæ ſervanda præcipiuntur, diſtrictè ſervaverint. Si verò Eccleſiarum neceſſitas urgeat, Provinciales in literis dimiſſoriis Epiſcopos, ut cum iilis ſuper Interſtitia diſpenſare dignentur, humiliter rogent.

Fides ſuſcepti Ordinis ad Provincialem mittenda. Ordinatorum liber.

15. Poſteaquam verò aliquis Fratrum Ordines aliquos ſive minores, ſive ſacros ſuſceperit, Epiſcopi ordinantis teſtimonium in ſcriptis acceptum ad Provincialem Miniſtrum tranſmittat, penes quem ſit liber ad hunc tantùm uſum deputatus, in quo Ordinatorum & Ordinantium nomina, dies, cæteráque ad id ſpectantia ſui Provincialatus tempore diligenter præſcribantur, ac deinde in principaliori ſuæ Provinciæ Archivio collocetur.

Prima Miſſa.

16. Qui ſacrum Presbyteratus Ordinem ſuſceperint, abſque Provincialis Miniſtri benedictione & facultate primam Miſſam celebrare non audeant. Is verò nemini facultatem concedat, niſi à Magiſtro Cæremoniarum ordinatum hujuſmodi ſingulas ſacras cæremonias ad Miſſæ Sacrificium ſpectantes optimè callere certior fiat.

Abſque ſui Superioris licentia ordinati.

17. Si quis autem abſque legitima ſui Superioris licentia Ordinibus tam minoribus, quàm ſacris initiari præſumpſerit, ab iis, quos jam ſuſcepit, eo ipſo ſuſpendatur, & ad ulteriores inhabilis penitus ſit non niſi à Generali Capitulo reſtituendus.

Provincialium præſcripta non ſervantium pœnæ.

18. Provinciales verò, qui præſcripta Decreta neglexerint, facultatémque cuipiam, ut Ordines quoſcunque ſuſcipiat, abſque iis, quæ præfixa ſunt, requiſitis conceſſerint, perpetuam legitimorum quorumcunque actuum, ac utriuſque vocis privationem ipſo facto incurrant.

De Suffragiis defunctorum Fratrum.

Titulus VII.

Suffragia Defunctis debita. Obitus Fratrum. Nuntia. Superiores negligentes.

1. Illud magnopere curandum eſt, ut fidelium Defunctorum, præcipuè verò Fratrum & Benefactorum noſtrorum animæ piis ſacrificiorum & precum ſuffragiis ſubleventur; quamobrem cùm aliquem ex noſtris Fratribus mori contigerit, nulla interpoſita mora Guardianus ſtatim de morte illius Provincialem certiorem reddat; Provincialis verò eadem diligentia Cuſtodes, Cuſtodes demum omnes ſuæ cuſtodiæ Conventus & loca, ut præfixa ſuffragia celebrentur, admoneant; quòd ſi quempiam ex præſatis Prælatis notabili negligentia circa hoc errare contigerit, privationes Officiorum, aliáſque pœnas ſeverè à ſuperioribus Prælatis injungendas eo ipſo incurrant.

Suffragia pro defuncto Fratre à Conventu perſolvenda. Aliorum Provinciæ Conventuū ſuffragia.

2. In ſingulis itaque Conventibus, & locis, ubi quiſpiam noſtri Ordinis Fratrum profeſſus ex hac vita deceſſerit, ac conſimiliter in nativis Conventibus Miſſa, totúmque Defunctorum Officium ſolemniter celebretur, pro ejúſque anima ſinguli Sacerdotes ſemel Miſſæ Sacrificium ipſa obitus die Deo offerant, Clerici bis Officium Defunctorum, Laici verò bis beatæ Mariæ Virginis Roſarium recitabunt. In reliquis verò ejusdem Provinciæ Conventibus Miſſa una cantabitur, & Defunctorum Officium à Clericis, à Laicis verò beatæ Virginis Corona devotè recitabitur. Sacerdotes verò alii, ſi pro eo celebrare nequiverint, in ſuis ſaltem Sacrificiis ejus animam DEO commendare teneantur.

3. Si verò in aliena Provincia aliquis Fratrum deceſſerit, in eo Conventu,

Digitized by Google

Aliena in Provincia morientes. ubi deceſſerit, præfata ſuffragia pro ejus anima celebrentur. Guardianus, vel localis Superior Provincialem, Provincialis verò illius Provinciæ Provincialem nativæ mortui Fratris Provinciæ admoneat, à quo, præfixo ordine, Custodes & Guardiani, ut ſolita peragantur ſuffragia, quamprimùm admoneantur.

Suffragia mortui Provincialis. 4. Obeunti Provinciali Miniſtro in ſingulis Provinciæ Conventibus Officium Defunctorum & Miſſa ſolemniter cantetur, ſingulique Sacerdotes pro eo ſemel celebrare teneantur.

5. Clerici ter Defunctorum Officium, Laici toties beatæ Mariæ Virginis Roſarium, & ſemel ejusdem beatæ Mariæ Virginis Coronam devotè recitabunt.

Pro Generali ſuffragia. 6. Si Generalem Miniſtrum mori contingat, in ſingulis Religionis Conventibus duplicentur ſuffragia tam quoad Miſſas ſolemnes & privatas, quàm etiam quoad Officia tum à Clericis, tum à Laicis, tum in Choro publicè recitanda.

Pro Aſſiſtentibus Ordinis. 7. Pro Procuratore, Socio, & Secretario Ordinis à ſingulis Sacerdotibus totius Ordinis ſemel privatè celebretur, ſemélque à Clericis Officium Defunctorum, & à Laicis beatæ Mariæ Virginis Roſarium recitabitur.

Pro Cardinalibus Protectoribus. 8. Pro Illuſtriſſimis Protectore, & Vice-Protectore Miſſa ſolemniter in ſingulis Religionis Conventibus celebretur.

Summi Pontificis obitus. 9. In obitu ſummi Pontificis Miſſa pariter in ſingulis Religionis Conventibus celebretur, omnésque Sacerdotes ſemel privatè celebrare, Clericique ſemel Defunctorum Officium, & Laici beatæ Mariæ Virginis Roſarium devotè recitare teneantur.

Novitii & Profeſſi ſuffragia. 10. Pro Novitiis verò in his locis, ubi deceſſerint, ſicut pro Profeſſis, ſuffragia perſolvantur.

Pro defunctis Fratribus & Benefactoribus. 11. Singulis præterea menſibus feria ſecunda, ſeu alia die non impedita, Miſſa una ſolemnis pro omnibus noſtris defunctis Fratribus ac Benefactoribus cantetur; eique omnes, etiamſi inſolita hora cantanda eſſet, interſint. Eadémque ipſa die Clerici pro eiſdem Defunctis ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum precibus Defunctorum, Laici verò beatæ Mariæ Virginis Coronam ſemel recitare teneantur.

Commemoratio omnium defunctorum Fratrum. 12. Poſt univerſalem omnium Fidelium defunctorum Commemorationem ſequenti die pro defunctis Religionis noſtræ Fratribus Miſſa & Officium ſolemniter celebretur, eorúmque ſepulchra ſolitis precibus ſacro more viſitentur.

13. Pro Fundatore verò alicujus Conventus, ſive vivo, ſive mortuo, in eodem Conventu ab eo ſundato, ſingulis menſibus Miſſa, juxta ejus intentionem, ſi vivus fuerit, vel mortuorum, ſi jam obierit, ſolemniter decantetur, Clericis, Laicisque pro eo devotè orantibus.

Mortuorum Fratrum liber. 14. In ſingulis verò Conventibus ad mortuos duntaxat Fratres notandos peculiaris liber ab eo, in quo cæteri mortui deſcribuntur, diſcretus habeatur, in eóque, ſi quando aliquis ibi mori contigerit, nomina, cognomina, patria, officia, geſta, virtutésque perſcribantur, eáque omnia, quæ laudabiliter geſſerint, præcipuè verò ad ſanctitatem, vitæque innocentiam ſpectantia ſedulò commemorentur, cùmque Provincialis Capituli tempus advenerit, nota mortuorum Fratrum diſtincta eò fideliter tranſmittatur. Mortuorum Fratrum nota pro Capitulo.

De Sepulturis Fratrum & Tertiariorum noſtri Ordinis.

Titulus VIII.

Fratrum ſepulchra ab aliis ſegregata. 1. Sepulchra Fratrum in quibuſcunque noſtri Ordinis Eccleſiis à Sæcularium ſepulturis diſtincta ſint, in eisque Fratres tantùm, & non alii, quicunque illi ſint, ſepeliantur. Si quis verò Sæcularium de noſtra Religione bene meritus in Fratrum ſepulturis humari deſideret, de conſenſu Capituli Conventus, ſi concedendum fuerit, concedatur, dummodo Religionis habitu indutus ſepulturæ tradatur.

Tertiariorum ſepultura. 2. Quantùm verò ad utriuſque ſexus Tertiariorum noſtri Ordinis ſepulchra, præcipitur, ut ſacræ Regularium Congregationis Decretum aliàs circa hoc emanatum inviolatè ſervetur. Ejus itaque veſtigiis inhærentes decernimus, ut Tertiarii omnes noſtri Ordinis utriuſque ſexus abſque ſepulturæ electione decedentes, etiam invitis, aut minimè requiſitis Parochis, in noſtris Eccleſiis, ubi eorum commune ſepulchrum reperitur, ſepeliantur; ubi verò non reperitur, quamprimùm conſtruatur. Itaque pariter in præfato communi ſepulchro humeotur, qui ſibi coram teſtibus (licèt nulla de hac electione appareret ſcriptura) in noſtris Eccleſiis ſepulturæ locum delegerunt; qui verò cum aliis Noſtra ſepulchra eligentes.

Fra-

Fratribus clauſtra incolunt, apud nos pariter tumulentur.

Tertiarii liberi. 3. Alii verò præfati utriuſque ſexus Tertiarii, juxta Apoſtolicas Leonis X. in Concilio Lateranenſi literas, jus eligendi ſibi, ubicunque libuerit, ſepulturas habeant. Quia tamen controverſiæ omnes (quantùm fieri poteſt) vitandæ ſunt, cupientes, ut præfati noſtri Ordinis Tertiarii in noſtris Eccleſiis ſepeliantur, curabunt Rectores, ſeu Viſitatores, aut Correctores, ſive quocunque alio nomine nuncupentur, ut in ſuſceptione habitus, ad quem præfati Tertiarii, ſeu Tertiariæ admittuntur, ſtatum & ſepulturam ſibi in eisdem noſtris Eccleſiis, liberè tamen & voluntariè deligant. Erectio ſepulturæ in ſuſceptione habitus.

De Sepulturis Sæcularium, eorúmque Funeribus curandis.

TITULUS IX.

Sæcularii ſepulturæ in noſtris Eccleſiis. 1. SÆculares omnes, juxta multas ſummorum Pontificum conceſſiones, in noſtris Eccleſiis, qui ſive devotionis, ſive obligationis cauſa voluerint, ſepulturas ſibi deligere poſſunt; omnes itaque Sæculares, qui in noſtris Eccleſiis (ùt præfertur) vel Cœmeteriis tumulari velint, dummodo aliàs excommunicati, vel nominatim interdicti, vel publici Uſurarii, aut alio ſimili damnato vinculo non ſint obſtricti, accuratè à Fratribus ſepeliantur: nemo tamen præſumat ullatenus Sæculares ad vovendum, ſive aliàs quomodolibet promittendum cogere, vel inſtigare, ut in noſtris Eccleſiis ſibimetipſis ſepulturas eligant; alioquin & ipſa electio irrita ſit, & Fratres ſacrorum Canonum pœnas eo ipſo incurrant.

Habitus morientibus conceditur. 2. Unicuique inſuper Guardiano, ac Superiori locali concedendi & induendi Religionis habitum omnibus & ſingulis, qui in probabili vitæ diſcrimine humiliter illum petierint, ſeu aliis ex Fratribus ſibi ſubditis, ut concedant, & induant, mandandi plena facultas traditur.

Cadaverum ad noſtras Eccleſias deportatio. 3. Caveant autem Fratres, ne Parochias, proceſſionaliter Crucis vexillo præcedente, ſeu alio quopiam modo ad efferenda Mortuorum cadavera ullatenus ingredi audeant, niſi vocato, & expectato Parocho, ipſóque ibi præſente, niſi aliter ipſe permiſerit, vel requiſitus venire expreſsè recuſaverit; ipſi verò Parocho Quartam (ùt ajunt) funeralem juxta ſacroſancti Concilii Tridentini Decreta, ac loci conſuetudinem tribuant. QuartaParochiorum. Seſs. 25. de Reform. cap. 13.

4. Ad omnem prætereà ſimoniacæ labis occaſionem penitus evitandam decernimus, ut nemini funeris exequiarum, Miſſarum, locique ſacri cauſa quidquam paciſci liceat; quod tamen ad pretium effoſſionis ædificati ſepulchri, vel etiam ad pulſationem campanarum, ad eleëmoſynas pro Officiis & Miſſis celebrandis, ac exequiis ſeu funeribus curandis pertinet, Fratres noſtri receptam, laudabilémque loci conſuetudinem, Eccleſiaſticáſque Leges ſingillatim obſervent. Quæ verò ex debito, juxta præfatas locorum conſuetudines, receptáque privilegia, noſtris Eccleſiis & Conventibus aliqua ratione obvenerint, humiliter petantur; quòd ſi indebitè denegentur (abſolutis priùs tamen funeribus) competentem conveniant Judicem, juſtitiam exigant, júſque ſuum liberè tueantur, licitéque defendant. Exequiarum pacta. Funerum mercedes. Quo pacto petendæ.

5. Particularia ſepulchra nemini deinceps, niſi de conſenſu Capituli Conventus, concedantur. Pauperes, qui aliàs ſepultura carerent, in noſtris Eccleſiis humari poſſint. Pro infantibus denique (juxta Rituale Romanum) pro pria conſtituatur in ſingulis Eccleſiis ſepultura. Sepulchrorum conceſſio. Infantium ſepulchrum.

De ſumendis, adminiſtrandiſque Sacramentis.

TITULUS X.

1. OMnes noſtri Ordinis Fratres, tam Clerici, quàm Laici, tam Novitii, quàm Profeſſi, ſingulis diebus Dominicis (quibus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti renovatio facienda eſt) item ſingulis beatæ Mariæ Virginis, ſanctorum Angelorum, Apoſtolorúmque feſtis, omniúmque Sanctorum die, ac ſancti Patris noſtri FRANCISCI, Tutelaris, & Advocatorum Eccleſiæ, Sanctorúmque noſtri Ordinis ſolemnitatibus, qua decet devotione & reverentia, confiteantur, ſacráque Dominici Corporis Communione reficiantur. Si tamen dictæ feſtivitates ita proximæ inter ſeſe mutuò inciderent, ut frequentior æquò tanti Sacramenti videretur uſus, ex diſcreto Superioris arbitrio à Communione abſtineant; Confeſſionis verò ſalutaris uſus nullatenus (quantùm fieri poteſt) intermittatur. Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ frequentatio.

2. In iis autem Conventibus, ubi Seminaria erecta fuerint, ſanctiſſima Communio in Miſſa ſolemni ab omnibus non Sacerdotibus devotiſſimè fiat, ipſáque Communionis die in publica menſa genuflexi culpam coram Fratribus Solemnis Communio

humi-

humiliter dicant, etiamſi Baccalaurei fuerint, & Studentes.

Formula autem culpæ faciendæ hæc eſt.

Culpæ formula.

PAter dicimus noſtram culpam Deo, & tibi de omnibus vitiis, & peccatis noſtris, maximè de Divino officio malè, & negligenter a nobis recitato, de ſilentio non benè cuſtodito, de ſcandalo Fratribus, & ſecularibus dato, de his, & aliis tranſgreſſionibus noſtris, quomodocunque offendimus Deum, Proximum, & Regulam noſtram, dicimus noſtram culpam, & humiliter deprecamur, ut amore JESU Chriſti nobis pœnitentiam imponere digneris.

Privata Communio

3. Poterit tamen diſcretus Superior cum Novitiis, & Profeſſis ex rationabili cauſa, utque præſertim gratiarum actionibus, ſacriſque contemplationibus liberiùs, commodiùſque vacare queant, ut in privata Miſſa ſacra Communione reficiantur, aliquando concedere.

Communio facienda ubi non ſunt Seminaria.

4. In aliis autem Conventibus, ubi Seminaria erecta non fuerint, Laici omnes, aliique non Sacerdotes, niſi legitimè impediantur, primæ Miſſæ interſint, eaque abſoluta, Communione ſanctiſſima reficiantur, culpamque publicè in Refectorio juxta præſcriptam formam humiliter dicant.

Communio Cœnæ Domini.

5. Die Cœnæ Domini omnes tàm Sacerdotes, quàm non Sacerdotes de manu Superioris celebrantis de more communicent.

De Proceſſionibus.

TITULUS XI.

Devotio adhibenda.

1. PRoceſſiones, quæ ad divinum implorandum præſidium ex Sanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis celebrari conſueverunt, ea Religione, ea modeſtia, eaque gravitate peragantur, ut omni colloquio, omni levitate, omnique ſcandalo remoto, ad devotionem, & Sanctimoniam ſinguli circumſtantes excitentur.

Concurſus.

2. Propterea decernitur, firmiterque præcipitur, ut omnibus, & ſingulis Proceſſionibus omnes pariter Fratres, quicunque illi ſint, ac cujuſvis ſtatus, & conditionis, conveniant; qui verò ſecus fecerint, à Superiore graviter corrigantur.

3. Illi præcipuè Proceſſioni, quæ ſemel in aliqua cujuſlibet menſis Dominica pro Cordigerorum Confraternitate celebrari ſolet, omnes interſint, eoque ſpiritu ad eam celebrandam conveniant, ut plenariam Indulgentiam à ſanctæ memor. Paulo V. omnibus Curdigeris conceſſam ſalubriter conſequantur. Quas quidem Indulgentias, aliaſque noſtris Eccleſiis à ſummis Pontificibus benignè conceſſas, in Concionibus, familiaribuſque ſpiritualium amicorum colloquiis publicent, ſuiſque exhortationibus fidelem populum ad eas aſſequendas inducant. — Cordigerorum Proceſſio. — Ejus indulgentiæ.

4. Ad eam item proceſſionem, quæ qualibet ſexta feria juxta prædictos Ordinis Ritus poſt Completorium ad Altare Sanctiſſimi Crucifixi celebrari ſolet, omnes conveniant, eaque devotione celebretur, ut ad Chriſti Domini mortem compatiendam circumſtantes devotiſſimè incitentur. — Proceſſio Crucifixi.

5. Sabbato verò multis in locis celebrari ſolet proceſſio ad Beatæ Mariæ Virginis Ordinis noſtri perpetuæ Patronæ præſidium implorandum. Huic item omnes interſint, omnique debita reverentia ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis Litaniæ cantentur. Ubi verò laudabilis hæc conſuetudo non fuerit (quantùm fieri poteſt) omni diligentia introducatur. — Proceſſio B. M. V.

6. Aliis inſuper proceſſionibus, quæ juxta laudabiles Eccleſiarum conſuetudines, vel in humandis Defunctorum corporibus, vel aliàs celebrantur, omnes (ut præfertur) promptè, devotè, modeſtéque interſint. — Frequentia debita.

De Oratione mentali.

TITULUS XII.

1. DIvinis Officiis, uſuique Sacramentorum adjungenda eſt mentalis oratio, ex cujus frequentatione quantus eliciatur ſpiritualis animarum progreſſus, inconfeſſò eſt apud omnes. Singulis itaque diebus Fratres omnes publicè in Choro orationi mentali per horam integram, vel ſaltem dimidiam pro ſingulis vicibus, ſemel poſt Completorium omni corporis, animique compoſitione devotè vacabunt. — Quotidie fiat. — Ad Matutinum & Completorium.

2. Cum itaque ad canticum Benedictus in laudibus perventum fuerit, & ad Nunc dimittis in Completorio, campanulæ ſono omnibus in Conventu degentibus orationis mentalis adveniſſe horam — Signa danda.

ram' ſignificabitur. Tùm verò omnes, quicunque illi ſint, qualibet occupatione ſepoſita, Chorum ad orandum celeriter petant; Negligentes autem à Superiore corrigantur, & puniantur.

Meditationum liber. 3. Cum itaque expleto Officio, orationis mentalis tempus advenerit, Superior, vel alius quiſpiam, cui demandatum fuerit, ex pio aliquo libro lectionem ſacram, quæ meditandi materiam præbeat, præmittere teneatur, abſolutaque oratione, conſcientiæ examen, ut ſequenti Titulo ſtatuetur, ab omnibus fiat.

Pœna tranſgredientium. 4. Si quis autem ex Superioribus ab horum decretorum debita obſervantia ullo pacto defecerit, à Provincialibus Miniſtris, ſeu aliis Viſitatoribus pro qualitate negligentiæ corrigatur.

Exempti. 5. Excipiuntur autem, qui aliquibus detenti negotiis priùs à Superiore aliàs orandi facultatem, ac benedictionem impetraverint. Infirmi verò, & impotentes, eo ſaltem tempore, quoad licuerit, jaculatoriis orationibus devotè utantur. Diebus autem feſtis ſolemnioribus, & quatuor ultimis feriis majoris hebdomadæ quilibet ſeorſim totum ſeſe orationi mentali, ſacriſque contemplationibus addicat.

De quotidiano conſcientiæ examine.

TITULUS XIII.

Ante prandium. 1. PRoprias culpas frequentiùs in memoriam revocare, & de eiſque humilem à Domino veniam poſcere maximè decet Religioſos; ſemel itaque ante prandium ab unoquoque privatim, propriæ conſcientiæ examen diligentiſſimè fiat, déque ſuis erratis miſericordiam à pientiſſimo DEO unuſquiſque dolenter expoſcat.

Poſt Completorium. 2. Singulis propterea diebus (ſexta feria excepta, quando conſcientiæ examen ante ſolitum diſciplinæ exercitium fieri ſolet,) poſt Completorium oratione mentali expleta, ſpecialiter ad hoc dato ſigno, Superior, vel pro eo alius quiſpiam vulgari ſermone, intelligibili voce dicat, *Si facial Eſſame della Coſcienza*. Tum omnes conſcientiarum ſuarum defectus, tranſgreſſiones, omiſſiones, errata recogitent, quidve factum, dictum, cogitatumque fuerit, à ſemet unuſquiſque expoſcat, Indulgentiam à Domino humiliter petens.

Peracto examine, Superior ipſe preces, orationemque ſolitam, prout in Rituali ſubjungat.

De Communis Diſciplinæ exercitio.

TITULUS XIV.

1. AD alios ſpirituales Religioſorum actus externos accedit communis diſciplinæ ſanctiſſimum exercitium. *Ad id ſtatuta tempora.* Proindeque ſingulis totius anni ſextis feriis (niſi feſto aliquo primæ Claſſis impediantur, quibus à ſingulis privatim fieri poterit) hora congrua, datoque ſigno, omnes ad Eccleſiam accedant, ibique valvis, & feneſtris clauſis, diſciplinæ communis exercitio ſalutari incumbant; Qui verò præterea ſecundis, & quartis feriis (Quadrageſimæ præſertim, & Adventus) ſancto hoc exercitio affligi voluerint, magnam à Domino mercedem ſeſe profecto recepturos exiſtiment. *Diſpenſatio.*

2. Modus autem, & ritus prædictum exercitium celebrandi, qui à noſtri Ordinis Rituali præſcribitur, omninò ſervetur; Nulluſque quidpiam immutare, diminuere, augere, ſive alio quocumque modo innovare præſumat.

De Silentio ſervando.

TITULUS XV.

1. PRæter loquendi moderationem ubique, ac ſemper ſervandam, *Horæ ſilentii.* indicitur commune ſilentium æſtivo tempore poſt prandium expleta Nona uſque ad Veſperas; Serò autem poſt ſignum ſalutationis Angelicæ uſque ad Primam ſequentis Diei. Hyemali verò tempore in iis Conventibus, ubi Gymnaſia erecta fuerint, poſt Tertiam: in aliis poſt ſecundam noctis uſque ad horam ſequentis Diei, qua Prima fuerit recitanda. His itaque temporibus nemini quicquam loqui, ſeu quomodolibet altercationibus, clamoribus, indecentique inceſſu alios perturbare liceat; tranſgreſſores autem à Superioribus corrigantur.

2. In Eccleſia verò, in Choro, Sacrario, Refectorio, Dormitorio, & Bibliotheca ſilentium non à Fratribus de *Loca.* familia modò, verùm & à Forenſibus inviolatè ſervandum eſt; Quandocunque verò loquendum ſit, omnes ſubmiſſa voce (ut Religioſos decet) loquantur.

Verba incongrua.

3. Verba otioſa, turpia, ſcurrilia à Religioſis auribus abhorrentia omnes vitent, memores præcepti Seraphici Patris ad ſuos Fratres: *ſint mites, pacifici, & humiles, honeſtè loquentes omnibus ſicut decet*, quòd ſi quiſpiam ea coram ſæcularibus præſertim temerè protuliſſe convincatur, graviter puniatur, ſeveráque mortificatione corrigatur.

Altercationes prohibitæ.

4. Monet præterea Seraphicus Pater noſter injurias, murmurationes, detractioneſque longiùs à ſuis Fratribus adeſſe oportere, dum ait: *Fratres mei non litigent, neque contendant verbis*, & alibi: *caveant à detractione, & murmuratione &c.* Ejus propterea verbis adhærentes diſtrictè præcipimus, & mandamus, nè Superiores alterum adverſus alterum contumelioſa verba, conviciaque effundere patiantur, ſed nutriant potiùs perpetuis charitatis Officiis, ſanctam, fraternamque dilectionem, quæ Religioſos præcipuè decet. Si quid diſſenſionis, ſi quid perturbationis inter Fratres accidat, minor majori, Junior Seniori humiliter cedant.

5. Si qui verò, quod abſit præſente Superiore, ſeu taciturnitatem jubente, obloqui, ſive etiam ipſo abſente aliis injurias inferre auſi fuerint, publica mortificatione puniantur, culpam ſuam publicè fateantur, ab offenſóque veniam precentur, & ſi talis ſit injuriæ, & offenſæ Perſonæ qualitas, ut ſeveriorem mereantur animadverſionem, pane, & aqua jejunent, Fratrum, & præcipuè offenſorum pedes deoſculentur, & aliis pœnis pro gravitate delicti ad diſcreti Superioris arbitrium afficiantur.

Juramenta & Blaſphemiæ.

6. A juramentis autem quibuſcunque penitus caveant, ſi quis autem (quod Deus avertat) Deum ipſum, & Sanctos blaſphemare, aut ſacra impiè profanare auſus fuerit, præter pœnas à ſacris Canonibus præfixas, quibus (intra Ordinem tamen) ſubjaceat, aliis inſuper ad Superiorum, Generalis ſcilicet, & Provincialis arbitrium eo ipſo ſubſit.

De mittendis, & recipiendis literis.

TITULUS XVI.

Frequentia damnata.

1. IN literis quoque mittendis, æquè ac recipiendis Religioſi ſilentii modeſtia commendetur, eò præſertim, quòd literarum frequentior communicatio, non ſecus ac ipſum præſentium ad ſe invicem colloquium, ſpiritus devotionem reſtinguit, & animi compoſitionem perturbat.

Cauſa neceſſaria.

2. Ad conſcribendas itaque, recipiendaſque Epiſtolas non inanis quælibet ſufficiat cauſa, ſeu res novas nunciandi, ſeu inania, ac ſuperflua Aulicorum potiùs, quàm Religioſorum officia exhibendi, ſed neceſſaria dumtaxat, eáque legitima ad ſpirituales præcipuè, ſeu alias quaſcunque neceſſitates pertinens. Qui ſecùs fecerint, toties à Superiore corrigantur, ac jejunio puniantur, quoties deliquiſſe reperti fuerint.

Pœna.

Superior literas videre poteſt.

3. Ut autem omnia ad Subditorum ſtatum pertinentia locali Superiori nota fiant, quò ſingulorum faciliùs neceſſitatibus conſulere queat; libera unicuique Superiori facultas conceditur, omnes, & ſingulas quorumcunque ſubditorum ſibi Fratrum Epiſtolas (iis tamen demptis, quæ ad Superiores mittuntur) aperiendi, legendi, & obſervandi. Ac ſingulas proinde, ſicut ei diſcretè in Domino expedire videbitur, reddere, & non reddere valeat. Eligat igitur ex ſuis Fratribus unum, à quo literæ omnes exigantur, & ad ſe deferantur, redditiſque ſine ulla mora Superiorum Epiſtolis, ſi quæ ſint, alias aperire, ac legere, deindéſque (ut præfertur) ipſis Fratribus reddere poſſit.

Literæ exceptæ.

Literarum exactor.

Prædictorum obſervantia.

4. Nullus itaque Fratrum præter eum, qui à Superiore ad id muneris deputatus eſt, ullatenus Epiſtolas exigere, ſive ab aliquo ſæcularium abſque Superioris præfati licentia recipere poſſit; nec cuipiam extraneorum aliquas literas furtivè, ut aliò mittantur, quoquo pacto dare, ſeu ſibi datas aperire, aut legere, vel eas, ſi aliorum fuerint, pariter legere, vel retardare præſumat. Si quis verò, Superiore excepto, aliorum (ut præfertur) literas ullo modo impediſſe, aperuiſſe, retardaſſe, ſeu malitioſè abſcondiſſe, comperiatur, à divinis eo ipſo ſuſpendatur, vel ſi tali pæna puniri non poſſit, ad Superioris arbitrium carceri mancipetur.

Inferiorum retardantium literas pœnæ.

Ad Superiores miſſæ literæ propria manu exarentur.

5. Nullus inferiorum, niſi graviſſimè impeditus, aut morbo laborans, literas ſuo nomine, aliena tamen manu exaratas, ad Superiores tranſmittere audeat, alioquin pœnis ad Superiorum ipſorum arbitrium eo ipſo ſubjaceat; ſeverè etiam eos puniri volumus, qui Epiſtolas ipſas ſuperflui officii gratia alio albo papyro inaniter operire ſolent.

6. Mo-

Literis adhibendi tituli. 6. Moderentur inſuper tituli, qui in ſupraſcriptionibus crebriùs incongruè dari ſolent. Præſcribunturque hujuſmodi titulorum inviolabiliter hæc obſervanda decreta. Ad Generalem Miniſtrum ità ſcribatur. *Reverendiſſimo Patri Patrono meo in Domino obſervandiſſimo Patri Generali &c.* Ad Miniſtros Provinciales, aliosque Superiores, & Sacræ Theologiæ Magiſtros. *Admodum Reverendo Patri in Domino obſervandiſſimo Patri &c.* Ad reliquos Sacerdotes. *Reverendo Patri Fratri N. &c.* Ad non Sacerdotes autem *Venerabili Studenti Fratri N. &c. Venerabili Fratri N.* Ad Laicos tandem *Chariſſimo Fratri &c.*

De Clauſura ritè cuſtodienda.

TITULUS XVII.

Conventus Januæ. 1. UNica in ſingulis Conventibus communis janua ſit, per quam omnes egrediantur pariter, & ingrediantur. Item alia pro introducendis equis, vehiculis, & aliis neceſſariis. Quæ tamen, non niſi cum opus fuerit, aperiatur; reliquæ verò (ſi plures adeſſent) muro ſolido obſtruantur. Adſit juxta eam vaſculum aquæ benedictæ. Adſit & tabella communis, in qua ſingulorum Fratrum nomina ſcripta ſint, coaptenturque eo modo radioli, ut indicari facilè per ipſam poſſit, qui ſint abſentes, qui verò domi præſentes. Tabula Fratrum prope Januam.

Janitores. 2. In omnibus Conventibus adſit diſcretæ vitæ, probiſque moribus Janitor, & in inſigoioribus duo; Uniuſque munus ſit januæ continuò aſſiſtere, alterius verò Fratres ab exteris evocatos accerſere. Clauſtra præterea frequenter verrant, mundaque perpetuò conſervent. Claves januæ ad primam ſaltem noctis horam ad Superiorem deferant, eaque omnia diligenter curent, quæ ad ſæcularium, exterorumque ædificationem, Fratrumque, & Religionis decorem noverint expedire. Claves.

Egreſſio à Conventu. 3. Nulli itaque, quicunque illi ſint, è Conventu ſine licentia, etiamſi mox reverſurus foret, & ſine ſibi à Superiore aſſignato Socio (non tamen eodem ſemper aſſignando) exire liceat. Sed quicunque è clauſtris egredi voluerit, Superiorem primò adeat, exitus cauſam aperiat, Socium ſibi deputandum adjungat, janitoremque moneat, ac quàm citiùs revertatur, benedictionem denuò à Superiore recepturus. Socius.

4. Generalis licentia ad libitum exeundi nemini penitus concedatur, quòd ſi id quiſpiam Superiorum permiſerit, graviter à Provinciali Miniſtro corrigatur, & puniatur. Cautos autem, & circumſpectos oportet circa hoc Superiores eſſe, nè frequentiùs æquo importunè petentes egredi indulgeant; diebus præſertim feſtis, & Bacchanaliorum tempore, æſtivoque pariter poſt Nunam, aut in ſero poſt cænam, niſi neceſſaria urgeat cauſa. Licentiæ perpetuæ non conceduntur. Tempora, quibus egredi non licet.

5. Quæſtores eleemoſynarum, qui generalem juxta exigentiam, & loci conſuetudinem à Superiore egrediendi à Conventu, quæſtuandique facultatem habent, probæ, exemplariſque vitæ ſint, bini, ſi fieri poteſt, incedant, ſin aliter, ea, qua decet modeſtia, ſoli egrediantur. Sæcularium negotia non tractent, ſacculamque in ſui Officii ſignum continuò deferant. Quæſtorum mores, & uſus cum ſæcularibus.

6. Exeuntes à Conventibus etiam de Apoſtolicæ Sedis, Superiorúmque licentia, ut apud Principes, Cardinales, Prælatoſque Theologorum, vel Confeſſariorum, ſeo alio quolibet munere fungantur, ea tantùm, quæ neceſſaria fuerint, & de licentia Superioris, ac inſuper cum Inventario, (ut ajunt) ſecum afferre poſſint, reliquis in Coventu, non alibi remanentibus, qui ſecus fecerint, quo tempore in eo munere duraverint, & per triennium, cùm ad Conventum redierint, utraque voce careant. Principum ſervitio addicti à Conventu exeuntes.

7. Diſtrictè præterea præcipitur, ut juxta felicis recordationis Clementis octavi, & Pauli Quinti Decreta, extra Clauſtra degentes, ad ea quamprimum revertantur, nec in poſterum, niſi ex graviſſima cauſa à Sede Apoſtolica approbanda, hujuſmodi facultas dari poſſit; Si quæ autem antehac conceſſa fuiſſet, omnibus, & ſingulis per hoc decretum penitus auſertur. Extra Clauſtra degentes.

8. Permittantur tamen de Superiorum licentia, Fratres intra Clauſtra commorantes, apud Cardinales, Epiſcopos, & Prælatos Theologorum (ut præfertur) Confeſſariorumque muneribus liberè fungi. Ad hæc munia obeunda exeundi facultas nunquam à diſcreto Superiore denegetur, cæterum cum aliis Fratribus in communi vita, & ſub ordinarii Superioris obedientia humiliter vivant. Principum Theolog. & Confeſſ.

9. Quòd ſi eorum aliqui ab hujuſmodi Principibus, & Prælatis eorum, Portio Principum.

quæ ad victum pertinent, portionem acciperent, pro ea parte, quæ ſibi à Conventu debetur, computanda erit, eaque ac ſi à conventibus reciperetur, & non alia portione, nec alio modo, niſi aliter Superiori placuerit, utantur.

Ad januam ſedentes deambulantes, &c. 10. Vetitum eſt Fratribus quibuſcunque in Eccleſiis, ſeu in earum, vel Conventuum portis commorari, ſtare, confabulari, ſeu ante præfatas portas deambulare. Qui autem monitus adhuc deliquerit, ab eo Conventu expellatur; Superiores verò, qui hoc malitioſè permitterent, Officiorum privationem incurrant.

Sæcularium ingreſſus. 11. Non ſolùm autem ritè cuſtodienda eſt Regularium Clauſura quoad ipſorum exitum è Conventu, & Monaſterio, ſed æquè, vel magis, quoad prohibitionem ingreſſus quibuſvis Secularibus, & extraneis. Præcipitur itaque Janitoribus, ne ſecularibus hujuſmodi, & extraneis, maximè verò junioribus aditus (quantùm fieri poterit) ad interiora pateat, niſi juſta de cauſa à Superiore noſcenda. Multa verò Janitoris præſati circa hoc diligentiæ, diſcretioni, prudentiæque commendentur, Janitoris prudentia. ut Perſonarum inſignium, graduatarum, benefactorum non eandem (ut decet) cum cæteris rationem habeat, ſed maturo conſilio, judicioque, prout magis expedire videbit, diſcretum ſeſe in ſuo munere præbeat.

Ad officinas, ingreſſus ſecularium. 12. Officinas autem Conventuum publicas nullatenus ingrediantur exteri, vel ſeculares, niſi eorum opera Conventibus neceſſaria fuerit, aliterque Superior judicaverit. In Viſitationibus autem Provincialis Miniſter, aliique Superiores diligenter inquirant de localis Superioris, Janitoriſque circa hujus decreti obſervantiam diligentia, quòd ſi eos deliquiſſe compererint, pœnis coerceant, ſeveréque corrigant. Superioris cura.

Colloquii locus. 13. Fratres autem à ſæcularibus ad januam requiſitos Janitor diligenter vocabit, ut in anteriori Clauſtro, & non aliter religioſè colloquantur. Si tamen, dum divina peraguntur, quiſpiam evocaretur, non ex qualibet levi cauſa Fratres ipſos à Choro, diviniſque laudibus perturbet, ſed indicata Superiori cauſa, Perſonaque evocante, ſi ei videbitur, moneatur, qui vocatus eſt, ſe E Choro evocatio. ad oſtium accerſiri, iſque petita benedictione accedat, ac ut ad Chorum reverti quamprimùm poſſit, quàm paucioribus ſe expediat.

14. Ædiculæ verò collocutoriæ Imaginibus ſacris, Aqua benedicta, ſedilibuſque decenter ornatæ propè Januam conſtruantur, ut in eis Sæculares, ac exteri detineri commodiùs, religioſiúſque poſſint. Ad colloquia locus.

15. Scholæ verò, ſeu Gymnaſia ad Grammaticam, Muſicam, ſeu aliam quamlibet facultatem edocendam nullatenus in noſtris Conventibus aperiantur. Pro ſecularibus Gymnaſia. Si verò alicubi uſus, vel conſuetudo recepta fuerit, ut ſtudiorum cauſa Sæculares Fratres noſtros adirent, non intra Conventus interiorem Clauſuram, ſed patentibus, publiciſque locis extra hujuſmodi clauſuram, dummodò probatæ vitæ, optimiſque moribus ſint, recipiantur, & doceantur. Parvulorum verò ſcholas nullatenus aperire, ſeu apertas retinere Fratribus liceat, arbitrioque Superioris graviſſimis pœnis contrafacientes coerceantur, ſeveréque puniantur; quapropter decretum eſt, ne à quopiam Conductæ (ut ajunt) Communitatum ad Grammaticam edocendam, Lecturæ Civitatum. niſi de Generalis Miniſtri ſpeciali licentia ullo pacto accipiantur. Generalis autem Miniſter non niſi gravi, urgentique cauſa facultatem hujuſmodi concedat, conceſſaque robur non habeat, niſi ſervata hac Conſtitutione, videlicet, ne liceat extra Clauſtra, Conventuſque, vel Monaſterii ſepta ſub hoc, vel alio quovis prætextu cuipiam Fratrum pernoctare. Contrafacientes verò, ac permittentes activæ, paſſivæque vocis privationem incurrant, aliiſque pœnis Generalis Miniſtri arbitrio plectantur.

De Jejunio.

TITULUS XVIII.

Tex. *Et jejunent à Feſto omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini, Sanctam verò &c.*

1. Erunt inviolati jejunii apud Fratres noſtri Ordinis tempora, præter Tempora jejunii. ea, quæ ab Eccleſia decernuntur, tempus totius Adventus incipiens juxta Regulam Sancti Patris noſtri, *à Feſto omnium Sanctorum, uſque ad Nativitatem Domini*, ſingulæ totius anni ſextæ feriæ, ea excepta, quæ incidet in die Natalis Domini, in qua inviolabiter obſervari præcipimus Decretalem Honorii Papæ Tertii, quæ incipit, *Explicui* cap. fin. Extra. de obſervatione jejuniorum, Vigiliæ item Sancti Patris noſtri Franciſci, ac Sanctorum noſtri Ordinis Bonaventuræ, & Antonii de Padua, ac denique Vigi-

Vigiliæ omnes, in quibus ex locorum votis aut conſuetudine jejunari ſolet.

Benedicta. 2. Hortamur autem Fratres omnes, ut ſacroſanctam Domini noſtri JESU Chriſti Quadrageſimam, Seraphici Patris noſtri ſancti FRANCISCI benedictione locupletatam, quam propterea vulgò *Benedictam* appellare conſueverunt, devotiſſimè (quantùm fieri poteſt) obſervent. Jejunéntque præterea in Vigiliis omnium beatæ Mariæ Virginis Ordinis noſtri Protectricis feſtivitatum; Superiores verò Fratres hujuſmodi diebus jejunantes omnibus charitatis officiis tum quoad ciborum præparationem, tùm quoad alias neceſſarias commoditates ſedulò proſequantur.

Refectio ſufficiens. 3. Curandum præterea eſt locorum Superioribus, ut jejuniorum tempore ita ſufficienter menſa communi reficiantur Fratres, ne ab ipſo jejunio excuſari, néve graviori culpa ab ejus obſervatione ullatenus ceſſare debeant; qui autem de fractione jejunii convinceretur, quarta & ſexta unius hebdomadæ feriis pane & Pœna. aqua tantùm publicè in menſa communi jejunet, gravitérque à Superiore, qui aliter indulgere non poſſit, corrigatur.

Qui tenentur. 4. Ad jejuniorum præterea, quæ à Seraphica Regula indicuntur, obſervationem omnes & ſingulos, cujuſcunque ætatis & conditionis ſint, Profeſſos æquè teneri volumus, & declaramus. Tempore verò præfatorum jejuniorum nullus Superior, præter Generalem, Provincialéſque Miniſtros & Guardianos, veſcendi carnes, alióſque vetitos cibos fa- Carnium eſus. cultatem concedere valeat. Fratres verò, qui abſque dicta licentia vetitos cibos comederent, Prælatóſque (præfatis exceptis) qui facultatem hujuſmodi impertiti fuerint, gravi pœna puniendos eſſe ſtatuimus.

Diſpenſatio jejunii. 5. Superiores autem, ad quos jejunii ſolvendi facultatem concedere ſpectat, ſeriò priùs, an neceſſitas adſit, nec ne, animadvertant, teſtimoniúmque Medici & Confeſſarii recognoſcant, & juxta exigentiam, vel quoad multiplicem refectionem, vel quoad vetitorum ciborum uſum licentiam concedat. Qui verò ab his jejuniis diſpenſati fuerint, non in Refectorio, nec in propriis Cellis, ſed in Valetudinario cum aliis Infirmis & Diſpenſatis hujuſmodi reficiantur.

Parſimonia. 6. Reliquis autem anni temporibus communibus cibis veſcantur, ea tamen religioſa parſimonia, eáque modeſtia, quæ paupertatem redoleat, mentiſque compoſitionem indicet.

De Menſa Communitate.

TITULUS XIX.

1. LOcus communis menſæ (quem vulgò *Refectorium* appellare ſolent) perpetua munditie, perpetuóque nitore continuò fulgeat, ad ejúſque januam, ſive alio commodiori loco fons ad abluendas manus ſtatuatur; unúmque, aut duo linteola qualibet hebdomada renovanda ad extерſionem ex ſolerti Refectorii Miniſtri diligentia perpetuò adſint; munda præterea ſit ſupellex, munda vaſa, munda denique omnia, iſque, cui Refectorii cura demandata eſt, ſi quando immundum reperiatur, à Superiore corrigatur, & puniatur. Unica mappa cum mantilibus, patinis, gladiiſque, forcinculis, & cochlearibus ex aurichalco ad Fratrum numerum paretur; ſint autem vaſa omnia ſtannea, vel fictilia, quæ ſanctam redoleant paupertatem; ſi quis argentea, aut pretioſa, tam vaſa, quàm alia utenſilia habens deprehenſus fuerit, his omnibus priventur, graviter à Superiore corripiatur, & his ſtatim venditis, eorum pretium communi uſui applicetur. — Refectorii. Supellex.

2. Peculiaria mantilia, vaſa quæcunque, vel etiam mappas, aliáque id generis nemo habere præſumat, ſed omnes, quicunque hi fuerint, ſicut iiſdem eſcis veſcuntur, ita eodem menſæ apparatu utantur. Refectorii tamen Præfectus, ut mantile alicui ſemel appoſitum, ſemper etiam apponatur., ac ut octavo ſaltem die omnis Refectorii ſupellex renovetur, diligenter curabit. — Communis ſupellex.

3. Refectionis hora juxta locorum conſuetudinem ſervetur. In Conventibus autem inſignioribus, & ubi Gymnaſia erecta fuerint, hyemali tempore ad ſecundam noctis horam paretur cœna; in aliis verò ad primam, prout Superiori opportunè placuerit. Jejuniorum verò tempore in Quadrageſima poſt meridiem, Veſperis abſolutis, cœna paretur, aliis verò temporibus poſt Nonam, & ſub meridiem; ſerotinum verò (ùt ajunt) jentaculum ad primam vel ſecundam noctis horam juxta locorum varietatem. — Tempora refectionis.

4. Adveniente Refectionis hora, datóque ſigno, omnes, nemine prorſus excepto, niſi de Superioris licentia, vel gravi de cauſa ab ipſo comprobata, ad communem menſam primam, vel ſaltem ad ſecundam omnino accedant. Die- — Omnium ad communem menſã acceſſus.

bus verò jejuniorum veſperè poterunt Regentes ad communem menſam non accedere, ſed in eorum cellis jentaculum à Socio ipſis allatum religioſè ſumere.

Accedendi ordo. 5. Cùm ad Superioris nutum, ſigno dato, ad Refectorium patebit aditus, omnes, bini & bini (ablutis manibus) Pſalmum: *Deus miſereatur noſtri*, vel *De profundis* devotè recitantes ingrediantur.

Benedictio. Benedictio de more Romanæ Eccleſiæ fiat, ante quam ſexta feria dicatur oratio pro Benefactoribus, & poſt eadem ſexta feria, omnibus genuflexis, ab aliquo Deputato dicatur culpa, ùt ſuprà Tit. X. num. 2. &c. Veſperi ſimiliter recitetur ante menſam ſolita benedictio; diebus verò jejuniorum, juxta morem Religionis, dicatur Salutatio Angelica: ſi quis verò benedictioni non interfuerit, antequam ad menſam accedat, Orationem Dominicam, vel Angelicam Salutationem genuflexus, ſubmiſsâque voce recitet, aliterque accumbere à Superiore nullatenus permittatur.

Conſeſſus. 6. Peracta benedictione, unuſquiſque ad proprium locum accedat, nemo tamen ſeu mantile explicare, ſeu cibum ſumere, ſeu ad illum manus admovere præſumat, niſi jam ſacræ Scripturæ inchoata, vel ſexta feria totius approbationis Regulæ expleta lectione, Superior, ut cum Dei benedictione cibus ſumatur, ſigno indicaverit; ſacta enim Scripturarum, ſanctorùmque librorum lectione religioſa menſa condiri debet. Lectio. A principio itaque uniuſcujuſque menſæ lectio ſacræ Scripturæ currentis ad medium uſque comeſtionis protendatur; mox verò dato ſigno, ex Chronicis Ordinis, ſeu ex ſpirituali aliquo libro de Vita Chriſti, de mundi contemptu, & ſimilibus lectio ab eodem, vel alio ad libitum Superioris Lectore habeatur; qualibet autem ſexta feria tota Regula percurratur, quam lectio (ùt præfertur) ſpiritualis ſequetur; ſingulis verò Sabbatis poſt ſacræ Scripturæ lectionem, ex his Conſtitutionibus habeatur lectio ab eo loco, quo præcedenti Sabbato Lector deſierit, incipienda. Conſtitutiones leguntur. Lectiones autem hujuſmodi clarè, promptè, diſtinctè, devotéque, cunctis diligenter audientibus, legantur; menſæque omnes (ea, qua decet, modeſtia) non garrientes, non colloquentes, non aliis quibuſvis incongruis actibus, ſed religioſè aſſiſtant. Compoſitio Accumbentium. Qui verò moniti adhuc errarent, à menſa velut indigni expellantur.

Ciborum qualitas. 7. Ciborum apparatus non pretioſus, nec qui religioſam ſobrietatem deceat, ſed ſimplex ſit, ac ſufficiens, majori tamen, qua poterit, diligentia & charitate paratus. Panis. Panis cibarius, communiſque ſit, nec primarius, ſive ſelectus, ſed ejuſdem qualitatis ſingulis apponatur. Ubi verò Fratres ex eleëmoſynis ſeu quæſtuationibus vivunt, ea ſervanda eſt paritas, ut cum atro candidus, & ater cum candido omnibus æquè diſtribuatur. Panis mucidus iis tantummodo dabitur, qui ſpontè petierint; hoſpitibus verò & ægrotis recentior. Vinum. Vinum quoque aqua congruenter dilutum bibatur. Inſervientes. Qui verò Fratribus in menſa famulantur, mundè, diligentérque Dei ſervis omni devotione, munditiáque linteo præcincti inſerviant. Tunicam tamen non adeo attollant, ut femoralia, aliæque interiores veſtes videri poſſint, quod & ab omnibus ubique (coram Sæcularibus præſertim) inviolabiliter obſervari mandamus.

Communitas ciborum. 8. Menſæ communitas ita ſervetur, ut nullu etiam Superiori quidquam proprii ad eam privatim deferre liceat; omnes enim ejuſdem familiæ Fratres iiſdem penitus cibis veſci neceſſe eſt. Quòd ſi cuipiam à Conſanguineis, vel ſpiritualibus amicis eſculentum quid aut poculentum largitum fuerit, ad Superiorem ſtatim tranſmittatur, qui in publico refectionis loco, data ei primùm, qui obtulit, honeſta portione, reliquum cæteris Fratribus, juxta diſcumbentium ordinem, per menſæ Miniſtros diſtribuat. Nemo verò (Superiore excepto) aliquid in menſa alteri largiri præſumat, ſed ſi quid ſupererit, menſæ, vel Refectorii Præfecto cuſtodiendum, vel aliis diſtribuendum tradatur: Superior tandem, qui proprietatem in menſa tolleraverit, à Provinciali Miniſtro, aliiſque Prælatis corripiatur, attentiſque circumſtantiis, ſi nimirum deliquerit, etiam ab officio deponatur.

E menſa diſcedentes. 9. Durante menſa nemo ab ipſa (niſi priùs obtenta à Superiore licentia) diſcedere audeat; obtenta verò qui profecturus eſt, ſtans ante menſam Superiorem versùs, ſecretò gratias agat, exhibitáque deinde Superiori ipſi reverentia, egrediatur.

Sæculares ad menſam quo pacto admittendi. 10. Superior raro, nec niſi ex rationabili cauſa, Sæculares, exteróſque ad communem menſam adducat; quòd ſi adducere quandoque contingat, ſollerter invigilet, ne quidpiam oculos eorum offendat, aut ſcandalum afferat.

Lectio Miſſarum. 11. Expleta menſa, peractáque ad Superioris ſignum refectione, legantur quo-

quo-

quotidie Patrum omnium nomina, qui Miſſas celebraverunt, prout ſuperiùs Tit. III. hujus Cap. num. 12. Ad contentiones verò, quæ ex titulis oriri poſſent, vitandas, hoc modo ſcribantur, pariter & legantur.

Die N. celebraverunt
Adm. RR. Patres &c.
R. Pater Magiſter N. de N.
P. Baccalaureus N. de N.
R. P. Guardianus Conventus.
P. Vicarius Conventus.
P. Fr. N. de N. &c.

Deinde verò aliæ Miſſæ, quibus ex quotidianis eleëmoſynis ſatisfaciendum eſt, attentè legantur, ùt etiam ſupradictum eſt.

Gratiarum actio.

12. Si quæ poſtea dicenda à Superiore fuerint, dicat, gratiarúmque poſthac actiones ab omnibus juxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ præſcriptum, Religioniſque conſuetudinem, nemine priùs abſcedente, habeantur; quibus peractis, omnes ablutis manibus diſcedant. Ubi verò ſufficiens Fratrum numerus reperietur, dum aguntur gratiæ, ad Eccleſiam, ſeu ad Capitulum accedatur, eo præcipuè tempore, quo poſt prandium Nona recitari ſolet, à quo deinceps ſine ſtrepitu omnes ad ſua munera revertantur.

Conſilia.

13. Si quid agendum aut conſulendum fuerit pro temporalibus Conventus, vel aliorum Fratrum neceſſitatibus, actis gratiis, vel in Refectorio, vel in Cella Superioris, aut alio quopiam decenti loco agatur.

Menſa ſecunda.

14. In inſignioribus quoque Conventibus poſt primam menſam ſecunda quoque parari poterit, cui Præſidens Conventus, vel Vicarius, aut alius arbitrio Guardiani præſideat; factâque benedictione, habeatur in ea continua lectio, & ſicut in prima omnes ei modeſtè aſſideant, agantúrque, ea peracta, ſolitæ (ùt dictum eſt) gratiæ. Interdiu extra refectionis horas incongruum eſt religioſis Viris cibo vel potui indulgere, ſi tamen neceſſitas adſit, Miniſter, qui Refectorio præeſt, unicuique neceſſaria ſubminiſtrabit; corrigantur autem, & puniantur, qui abſque neceſſitate vel in propriis cellis comederent, ſeu biberent.

Ad Sæcularium menſas acceſſus.

15. Rarò præterea permittantur Fratres ad Sæcularium domos, etiam ultrò invitatos, ad comedendum accedere. Abſque benedictione verò, & Superioris licentia nemo ullatenus id præſumat, habita tamen licentia, ita inter comedendum ſe gerant, ut, dum corporali ab eis cibo paſcuntur, ipſi ſpirituali eos viciſſim eſca depaſcant.

De Peregrinationibus Fratrum, déque eorum vagatione tollenda.

Titulus XX.

Text. *Fratres quando vadunt per mundum &c.*

Cauſa rationabilis perpendatur.

1. ITinerandi, ſeu eundi (ùt Regulæ textus loquitur) per mundum nemini ex Fratribus libera ſit facultas, etiamſi rationabilis adſit cauſa vel neceſſitas, abſque Superioris licentia; qui maximè caveat, ne ad curioſitatem aut voluptatem Fratres vagentur, ſed itineris cauſis, aliiſque circumſtantiis diligenter examinatis, tum demum (ſi expedite videatur) facultatem concedat.

Licentiam qui Superiores concedere poſſint.

2. Guardiani, ſive locales quicunque Superiores à Conventu in Conventum eundi facultatem in ſcriptis concedere poſſunt, Cuſtodes de Cuſtodia in Cuſtodiam, Provinciales verò Miniſtri de Provincia in Provinciam: iis tamen caſibus & temporibus exceptis, quibus in his Conſtitutionibus aliter ſancitum eſt.

Socius itinerum.

3. Quicunque igitur è Conventu, ubi de familia degunt, aliò migrare voluerint, primò Superiorem, ad quem ſpectabit, conſulant, ab eóque diſcedendi, itinerandique licentiam humiliter petant. Cui autem facultas itinerandi conceditur, aſſignetur & Socius, qui viginti quinque annorum ætatem ſaltem attingat, probatæque vitæ ſpecimen præſeferat, nec ullum deinceps Superiores permittant ex noſtris Fratribus ſolum, abſque urgentiſſima cauſa itinerari.

Tranſgreſſores.

4. Qui verò inconſulto Superiore, & abſque ejus licentia, vel ſine Socio è ſuo Conventu aliò profecturus diſceſſerit, etiam majores Superiores adeundi prætextu, pœnis inferiùs contra vagos & profugos pronunciatis ad qualitatem delicti graviter puniatur.

Pecunia viatica.

5. Si detur pecunia pro viatico, eorum alter Oeconomus, ſive Procurator in eo itinere à Superiore conſtituendus eſt; qui verò ſine Socio proficiſceretur, ſuimet à Superiore, durante duntaxat itinere, Procurator, ſive (ùt præfertur) Oeconomus conſtituatur.

Pecuniæ, & res cæteræ aſportatæ.

6. Nulli verò pecuniam, quam ſecum in itinere defert, quovis etiam modo collectam, in rem ullam abſque Superioris licentia, niſi in neceſſitatibus

in

in via occurrentibus, impendere liceat; quapropter Superior Conventus, à quo quiſquam diſceſſerit, omnia, quæ ſecum detulerit, libros, veſtes, pecunias, etiam pro viatico tantummodo datas, in ſchedula diligenter adnotabit, eámque ad Superiorem Conventus, ad quem is proficiſcitur, opportunè tranſmittat, cui idem Frater eorum omnium rationem reddere teneatur; qui autem deliquiſſe reperirentur, graviter à Superiore corrigantur.

Romam venientes.

7. Juxta Decretum felicis recordationis Clementis Octavi, quod ſub pœnis in eo contentis omnino ſervari mandamus, nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali Miniſtro vel Protectore duntaxat licentiam in ſcriptis impetraverint. Si quis autem ſine hujuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce activa & paſſiva biennio privatus exiſtat, cujus pœnæ moderationem ſeu remiſſionem Sanctitas ſua ſibi, & Apoſtolicæ Sedi reſervavit, adempta facultate Generali & Protectori illam moderandi & relaxandi; ſubiturus etiam alias pœnas arbitratu Superiorum infligendas. Quæ item omnia adversùs eos, qui ſupradictos admiſerint, & receperint, ſine ulla exceptione locum habeant; Miniſtri etiam Provinciales abſque præfata licentia Romam accedere haud poſſint, ex Provinciæ tamen communi cauſa alios eò mittere, & ut liberè accedant, facultatem concedere poſſunt. Qui Romam venerint, Generalem Miniſtrum ſtatim adibunt, reverentiam ei, obedientiámque præſtabunt; qui, ſi eos legitimè acceſſiſſe cognoverit, peramanter excipiat, præfixique temporis, quo Romæ eos morari oportuerit, manendique facultatem in ſcriptis concedat. Quòd ſi Generalis Roma abſuerit, ad Procuratorem Ordinis accedant, ab eóque permanendi licentiam in ſcriptis obtineant.

Provincialium authoritas.

UbiRomam venere forenſes quid agendum.

Ad Conventus noſtros Fratrum acceſſus.

8. Fratres itinerantes cùm per urbes & oppida, ubi fuerint noſtri Ordinis Conventus, tranſierint, ad eos divertere, ibique, & non alibi commorari teneantur; nihilque in iis locis, quod præfatis Conventibus damnum aut ſcandalum poſſet inferre, agere audeant, contrafacientes gravi pœna puniantur.

Religioſitas in itinere.

9. In itinere diligenter caveant Fratres, ne vel levis ſcandali occaſionem exteris tribuant; eáque modeſtia, animíque & corporis compoſitione incedant, quæ Religioſos maximè decet. Si qui verò in itinere habitum ita geſtaſſe, ut femoralia videri potuerint, vel ſibimet caputium diſtraxiſſe comperti fuerint, publica diſciplina toties puniantur.

Sæculares advenæ ad Conventum non ducantur.

10. Sæculares nullo modo in itinere à Fratribus abſque legitima, rationabilique cauſa à Superiore probanda ad noſtros Conventus adducantur, & (quantùm fieri poteſt) caveant Fratres, ne eos in itinere comitentur, maximè ſi fuerint inter eos mulieres: ſi tamen & comitari, & adduci quandoque oportet, curent unanimiter omnes, ne regularis diſciplina, aut Conventuum clauſura ullatenus violetur.

Itinerantes ſubjecti ſint Guardiano.

11. Fratres omnes, cùm ad aliquem noſtri Ordinis Conventum ſive peregrinationis vel itineris, ſive negotiationis cauſa pervenerint, Guardiano, vel locali illius Conventus Superiori, ac ſi de familia eſſent, quamdiu illic manſerint, ſubjiciantur. Si quid ibi, aut in itinere deliquerint, localis Superior, ſive Guardianus pro qualitate delicti ſeverè in eos animadvertat. Non detineantur ſupra biduum vel triduum in Conventibus, niſi rationabilis adſit cauſa Superiori nota; quòd ſi ſupra hunc terminum productior fuerit mora, omnem pecuniam, quam ſecum detulerint, apud Depoſitarium, ſive Procuratorem Conventus fideliter deponere teneantur.

Permanentiæ advenarum præſcriptio.

Extra Italiam pergentes.

12. Quia ſolent nonnulli pietatis, votique prætextu libenter vagari, decretum eſt, ut ſolus Generalis Miniſter extra Italiam etiam devotionis aut voti cauſa proficiſcendi facultatem concedere poſſit; ſi quis itaque abſque præfati Generalis Miniſtri licentia ab Italia aliò peregrinaturus diſceſſerit, aliis, quas ſecum deferret, quorumcunque Superiorum licentiis non obſtantibus, ac ſi abſque licentia diſceſſiſſet, ſeverè puniatur.

Aſſiſium petentes.

13. Petendi verò Aſſiſium ad Indulgentiam ſanctæ Mariæ Angelorum Miniſtri Provinciales quàm paucioribus ſuæ Provinciæ Fratribus facultatem concedant; quibus autem conceſſerint, diſtrictè inhibeant, ne ante ſextum Kalend. Auguſti ſancti Franciſci Provinciam ingrediantur, néve ultra quintum ab Indulgentia completa diem in ea commorentur, niſi ob rationabilia negotia à Superiore detinerentur.

Ad confeſſionem admittendi advenæ.

14. Sacri verò Conventus Cuſtos neminem ex advenientibus Fratribus ad confeſſiones excipiendas eo Indulgentiæ tempore admittere poſſit, niſi ab ejus Provinciæ Miniſtro ſuæ approbationis facultatem in ſcriptis detulerit.

15. Non

Digitized by Google

Juniorum diſceſſus.

15. Non poſſint deinceps Guardiani, ſeu locales quicunque Superiores Juvenes citra vigeſimum primum annum ad alios Conventus profecturos, abſque Provincialis Miniſtri in ſcriptis obtenta licentia, ullo pacto dimittere.

Præſcriptio temporis in licentiis.

16. Ne quis autem Superiorum licentiis abutatur, ſtatuitur, ut poſthac in obedientialibus literis certum præfigatur temporis ſpatium, prout locorum diſtantia exigeret, rationabiliter videbitur, ne quiſquam in itinere longiorem æquò moram facere, ſive, quò magis libuerit, vagari queat. Si tamen ex legitima cauſa impeditus præfixo dierum ſpatio, quò tendebat, pervenire nequiverit, Superiori cauſam exprimat, qui, ſi ea malitioſa vel illegitima videatur, pro diuturnitate temporis eum puniat.

Equitare quibus cauſis conceſſum.

17. De his verò, quibus equitare conceditur, Seraphicæ Regulæ veſtigiis inhærentes hæc decernimus: videlicet, equitandi duas eſſe poſſe legitimas cauſas ex Regulæ ipſius textu, alteram neceſſitatem, infirmitatem alteram. Propter neceſſitatem itaque Generalis Miniſter cum tota ejus familia, Miniſtri omnes Provinciales cum Secretariis & Sociis, ſacræ Theologiæ Magiſtri, Concionatores præcipuè, Patres celebriores longum iter facturi, Commiſſarii, Viſitatoréſque Provinciæ, quorum omnium vitam, incolumitatémque maximè Ordini noſtro neceſſariam eſſe compertum eſt, cum Dei benedictione liberè & licitè (quotieſcunque fuerit opus) equitare valeant; propter infirmitatem verò omnes & ſinguli noſtri Ordinis Fratres corporis ægritudine, vel nimia imbecillitate laborantes. Præter has quoque cauſas, ſi quid negotii celeriter expediendi accidat, vel longius æquò, neceſſarium tamen iter perficiendum fuerit, poſſit Superior equitationem diſcretè concedere. Qui verò (prædictis duntaxat exceptis) equo, rheda, curru, vel alio quolibet vehiculo vehi, maximè verò intra urbes & oppida, auſus fuerit, totidem diebus carceri mancipetur, quot iis vehiculis & equitatione illicitè uſus eſt. Si autem in ipſo itinere neceſſitas aliqua equitandi accideret, Superior, ad quem Fratres hujuſmodi devenerint, an ad concedendam equitationem ſufficiens fuerit, diligenter inſpiciat, diſcretéque juxta neceſſitatis menſuram, vel ad totum, vel ad itineris partem perficiendam equitandi facultatem in Domino concedat. Cum Juvenibus autem non facilè diſpenſetur.

Equitantes ſine cauſa legitima puniantur.

Diſpenſationes.

In equitando religioſitas.

18. Qui equitandi facultatem habent, vel licentiam ex legitima (ùt præfertur) cauſa obtinuerint, pompam, & ſæcularem faſtum omnino abhorteant, & religioſam modeſtiam in omnibus ad equitandum neceſſariis integrè ſervent, qui ſecus fecerint, pro qualitate culpæ publicè corrigantur.

Itinerariæ preces.

19. Hortamur autem Fratres noſtros, ut iter quomodolibet acturi itinerarias preces juxta ſacrum Romanæ Eccleſiæ ritum, antequam à Conventu recedant, & quotidie manè in toto itinere devotè recitent.

De Fratribus advenis hoſpitio recipiendis.

TITULUS XXI.

Itinerantium hoſpitium.

1. AD itinerantium Fratrum commoditatem in unoquoque Conventu cubicula à Fratrum locorum dormitorio (quantùm fieri poterit) diſtincta, in quibus advenientes benignè hoſpitio excipiantur, à Provincialibus Miniſtris deputanda ſunt. Hiſque aliquis ex Fratribus de familia fidelis inprimis ac diligens præficiatur, cujus partes erunt, præfatis Fratribus & hoſpitibus miniſtrare, eiſque obſequia quomodolibet neceſſaria præſtare, ac, etiamſi extra conſuetam refectionis horam advenerint, victum diligenter parare.

Præfecti munus.

Supellex.

2. Locus verò omni neceſſaria ſupellectili inſtructus ſit, lectulis præcipuè quamplurimis munitus, ut quiſque ſolus quieſcere valeat: nulla ibi immunditiès, nulla rerum confuſio appareat. Coquina peculiaris, ſeu alia ad veſcendum commoditas ibi nulla ſit, ſed quicunque illuc itinerantes advenerint, à deputatis Conventus Miniſtris & Officialibus opportunè cibum in Refectorio ſumant, prout opus fuerit, habita longioris itineris, vel nimiæ laſſitudinis ratione. Dúmque ſoli reficiuntur, ut eò magis religioſum ſilentium, regularíſque modeſtia ſervetur: alii omnes, præter menſæ Miniſtros, ab eo loco recedant.

Ciborum ſubminiſtratio.

Hoſpitalitas.

3. Fratres omnes, quicunque illi ſint, etiam infimæ conditionis, dummodo cum legitimis Superiorum licentiis, ſeu obedientialibus literis ad noſtros Conventus declinaverint, hilari vultu, benignè, & omni religioſæ charitatis ſignificatione recipiantur, ac tractentur, idque pium hoſpitalitatis officium non erga noſtri Ordinis Fratres tantùm præſtetur, verùm & erga quoſcunque alios cujuſcunque Ordinis Religioſos, qui cum obedientialibus ſuorum Superiorum literis ad loca noſtra diver-

terint, maximè verò erga Fratres ſacri Ordinis Prædicatorum.

Peregrinorum receptio.

4. Prælatos inſuper, & ſæculares Presbyteros, quos maximè in Domino revereri tenemur, ut omnibus charitatis & hoſpitalitatis obſequiis Fratres noſtri proſequantur, mandamus, ut Peregrinis pedes devotè laventur: ſi ægrotaverint, ſervetur Conſtitutio inferiùs proprio loco ponenda. Sæculares verò, niſi fuerint Fratrum conſanguinei, vel aliqua alia rationabilis adſit cauſa à Superiore cognoſcenda & approbanda, nullatenus ad hoſpitium admittantur.

Facinoroſi rejiciendi.

5. Diſtrictè verò ſtatuitur & mandatur, ne contumaces, banniti, facinoroſi quicunque, ſeu Curiam, maximè ex crimine, fugientes ullatenus, aut quovis prætextu in noſtris Conventibus recipiantur, néve introducti ullo modo in eis retineantur; Guardiani verò recipientes, vel retinentes eo ipſo ab officiis ſuſpendantur. Alii verò inferiores pariter recipientes, ſeu retinentes gravibus pœnis ſeverè ad Superiorum arbitrium puniantur.

De Vagis, & eorum pœnis.

TITULUS XXII.

Licentiæ præſcriptum non ſervantes.

1. OMnes illi noſtri Ordinis Fratres, qui recto tramite, quò ſibi Superiorum obedientiales literæ præſcribunt, non pergunt, vel juxta tempus ab illis in literis præfixum non redeunt, vel abſque licentia à ſuo Conventu recedunt, tanquam vagi corrigendi, ſeveréque juxta infraſcripta Decreta puniendi ſunt.

Sine licentia.

Clemens VIII.

2. Qui abſque Superioris licentia à Conventu, ubi de familia commoratur, per urbes vel oppida, aliáque loca peragraturus diſceſſerit, gravi pœna, juxta felicis recordationis Clementis Octavi Decreta, ad Superioris arbitrium plectatur; quòd ſi contra denegatam ſibi licentiam recedere ullo modo præſumpſerit, per tres continuos dies carceri mancipetur.

Pernoctantes extra Conventũ.

3. Qui extra Conventum pernoctaverit, etiamſi apud parentes vel conſanguineos, abſque Superioris licentia, graviter puniatur; eáque licentia non niſi raro, & ex rationabili cauſa concedatur. Qui verò pernoctaverint apud extraneos, pro qualitate delicti, etiam carceris pœna coërceantur; à quo tamen excipiuntur itinerantes in iis locis, ubi noſtri Ordinis Conventus non fuerint, ut ſupra dictum eſt.

De Profugis, & Fugitivis, & eorum pœnis.

TITULUS XXIII.

Qui profugus eſt.

1. PRofugus, & Fugitivus ille cenſendus eſt, qui ſine obedientialibus ſui legitimi Superioris literis à ſuo Conventu aufugit, vel à Provincia recedit, maximè verò, ſi de carcere, in quo detineretur, vi vel dolo exierit.

Contra fugitivos Decret. Congreg. Conc.

2. Ad reprimendum porrò fugitivorum Fratrum audaciam, decrevit ſacroſancti Concilii Congregatio die 21. Septembris anno 1624., ut omnes hujuſmodi Fratres, ſive Regularem habitum deferant, ſive non, ab Epiſcopis Diœceſanis, ubi degunt, in carcerem conjici, ac Superioribus ſuis, juxta Regularia Decreta, puniendi conſignari poſſint & debeant.

Fugitivi carceribus mancipentur ſub pœnis &c.

3. Quicunque igitur Fratrum ab eorum Conventibus, vel à carceribus aufugientes, à Superiore illius Conventus, ad quem diverterint, ſub pœna privationis officii eo ipſo incurrenda, ſtatim in carcerem detrudantur. Tum verò Provincialis illius Provinciæ, & Guardianus Conventus, à quo diſceſſerint, de hujuſmodi carceratione ab eodem certiores fiant, ut ab iis de his, quæ opus fuerint, ipſe viciſſim admoneri poſſit.

Circa licentias Superioris diligentia accurata.

4. Cognoſcent autem Guardiani, localesque Superiores ex obedientialibus literis (quas ſemper inſpicere teneantur) quoſcunque fugitivos & profugos, vel enim depravatas & illegitimas, vel potiùs nullo modo ſuorum Superiorum obedientiales literas deferent; ſi levis tamen adeſſet cauſa diſceſſus, ad ſuas Provincias vel Conventus quàm citiùs remittantur, ad quos ſi elapſo diſcretè aſſignando à Superiore termino non pervenerint, velut Apoſtatæ habeantur, iiſdémque pœnis graviter puniantur.

Fugitivi pœnitentes.

5. Si verò ſua ſponte facti pœnitentes, ad ſuos Superiores humiliter revertantur, culpámque publicè faſſi, abſolutionem petant, emendationémque polliceantur, paterna charitate à Superioribus excipiantur, mitiórque pœna pro qualitate culpæ illis benignè injungatur.

Ad arctiorem Religionem tranſire volentes.

6. Quoad illos, qui ad alias Religiones migrare voluerint, ejuſdem ſacri Concilii Congregationis Decretum inviolabiliter obſervari mandamus, quo ſtatuitur, ut nemo ad arctiorem Religionem tranſire valeat abſque ſui Superioris

rioris licentia, à quo non, niſi priùs el legitimè conſtiterit eam Religionem paratam eſſe illum recipere, concedatur; obtentáque licentia, rectâ via ab ea ſeſe immediatè abſque vagatione vel cunctatione conferant.

De Apoſtatis à Religione, & eorum pœnis.

Titulus XXIV.

Qui Apoſtatæ cenſendi.

1. Quicunque Fratrum habitu dimiſſo, ſive retento animo ampliùs non redeundi, inconſulto Superiore, à Conventu receſſerit, niſi infra duos menſes revertatur, vel Provincialem Miniſtrum, aut Superiorem, ad quem ſpectaverit, non conveniat, Apoſtata eſſe cenſetur; quòd ſi infra id tempus revertatur, pro qualitate tranſgreſſionis & culpæ puniendus eſt.

Sine habitu incedentes.

2. Declaratur inſuper Apoſtata, qui per tres continuos dies ſine habitu Ordinis auſus fuerit quomodolibet incedere, ſeu ſic illum geſtare, ut aliis veſtibus adeo veletur, ut videri non poſſit, iisdémque proinde pœnis, quibus alii Apoſtatæ, puniendus erit.

Apoſtatæ declarandi etiam excommunicati.

3. Cuſtodes itaque in ſingulis ſuæ Cuſtodiæ Conventibus & locis, dum actu viſitaverint, Apoſtatas omnes in ſua Cuſtodia commorantes nominatim excommunicatos pronunciare teneantur, ſive ſuæ Cuſtodiæ, ſive alterius, ſive illius, ſive alienæ Provinciæ ſint, omnéſque Fratres diligenter admoneant, ne eos alloqui, ſive ullo modo cum eis verſari præſumant.

Apoſtatæ carceribus detinendi &c.

4. Provinciales præterea omnes Miniſtri in ſuis Provinciis, Cuſtodes in Cuſtodiis, & Guardiani omnes in ſuis Conventibus Fratres omnes Apoſtatas tum ejuſdem, tum alienæ Provinciæ, Cuſtodiæ, & Conventus, ſi ad eos diverterint, excommunicare, carcerare, punire, aliiſque pœnis coërcere poſſint & debeant; quicunque verò Superiores id juſtè præſtare neglexerint, ab officiis & dignitatibus deponantur. Indicitur autem Miniſtris omnibus, & Superioribus Ordinis depoſitio dignitatum, officiorúmque, ſi Apoſtatas Ordinis ullo modo perſequi, capere, punire, & aliis pœnis juſtè afficere negligant.

Pœna Superiorum id prætermittentium.

Captionum expenſæ.

5. Quidquid pro captura erogandum fuerit, à tota Provincia ſuppleatur; & de omnibus his expenſis in Capitulis Provincialibus, ſeu Capitularibus Congregationibus diſtricta ratio habeatur.

Pœna carceris.

6. Pœnæ verò adversùs Apoſtatas hæc ſtatuuntur: Si quis abſque Superioris licentia à Conventu aufugiens, intra quinque ſaltem menſes coram Superiore perſonaliter non comparuerit, ac in gravem proinde apoſtaſiam inciderit, præter alias pœnas à jure, & Pontificiis Conſtitutionibus latas, carceri ad duos menſes mancipetur, eóque tempore pane tantùm & aqua ſingulis ſextis feriis jejunet, ac utraque voce ipſo facto privetur, ad quam (ſi religioſè tamen vixerit) à Generali tantùm Miniſtro reſtitui poſſit.

Privationes vocis activæ & paſſivæ.

Gravior apoſtaſia graviori pœna plectatur.

7. Si quis verò per octo menſes continuos, aut ſemel & iterum per menſes quinque qualibet vice in graviori apoſtaſia & contumacia permanſerit, ad tres menſes carceri mancipetur; eóque tempore ſingulis quartis & ſextis feriis pane tantùm & aqua jejunet, utriuſque vocis privationem ipſo facto incurrat, ad quam non niſi poſt quinquennium (ſi tamen laudabiliter vixerit) à Generali tantùm Miniſtro reſtitui poſſit, totóque quinquennio à confeſſionibus, concionibus, publicisque lectionibus ſuſpendatur; infimum denique locum inter ejuſdem gradus Fratres eo tempore habeat, videlicet inter Sacerdotes, ſi Sacerdos fuerit; inter Clericos aut Laicos, ſi Clericus vel Laicus.

Graviſſimæ apoſtaſiæ pœna.

8. Si quis autem per menſes quatuordecim continuos, aut ſemel & iterum per menſes octo qualibet vice in contumacia permanſerit, ad menſes quatuor in carcerem detrudatur, eóque tempore jejuniis & diſciplinis maceretur; utriuſque vocis, ac Paternitatis etiam nativi Conventus perpetuam privationem incurrat, & à concionibus, confeſſionibus, publicisque lectionibus perpetuò ſuſpendatur. Si tamen per continuum decennium in Ordine laudabiliter vixerit, idque juridicè conſtet, à Generali duntaxat Miniſtro in omnibus reſtitui poſſit.

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT IV. REGULÆ.

De Paupertate in communi.

TITULUS I.

Text. *Præcipio firmiter Fratribus* &c.

POſt varias controverſias circa paupertatis votum à Religionis noſtræ Fratribus obſervandum, placuit ſanctiſſimo Domino noſtro URBANO Papæ VIII. infraſcripto ſacræ Congregationis Apoſtolicæ Viſitationis Decreto ea omnia ſtabilire, quæ pro conſcientiarum ſecuritate ab iiſdemmet noſtris Fratribus circa ejuſdem paupertatis votum ſervanda ſunt.

De abdicanda proprietate particulari.

Decretum ſacræ Congregationis Apoſtolicæ Viſitationis.

Ex Seſs. 25. de Reg.

AD extirpandum proprietatis vitium ſacri Concilii Tridentini veſtigiis inhærentes, omnibus Ordinis noſtri Fratribus diſtrictè prohibemus, ne quiſquam eorum bona immobilia, vel mobilia, cujuſcunque qualitatis fuerint, proventus, redditus, cenſus, pecunias, etiam ex eleēmoſynis, concionibus, alióve labore, aut Conſanguineorum, ſeu aliorum largitione, etiam intuitu Perſonæ datas, aut aliàs quovis modo ab eis acquiſitas, vel acquirendas tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſideat, vel teneat, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuíque incorporentur, & confundantur, prout nos ex nunc ea applicamus, incorporamus, & confundimus, & pro applicatis, incorporatis, & confuſis haberi volumus, & mandamus. Decernentes Superioribus bona ſtabilia alicui Ordinis noſtri, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, ſive commendam concedere non licuiſſe, neque licere, ideòque omnes & quaſcunque licentias, facultates, & indulta, ſi qua etiam à Generali Miniſtro quovis modo, vel ex quacunque cauſa contra prædicta conceſſas, vel conceſſa, vel quæ in poſterum concedi contigerit, revocamus, & abolemus, & pro revocatis, & abolitis haberi volumus, & in futurum, ne concedantur, diſtrictè præcipimus.

Bone Fratrum incorporentur Conventui.

Adminiſtrator.

Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.

Mobilium uſus.

Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil tamen, quod ſit neceſſarium, eis denegetur, quorum omnium registrum Superiores apud ſe habeant, & ſingulis annis revideant, Fratréſque ea vendere, donare, aut aliter alienare non valeant; quòd ſi quis aliter fecerit, vel quid (etiamſi pecunia ſit) tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta noſtras has Conſtitutiones puniatur.

Pecuniæ.

Pecunia verò, aliæque res quæcunque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in commune Conventus Ærarium reponendæ, triplicíque clave cuſtodiendæ, quarum una penes Guardianum pro tempore exiſtentem, duæ verò aliæ penes duos alios Fratres ſingulo quoque anno per Conventum eligendos conſerventur, ex quibus ſubminiſtrato Exhibitori, quantùm religioſa ejus neceſſitates (ſtatus valetudinis, laborúmque ratione habita) expoſtulare videbuntur, reliquum penes Ærarium remaneat, & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, ſeu Congregationis Provincialis ſingulis annis facienda erogetur. Quod verò à Superiore ipſi traditum fuerit, vel undecunque ad ejus manus pervenerit, memorato Superiori de eo rationem ad omnem ejus nutum reddere teneatur, ſub pœna contrafacientibus privationis activæ & paſſivæ vocis per triennium qualibet vice, aliiſque arbitrio Superiorum ipſo facto incurrenda.

Pœnæ tranſgreſſorum.

Sacra Congregatio Apoſtolica Viſitationis ſupraſcriptum Decretum de abdicanda proprietate in particulari, de mandato ſanctiſſimi Domini noſtri URBANI divina providentia Papæ VIII. per plures ſeſſiones examinavit, & tandem die Veneris 13. Julii anno 1627. illud cum omnibus in eo contentis probavit, & inter cæteras Conſtitutiones hujus Religionis Conventualium inſeri, & exequi mandavit. In quorum fidem &c.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Secr.

De adminiſtratione bonorum temporalium.

TITULUS II.

1. CUm igitur nil magis in votis ſit, quàm pro animarum ſalute, & con- Decreti obſervantia.

conſcientiæ Fratrum ſecuritate, Decreti iſtius Sanctiſſimi pura & omnimoda obſervantia, nonnulla præſcribere, quæ ad eam inducendam & conſervandam neceſſaria viſa ſunt, æquum duximus. Proindeque (Decreti ipſius ordinem ſequentes) primò, quæ ad temporalium Conventuum bonorum adminiſtrationem pertinent, ſtatuemus.

Adminiſtratio.

2. Decernitur itaque, firmitérque præcipitur, ut juxta præmiſſum ſacræ Congregationis Decretum nullus tam localium, quàm aliorum quorumcunque Superiorum bonorum, ſive reddit□um, vel eleëmoſynarum, ac etiam pecuniarum Conventuum, vel locorum adminiſtrationem, diſpenſationémque etiam Conventus ipſius, cui præeſt, nomine, per ſe ipſum exercere ullatenus poſſit, *ſed adminiſtratio bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.*

Tres Adminiſtratores.

3. Quamobrem tota adminiſtrandi Conventus facultas penes tres illius familiæ Fratres, quorum alter Depoſitarius, ſecundus Diſpenſator, tertius verò Exactor nominetur, à Capitulo duntaxat Conventus deputandos reſideat; prohibemus inſuper, ne unus, idémque omnia hæc tria munera ullatenus exercere poſſit.

Ubi tres nequeunt inſtitui, ſit unus à Superiore diſtinctus.

4. Ubi verò ob Fratrum paucitatem tres præfati Conventuum, locorúmque Officiales commodè inſtitui nequeant, uni ſaltem ex his, quus ibi de familia commorantur, tota hæc cura ſedulò demandetur, adeo ut nullo pacto, nullo unquam tempore, vel prætextu Superior munera hæc per ſe ipſum exercere valeat, ſub perpetua officii, ac utriuſque vocis privatione.

Depoſitarii munus.

5. Depoſitarii præcipua munera ſunt, bonorum omnium tam mobilium, quàm immobilium Conventus initio ſuſcepti Officii Inventaria diligenter conficere, ac ſæpiùs recognoſcere, pecuniam, cæteráque bona per Exactorem in unum collecta fideliter cuſtodire, & in arca trium clavium aſſervare; res quaſcunque Conventui quoquo modo obvenientes in communem Fratrum depoſitum inferre.

Expenſoris partes.

6. Diſpenſatoris autem, ſive Expenſoris officium & cura ſit, ex pecuniis, aliiſque rebus, quæ ſibi à Depoſitario traditæ fuerint, Superiori, Fratribus, totique Conventui de ſingulis neceſſariis (mandante tamen ipſo Superiore) non juxta proprii affectus menſuram, ſed ſecundùm religioſæ charitatis Regulam, ſanctarúmque Conſtitutionum noſtrarum Statuta providere, expenſas omnes (ùt infra ſtatuetur) fideliter adnotare, de eisque rationes opportunè reddere.

Exactor.

7. Exactor pecunias, bona omnia, reddituſque Conventuum & Monaſteriorum colligendi ac exigendi officium ſubeat.

Arca trium clavium.

8. In unoquoque igitur Conventu & loco, juxta præmiſſum ſacræ Congregationis Decretum, trium clavium arca fortis, validéque compacta, ferriſque munita ad pecuniam cuſtodiendam reperiatur, & in ſecuriori Conventus parte collocetur. Ex tribus clavibus *una penes Guardianum pro tempore exiſtentem; duæ verò aliæ penes duos alios Fratres ſingulo quoque anno per Conventum eligendos conſerventur.*

Pecunia in Ærarium conferenda.

9. In ipſa trium clavium arca eo (ùt præfertur) modo diligentiſſimè cuſtodita pecuniæ omnes tam certæ, quàm incertæ, tam quæ ob annuos fructus, redditus, cenſus, ſive legatorum tum ordinariorum, tum extraordinariorum, quàm quæ ob Fratrum legentium, laborantium, prædicantiúmve labores, aut quamvis aliam piarum eleëmoſynarum occaſionem, vel aliàs quomodolibet Conventui obvenerint, inferantur, aſſerventur, & juxta formam præfati Decreti cuſtodiantur.

Extractio pecuniæ ab Ærario.

10. Nunquam tamen cuilibet Superiorum præfatarum pecuniarum ne modicam quidem quantitatem, ſeu portionem extrahere liceat, niſi iis omnibus præſentibus, apud quos præfatæ tres claves aſſervantur; extractáque pecunia, non alii, quicunque is fuerit, quàm Depoſitario, ſive (ubi ex penuria Fratrum, ut ſupra num. 6. dictum eſt, inſtitutus non fuerit) Procuratori Conventus, ſervatis tamen ſervandis, conſignari queat.

Ærarii liber.

11. Adſit in unoquoque Conventu Ærarii liber apud præfatam arcam cum ipſa pecunia ſub tribus iiſdem clavibus perpetuò cuſtodiendus, ad effectum duntaxat in eo fideliter pecunias omnes, quæ tum inferentur, tum vel extrahentur adnotandi, deputatus.

Uſus libri, & illatæ pecuniæ notatio.

12. Cùm igitur Exactor pecunias quaſcunque ad Conventus Depoſitarium detulerit, trium clavium arcæ Cuſtodibus advocatis, iiſque præſentibus, ejuſmodi pecuniæ in arcam ipſam inferantur; adnotabuntúrque in libro Ærarii, eáque parte, ubi introitus adnotandus

 fuerit,

fuerit, pecuniæ quantitas, à quonam accepta, qua ratione, cujúsve redditus, aut eleëmoſynæ cauſa, omnésque aliæ conditiones & circumſtantiæ. Tum Guardianus, ſive localis quicunque Superior in eodemmet libro ſub ipſa immediatè adnotatione ita ſubſcribat, videlicet: *Ita eſt F. N. Guardianus Conventus*; repoſitóque in arca libro, ipſa diligenter claudatur, clavésque à Cuſtodibus conſerventur.

Extractio, & ejus nota. 13. Pariformiter cùm extrahendæ fuerint pecuniæ, præſentibus ſingulis clavium præfatarum Cuſtodibus, extrahendæ pecuniæ quantitas, extractionis cauſa, pro quo, quibúsve præſentibus extractæ fuerint, adnotetur. Guardianus autem, ſive localis quicunque Superior, & Depoſitarius ex arca ordine præfato pecuniam recipiens, poſt conſignationis adnotationem in eodemmet libro factam, ſic immediatè ſubſcribat: *Ita eſt F. N. Guardianus Conventus*.

Quotidianæ expenſæ taxentur. 14. Depoſitarius verò Expenſori ad neceſſaria providenda pecuniam tradet. Decernitur autem, ut quotidianæ, ſive conſuetæ Conventuum expenſæ *à Provinciali Capitulo, ſive Capitulari Congregatione* pro unoquoque Conventu taxentur. Præter has autem quotidianas expenſas nihil penitus abſque ejusdem Capituli Conventus licentia, Guardianus, ſive alii quicunque Conventus Officiales tam pro frumenti vel vini, olei quoque, lignorum, aliorúmque neceſſariorum proviſione expendere audeant; ſi ſecus fecerint, eo ipſo ab officiis deponantur. Occurrente autem privationis caſu *Localis Superior* alium in privati locum uſque ad Provincialis Miniſtri determinationem ſubſtituere poſſit. Quòd ſi ipſemet privationem incurrerit, Vicarius Conventus vel loci uſque ad Provincialis Miniſtri determinationem in Guardiani privati locum Conventui præſit.

Majoris ſummæ expenſæ.

Privati Adminiſtratoris vel Guardiani vices gerentes &c.

Expenſarū liber. 15. Quidquid igitur neceſſe fuerit, ſervatis ſervandis, ex pecuniis à Depoſitario ſibi traditis Expenſor provideat. Expenſarum librum habeat, in cujus altera parte (minori tamen) introitum, ſive acceptas à Depoſitario Conventus pecunias fideliter ſequenti ordine adnotabit. In uniuſcujuſque ejusdem libri paginæ capite menſis & annus ſcribatur. Subtùs verò receptæ pecuniæ adnotentur, ſitque hujuſmodi adnotatio ei, quæ in libro Ærarii facta fuit, omnino conformis; deſcribatur autem & dies, quo præfatas pecunias, ùt ſupra, receperit, videlicet:

Recepti notæ.

Febraro 1628.
Adì 4. riceuo dal Padre Depoſitario. ſcudi nove — *ſcu. 9.*
Adì 10. &c.

Expenſarū monumēta. 16. In altera verò ejusdemmet libri parte expenſæ omnes ab ipſomet Expenſore factæ clarè, diſtinctéque deſcribantur. Notentur autem, à quo empta fuerint neceſſaria ad quanti rationem, cæteræque conditiones & circumſtantiæ. Ipſi verò ſumptus primò per elementa, deinde per numerorum notas diſtinguantur, libérque nitidus & intactus ſervetur. Hic autem erit expenſarum deſcribendarum ordo:

Febrare 1628.
Adì 7. &c. ſpeſo in compra di &c. à ragione di &c. ſcudi due cioè — *ſcu. 2.*
Adì 12. &c.

Procuratoris liber. Idem ipſe ordo in his locis, ubi ex Fratrum penuria ſolus Procurator inſtituetur (ùt dictum eſt num. 6.) penitus ſervandus eſt; præterquam quòd, ubi ſcribitur in expenſarum libro: *Hò riceuuto dal P. Depoſitario*, ſcribat: *Hò riceuuto dalla Caſſa dell' Erario*.

Æris alieni gravamen evitandum. 17. Curent autem Guardiani, aliique locales Superiores, ne Conventus & loca ære alieno, ſive debitis oneroſis graventur, Generaliſque Miniſter & Provinciales diligenter in Capitulis & Congregationibus de hujuſmodi Conventuum, ipſis, præſertim immediatè, ſubjectorum, debitis diligenter inquirant; ſi quos autem Guardianos, ſive locales Superiores, vel Conventuum Officiales, debita nomine Conventuum contraxiſſe abſque Capituli Conventus, & Provincialis Miniſtri licentia comperierint, eos utriuſque vocis perpetua privatione puniant, Guardianiſque propterea, aliiſque Conventus Officialibus ſub iisdem pœnis præcipitur, ne propria authoritate pecunias mutuas accipere ullo pacto præſumant. Sed ſi neceſſitas urgeat, de totius Capituli Conventus conſenſu & facultate, requiſito etiam (ſi tempus ſuppetat) Provinciali Miniſtro, pecunias mutuò accipere poſſint, acceptáque in arcam trium clavium inferantur, in libro Ærarii in introitu deſcribantur, &, cùm neceſſe fuerit, extrahantur, Depoſitario & Expenſori conſignentur, & in Ærarii, expenſarúmque libro fideliter, ùt ſupra, eodem penitus ordine ſervato, adnotentur.

Nomine Conventus debita contrahentes puniantur.

Mutuæ pecuniæ quando pro Conventu accipiendæ.

Rationes Conventus reddendæ. 18. In omnibus autem Conventibus & locis, ut bona Conventuum, locorúmque fideliſſimè adminiſtrentur, ſingula quoque hebdomada Officiales ſinguli (ubi fuerint) vel Procurator (ubi

non

non fuerint ex Fratrum penuria præfati Conventuum Officiales) tam accepti, quàm expenſi coram Superiore, & aliis Fratribus publicè in Retectorio, vel alio ad id deputato loco rationes reddant, ac omnia, quæ ab eorum ſingulis facta fuerint, perlegantur.

Rationibus Conventus præſentes ſint omnes, dum redduntur ipſæ.

19. Singulis verò menſibus coram Guardiano, ſive locali Superiore, aliiſque Conventus Patribus, qui de conſilio fuerint in Conventibus inſignioribus, vel coram locali Superiore, & ſingulis Fratribus de familia in aliis Conventibus ac locis computus fiant. Præcipitur autem Patribus, Fratribúſque præſatis, ut omnino dictis computus rationibus (aliis quibuſcunque poſtpoſitis) intereſſe debeant. Quòd ſi vocati noluerint, vel adeſſe contempſerint, à Proviociali Miniſtro paternitate priventur; qui verò Patres non fuerint, aliis pœnis à Superiore plectantur; ſi tamen tertiò moniti accedere recuſaverint, ad quæcunque Ordinis officia inhabiles declarentur. In hoc autem caſu decretum eſt, ut omnes ſacræ Theologiæ Magiſtri, ac omnes inſuper Sacerdotes tum nativi, tum exteri trigeſimum quintum ætatis annum agentes pro Patribus (ùt ajunt) de conſilio habeantur. Ii verò Conventus, qui familiam ſupra viginti Fratrum numerum aluerint, inſigniores ab omnibus cenſeaotur.

Qui Patres Conſilii?

Conventus inſigniores.

Annonæ cuſtodia.

20. Alia etiam Conventuum & locorum bona tum ex redditibus prædiorum, tum ex eleëmoſynis, ſeu alio quolibet mudo Conventibus ipſis & locis obvenientia, ut frumentum, vinum, oleum, & cætera conſimilia, fideliter, diligentérque ſub pluribus clavibus aſſerventur, nec claves hujuſmodi à Superioribus ipſorum Conventuum & locorum aſſerventur, ſed apud alios diſcretos & probos ejusdem familiæ Fratres à Capitulo Conventus eligendos cuſtodiantur; cùmque bona inferenda fuerint vel extrahenda, iisdem ſervatis conditionibus, quæ de pecuniis dictæ ſunt, inferantur & extrahantur. Præter itaque libros Ærarii & expenſarum, de quibus jam dictum eſt, in unóque Conventu & loco liber Annonæ, ſeu vulgò: *Il libro delle Graſcie, ò del Granaro*, reperiatur, in eóque omnes (pecuniis tantùm, de quibus, ùt ſupra, diſponendum eſt, exceptis) Conventuum ſeu locorum proventus & bona, quæcunque illa ſint, frumenti videlicet, vini, olei, carnis, ovorum, lanæ, lini, fructuum, aliorúmque hujus generis &c. introitum, exitúmque adnotando, fideliter ac diligenter, ordine ſupra de libro expenſarum ſtatuto inviolatè ſervato, deſcribantur.

Liber.

Mobilium duplex inventarium.

21. Ad aliorum verò mobilium, quæ Fratrum, & Officinarum Conventuum, locorúmque uſum deſtinantur, cujuſmodi ſunt lecta, ſcamna, ſedilia &c. ſtatuitur, ut omnium hujuſmodi Conventuum, locorúmque mobilium duplex inventarium, ſive duo inventariorum libri habeantur, in quibus omnia ejuſmodi bona mobilia fideliter adnotentur, eorúmque alter in Archivio Conventus aſſervetur, alter verò illius Cuſtodiæ Cuſtodi tradatur, qui in ſua viſitatione omnia diligenter inſpicere, &, qualiter bona hujuſmodi tractentur, animadvertere, & in Provinciali Capitulo, ſive Capitulari Congregatione Provinciali Miniſtro, aliiſque Diffinitoribus inſinuare teneatur; quòd ſi neglexerit ac prætermiſerit, utraque voce biennio careat, ejúſque defectum in ſua viſitatione Pruvincialis Miniſter ſuppleat. Quotannis igitur, ſive quotieſcunque Officialis alicujus Conventus, putà Sacriſtæ, Depoſitarii, Coquinarii mutatio facienda ſit, ex inventario, quod in Archivio Conventus aſſervatur, ſingula bona, quæ ei traduntur, in ſchedula deſcribantur, eámque Officialis hujuſmodi initio ſuſcepti muneris propria manu ſubſcribat. Cúmque demum à Conventu aliò migraturus fuerit, ipſam Inventarii ſchedulam locali Superiori reſignare, ac ſtrictam de omnibus ſibi traditis rationem reddere teneatur; ídque ad meritum obedientiæ ſalutaris, & aliis pœnis tam Superioribus, quàm Officialibus præfatis Miniſtris injungatur.

Cuſtodis partes.

Officialibus Conventus bona conſignentur.

Bonorum locationes.

22. Locationes autem, quæ fieri debent, ad triennium tantùm, nec ultra hunc terminum, nec niſi à Capitulo Conventus fiant; In his quoque, ac in aliis (ut ajunt) inveſtituris, quæ de jure fieri poſſunt, omnis adhibeatur diligentia, ut quæ fiunt, hábita Perſonarum, earumque conditionum ratione, in evidentem cedant Conventuum utilitatem. Fundi tamen, ſeu Conventuum prædia conſanguineis Fratrum (niſi neceſſitas urgeat) neque ad triennium, neque ad longius tempus locentur, cogente tamen legitima cauſa, ſive neceſſitate, quid agendum ſit à Conſilio Patrum ſtatuatur, Decretum verò Conſilii ad Provincialem Miniſtrum tranſmittatur, à quo an validum, & exequendum, vel irritum ſit, declaretur; locationes verò hujuſmodi, juxtra Sacri Conſilii Tridentini Decretum anticipata ſolutione non fiant, nec etiam anticipatæ ex Cappellanis ſolutiones in ſucceſſo-

Conſanguineis Fratrũ non fiant locationes.

Seſs. 25. c. 11. de Reform.

rum

Anticipata ſolutio. rum præjudicium exigantur, ſeu etiam oblatæ recipiantur.

23. Alienationes antem, & permutationes Bonorum immobilium, nemo attentare præſumat, niſi quando in evidentem cedant Conventus utilitatem, & commodum, & tunc ſervatis conditionis, & ſolemnitatibus requiſitis juxta ſacros Canones, & Pontificias Sanctiones, ac Sacræ Congregationis Concilii Decretum ſub die 7. Septembris 1624. emanatum, ſeu alia in poſterum emananda.

Contractus & Conventiones quando vim habent. 24. Pacta inſuper, vel alias conventiones, ſeu quoſcunque contractus cum quibuſvis tam Laicis, quàm Eccleſiaſticis perſonis, abſque Capituli Conventus ſpeciali licentia nemo ſive Superior, ſive Conventus Officialis contrahere queat; ſi ſecus factum fuerit, ipſo jure irritum, & inane penitus declaratur, quòd ſi res ipſa alicujus magni momenti fuerit, à Provinciali Miniſtro confirmatio petenda, & obtinenda eſt.

Ædificiorum expenſæ. 25. Ædificia, ſive fabricæ ſuperfluæ, & ad luxum non fiant, ſi quæ tamen neceſſariæ, vel utiles faciendæ ſint, nonniſi ex Conventuum redditibus (ſi qui ex victu quotidiano ſupererint) fiant; quocirca præſenti Decreto ſtatuitur, ut ſi quid ad fabricam pertinens agendum fuerit, cujus ſumma duos ſolitæ romanæ moneræ ſcutos non excedat, Guardianus, ſive localis Superior præfatam ſummam expendendi facultatem concedere poſſit; ſi verò decem ſcutorum ejuſdem monetæ ſummam attingeret, non niſi de Capituli Conventus licentia fiat, quòd ſi eam ſummam excedat, & fabrica jam incepta proſequenda fuerit, Provincialis Miniſtri facultas habenda eſt, ſi autem nova fabrica conſtruenda ſit, præcedat peritorum conſilium, qui totius ædificii ſeriem graphicè delineabunt tùm verò in Conſilio Patrum res bene perpendatur, deincépſque Provincialis Miniſter conſulatur, ac tandem in Provinciali Capitulo, ſeu Capitulari Congregatione, an dicta fabrica nnviter incipienda, ac demum perficienda fuerit, ſtatuatur, formatóque Decreto, Provincialis Miniſter Generalem moneat, ſine cujus licentia fabrica incipi nequeat. Ubi verò Ædificia conſtruenda fuerint, fabricæ Præfecti deputentur, qui tamen de prætio conſtruendæ cum Architectis, ſive ædificatoribus abſque aliquorum Patrum teſtimonio nullatenus convenire queant (quod decretum de ſingulis reſpectivè rebus emendis, atque vendendis ſervetur) Præfati verò fabricæ Præfecti diſtinctam, & non ſummariam, vel confuſam de omnibus in ædificiis conſtruendis impenſis, & ſumptibus rationem reddere teneantur, ſi ſecus fecerint, etiamſi nulla eorum fraus deprehendatur, Officio per decennium careant.

Expenſarũ ſummæ diverſos Superiores reſpiciunt.

Ædificiorum examen.

Fabricæ Præfecti.

Eorum munus.

Lites non incipiantur niſi Provinciali conſulto. 26. Si litem de aliqua re moveri contigerit, habito Capituli Conventus de hujuſmodi lite movenda conſenſu, opportunè Provincialis Miniſter de eamet moneatur, ex cujus facultate, & præſcripto Superiores Locales ſive eorum Miniſtri, & Officiales litem aggredi, ſive ceptam proſequi, vel ab incepta quoque ejus juſſu deſiſtere debeant; ſi quando verò ab aliis Fratres noſtri in judicium evocentur, Religionis jura defendere, ea tamen, qua decet modeſtia, teneantur.

Largitionum moderatio. 27. Circa munerum verò largitiones tam de Bonis Conventuum, & locorum, quàm de particularium Fratrum Eleemoſynis Sacræ Congregationis Apoſtolicæ Viſitationis Decretum quàm primum in lucem emittendum adamuſſim ſervandum erit.

Fraudes Adminiſtrationum. 28. Si quis autem in ſua adminiſtratione, ſi Officialis fuerit, ſive aliàs quomodolibet tam de Bonis, rebuſque Conventuum & locorum, quàm etiam particularium Fratrum, fraudem aliquam, ſeu furtum commiſiſſe legitimè comperiatur, omni ſtatim Officio privetur, publicáque diſciplina plectatur: at ſi furtum notabile fuerit, omni meliori, poſſibilique modo præmiſſa reſtitutione etiam à Provincia proſcribatur, vel ad triremes pro qualitate furti deſtinetur.

De Sindicis Conventuum.

Titulus III.

1. Cum olim Seraphica noſtra Religio nondum Bona in communi poſſideret, Sindicos, ſeu Santeſios, vel Operarios habere, ac inſtituere conſueverat. Cùm tamen ex Sacri Concilii Tridentini Decreto, ſummorúmque Pontificum conceſſionibus bona in communi nunc poſſideat, decernimus, & ſtatuimus, ut deinceps Sindici hujuſmodi, ſeu quocunque alio nomine nuncupentur, Operarii nullatenus eligantur. Admittimus tamen electionem Santeſiorum, ſeu Sindicorum hujuſmodi, in locis, ubi ob parvum numerum Fratrum Bona Monaſterii rectè miniſtrari non valent; ſint tamen amovibiles ad Superio-

Seſſ. 25. de Reg.

Sindici reiiciuntur.

Quo caſu admittendi.

riorum nutum, & de eorum adminiſtratione rationem reddere teneantur.

De Adminiſtratione redditum ſingularum Provinciarum.

TITULUS IV.

Provinciarum reddi-tus. 1. Redditus ſingularum Provinciarum ſunt annuales contributiones, quæ pro rata à ſingulis earundem Provinciarum Conventibus pro Provincialis Miniſtri, ejúſque familiæ neceſſariis ſumptibus, juxta earumdem Provinciarum conſuetudines, quas ouilatenus qnoad hoc revocamus, annuatim contribui ſolent.

Rationes reddendæ à Provinciali de redditibus Provinciæ. 2. Quoniam verò decrevimus, ut redditum, ſive cootributionum præfatarum exactiſſima ratio in Capitulo Provinciali, ſive Capitulari Congregatione coram Diffinitoribus à Provinciali Miniſtro reddatur: Sancimus propterea, diſtrictéque mandamus, ut in peculiari libro ad hunc duotaxat effectum parato pecuniæ omnes acceptæ, etiamſi ex equorum venditione, & tunica, quæ à quolibet conventu recipi ſolet, vel alio quocunque modo Provinciali Miniſtro obvenerint, deſcribantur. Item ſumptus quicunque tam in Equorum, & quorumlibet aliorum neceſſariorum emptione, ſive aliò quopiam modo effecti diligentiſſimè adnotentur, ac proinde in capitulo Provinciali, ſive Capitulari congregatione coram omnibus Diffinitoribus perlegantur. Supputatio per Patres Provinciæ facienda. Eáque omnia poſteaquam ab his approbata fuerint per Patres in ea profeſſione peritos, ac ab ipſis Diffinitoribus deputatos, ſupputentur, ſi quid ultra accepta in neceſſarium uſum (ut præfertur) expenſum fuerit, id totum à Provincia pro rata ſubminiſtretur; ſi quid verò ſupererit, in Provinciæ utilitatem cedat.

Expenſæ Provincialis 3. Ordinarii itaque ſumptus, qui pro ſingulis ipſius Provincialis Miniſtri, Secretarii, totiúſque familiæ neceſſariis, veſtimentis ſcilicet, medicamentis, litteris, & aliis quibuſcuoque, ac etiam extra Viſitationem victu ex Præfatis Provinciarum redditibus fiant. Limitatio. Extraordinarios verò ſumptus, ſi quinque ſcutorum ſummam excedant, abſque capituli Provincialis licentia, vel etiam extra capitulum abſque Generalis Miniſtri, aut denique ſuorum Aſſiſtentium conſenſu Provincialis Miniſter facere nequeat.

Equi Provinciarum. 4. Provinciæ Opulentiores, & circuitu ampliores, quæ ſunt Provinciæ primæ claſſis, quatuor equos (ſi neceſſe fuerit) ad Provincialis Miniſtri, corúmque, qui ſecum fuerint, uſum alere poſſint. Aliæ verò tantummodo tres. Equi autem in quibuſcunque Provinciis ipſarum Provinciarum ſumptibus emantur, emptique apud Provincialem Miniſtrum ex præfatis redditibus alantur extra Viſitationem. Expleto verò Provincialatus Officio, in jure, poteſtatéque Provinciarum remaneant, Succeſſorique tradantur. Pro Cuſtode verò Provincialem Conventus, & loca Provinciæ viſitantem (ut dicetur) comitaturo, ſinguli viſitandi conventus locationis equi mercedem ſingillatim ſubminiſtrabunt. Pro Cuſtode Equi.

Provincialis in actu Viſitationis alimenta. 5. Conventus verò ad quem Provincialis Miniſter cum Aſſiſtentibus Viſitationis gratia divertet, nil aliud quàm victualia, & cibaria (ad quæ tamen in ſingulos dies ſuppetenda unius auri medietas haudquaquam excedatur, ſepoſitis tamen pane, vinóque ac pro equis fœno, & hordeo) ipſi, Aſſiſtentibus, totique familiæ, qui omnes communi menſa reficiantur ſubminiſtrare teneatur; cætera verò ſibi, ſuiſque neceſſaria ex conſuetis Provinciæ cootributionibus ſuppeditentur. Taxatio.

Provincialis reſidens extra viſitationem. 6. Peracta verò Provinciæ Viſitatione, Provincialis Miniſter in nativum Conventum, ſeu alium ex Provinciæ priocipalioribus ſeſe recipiat, ibique Regularis diſciplinæ, cultui, ſanctioribúſque probitatis exemplis ſe totum addicat, menſáque aliis Fratribus communi utatur, ac proinde eam pecuniæ quantitatem ex redditibus Provinciæ, quæ ad victum ſibi, ſuiſque commodè, ſuppeditandum ſuffecerit, in commune Conventus Ærarium deponere teneatur.

E Cuſtodia egreſſus. 7. Ne tamen frequentiori Fratrum acceſſu ad eum locum, in quo Provincialis reſidet, ejuſdem Conventus Bona nimiùm lacerentur, decernitur, ut nullus Fratrum, quicunque is fuerit, à Cuſtodia egredi abſque Cuſtodis licentia ullo pacto præſumat. Cuſtos autem Provincialem Miniſtrum adeundi licentiam nemini Fratrum, præterquam ex urgentiſſima cauſa, ullo modo concedat; In aliis aotem caſibus ipſemet Cuſtos Provincialem Miniſtrum certiorem per literas reddat, ab eóque opportunum reſponſum accipiat. Transgreſſores. Si quis autem ſine Cuſtodis licentia Provincialem Miniſtrum (niſi ab eo vocatus fuerit) adire præſumpſerit, publicæ diſciplinæ pœnam ipſo facto incurrat.

De expenſis in Viſitatorum Viſitatione à Conventibus, & Provinciis faciendis.

TITULUS V.

Viſitatoris alimenta. 1. Viſitatores Provinciarum, cùm earum viſitationem aggreſſi fuerint, & ad Conventus devenerint, neceſſaria omnia, quæ ipſiſmet, familiæ quoque, ac Provinciarum ejuſmodi equis, quos cùm viſitare voluerint à Provinciali Miniſtro recipient, non ſecus ac ipſe Provincialis Miniſter, ejúſque familia, quæcunque ad victum ſpectaverint, iiſdem ſervatis conditionibus, quas ſupra præcedenti Titulo num. 4. retulimus, recipere debeant, & ab ipſiſmet viſitatis Conventibus ſubminiſtrari.

Cæteri ſumptus. 2. Si tamen alii ſumptus pro ipſis Viſitatoribus neceſſarii fuerint, à tota Provincia pro rata, & taxa in Capitulo Provinciali à Diffinitorio Provinciæ imponenda ſuppeditentur.

De adminiſtratione redditaum, qui Generali, & Procuratori Ordinis ratione Officii aſſignantur.

TITULUS VI.

Depoſitarius Religionis, & ejus munus. 1. Eligat Generale Capitulum Depoſitarium Religionis, qui omnes, & quoſcunque redditus Religionis exigat, & cùm fuerit opus, & Generalis Miniſtri, Procuratoris Ordinis, aliorúmque de familia tam ipſiuſmet Miniſtri, quàm prænominati Procuratoris Ordinis neceſſitates expendat. Habeat itaque Religionis Depoſitarius librum (ut vocant) Magiſtralem, in quem ex altera parte accepti, ex altera verò expenſi rationes fideliter, diligentérque deſcribat. Redditus autem Religionis ſunt ſequentes, videlicet.

Pecuniarii fructus, qui ex locatione prædiorum Plebis Monticuli quotannis exiguntur.

Redditus pro Generalis alimentis &c. Annui quicunque redditus Eccleſiæ Sancti Salvatoris in Unda.

Collectæ, ſive contributiones ſingularum citra Montes Provinciarum, quarum unaquæque ſingulis Trienniis pro Miniſtri Generalis expenſis ſeptuaginta ſcuta romanæ monetæ ſolvere debet.

Procuratoris Ordinis. 2. Pro ſumptibus autem Procuratoris Ordinis omnes circa Montes Provinciæ, pro rata inferiùs præſcribenda, ſcutorum quatringentorum ſummam romanæ monetæ contribuere teneantur.

Provinciæ primæ Claſſis ſcuta Trigenta quinque romanæ (ut præfertur) monetæ quotannis contribuunt.

Provinciæ ſecundæ Claſſis ſcuta Vigintiquinque. Provinciarum contributiones.

Provinciæ tertiæ Claſſis ſcuta Quindecim.

Provinciæ quartæ Claſſis ſcuta Decem.

Provinciæ Primæ Claſſis.

S. ANTONII.	SICILIÆ.
BONONIÆ.	MARCHIÆ.
NEAPOLIS.	S. NICOLAI.

Provinciæ Secundæ Claſſis.

MEDIOLANI.	TUSCIÆ.
JANUÆ.	CALABRIÆ.
S. BERNARDINI.	

Provinciæ Tertiæ Claſſis.

ROMÆ.	S. ANGELI.
S. FRANCISCI.	

Provinciæ Quartæ Claſſis.

DALMATIÆ.	SARDINIÆ.

3. Quam pecuniarum ſummam à ſingulis nominatis Provinciis, interdicto prorſus quolibet intereſſe, aut diminutione, Romæ in manu Depoſitarii Religionis à Generali Capitulo inſtituendi ſolvendam debito tempore fore, & eſſe præcipimus, & decernimus. Plenariámque poteſtatem Provincialibus Miniſtris communicamus, ut quàm citiùs, & commodiùs poterunt, præfatas pecunias exigant, & (ut præfertur) contribuant; Qui omnes ſupradicti proventus, redditus, & præſtationes ſimul incorporentur, nihilque ex eis expendi, recipi, aut ullo pacto exigi poſſit, niſi ſervatis omnibus inferiùs ſtatuendis. Contributionum ſolutio. Exactio.

4. A ſuperfluis primùm expenſis tàm Generalis Miniſter, quàm Procurator Ordinis cavere debent, ſtatuitúrque propterea, ut ultra decem aureorum ſummam nihil pro extraordinariis ſumptibus, niſi de Capituli Generalis licentia, vel extra Capitulum accedente neceſſitate, de Aſſiſtentium conſenſu expendere queat. Graviores tamen expenſas aliquo teſtimonio, ſeu recipientis Chyrographo comprobari faciat; de his omnibus in proximo Generali Capitulo rationem redditurus; Si quid verò ultra prædictos redditus à Generali Miniſtro ad neceſſarium (ut prætertur) uſum rationabiliter expenſum fuerit, totum ab univerſa Religione pro rata præſtetur. Expenſarum moderatio. Expenſarū reditus excedentes.

5. De

Munerum largitio.

5. De munerum verò largitione ſervent tam Generalis Miniſter, quàm Procurator Ordinis prænominatum Sacræ Congregationis Decretum promulgandum. In feſto tamen Purificationis juxta vetuſtiſſimum, laudabiléque Religionis inſtitutum Prælatis, & Magnatibus de Religione benemeritis cerei, ſive candelæ benedictæ devotionis gratia donentur, pro eis tamen viginti ſcutorum ſumma non excedatur, præter ſolitam contributionem, quam Procurator Ordinis conventui Sanctorum Duodecim Apoſtolorum ad hunc effectum quotannis exſolvit, quam nullatenus revocamus, ſed in ſuo robore juxta vetuſtam conſuetudinem relinquimus.

Cerei benedicti.

Viſitationem peragentis Generalis Equi.

6. Cum verò Generalis Miniſter Viſitationes aggredietur, ſicut neceſſario famulatu, comitatu, & equitatu eum haudquaquam deſtitui volumus, ita nec ferendum eſſe cenſemus, ut gravioribus expenſis toto Ordini oneroſus exiſtat. Decernimúſque propterea, ut ſex, aut ſeptem duntaxat Equos in ſua Viſitatione alere queat; ipſúmque Generalem Miniſtrum Religionis Conventus viſitantem duo in primis Aſſiſtentes, Socius nimirum, & Secretarius Ordinis, Subſcriba item Ordinis, aliique duo Regulares Laici Vigeſimum quintum ætatis annum excedentes comitentur. Curandis autem Equis Sæcularis, ſeu Converſus inſerviat.

Patrum Comitatus.

Alimentorum expenſæ.

7. Conventus, ad quos Generalis Miniſter triennalis Viſitationis gratia declinaverit nil aliud quàm cibaria, quæ (pane, vino, hordeóque, ac ſtramine exceptis) unius aurei ſummam in ſingulos dies non excedant, ipſi, ejúſque familiæ ſubminiſtrare teneantur. Debeat verò Generalis ipſe Miniſter, cæterique de ejus familia cum aliis Fratribus ad communem menſam accedere; Reliquæ verò omnes expenſæ ſibi, ſuiſque neceſſariæ ex officii ſui redditibus ſuppeditentur, ac in deputato Religionis Magiſtrali libro deſcribantur.

Cæteræ expenſæ.

Extra viſitationem expenſæ.

8. Cum autem expleta Viſitatione Generalem Miniſtrum ad aliquem conventum jam viſitatum devenire contigerit, tribus elapſis diebus, quibus ad cibaria ut ſupra teneatur: omnia pro ſe ſuáque familia, & Equis ex ſui Officii præſtationibus Generalis provideat. Romæ verò degens, tres tantùm Equos, unum verò Ordinis Procurator alere queant. Ac ex proventibus, redditibúſque præfatis Religionis ſibi, familiæque ſuæ de victu, veſtitu, medicamentis, literis, & aliis neceſſariis provideat;

Romæ commorantia Generalis ſumptus.

ſic & Procuratori Ordinis cum ſua familia, ac prænumeratis Equis.

De uſu mobilium.

Titulus VII.

Rerum uſus

1. USus rerum, quæ unicuique Fratrum ad proprias ſublevandas neceſſitates tribuuntur, certus, determinatus, & ad Superioris nutum revocabilis ſit, *eorumque ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſumus, conveniat, nihilque ſuperſtui in ea ſit, nihil tamen quod ſit neceſſarium, Fratribus denegetur. Quorum omnium regiſtrum Superiores apud ſe habeant, & ſingulis annis revideant. Fratreſque ea vendere, donare, aut aliter alienare non valeant. Quod ſi quis aliter fecerit, vel quicquam (etiamſi pecunia ſit) tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta noſtras has Conſtitutiones puniatur.*

Ex Decr. Congr. Supellex.

2. Poſſeſſiones autem, ſive Bona quæcunque ſtabilia Fratres etiam de Superiorum licentia (licet eam ſe concedere poſſe contra veritatem teſtarentur) nullatenus poſſidere poſſint, nec uſu eorum potiri. Superiores autem hujuſmodi omni gradu, & Officio ipſo facto priventur, ad eáque inhabiles perpetuò cenſeantur. Tranſgreſſores verò, & poſſidentes proprietatis crimen, & pœnas, præfata etiam non obſtante mendaci licentia ipſo facto incurrant.

Clemens VIII.

Bona ſtabilia poſſidere Fratres concedere Superiores nequeunt.

Uſus mobilium conceſſio.

3. Ad expreſſum verò Superioris conſenſum in conceſſione mobilium explicandum, etſi ſola Superioris vox in foro conſcientiæ ſatis eſſet, propter forum tamen exterius conſenſus hujuſmodi ſcriptu per Conventus Officiales exarato, ſubditóque ad conſervandum tradito explicetur. In libro verò Inventarii, de quo ſupra Tit. 2. num. 15. conceſſa notentur, eique adnotationi ſubditus ipſe propria manu ſubſcribat.

Æris alieni onera, vel ditioneſque prohibentur.

4. Præcipitur autem, & ſtatuitur, ne ullus Fratrum ſub pœna privationis omnium legitimorum actuum pro ſe, aut pro alio debita contrahat, néve exteris, aut ſæcularibus quibuſcunque pecunias, etiam per Procuratores mutuò dare, aut libros, ſive alias quaſcunque res, etiam uſui ſuo aſſignatas, ac etiam expreſſo (ut præfertur) Superioris conſenſu, vendere, ſive in pignus tradere, aut in alium quemlibet uſum quoquo pacto transferre audeat. De munerum verò largitione ſervetur Decretum, de quo

quo ſuperiùs Tit. 2. num. 27. eſt facta mentio.

Equos proprios alentes, & eorum pœna.

5. Equos autem alere (Generali Miniſtro, Procuratore Ordinis, Provincialibus quoque, & Viſitatoribus, ac etiam Conventibus, quibus fuerint opus, exceptis) nemo præſumat. Qui verò apud ſe retinere, ſeu apud conſanguineos, vel alios quoſcunque equos, vel jumenta alere deprehenſus fuerit, utraque voce biennio careat, equus verò, & jumentum nativo conventui applicetur. Caveant verò Superiores ſub eadem pœna, ne hujuſmodi equos, vel alia quæcunque Bona ab illicitè retinentibus jure ablata in ſuos uſus convertant, ſed ea ſtatim, cui, quibúſve applicanda fuerint, irremiſſibiliter applicent.

De Particularium Fratrum Eleëmoſynis.

TITULUS VIII.

Neceſſariorum ſuppeditatio.

1. PArticularium Fratrum Eleëmoſynæ & pecuniæ propria induſtria, vel alio quolibet modo ex quibuſvis tùm manualibus, tum literariis exercitiis acquiſitæ, & per conventus Officiales, vel (ſi id commodè fieri non poterit) per ſe ipſos receptæ in communi conventus Ærario aſſerventur, ex uſque veſtiarium, & reliquæ omnes religioſæ neceſſitates ipſis ſuppedirentur; quòd ſi hujuſmodi pecuniæ, & Eleëmoſynæ non ſufficiant, ex redditibus conventuum Fratrum indigentiis applicatis ſuppleatur.

Reſidui.

2. Si autem particularium Fratrum neceſſitatibus ex particularibus Eleëmoſynis reparatis aliquid ex ipſis ſupererit, id nullo modo è Depoſito, vel Ærario extrahatur, vel in alios uſus convertatur; ſed ibi uſque ad Provinciale capitulum, ſeu Congregationem fideliter aſſervetur.

De reſiduis Capitulum diſponat.

3. Capitulum verò, ſeu Congregatio, cui de ſuperſtite pecunia (& nulli alteri) diſpoſitio demandatur, habita ratione locorum, temporum, & Perſonarum, quidquid ſibi in Domino expedire videbitur, de ipſamet pecunia ſtatuat, & decernat, vel ut pro iiſdem Fratrum futuris nimirum perſonalibus neceſſitatibus reparandis aſſerventur, vel ut ad aliquam communitatis, ac nativi conventus neceſſitatem, ſive utilitatem applicentur.

4. Decernitur itaque firmitérque præcipitur, ut Fratres omnes, & ſinguli intra viginti quatuor horarum ſpatium pecunias omnes quomodolibet acquiſitas Superiori tradere, & conſignare teneantur. Quòd ſi occurrat Fratres ante Capitulum è concionibus redeuntes ſuarum Eleëmoſynarum pecunias ad Superiores (uti tenentur) deferre, communique depoſito præſentare; Superior, ut diligenter uſque ad peractum Capitulum aſſerventur, ſedulò curet; eo verò peracto, ſi Fratres aliò de familia profecturi fuerint, ipſiſmet reddantur, eò, quò proficiſcuntur deferendæ, facta proinde, atque ad illum conventus, & locis Superiorem, ubi is de familia degere debet, tranſmiſſa, ſeu ſtatim tranſmittenda, & pecuniarum ipſarum, & aliarum, quas defert, ſingularum rerum diſtinctiſſima notula.

Spatium conſignandæ pecuniæ.

5. Qui autem ſuæ profeſſionis, ſui que voti oblitus ſecus attentare præſumpſerit, adeo ut intra præfatum temporis ſpatium pecunias quomodolibet (ut præfertur) acquiſitas, ſeu largitas celaſſe, ſive malitiosè apud ſemet, vel apud alios retinuiſſe deprehenſus fuerit biennio utraque voce privetur, ac inſuper juxta harum conſtitutionum Decreta velut proprietarius puniatur.

Pecuniam retinentes puniti.

6. Miniſtri verò aliique omnes ad quos ſpectaverit, Superiores diligenter inquirere, an apud ſe, vel apud alios Fratres noſtri pecuniam quovis prætextu poſſideant, vel retineant, teneantur, & quos deprehenderint, graviter, ſeverèque ut proprietarios puniant, eáſque pecunias in publicum Ærarium conferant, ſi quis autem Eleëmoſynam à quovis ſibi datam authoritate propria diſpenſare auſus fuerit, ab eo conventu, ubi de familia degit, expellatur.

Superiorum inveſtigatio de proprietariis.

Eleëmoſynæ traditas diſpenſantes.

De modo reparandæ neceſſitatis, & evitandæ ſuperfluitatis.

TITULUS IX.

Seſſ. 25. c. 3. de Regul.

Præſcriptio Fratrum.

1. ANte omnia ſingulis Provincialibus Miniſtris præcipitur, ut juxta Sacri Concilii Tridentini Decreta, Apoſtolicas Sanctiones, & Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ Statuta, in unaquaque Provincia alendorum Fratrum præſcriptio fiat, qua diligenter facta, maximè opus eſt, ut Prælati ipſi, quibus ex injuncto Regulæ præcepto incumbit omni vigilantia, charitate, & ſolertia ea omnia, quæ ſingulis Fratribus non ad victum, & veſtitum tantummodò, verùm & ad infirmitates ſublevandas, ad ſtudia proſequenda, ad itinera peragenda, ad labores reficiendos, & ad conſimilia quæcuque onera perferen-

Neceſſariorum ſubminiſtratio.

Conv. & Eccleſiæ reparatio.

renda neceſſaria erunt, paterna benignitate, & ſollicitudine, nulla (quando neceſſe fuerit) dilatione facta, providere debeant, habita tamen ratione ad ea, quæ pro reparandis Eccleſiæ, & Conventus neceſſitatibus juxta felicis recordationis Pauli Quinti Decretum aſſignanda ſunt.

Capituli, vel Congregationis cura.

2. Quapropter quibuſcunque ſingularum Provinciarum Capitulis, ſeu Capitularibus Congregationibus poſt harum Conſtitutionum promulgationem proximè, & immediatè celebrandis ſub obteſtatione Divini Judicii firmiter ad meritum ſalutaris Obedientiæ præcipimus, & mandamus quatenus omnia alia omiſſa (ſi opus fuerit) cura, omnique poſtpoſito gravi negotio, in hoc unum præcipuè, & ſingulariter intendant, ut de ſuccurrendis Fratrum neceſſitatibus, certum hoc, & infallibile Decretum ſtabiliatur.

Pro neceſſitatibus Fratrum certæ pecuniæ aſſignatio.

3. Cujuslibet Conventus redditus, & Eleëmoſynæ tam certæ, quàm incertæ ſupputentur, earúmque pars in ſpecie nominanda, & ad id dumtaxat deputanda, quæ diſcreto Capituli Conventus judicio pro præfatis Fratrum in eo Conventu de familia degentium neceſſitatibus ſufficiens viſa fuerit, applicabitur, & in nullos alios uſus ullo unquam, etiam urgentiſſimæ neceſſitatis prætextu, ſeu ulla cujuſcunque authoritate converti poſſit; ſed ad effectum præcisè dictarum neceſſitatum fideliter aſſervetur.

Supplementa.

4. Quòd ſi contingat portionem hanc non eſſe ſufficientem, Superiori locali præcipitur, ut ex cæteris Conventus redditibus, ſeu Eleëmoſynis tantam quantitatem præfatæ inſufficienti portioni adiiciendam excipiat, quantam ad eaſdem prædictas Fratrum neceſſitates ſublevandas neceſſariam eſſe compererit.

Pecuniæ aſſignatæ aſſervatio.

5. Hæc autem reddituum, ſeu Eleëmoſynarum portio pro Fratrum prædictorum neceſſitatibus applicata, quolibet anno, tempore congruo ab eodem Capitulo ſtatuendo, ſi in pecuniis non fuerit, ad pecunias redigatur, quæ in commune Conventus Depoſitum inferantur, ac tali lege cuſtodiantur, ut nemini ex Superioribus, neque Guardiano, aut Provinciali, vel Viſitatoribus, nec etiam Miniſtro ipſi Generali, aut Conventus ejuſdem Capitulo, niſi pro præfatis neceſſitatibus reparandi, eas ullo modo impedire liceat.

6. Si verò de pecuniis reddituum unius anni jam ad effectum neceſſitatum (ut præfertur) Fratrum applicatorum aliquid ſupererit, nemini ex Superioribus prænominatis, aut Conventus Capitulo in alios uſus eas convertere, vel ut alii convertant, imponere, neque diminuere, ſeu diminui facere ullatenus liceat, illarum enim, quæ ſupererint, pecuniarum, Fratrum neceſſitatibus jam reparatis, omnimodam, & abſolutam diſpoſitionem Capitulo Provinciali, ſeu Capitulari Congregationi proximè celebrandæ tantummodo reſervamus, ac reſervatam eſſe volumus, & decernimus.

Reſiduorum diſpoſitio.

Superiorum transgredientium pœnæ.

7. Qui verò Prælatorum ſecus ſecerit, præſatas pecunias perſonalibus Fratrum neceſſitatibus applicatas, etiam quæ ſuperfuiſſent, in alios uſus Conventui quoque utiles, vel penitus neceſſarios abſque expreſſa ejuſdem Provincialis Capituli, ſeu Congregationis in ſcriptis obtenta licentia quoquo pacto convertere auſus fuerit, mox officio, & dignitate privetur, & ad cætera in poſterum Religionis munera, & dignitates ſit inhabilis, nec ad vocem paſſivam ullatenus reſtitui poſſit, niſi à tertio poſt perpetratam culpam Generali Capitulo, ſi ei videbitur.

Singulis paternè provideant Superiores.

8. Superioribus autem, qui ad neceſſaria decernenda, providenda, & diſpendanda ex vi Regulæ conſtituti ſunt ordinarii Judices, quàm maximè invigilandum eſt, ne eorum curæ commiſſi Fratres indigentiis, neceſſitatibus, & anguſtiis preſſi corporis, & animæ pericula ſubeant; Diſcretè itaque prudenter, ac (ut uno verbo dicatur) paternè prorſus, quæ neceſſaria erunt, unicuique etiam eorum familiæ minimo, abſque dilatione, abſque increpatione, ſed læto, & hilari vultu impertiri curabunt.

9. E contra verò Fratres omnes ſubjectos patienter ſufferre decet, ſi quando, urgente neceſſitate, ſive per dilationem, ſive alio quovis modo aliquantulum eos pati præter Superioris optata contingeret. Ita enim procul dubio fiet, ut Superior ſubjectos Fratres, Fratréſque ſubjecti Superiores viciſſim omni charitatis Officio proſequentes, ſanctam, quietam, & ab omnibus Seraphicæ Regulæ, Sanctarúmque Conſtitutionum transgreſſionibus alienam, & immaculatam vitam traducant.

10. Quòd ſi Superiores Fratres ipſos non ut filios, ſed ut ſervos omni

neceſſitati ſive ex incuria, ſive ex contemptu ſubeſſe patiantur, certiſſimum eſt, eos in deteriora lapſuros, & ad loculos contra jus, fáſque, & ad Conſtitutionum ipſarum & Regulæ tranſgreſſionem ſeſe converſuros.

Superiorũ debitum.

11. Quapropter nihil, quod eorum partium ſit, omittant Prælati, ut ſupra gregem ſuum invigilent, ne commiſſarum eis ovium ſanguis de manibus eorum requiratur, ac pro comperto habeant, quòd (ùt inquit Divus Gregorius) non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus ovem rapiat, & Paſtor neſciat.

Diſpoſitio ſecundùm neceſſitatẽ.

12. Regula verò, ſeu norma eorum, quæ neceſſaria, quæve ſuperflua, & quæ diminuta fuerint, dignoſcendi ea Superiori præſcribitur, ut penſatis hinc inde loco, tempore, pretio, rebus ipſis, & aliis circumſtantiis triplicem neceſſitatem ſecernat, perſonarum nimirum, exercitiorum, & meritorum:

Neceſſitas triplex.

Perſonarum quidem, nam plura ægro, quàm ſano; ſeni, quàm juveni debentur. Exercitiorum, cùm pluribus egeat Regens, quàm Studens; Artiſex, quàm Ignarus, & Iners. Meritorum demum, quia plura Patribus Provinciæ, & Magiſtris, ac magìs Concionatoribus, quàm cæteris Fratribus neceſſaria ſunt. Providè igitur unicuique (ut opus fuerit) diſcretus Paſtor, quæ neceſſaria ſunt, diſtribuat; ſic enim & in primitiva naſcentis Eccleſiæ ætate (ùt apud Acta Apoſtolorum habetur) erant illis omnia communia, dividebantur autem ſingulis, prout unicuique opus erat.

Superioris diſpoſitioni acquieſcant.

13. Superioris itaque arbitrium & judicium æquis adeo conditionibus liberatum Fratres omnes promptè ſequentur, eique ſemetipſos (niſi de exceſſu vel defectu judicii & arbitrii notoriè aliquid conſtiterit) in omnibus conformabunt, & coaptabunt.

Neceſſitatum ſubminiſtratio per Officiales fiat.

14. Superiores autem, quidquid depoſcat Fratrum neceſſitas, per Officiales Conventus, in propria tamen ſpecie, non verò in pecuniis, Fratribus ipſis benignè, paternéque ſubminiſtrabunt. Proviſiones, ſeu annuæ præſtationes, quæ Superioribus ipſis, ſeu aliis quibuſcunque Conventuum Officialibus aſſignabantur, nullatenus deinceps ab ipſis Conventibus tribuantur, aut ullo modo à quibuſvis, ipſis etiam eorundem Conventuum Officialibus exigantur; qui autem aliàs Fratrum neceſſitatibus ſuccurrere, ſeu quæcunque eis neceſſaria aliter ſubminiſtrare, ſive huic Decreto contraire præſumpſerint, privationis officiorum eo ipſo pœnam incurrant.

Præſtationes pecuniariæ tolluntur.

Superior non æquus in diſpenſatione.

15. Indiſcretus autem Superior, qui naturæ ſimul & Regulæ jura, aut neceſſaria denegando, aut non leviter ſuperflua concedendo, ſeu aliàs quomodolibet violaverit, ab Officio cecidiſſe ſe ſciat.

De diſpenſatione neceſſitatum inquiſitio fiat.

16. Inquirant autem diligentiori examine Generalis Miniſter, & Provinciales in eorum viſitationibus, num diſpenſationes hujuſmodi æquè ac juxta regularis diſciplinæ Statuta factæ fuerint; quòd ſi iniquè & indiſcretè factas eſſe compererint, ſeverè in eos, ad quos ſpectaverit, animadvertant.

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT V. REGULÆ.

De honeſtis Fratrum occupationibus.

TITULUS I.

Text. *Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent fideliter & devotè &c.*

UT omnis otii occaſio à Religione tollatur, decernitur, ut, cùm non omnes apti, vel etiam neceſſarii ſint ad ſtudia literarum, Prælati omnes & ſinguli, ad quos ſpectaverit, quos ad ſtudia pronos, idoneóſque noverint, conſilio, gratia, induſtria, ac omni opera faveant, quò aptiùs, utiliúſque iis incumbere poſſint; alios verò ad rem literariam minùs accommodatos otio torpere nullo pacto permittant, ſed ut præſertim conſcientiæ caſibus operam navent, aut ſi manualibus exercitiis apti fuerint, aliquam addiſcant, ſeu, quam didicerint, exerceant artem, ſedulò curent.

Literis dediti.

Aliis inclinati.

De Lectoribus caſuum conſcientiæ.

TITULUS II.

IN ſingulis itaque noſtri Ordinis Conventibus octo Fratres ad minùs alentibus

Caſuum conſcientiæ Lector.

tibus Provinciales Miniſtri caſuum conſcientiæ Lectorem ſtatuere teneantur, probum, eruditúmque virum, qui ſingulis totius anni hebdomadibus bis ſaltem præfatorum conſcientiæ caſuum vernacula lingua lectionem habeat, eique omnes & ſinguli illius familiæ Fratres (nemine penitus, niſi rationabili cauſa à Superiore approbata, excepto) intereſſe teneantur; ſemel inſuper in hebdomada Confeſſarii omnes, aliis etiam, quantùm fieri poteſt, præſentibus, præfatorum caſuum collationem, hyemali præſertim tempore, in ſero inter ſeſe habere teneantur; alioquin ſi malitiosè omiſerint, ab auſcultandis confeſſionibus ſuſpendantur.

Ad Lectiones conveniant.

Collationes.

De Concionibus in noſtri Ordinis Eccleſiis habendis.

Titulus III.

IN ſingulis item Conventibus, etiam ubi ſtudia ſive Gymnaſia erecta non fuerint (quantùm fieri poteſt) opportunè populo verbum Dei ſubminiſtretur. Ubique igitur à Provincialibus Miniſtris ſacræ Theologiæ Magiſtri, quos ad id muneris aptos probaverint, depurandi ſunt, qui in noſtris Eccleſiis opportunè diebus feſtis conciones & lectiones ad populum habeant, támque ſic deputati, quàm alii omnes ejuſdem facultatis Magiſtri in ſacræ Scripturæ, caſuum conſcientiæ, ſacræ Theologiæ, Philoſophiæ quoque ac Logicæ, aliarúmque religioſarum facultatum lectionibus aſſiduè occupentur; qui verò hæc, cùm poſſint, præſtare recuſaverint, graduum privilegiis, favoribus, honoribus, aliiſque indultis nullatenus perfruantur; hi verò ſic à Miniſtris Provincialibus diſponantur, ut in unoquoque Conventu eorum aliquis, qui cæteros in ſanctis occupationibus exercere, & ab otio excitare valeat, collocetur.

Lectores & Concionatores per annum.

Magiſtrorū occupationes debitæ.

Diſpoſitio per Conventum.

De literaria Fratrum ſcholaſticorum occupatione.

Titulus IV.

1. NUllum eſt inter Religioſorum exercitia, quod majorem ſibi vendicet laudem, quódve plus ſplendoris Religioni, plus utilitatis proximis afferat, quam laudabilis ſtudiorum occupatio, ſacráque divinarum Literarum exercitatio. Quamvis igitur ex Regulæ textu moneantur Fratres noſtri neſcientes literas, ne eas addiſcere curent, nihilominus cùm placuerit poſtmodum ſummis Pontificibus, & Apoſtolicæ Sedi (morum ac temporum viciſſitudine ſic exigente) Religioni noſtræ ſalutarium ſtudiorum ſanctam occupationem demandare, atque ut commodiùs id præſtare poſſet, bona immobilia ad hunc maximè finem ei poſſidere indulſerit, eò libentiùs Religio noſtra viciſſim hanc occupationem amplexa fuit, quò præclaris Majorum ſuorum, in primis verò S. Antonii de Padua, Seraphici Eccleſiæ Doctoris Bonaventuræ, aliorúmque Sanctorum exemplis eſt provocata. Studia igitur, quæ laudabiliter hucuſque in noſtra Religione perſeverarunt, ut magis magiſque vigeant, infraſcripta Decreta ab omnibus inviolatè ſervanda ſtatuimus & ordinamus.

Literarum ſtudia noſtro inſtituto conſentanea.

Studiorum conſervatio.

2. Præter Collegia (de quibus infra dicendum) tres Gymnaſiorum Claſſes ea lege diſtinguantur, ut à tertia (quæ ultima dignitate, ordine prima eſt) ad ſecundam, à ſecunda ad primam, & à prima ad Collegia gradatim aſcendatur.

Claſſes.

3. Quicunque in tertia Claſſe collocabuntur, initiati; qui verò in ſecunda, Studentes; qui in prima, Baccalaurei; qui denique in Collegiis, Collegiales appellentur.

Studiis incumbentium cognomenta.

4. Nemo ad tertiam Claſſem admittatur, niſi profeſſus fuerit, ac vigeſimum primum ætatis annum in Seminariis expleverit, Sacris præterea initiatus, & demum ad ſtudium literarum per rigoroſum examen admiſſus. Ad ſecundam verò Claſſem nemo item introducatur, niſi priùs in tertia integrum triennium cum progreſſu confecerit, ex facultatibúſque in ea profeſſis publicas theſes habuerit, nec non à Viſitatore ſtudiorum per rigoroſum examen ad ipſam ſecundam Claſſem idoneus approbatus fuerit. Ad primam Claſſem pariter non admittantur, niſi qui in ſecunda integrum triennium proficuè, laudabilitérque perfecerint, quique ex utraque Facultate in ea profeſſa publicas concluſiones præclarè defenderint, ac demum per Examinatores, Viſitatoréſque ſtudiorum, prævio rigoroſo examine, ad præfatam Claſſem idonei comprobentur.

Requiſita pro tertia Claſſe.

Pro ſecunda.

Pro prima.

5. Ad Collegia denique nemo penitus admittatur, niſi in prima Claſſe integrum pariter triennium proficuè compleverit, concluſionéſque publicas ex facultatibus in ea profeſſis egregiè ſuſtinuerit, ac prævio rigoroſo examine (ùt ſupra) idoneus ad ea repertus fuerit. Atteſtationes præterea omnes à Gymnaſio-

Sufficientia pro Collegiis.

ſiorum Regentibus, in quibus primæ, ſecundæ, & tertiæ Claſſis triennia compleverint, de ipſis expletis trienniis deferre, & oſtendere teneantur. *Periti ad Religionē venientes.* Si quis autem in ſtudiis egregiè verſatus, ad Religionem reciperetur, is eo ipſo, prætermiſſo præfatorum graduum ordine, ad illam Claſſem, quam ejus eruditio poſtulaverit, admittatur.

Collegiorū Regentes. 6. Eundem aſcendendi gradum Lectores pariter & Regentes ſervabunt; nemo enim in prima Claſſe inſtitui poterit Lector ſeu Regens, niſi triennium priùs in ſecunda compleverit, fidémque authenticam à Guardiano Conventus, ubi lecturam compleverit, Viſitatore ſtudiorum, ejúſque Provinciæ Provinciali Miniſtro obſignatam de integra lectura toto triennio expleta detulerit, & oſtenderit. In ſecunda verò Claſſe non inſtituatur Regens, qui priùs in tertia triennium non abſolverit, fidémque authenticam de eo (ùt præfertur) abſoluto non detulerit.

Regentum ſubrogatio. 7. Ad Collegiorum verò Regentias non aſſumatur, qui priùs in primæ Claſſis Gymnaſio integrum laudabiliter triennium ad minus non abſolverit, fidémque (ùt præmiſſum eſt) non habuerit, húncque ad Regentias aſcendendi ordinem, nemo Superiorum, nec etiam Generalis ipſe Miniſter ullatenus perturbare queat.

8. Si tamen intra triennium aliquis primæ Claſſis Regens deceſſerit, ſeu ad aliud officium aſſumptus fuerit, Generalis Miniſter alium ex ſecundæ Claſſis *Regentum ſubrogatio.* provectioribus ſubrogare ac ſubſtituere poſſit. Hæc tamen ſubrogatio ad ea conſequenda privilegia, quæ Regentibus infra decernenda ſunt, nullatenus ſuffragetur, ſed pro eo tempore, quod ſibi ad ſecundæ Claſſis triennium explendum ſupererat, & non aliter computetur. Idipſum ſi ſecundæ Claſſis Gymnaſiis, ſeu etiam Collegiis inſtra triennium Regentibus providendum fuerit, inviolatè ſervari præcipimus.

9. Qui verò laudabiliter, ordine ſuperiùs poſito, ſtudiis uniuſcujuſque Claſſis, ac etiam alicui ex Collegiis gradatim per triennium inſervierit, ita ut in aliquo tertiæ Claſſis ſtudio integro triennio, in Gymnaſio ſecundæ Claſſis per aliud integrum triennium: item in prima Claſſe alio ſimiliter triennio, ac tandem in aliquo ex Religionis Collegiis alio pariter integro triennio Lecturam exercuerit, perpetuò ſuæ Provinciæ Diffinitoriatu, omnibus & ſingulis gratiis, favoribus, privilegiis, indultis, & *Privilegia.* gradibus, quibus alii perpetui Diffinitores fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac ſi ipſimet ejuſdem Provinciæ Provinciales electi forent, & ipſi ſimiliter frui, potiri, & gaudere poſſint & debeant, cæteróſque ſacræ Theologiæ Magiſtros, & Doctores, qui Provinciales non fuerunt, in omnibus actibus tam publicis, quàm privatis ipſo jure præcedant, iiſque in omnibus præferantur.

10. In omnibus autem cujuſcunque *Lectorum numerus.* Claſſis Gymnaſiis Lectores ordinatè deputandi ſunt. *In tertia Claſſe.* In ſtudio tertiæ Claſſis unicus Lector ſeu Regens inſtituatur. In ſecunda verò Claſſe duo duntaxat regulariter Regentes *Secunda.* cum Magiſtro Artium, qui à Generali aſſumatur de corpore ſtudii. *Prima.* In prima verò Claſſe, ſingulisque Collegiis ultra duos Regentes Baccalaureos quoque Conventus addatur. *Lectorum debitum.* Omnes autem præfati Lectores ordine inſtaſcripto legere, Auditoréſque diligenter inſtruere teneantur.

11. *Tertiæ Claſſis lectura.* In ſtudiis tertiæ Claſſis Regens primo anno totam Logicam uſque ad libros poſteriorum Ariſtotelis quàm diligentiſſimè interpretabitur; ſecundo anno poſteriorum libros, ac reliquas ejuſdem Logicæ partes; tertio demum univerſalia Scoti, ejúſque formalitates legere teneatur. Non tamen prohibetur, quin Philoſophiæ naturalis primos libros interpretari queat, ſi ratio id exigat, vel Alumnorum capacitas expoſtulet. Si tamen ex Auditoribus quiſpiam aliis eruditior ita præclarè inſtructus fuerit, ut Reſpondentis munere fungi poſſit, *Reſpondens.* cæteris rudioribus condiſcipulis ſummulas, ſeu etiam Rhetoricam, ſive Ariſtotelis Ethicam (prout Provinciali Miniſtro expedire videbitur) legere queat.

12. *Lectura ſecundæ Claſſis.* In ſecundæ Claſſis Gymnaſiis primus Regens primo anno Phyſicam ad mentem Ariſtotelis juxta Scoti ſententiam profiteatur; ſecundo & tertio anno libros Metaphyſicæ juxta Scoti (ùt præfertur) ſententiam ex omnibus ejus operibus diligenter non minùs, quàm ſtudioſè collectam; ſecundus verò Regens primo anno libros de Cælo & Mundo; ſecundo anno libros de Generatione & Corruptione; tertio demum libros de Anima ad mentem Scoti interpretari teneatur. Quibus Regens adjungere valeat Tractatum Theologiæ, prologomena & initia complectentem; Magiſter verò Artium, Regentium arbitratu, aliquam Facultatem perlegat.

13. *Lectura primæ Claſſis.* In Gymnaſiis autem primæ Claſſis primus Regens toto triennio primum & ſe-

& ſecundum ſententiarum Scoti; ſecundus verò tertium & quartum ejusdem Scoti ſententiarum libros interpretando abſolvant. Baccalaureus autem Conventus ſacros Canones legere teneatur, qui expleto triennio, Regens ſecundæ Claſſis inſtitui valeat.

Collegiorũ lectura.

14. In Collegiis autem (Romano duntaxat excepto, in quo ex inſtituto Seraphici Doctoris, ejusque Collegii Protectoris Divi Bonaventuræ Theologiam Alumni profiteri debent) primus Regens controverſiarum diſputationes, ſive ex Scoto, Divo Bonaventura, Alexandro de Ales, Franciſco de Mayronis, & Richardo, ſive ex aliis quibuſcunque noſtri Ordinis inſignioribus Doctoribus (prout Regens cum ipſis Collegialibus convenerit) legere teneatur. Secundus Regens ſacram Scripturam, paſſimque ex ea occaſione deſumpta, ſacra item Fidei dogmata, ſanctorúmque Patrum authoritates, Conciliorúmque Statuta interpretabitur, eáque omnia ab Hæreticorum impoſturis tutabitur. Baccalaureus verò Conventus ſacros Canones legat, qui expleto triennio, Regens ſecundæ Claſſis inſtitui poſſit.

Lectionum tempora.

15. Lectiones in ſingulis cujuſcunque Claſſis, ac etiam Collegiorum Gymnaſiis ſtatim à feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, uſque ad feſtum Divi Bonaventuræ duraturæ abſque ulla dilatione incipiant. Feriæ verò, ſive (ùt

Vacationes.

ajunt) vacantiæ ab ipſo Divi Bonaventuræ feſto uſque ad præfatam beatæ Mariæ Virginis ſolemnitatem habeantur. Inceptis verò lectionibus, ſingulis uniuscujuſque hebdomadæ quintis feriis, niſi fortè eadem hebdomada principale feſtum occurrerit; item à feſto Sanctorum Simonis & Judæ uſque ad tertiam Novembris proximè futuri, à feſto ſancti Thomæ uſque ad ſecundam Januarii, à Dominica Sexageſimæ uſque ad feriam quartam Cinerum, & à Dominica Palmarum uſque ad feriam quartam poſt Paſcha ſingulis annis feriæ ſimiliter ſerventur. Reliquis autem diebus, nulla vacantiæ occaſione deſumpta, ordinaria lectio ab omnibus, ſinguliſque Lectoribus, ex uniuſcujuſque inſtituto inviolabiliter certis, ac ex locorum conſuetudinibus præfixis horis habeatur.

Quadrageſimæ tempus.

16. Regentibus tamen, aliiſque Lectoribus, & etiam Collegialibus Baccalaureis, & Studentibus tempore Quadrageſimæ ad concionandum pergere liberè liceat. Eo autem caſu à Dominica (ùt præfertur) Sexageſimæ iterum poſt quindenam Paſchæ immediatè reſumendæ præfatorum ſolitæ ceſſabunt lectiones. Tempore verò Adventus, ſi conciones ordinariis ſtudiorum exercitiis,

Adventus.

præſertim autem lectionibus, impedimenti fuerint, tam Lectores & Regentes, quàm Auditores quicunque nullatenus concionatum pergant. De Regentibus etiam tertiæ Claſſis eadem ratio

Capituli Generalis anno.

habeatur. Anno verò Generalis Capituli uſque ad Aſcenſionem Domini legendum eſt, niſi aliquis Lector ſpecialiter ad Capitulum evocetur.

Ad lectiones acceſſus

17. Singulis igitur, quibus legendum eſt (ùt præfertur) diebus, ſtatutis lectionum horis, Studens, ſeu Baccalaureus, aut Collegialis, cui per hebdomadariam viciſſitudinem ex catalogo, ſive (ùt ajunt) ſtudii tabula inviolatè, imperturbatéque ſervandam contigerit, Regentes, ſive Lectores conveniat, ad eorumque nutum, dato ſigno, cæteros Auditores advocabit, omnéſque Regentes, ſeu Lectores ad lectionis locum, qua decet modeſtia, aſſocientur. Cúmque eò perventum fuerit, antequam nova lectio incipienda ſit, ex urnula continuò ad hoc parata duorum Studentium, ſive Auditorum nomina ſorte extrahat, qui lectionem præteritam brevibus memoriter repetant. Qui autem imparati fuerint, prima vice corripiantur, ſecunda obſonio publicè priventur, tertia ad Generalem Miniſtrum ejus judicio puniendi, vel etiam à Gymnaſiis velut indigni pellendi deferantur. Duo interim alia Auditorum nomina ad eundem re-

Repetitio.

petitionis effectum extrahantur; factáque repetitione, nova lectio ſcriptis excipienda tradatur, ac (ſi fuerit opus) viva voce dilucidetur, ne tamen Auditores nimiam prolixitatem pertæſi, lectiones averſentur, decretum eſt, ne

Duratio.

ipſa lectio cum ſua repetitione, ac inſuper (ùt præfertur) explicatione, unius horæ ſpatium ex horologio arenario metiendam excedat.

18. Ut autem proficuè magis Fratres ſcholaſticis literarum ſtudiis occupentur, decernimus, ut præter lectionum repetitionem, quæ quotidie (ùt dictum eſt) in ſcholis fieri debet, ſingulis quoque, aut ſaltem alternis hebdomadibus in ſcholis, aut alio commodiori loco & tempore ad Regentis arbitrium omnes Baccalaurei & Studentes, ac etiam

Conferentiæ.

Collegiales quorumcunque Gymnaſiorum, ac Collegiorum ad repetitionem præteritarum quarumlibet lectionem conveniant; interrogabitque Regens ad arbitrium omnes & ſingulos de his omnibus, quæ in ejus lectionibus Auditores docuerit; ubi verò duo Regentes fue-

riot, una vice præſit alter hujuſmodi repetitioni, altera verò ejus Collega. Negligen- tiæ pœna. Regeotes id ex negligentia prætermittentes privatione officiorum puniantur; Auditores verò negligentes, ſeu ad repetitionem hujuſmodi non convenientes è Gymnaſiis & Collegiis expellantur.

Diſputationes. 19. Diſputationes à feſto ſancti Patris noſtri FRANCISCI, ac deinceps toto eo tempore, quo habentur lectiones, ſiogula quaque hebdomada feria ſecunda, quarta & ſexta poſt comeſtionem habeantur. Propoſitis à Regentibus, & ad valvas Gymnaſii affixis pro ſingula diſputatiooe duabus ex prælectis materiis concluſionibus. Diſputatio verò Earum ordo. hoc ordine inviolatè perficiatur. Qui Concluſiones publicè defenſuri fuerint, æqua diſtributione privatis diſputationibus propoſita, Concluſiones defendent; arguent autem duo ex Auditoribus, quorum nomina ante diſputationem ex urnula, ùt ante lectionem, ſorte educentur. Quòd ſi nemo publicas theſes habiturus ſuperſit, ſorte ex eadem urnula tertii quoque nomen, qui Concluſiones defendat, pariter extrahatur. Regentes verò pro ſuis vicibus tam arguentibus, quàm reſpondentibus cùm in publicis, tum etiam io privatis diſputationibus in potioribus difficultatibus, ac prout opus fuerit, præſto ſint. Hæ autem privatæ diſputationes per horam ſaltem protrahantur; & qui fortè tum ad defendendum, tum ad arguendum imparati fuePœnæ. riot, pari tigore corripiantur, ac puniantur, ut de his, qui ad lectiones memoriter tepetendas pariter imparati deprehenduntur, ſuperiùs decretum eſt. In Gymnaſiis autem tertiæ Claſſis ambæ Concluſiooes ex ea materia, quæ pro tempore legitur, proponantur.

Linguarum ſtudia. 20. Præcipitur autem juxta ſacræ Congregationis de propaganda Fide Decretum, ut in omnibus cujuſcunque Claſſis Gymnaſiis, ac etiam Profeſſorum Seminariis linguarum idiomata profiteantur Fratres, & ea addiſcantur. In ſingulis itaque Ordinis noſtri Provinciis Lectores deputandi. Græcæ, vel Hebraicæ, vel Chaldaicæ, vel Illyricæ, aliarúmque hujuſmodi linguarum Lectores, Provinciales Miniſtri juxta Generalis diſpoſitionem, opportunámque diſpenſationem, etiam exteros ſtipendiis ductos, ſi ex noſtris non aderunt, io quibuſcunque Collegiis, Gymnaſiis, & Profeſſorum Seminariis omni diligentia providere, & deputare teneantur, ac, ut in eis, quàm maximè poterunt, ab omnibus progreſſus fiant, omni ſtudio curare, ſub pœnis Generalis arbitrio reſervatis, quibus etiam, qui eas addiſcere noluerint, ſubjiciantur.

Collegiorum & Gymnaſiorum Catalogus.

21. Collegia, quæ in noſtris Conventibus inſtituuntur, hæc ſunt:

Romanum, in quo	24
Aſſiſienſe, in quo	12
Bononienſe, in quo	25
Neapolitanum, in quo	25
Pragenſe, in quo	12
Colonienſe, in quo	12
Melitenſe, in quo	6
Cracovienſe, in quo	6

Collegiales prædictorum Collegiorum, expleto triennio, ſi laudabiliter ſe geſſerint, & theſes publicas in ea ſuſtinuerint, lauream Doctoratus abſque allo prævio examine & authoritate à Generali Miniſtro conſequantur. Collegialiũ laurea.

22. Qui verò, & quo ordine, quibúsve ſtudiorum gradibus abſolutis in his Collegiis, in aliſque cujuſcunque Claſſis Gymnaſiis collocandi fuerint, ſuprà præcedenti titulo decretum eſt. Ne tamen Collegiorum, ſive etiam Collegialium hujuſmodi numerus augeatur, præſenti Decreto ſtatuitur (Romano excepto). Si tamen pro ipſis Collegiis, & Collegialibus præfatis Conſtitutiones condendæ fuerint, ad inſtar Romani Collegii Seraphici fiant. Collegiorũ numerus invariabilis

23. Gymnaſia primæ Claſſis in Italia, & extra Italiam, quæ non niſi per Generale Capitulum augeri poterunt, hæc ſunt: Primæ Claſſis.

Patavinum,	Peruſinum,
Venetum,	Florentinum,
Panormitanum,	Viennenſe,
Mediolanenſe,	Januenſe,
Fetrarienſe,	Leopolienſe.

24. Gymnaſia ſecundæ Claſſis ſunt hæc: Secundæ Claſſis.

Meſſanæ,	Wilnæ,
Tarviſii,	Montis Leonis,
Arimini,	Piſarum,
Avenionis,	Grecii,
Ceſenæ,	Senarum,
Ravennæ,	Brixiæ,
Urbini,	Papiæ,
Fani,	Taurini,
Auximi,	Aquilæ,
Salerni,	Calaris.

25. Gymnaſia tertiæ Claſſis: Tertiæ Claſſis.

IN PROVINCIA S. FRANCISCI

Montis Falchii	Interamnæ
Thiferni	

IN PROVINCIA ROMANA

Ferentini	Urbis Veteris.

IN

IN PROVINCIA S. ANTONII
Veronæ.
IN PROVINCIA BONONIÆ
Parmæ, Cremonæ,
Placentiæ.
IN PROVINCIA MARCHIÆ
Aſculi Æſii
Piſauri.
IN PROVINCIA NEAPOLIS
Mirabellæ Montis Herculei
IN PROVINCIA S. NICOLAI
Licii Monopoli
Barii
IN PROVINCIA CALABRIÆ
Caſtro Villari
IN PROVINCIA HETRURIÆ
S. Miniati
IN PROVINCIA MEDIOLANI
Bergomi
IN PROVINCIA JANUÆ
Caſalis
IN PROVINCIA S. BERNARDINI
Sulmonæ Taliacotii
IN PROVINCIA SICILIÆ
Drepani Agrigenti
Catanæ
IN PROVINCIA S. ANGELI
Venafri Bujani
IN PROVINCIA POLONIÆ
Caliſcii
IN PROVINCIA STYRIÆ
Petoviæ
IN PROVINCIA BOEMIÆ
Cromovii
IN PROVINCIA COLONIÆ
Monaſterii Trevirorum
IN PROVINCIA ARGENTINÆ
Herbipolis Maingæ
Lucernæ
IN PROVINCIA S. BONAVENTURÆ
Podii Salinis
IN PROVINCIA S. LUDOVICI
Arelatæ Mentes
Boccchariæ Ambrum
IN PROVINCIA RUSSIÆ
Zamoſcii Moderetii

Gymnaſia hæc tertiæ Claſſis tam intra, quàm extra Italiam augeri, & minui, ac aliò etiam transferri & commutari poterunt, prout Generali Miniſtro ſalubriter expedire videbitur.

De promovendis ad Regentias, Magiſterium, & Studia.

TITULUS V.

Promovere ad Reg. ad quos ſpectet.

1. OMnes tam Collegiorum, quàm etiam cujuſcunque Claſſis Gymnaſiorum Regentes, Doctores, ſive Artium, & Sacræ Theologiæ Magiſtri deputentur. Regentes tertiæ Claſſis à Generali Miniſtro deputentur, qui & Studentes in hujuſmodi Gymnaſiis ſervatis (ùt ſupra) ſervandis, & prout opus fuerit, collocabit. Regentes verò ſecundæ, & primæ Claſſis, ac etiam Collegiorum in Capitulo, ſive Generali duntaxat Congregatione à Diffinitoribus per ſecreta ſuffragia, dummodò ſingulis jam aſſignatis conditionibus prædicti fuerint, eligantur. Generalis verò Miniſter binos pro ſingulis Regentiis proponere teneatur. Si tamen infra triennium aliquem in demortui, ſive ad aliud munus aſſumpti, ſeu alia quacunque ex cauſa deficientis locum ſubrogare neceſſe ſit, decretum ſuperiùs tit. 4. num. 8. poſitum inviolatè ſervetur.

Ad lauream promovendi.

2. Ad Magiſterium verò nemo niſi trienniorum gradibus, aliiſque decretis conditionibus omnino ſervatis, nullatenus promoveatur. Si tamen aliquis Apoſtolicas literas intra, vel extra Ordinem ad Magiſterium ſuſcipiendum obtinuerit, Generalis Miniſter eum ad Doctoratum hujuſmodi promovere, ſive cum eo aliàs qualitercunque promoto, abſque Capituli, ſive Generalis Congregationis conſenſu diſpenſare nullatenùs valeat. Ad ſummum tamen Pontificem, cui præcipuam perpetuò reverentiam [illegible]bedientiámque præſtare tenetur, pro revocatione, ne præter URBANAS has Conſtitutiones, ſanctiſſimáque earum decreta aliquem ad hujuſmodi gradum promovere cogatur, humiliter recurrere debeat; quòd ſi ſommus Pontifex his Conſtitutionibus, aliiſque Privilegiis derogare intenderet, & promoveri præciperet, Apoſtolica Authoritate promoveat, eique Doctoratus lauream conferat, dummodo ſpecialis mentio revocationis iſtius decreti in literis Apoſtolicis fiat, alioquin ipſa promotio nulla ſit, nulliúſque valoris.

E Seminariis promovendi ad ſtudia per duplex examen.

3. Ad promovendum Tyrones, ſive Seminariſtas ad ſtudia duplex fiat examen, de Moribus & Vitæ probitate alterū, alterum verò de ſcientia, literarúmque eruditione. De Vita, & Moribus in actu Viſitationis Provincialis Miniſter, cum Seminarii Magiſtro, locíque Superiore diligenter perquirat. De literarum verò ſufficientia prævio (ut præfertur) rigoroſo examine à Provinciali Miniſtro coram duobus Regentibus, ſeu Lectoribus inquiratur. Qui vigeſimo primo anno expleto literas mediocriter ſaltem, vel aptitudinaliter pollere comperiantur, ad tertiæ Claſſis Gymnaſia de Miniſtri Generalis (prout decretum fuit) facultate mittantur, qui verò è contra ad ſtudia inhabiles inveniantur, in diverſis conventibus de familia collocentur, ibique conſcientiæ Caſus, ſup-

Ineptorum ad ſtudia occupatio.

nes, & exercitia. putatoriam, Oeconomicam, Hiſtoricam, ſeu aliam quamlibet artem ad Religioſos Viros ſpectantem, utpotè cantum, ſonum, & ſimilia haud ſegniter addiſcant, & exerceant.

Viſitatores Studiorum. 4. Pro Studentibus verò, & Baccalaureis ad ſuperiora ſtudia promovendis Generalis Miniſter circa triennii finem Generales ſtudiorum Viſitatores deſtinabit. Hi autem ſingula Provinciarum ſibi deſtinatarum Gymnaſia inviſere, duplicique & probitatis vitæ, & ſcientiarum eruditionis examine dignos ab indignis ſecernere, fidelitérque Generalem Miniſtrum monere teneantur. Inquiſitio de Vita, & Moribus locali Superiore conſulto, duobúſque ex probioribus Patribus vera teſtantibus fiat. Ad literarum verò examen ſequenti ordine Viſitator procedat; cùm ad Gymnaſium devenerit coram duobus ex Regentibus, ſeu Lectoribus, aut Sacræ Theologiæ Magiſtris generali inquiſitione ſingulos ibi literas profitentes de literis, quæ didicerint, interrogabit. *Examinis ordo.* Singulique lectionem ex materia, quæ ex librorum, quibus ſtuduerint, apertione caſu obvenerit, viginti quatuor horarum aſſignato termino [illegible]ant, duáſque ex ſingulis ſcientiis, quibus pariter operam navaverint, Theſes cum aliis condiſcipulis diſputandas ſuſtineant, ipſique Viſitatori, ſive aliis duobus præfatis Lectoribus, vel Magiſtris denuo interrogare, ſive etiam arguere liceat. Mox autem Viſitator, præfatique Lectores, vel Magiſtri unuſquiſque ſeorſim examinatum in ſchedula juxta rectum de eo judicium adnotabit. Diſtinguant autem triplicem Examinatorum ſeriem, optimorum videlicet, mediocrium, & rejectorum. *Examinatorum triplex genus.* Inter optimos ii deſcribantur, qui cæteris ſapientiores, doctioréſque, & in omnibus ſcientiis juxta progreſſus per triennium factos apprimè eruditi fuerint. Qui minùs eruditi reperti fuerint, inter mediocres. Qui tandem minimè profecerint, inter rejectos referantur. Ne tamen eorum aliquis cœco affectu, vel humana paſſione ducatur, præcipimus, ut hujuſmodi ſchedula ſub pœna ſuſpenſionis à divinis ipſo facto jurejurando firmetur. *Jurisjurandi confirmatio.* Peractóque examine, ſine alterius communicatione ſinguli ſchedulam propria manu ſubſcribant, proprióque ſigillo obſignantes claudant, & ad Generalem Miniſtrum quando Viſitator ſuam tranſmiſerit, & ipſi pariter ſimul tranſmittant.

Probitas morum in 5. Ad ſtudia itaque ſuperiora optimi duntaxat, & mediocres adſcribi poſſunt, qui verò moribus reprobi fuerint, & ſi optimi literarum peritia eſſent, ſimul cum aliis, qui literarum inſufficientia reprobi fuerint, ad ea nullatenus admittantur; quòd ſi ex his aliquis ad ſtudia ſit aſſumendus, probioris vitæ potiùs, minoriſque literaturæ, quàm majoris eruditionis, praviſque moribus præditi aſſumantur. *promovendis præcipua.*

6. Inepti à ſtudiis expellantur, mediocres in eadem Claſſe alio triennio, ſi fortè profecerint, relinquantur, aliàs à ſtudiis & ipſi pellantur. Optimi duntaxat ad altiora Gymnaſia gradatim aſcendant hoc ordine imperturbatè ſervato, ſi fuerint in tertia claſſe ad ſecundam, ſi in ſecunda ad primam, & à prima demum ad Collegia evehantur. *Ordo promotionum.*

7. Qui in primæ Claſſis Gymnaſiis duobus trienniis Baccalaurei munera ſubierit, & non profecerit, à ſtudiis cum titulo Baccalaurei exeat, ſed ſi profecerit, & optimus judicetur, Collegia prætendere poſſit. *In primæ Claſſis ſtudio non proficientes, & proficientes.*

8. Optimi, qui ad Collegia vocati, ad ea aſſumpti non fuerint, vel aliud triennium in prima Claſſe tranſigant, vel etiam Caſuum Conſcientiæ, vel Sacræ Scripturæ Lectores, ſeu Concionatores ad populum deſtinentur; aut ſi Generali libuerit, Lectores in ſtudiis tertiæ Claſſis inſtituantur. *Qui ad Collegia non fuerint aſſumpti.*

9. Regentes unum duntaxat ſocium habeant, qui eis, ut ſtudiis faciliùs, commodiúſque vacare poſſint, diligenter inſerviat, iſque & Baccalaureo Conventus (ſi aderit) & alteri Lectori auxilia præſtare (quoad poterit) teneatur. *Socius Regentis.*

10. Regentes inſuper, prout opus fuerit, Baccalaureos, & Studentes, Auditoréſque ſuos in ſcholis corripere, ac niſi paruerint, ſive in moribus non probè ſe geſſerint, eorum contumaciam coercere liberè, ac licitè poſſint. *Studentes, & Baccalaurei corrigendi.*

11. Nullus Lector ſuæ facultatis limites excedat, nec de genere in genus tranſcendat, ſed majori, qua poterit, diligentia facultates, quas interpretari tenetur, ſeculò interpretari, ac Auditoribus ſuis exactè, dilucidéque proponere curet. *Lectores præſcriptā facultatem explicent.*

12. Ut autem diligentiùs, ac majori progreſſu cujuſcunque Claſſis Auditores literis imbuantur lectiones ab omnibus ſcriptis excipi, ſtudioſeque memoriæ commendari omninò debeant. Singulis autem lectionibus præſcribatur Dies, ut cùm *Lectiones ſcriptis recipiendæ.*

cùm ad viſitationem acceſſerit Provincialis Miniſter, facilè quinam diligentes, qui verò negligentes fuerint, dijudicare poſſit.

Lectnres negligentes.

13. Si quos verò repererit inter Lectores adeo ſegnes, ut abſque legitima cauſa Lectiones omiſiſſe conſtiterit, gratiarum, quæ Lectoribus conceduntur, ſevera ſubtractione juſtè punire valeat. Et ſi intra menſis unius ſpatium abſque legitima, rationabilique cauſa à Guardiano probanda à lectionibus, aliſque functionibus ſepties vacaverint, eo ipſo officiorum privationem incurrant, quamobrem præcipitur Guardianis eorum Conventuum, ubi ſtudia fuerint erecta, ut circa decreti iſtius obſervantiam ſub pœna privationis officiorum diligenter invigilent. Quare ne ſub quocunque prætextu à lectiunibus vacent, interdicitur, ac penitus prohibetur, ne qui ad Regentias aſſumendi ſunt, iis muneribus, quæ viſitationibus junguntur, ut puta Provincialis Miniſtri ſive Cuſtodis, nullatenus fungantur, nec dum actu Regentes exiſtunt, fungi poſſint, & valeant.

Guardianorum cura.

Lectores alia munera exercere nequeunt.

Qui non fuerint lectioni præſentes notentur.

14. Prior autem Studii ſingulis diebus Collegiales, Bacealaureos, Studentéſque & alios qúoſcunque ſtudiorum Auditores, qui lectionibus non interfuerint, adnotabit. Si enim abſque Regentis licentia (quæ non niſi ex graviſſima cauſa concedetur) abfuerint, graviter corrigantur, & ab ipſo Regente, & à Provinciali Miniſtro, ſi ſæpiùs, graviúſque deliquerint, à Gymnaſiis expellantur. Quòd ſi ſeptem lectionibus continuò abſque juſtiſſima cauſa Regentibus nota non interfuerint, ipſo facto à Gymnaſiis, & Studiis expungantur.

Corrigantur.

Quando à ſtudio pellendi.

Regentum, & Studentium exemptiones.

15. Lectoribus quibuſcunque, præſertim verò Regentibus actu legentibus ad componendum, Auditoribúſque ad addiſcendas lectiones opportnnum temporis ſpatium concedatur, ac juxta felicis recordationis Benedicti XII. & Clementis VIII. Decreta, etiam à Matutino in choro diſpenſetur (diebus feſtivis exceptis.)

Clemens VIII.

Scholarum ſitus.

16. Scholæ Gymnaſiorum, atque Collegiorum (quantùm fieri poterit) in clauſtro exteriori ſituentur, ut commodè Sæculares lectionibus (ſi libuerit) intereſſe queant. Ubi verò ſcholæ non in exteriori, ſed intra interiorem Clauſuram conſtructæ ſunt, lectionibus, ſi privatæ fuerint, Sæculares nunquam Interſint; ſi autem publicæ, à Regentibus, & Lectoribus, à Capitulo deputatis fient, recto tramite ad ſcholas venturi, & ſtatim poſt lectionem receſſuri adeſſe poſſint.

Ad lectiones quo pacto ſæculares admiſſi.

17. Generalis autem Miniſter raró noſtri Ordinis Fratres, junioríſque præſertim, ut eò magis in literarum acquiſitione proficiant, in Conventibus nativis ſtudiorum cauſa commorari permittat.

Extra patriam ſtudeant.

18. Collegialium inſuper, Baccalaureorum, Studentium, aliorúmque uniuſcujuſque Claſſis Eruditorum catalogus, ſive (ut ajunt ſtudiorum tabulæ in Capitulo Generali, ſive Generali Congregatione diſpuſitæ nullatenus varientur. Ipſi verò quicunque Auditores ad loca, ubi pro ſtudils collocati fuerint, opportunè ad ſtudiorum initia accedere teneantur, quòd ſi poſteriùs venerint, niſi juſtiſſimam cauſam à Provinciali Miniſtro nativæ Provlnciæ probandam Regentes admiſerint, nnllatenus recipiantur, nec inter Gymnaſiorum Auditores cooptentur.

Tabulæ ſtudiorum non varientur.

Opportunus ad ſtudia acceſſus

19. Regens, & inter Regentes Is, qui antiquitate præcedit, totius ſtudii tum Lectorum, tum Auditorum in omnibus, quæ ad ſtudia ſpectant, ut ſunt lectiones, publicæque, & privatæ diſputationes, caput eſto. Regente, ſeu Regentibus abſentibus, Baccalaureus Conventus vices Regentis in literario ſtudiorum regimine ſubeat. Studentes itaque, Baccalaurei, Collegiales, aliique ſtudiorum hujuſmodi Auditores in his, quæ (ut præfertur) ad ſtudia pertinent, Regenti immediatè ſubiiciantur, nec ſine ejus licentia quiſquam à ſtudiis recedere audeat. Cathedras (ut ajunt) In Capitulo Generali Collegiorum, ac primæ Claſſis Gymnaſiorum præſtantiores Regentes à Generali Miniſtro electi defendant. Generalis autem Miniſter quempiam, ex ſecundæ Claſſis Regentibus vivaci, vegetique ingenio, nec non eruditione præcellentem ad idem munus (quod & de eorum Reſpondentibus intelligatur) juxta ejus arbitrium vocare poſſit.

Studiorum Antiſtites.

Regentibus Studentes ſubjecti.

Cathedrarum defenſores.

20. In Capitulis autem Provincialibus illius Provinciæ, cujus Comitia celebrantur, tum Collegiorum, tum primæ & ſecundæ Claſſis Regentes Provinciarum expenſis cum ſuis Baccalaureis, & Studentibus publica Theoremata defendere teneantur.

Capitulorum Provincialium Cathedrantes.

De Academiis.

TITULUS VI.

Academiarum inſtitutio.

1. IN Collegiis, ac primæ Claſſis Gymnaſiis Collegiales, & Baccalaurei Academias ad humanarum literarum, & quarumvis rerum, & ſcientiarum noſtro inſtituto non adverſantium exercitamentum erigere poſſint,& valeant. Guardianus verò, ſive localis Superior, & Regens omnem eis opem, atque opera præbeant, nec tamen ſeſe (niſi rogati) in actibus academicis, niſi ad conſervandam inſtituti noſtri obſervantiam, aut ad Academicorum rixas componendas ullatenus ingerant. Quinimmò eos omnibus humanitatis officiis foveant, ac ſi quid errati animadverterint, niſi grave ſit, privatim corripiant, etiamſi in publicis actibus quidpiam corripiendum dijudicarent.

Superiores faveant. — *Academici quomodo corrigendi.*

Academiæ leges. — *Stemmata.* — *Præfecti electio.*

2. Leges ad Academiæ, ſeu Academicorum progreſſum neceſſarias, à ſe ipſis condere queant, præfixas exercitiis dies, horáſque aſſignent. Eáque exercitia ſemel, vel bis ſingulis menſibus ad eorum libitum, publicè tamen de Guardiani, ſeu localis Superioris, Regentíſque licentia fieri poterunt. Stemma, & Academiæ nomen, ac ſingulorum pariter Academicorum (dummodo ſanctis moribus, religioſæque modeſtiæ congruant) inter ſeſe diligenter examinanda proponant, examinatáque in lucem proferant. Sorte in ordinem, ut inter eos æqualitas ſit, diſponantur, primúſque Principatum teneat, cui alii omnes in gyrum ordinatè ſuccedant.

Academicorum ſtudia. — *Errorum cenſura, & Cenſores.*

3. Quilibet Academicus ſpecialem aliquam facultatem calleat, hic Poëſim, hic Rethoricam, alter verò Geographiam, vel Hiſtoriam, Ethicam alter, aliaſque alias hujuſmodi licitas artes profiteantur. Si quis in his,quæ ad propriam facultatem ſpectaverint, ullo pacto deliquerit, ejuſdem facultatis Profeſſor errata obſervet, ac in privatis Academicorum collationibus, ſive ſeſſionibus errata hujuſmodi non ad odium, ſed ad correctionem, profectúmque modeſtè detegat. Cenſores præſertim, quorum munus literarum Profeſſoribus quàm maximè neceſſarium novimus, qui aliis præſtantiores fuerint, deputentur; vel ſorte inſtituantur.

Compoſitionum examen. — *Qui actibus intereſſe valent.*

4. Præcipuè verò orationes habendo, legendo, ac diſcurrendo exerceantur, & diſcutiantur; mitique animo, ne meritò in publico reprehendendi ſint, cenſuras ferant. Quilibet verò ex Academicis ejus, quam profitetur, artis publicum in Academia ſpecimen præbeat, Religioſiſque, ac Sæculares inſigni pietate, ſeu nobilitate viri, ut hujuſmodi publicis actibus interſint, invitari poſſint, invitatique omnibus humanitatis obſequiis excipiantur, Muſicis (juxta Academicorum decreta) mulceantur, adeóque eruditis Academicorum actibus reficiantur, ut optimam inde de Religione, & Academia, quæ victurum,& ſapientiæ Mater ſit, opinionem referant.

De Operibus, & Libris Typis exponendis.

TITULUS VII.

Licentia Generalis requiritur, à quo examinentur opera. — *Seſſ. 4. Decr de Edit. &c.*

1. PRæcipimus, firmitérque mandamus Fratres noſtri, quantùm fieri poteſt, ſtudiis inſudantes opera, ad majorem DEI gloriam, Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltationem, Religioniſque decorem in lucem edere ſtudeant, & quàm maxime nitantur, non tamen audeant quidquam cujuſvis momenti, materiæ, etiamſi opera tantùm ſpiritualia fuerint, Typis tradere abſque peculiari Generalis Miniſtri facultate; Is verò eam nullo pacto concedat, niſi primùm per ſe ipſum, vel per alios hujuſmodi libros examinaverit, vel examinari mandaverit, & ab Examinatoribus hujuſmodi certum teſtimonium in ſcriptis receperit. Qua facultate accepta, operum auctores ſervata forma Sacri Concilii Tridentini opera prædicta in lucem edere valeant.

De Artificioſa, Honeſtáque Fratrum occupatione.

TITULUS VIII.

Exercitia prohibita Fratribus. — *Mercatura.* — *Pœna.*

1. QUamvis æquum ſit Fratres omnes, qui literarum ſtudiis minus idonei ſunt, aliquibus occupationibus detineri, ut ſupra dictum eſt, non tamen ad illicitas artes, ſeu vetita exercitia tranſire ullatenus permittendi ſunt. Prohibemus itaque ante omnia, ne juxta Sacrorum Canonum Doctrinam mercaturam ullo pacto, ſeu quovis prætextu, ſive pecuniarum ſit, ſive etiam Animalium, ſegetum, quoque, tritici, olei, & hujuſmodi exercere audeant, qui verò tantum facinus perpetrarent, non his tantum pœnis, quæ infliguntur à jure, vel quæ proprietariis debentur, verùm & gravioribus ſeverè plectantur. Sórſque tota cum lucro, & aliis quibuſcunque bonis communi Fratrum uſui applicetur.

2. In-

Cauſarum actitatio.

2. Indignum pariter, & turpe admodum cùm ſit Clericum negotiatorem, vel cauſidicum eſſe, idcirco ſub pœna ſuſpenſionis à divinis, & ad omnia in poſterum officia, dignitatéſque inhabilitationis diſtrictè mandatur, firmitérque præcipitur, ne ullus unquam noſtrorum Fratrum Sæcularium quorumcumque cauſas, in Curiis præſertim, vel extra actitare, aut ob id Patriam, ſeu locum quantumcunque diſtantem petere, ſive cujuſvis Principis, aut etiam Eccleſiaſtici Prælati, vel alterius cujuſcunque etiam generis proximi, procuratorem, ſive negotiatorem agere, vel quoquo modo ſæcularium negotiorum actorem fieri ullo pacto præſumat. Cui verò præfata ſuſpenſionis & inhabilitationis pœna non competeret, per tres menſes carceri mancipetur, ac totidem publicis diſciplinis rigoroſè puniatur.

Medicina.

3. Medicinæ præterea artem exercere non tantùm, ſed nec addiſcere Clericis ullo pacto permittitur: Fratribus itaque ſingulis, ſub præfatis pœnis, ne in cura medendi, Sæcularibúſque præſertim, ac ubi eorummet ægrotorum vitæ diſcrimen emergeret, ullatenus ſe ſe occupent, interdicitur. Si quis verò hanc artem ante Religionis ingreſſum calluerit, pauperibus, amicíſque ſpiritualibus, & Fratribus, ubi eorumet ægrotorum vitæ periculum non aderit, gratis duntaxat mederi poſſint.

Chirurgia.

Chirurgi verò etiamſi ante Religionis ingreſſum artem polluerint, omnino tamen ab exercitio ejus abſtineant, etiamſi Clerici tantùm, nec ſacris initiati fuerint.

Alchimia &c.

4. Operationes autem Alchimiæ, ſive aliarum quarumlibet artium, & doctrinarum ſuſpectarum, quæ in publico non traduntur, vel ab Eccleſia reprobantur, nullo modo Fratribus addiſcere, exercere, docere, ſeu libros, ſcripturas vetitarum hujuſmodi artium, vel doctrinarum dogmata continentes ſcienter retinere liceat. Tranſgreſſores, ſi legitimè deprehendantur, & convincantur, pœna carceris ad Superiorum arbitrium puniantur.

Bellica, ac luſoria inſtrumenta.

5. Non licet præterea Fratribus gladios, enſes, tormenta, vel arma quæcunque bellica fabricare, non folia luſoria, taxillos, ſeu latrunculos elaborare, non vana mulierum ornamenta inaures nimirum, armillas, ſerta, floribus, ſeu quomodolibet compacta, odores, aliáque hujuſmodi ad dictum uſum conficere; neque in iis denique artibus ſeſe exercere, ſub quovis prætextu, quarum uſus apud ſæculares mortalem culpam, ſeu venialem quomodolibet inducit.

Ornamenta mulierum.

Regula generalis.

Pœnæ tranſgreſſorum.

Qui verò prohibitas hujuſmodi artes contra Superiorum inhibitiones, ſanctiſſimáque Conſtitutionum Decreta exercere præſumpſerint, ſingulis legitimis actibus priventur, & carceri ad Superiorum arbitrium mancipentur.

Ludus, & Ludum ſpectare.

6. Ludis demum, maximè verò prohibitis, otia terere ſingulis Fratribus, quicunque hi fuerint, prohibetur. Nemo itaque aleis, talis, vel aliis hujuſmodi prohibitis ludis, aut ludentes ſpectare audeat. Tranſgreſſores pro qualitate culpæ, noſtrorúmque, ac exterorum ſcandalo puniantur.

Superiores illicita exercitia permittentes.

Superior verò permittens, diſſimulans, vel ipſe peccans, attentis circumſtantiis, Officio privari poſſit, & aliis pœnis, prout Miniſtris videbitur, affici.

Licita exercitia.

7. E contra verò Organa, aut alia Eccleſiaſtica Muſicorum inſtrumenta conficere, aliáſque neceſſarias, & honeſtas artes in noſtris Conventibus, eorúmque officinis omnibus Fratribus exercere liceat. Cantum præterea planum (ut ajunt) ac etiam figuratum inter noſtros invicem docere pariter, & addiſcere, muſicæque inſtrumenta tractare ſimiliter liceat. In aliis etiam licitis manuum artificiis, ut cæmentarii, fabri lignarii, & conſimilium verſari poſſint. Item pingere, vitreas feneſtras concinnare, fixellas, aut calathos texere, aliáque religioſa, & honeſta id generis exercitia addiſcere pariter, docere, & exercere poſſint, & valent.

De aliquibus particularium Fratrum occupationibus.

TITULUS IX.

Exercitiorum tabella.

1. QUò exactiùs & ordinatè magis Religioſa compleantur munera, ſtatuitur, ut in ſingulis noſtri Ordinis Conventibus loco aliquo conſpicuo appendatur tabella, in qua diſtinctè quidquid ſinguli Fratrum de familia præſtare debeant, adnotetur; ut certo quoque ſigno præmoniti, diligenter ſuo muneri ſatisfacere queant; præter peculiaria enim uniuſcujuſque exercitia decernimus, ut ſinguli Fratrum in aliquibus occupationibus religioſos viros decentibus teneantur.

Exercitia Vicarii.

2. Vicarii, ſeu quicunque Choro Præfecti Miſſalis, Breviariique Romani Ru-

Rubricas, alióſque Cæremonialis, & Ritualis pariter Romano Sacros Ritus Choro ipſi, & Eccleſiæ inſervientibus explaoare teneantur.

Mag. Muſices. 3. Muſices moderatores, Organorúmque Pulſatores, illi canendi præcepta; hi verò muſicalia Eccleſiaſtica inſtrumenta pulſandi religioſas artes edoceant.

Confeſſariorum. 4. Sacerdotes, ac Confeſſarii omnes præſertim, tùm humaniores literas profitentes, caſuum Conſcientiæ ſtudiis vacent.

Clericorum 5. Clerici profeſſi ad eorum Magiſtrorum præſcriptum, præter ſuperiùs enumerata munera, Templum (ubi fuerit opus) & Sacrarium exornare, Conventum ſcopis mundare, hortos colere, vaſa abſtergere, al áſque neceſſarias functiones implere, eorum tamen Magiſtris præſentibus, ad Superiorum arbitrium teneantur.

Laicorum. 6. Laici petendis Eleémoſynis, Coquinæ, aliarúmque Officinarum miniſteriis, pannorum lotionibus, hortorum culturæ, & aliis conſimilibus exercitiis occupentur.

Otio torpentes. 7. Si qui verò otio indulgentes deprehendantur, alicui miniſterio à Superioribus deſtinentur, qui renuerint, vel notabiliter otioſi nullis exercitiis, nullis occupationibus incubuerint, velut ignavum pecus cibarum ſubtractione puniantur, & ad opus, quantùm fieri poteſt, compellantur.

De Religioſa Conventus Officinarum occupatione.

Titulus X.

Officinarū numerus alterabilis. 1. AD Regularis diſciplinæ cuſtodiam multum refert diligentiſſima Officiorum Conventuum occupatio, & cuſtodia; eapropter Nationum varietate, morum, ac Regionum diverſitate, Fratrum commorantium, ædificiorum, locorum, atque reddituum, publicóque commodo diligenter præpenſis, Provinciales Miniſtri in aliquibus imminuere, in aliis verò Conventibus (prout fuerit opus) infra ſcriptas Officinas, dummodo regularis diſciplinæ, exactæque obſervantiæ ratio non minuatur, liberè, licitéque augere poterunt. Ubi verò ſufficiens Fratrum numerus reperiatur, cæteráque neceſſaria adſint, in principalioribus ſaltem Conventibus infraſcriptæ Officinæ inſtituantur, aut inſtitutæ maximopere cuſtodiantur, videlicet. Valetudinarium, Refectorium, Hoſpitium, Veſtiarium, Bibliotheca, Archivium, Promptuarium, Tooſtrina, Calefactorium, Coquina.

Officinarū ſupellex non aſportetur. 2. Harum verò Officinarum mobilia, nec ad breve quantumvis temporis ſpatium amoveri, ſive aſportari poſſint. Aſportantes verò, vel etiam permittentes gravi pœna puniantur, iiſdémque pœnis ſubjectos volumus. & ſubjectos volumus, & ſubjicimus officinarum hujuſmodi Præfectos, qui eorum incuria præfata mobilia diligenter ſervare, aut vetuſta, ſeu lacera reſarcire, vel ut reſarcirentur, curare neglexerint.

De Bibliotheca.

Titulus XI.

Bibliothecæ Cuſtos. 1. IN inſignioribus Conventibus, ubi præſertim Gymnaſia, ſeu Seminaria erecta fuerint, Bibliotheca inſtituatur, armaria, libri, aliæque res ad eam ſpectantes diligenter parentur, eique aliquis ex inſignioribus illius familiæ Patribus Cuſtos præficiatur.

Bibliothecari cura. 2. Si Bibliothecæ libri catenulis affixi fuerint, ejus clavis omnibus Fratribus ſit communis; ſin autem, Bibliothecæ Præfectus clavem perpetuò ſecum deſerre, libróſque neceſſarios juxta uniuſcujuſque profeſſionem, iis, quæ in propria inſtructione ſervanda erunt, omnino ſervatis, commodare teneatur, qui poſtea ſub pœna excommunicationis retinentibus in ſuum locum reponantur.

Libri, qui deſunt, procurentur. 3. Cum verò Bibliothecæ Præfecto neceſſarios libros, ſive ex vetuſtioribus ſint, ſive etiam ex recentioribus noviter in lucem editis deeſſe conſtiterit, Superiorem localem, ut eos, ſi poſſibilitas adſit, providere dignetur, inſtantiſſimè rogare teneatur, quòd ſi etiam inutiles adeſſent libri, ejuſdem Superioris conſenſu, ut cum aliis utilibus commutentur, diligenter curabit.

Inhoneſti, & prohibiti libri. 4. Libri verò, qui impurum aliquid, vel ab honeſtate alienum quidpiam continerent, aut à Sancta Romana Eccleſia prohiberentur, nec in Bibliothecis, nec eò minùs in Cellis ullatenus aſſerventur, ſub gravioribus etiam pœnis à Viſitatoribus infligendis.

Librorum Bibliothe- 5. Habeat inſuper Bibliothecarius omnium librorum, qui in Bibliotheca

cu-

cæ catalogus. cuſtodiuntur, inventarium, ſeu repertorium alphabetico ordine juxta facultatum diverſitatem digeſtum, ejúſque exemplar, ſeu tranſumptum in Archivio Conventus (ut de aliis officinis faciendum eſt) conſervetur, librum quoque prohibitorum indicem ad expurgandam Bibliothecam penes ſe habeat.

De Archivio.

TITULUS XII.

Quæ in Archivio ſervanda. 1. IN inſignioribus etiam Religionis noſtræ Conventibus locus aliquis tutus, armariiſque & ſcamnis, ac aliis neceſſariis aptè munitus ad archivium conſtituendum deligatur. In eo autem ſcripturæ omnes, privilegia, contractus, libri profeſſionis, atque informationum vitæ Fratrum, qui ex filiatione Conventus illius Ordinem ingrediuntur, ſive etiam aliorum omnium Fratrum, ſi aderint; Jura item omnia ad Domum ipſam, ſive Conventum ſpectantia diligentiſſimè cum ſuis repertoriis, ſeu inventariis cuſtodiantur.

Tres claves 2. Archivii claves tres inviolatè ſint, quarum unam Guardianus, ſive localis Superior, ſecundam Archiviſta, ſive Cancellarius, tertiam verò Depoſitarius penes ſe ipſos ſervabunt, curabúntque, ut exacta adeò diligentia cuncta ſerventur, ne quidpiam minimi quoque momenti ex incuria, vel negligentia pereat. Cuſtodis viſitatio. Cuſtos autem in ſua Viſitatione regiſtra omnia, vel inventaria diligenter recognoſcere teneatur. Si ſecus fecerit, utraque voce biennio careat, ejúſque defectum Provincialis Miniſter in ſua Viſitatione ſupplere teneatur.

De Promptuario.

TITULUS XIII.

Quæ promptuario continenda 1. PRomptuarium ad ea omnia, quæ pro quotidianis Fratrum neceſſitatibus exiguntur, conſervanda, opportuníſque temporibus diſtribuenda in unoquoque Conventu deſtinetur. Huic Præfectus & ejus munus. officinæ diſcretus aliquis Pater, qui ſingulari charitate præditus ſit, præficiatur; Ejúſque præcipua munera erunt, quæ cuſtodienda fuerint, ſedulò cuſtodire, quæ verò diſtribuenda, promptè Neceſſariorum è promptuario diſtributio. pariter, & alacriter diſpenſare. Certo itaque cujuslibet menſis die oleum, chartam, calamos, atramentum, & hujus generis alia ad eam quantitatem, quæ præſcribenda erit, omni altercatione ſecluſa, unicuique proferat. Horum verò quantitas diſcretè adeò ſtatuatur, ut & Fratrum neceſſitatibus ſufficienter ſubveniatur, & à ſuperfluitate omnino recedatur. Si quid autem ex his, quæ à Promptuarii Præfecto ſingulis (ut præfertur) menſibus recipiuntur, ſupererit, Communitati reſtituatur. Si quid verò cuipiam defuerit, mox ab eodem Præfecto ſufficienter ſubminiſtretur.

2. In hujuſmodi tamen diſpenſatione accuratè in primis perſonarum qualitas, ac diverſitas prudenter perpendatur. Alii enim pluribus paucioribus alii indigent. Lectores, Concionatores, Studiorum Auditores plura nimirum ad ſtudia, ad vigilias, ad aliáque neceſſaria munia obeunda, quàm alii Fratres, expoſcunt. Diſcreta diſpenſatio Temporum quoque & occupationum diſcreta ratio habeatur, ut in hyeme, & cum actu ſuis muneribus perfunguntur, plura, quàm æſtivo tempore, & dum ab ordinariis occupationibus vacant, ſuppeditentur.

3. In menſa verò ea, quæ pro obſonio tribuuntur, diſcretè adeò ſubminiſtrentur, ut Fratribus ad corporis neceſſitatem ſublevandam ſufficiant, ut corpore deinceps refecto, ſpiritus in DEI ſervitium magis, magíſque roboretur, & confortetur. Obſonii quantitas ſufficiens. Carnium itaque non minus ſex unciis ſingulis Fratribus communi menſæ, tàm in prandio, quàm in cœna apponatur. Piſcium verò in convenienti quantitate, & proportione. Itinerantium refectio Pro Peregrinis autem, ſeu Itinerantibus Fratribus, ſi fortè advenerint, opportuna obſoniorum præter ea, quæ Fratribus de familia ſubminiſtranda fuerint, præparatio fiat, ne cùm advenerint, quæ ad eorum refectionem neceſſaria ſunt, Miniſtrorum, ſeu Officialium incuria deſint. Fructus. Fructus demum Agrorum, Hortorum, & hujuſmodi in Promptuario deferantur, & æquis inde portionibus in publico refectionis loco, nullo perſonarum diſcrimine habito, ſingulis Fratribus diſpenſetur.

De Tonſtrina.

TITULUS XIV.

1. SÆculares in poſterum ad Fratrum tonſuram, quoad fieri poteſt, non Tonſoriam ediſcant ar- temFratres accerſantur, ubi primùm Fratres, qui omnino docendi erunt, illi nimirum, qui apti videntur, literarúmque ſtudiis non incumbunt, tonſoriam artem didicerint. In unoquoque Conventu Tonſoris Officina neceſſariis rebus, & Inſtru-

Officina & ejus ſupellex. Officina ip-ſtrumentis, debitáque ſupellectili inſtructa deputetur; quo in loco Frater, qui Tonſoris Miniſterium perficit, certis diebus aſſiſtat, & hnic charitatis officio ſatisfaciat, nullúſque Fratrum extra Conventum tondatur, vel abradatur. *Tempus.* Porrò raſura Hyeme ad menſem, Æſtate verò ad vigeſimam diem ubique locorum fiat, tum verò Tonſori unus, aut (Fratrum numero exigente) plures ſocii, qui ei neceſſaria ſubminiſtrent, aſſignentur.

Tonſuræ Religioſitas 2. In abraſura verò, Capillorúmque tonſura Fratres noſtri ab omni vanitatis ſpecie procul abſint, ſed, ut Religioſos decet, ad neceſſitatem duntaxat hoc miniſterio modeſtè utantur. Illud præ omnibus caveatur, ut Novitii, & Profeſſi in Seminariis commorantes præſertim, Fratréſque omnes imberbes eam præcipuè Capillorum partem, quæ temporibus prominet, æqualiter attonſam, ſive abraſam geſtent; ita ut Capillorum anguli hinc inde in temporibus nullo modo emineant; *Tranſgreſſores.* qui ſecus fecerint, ſeu aliis vanitatibus in Capillorum compoſitione, vel attonſione uſi fuerint, vel Superiores, qui id permiſerint, gravioribus pœnis, etiam publicè, pro qualitate tranſgreſſionis ſeverius puniantur.

De Cubiculo Fratrum Calefactorio.

TITULUS XV.

Locus calefactionis. 1. Locus aptus, & à Coquina (quantùm fieri poterit) omnino diſtinctus pro communi Fratrum Hyemis tempore calefactorio in præcipuis Conventibus deputetur, ſacris Imaginibus, ſcamnis, ſive ſedilibus in circulum efformatis, inſtrumentiſque ad excitandum, & conſtruendum ignem accomodatis muniatur, *Ejus ſupellex.* lampáſque ſive communis laterna nocturnæ calefactionis tempore ardens paretur. Ibique Fratres omnes, nec alibi, religioſa modeſtia calefiant. *Silentium ibi ſervetur* Silentium (nocturnis præcipue horis) inibi perpetuò colant, ſeu (ſilentii hora juxta præſcripta decreta tranſacta) ſacris Scripturis, conſcientiæ caſibus, vel aliis hujuſmodi colloquiis reficiantur. Qui verò ibi res eſculentas decoquere, ſeu eis veſci præſumerent, publicis jejuniis in pane tantùm, & aqua pœnam exſolvant.

De Coquina.

TITULUS XVI.

Coquus, & ejus conditio. 1. Coquinæ deinceps ſæculares nullo pacto præficiantur, quoad fieri poteſt, ad hoc autem miniſterium laicus ex noſtris, qui charitate, ac munditia in primis præſtet; ſeligatur, iſque ut ſingularis munditiei in ſua officina perpetuò niteat, utque omnia opportunè pro Fratribus parentur, quàm diligentiſſimè curabit.

Particularium cibi. 2. Carnes autem, neque pulmentaria, aut alia quævis edulia pro particulari quopiam Fratre coquere, ſeu condire nullo modo præſumat, alioquin publicæ diſciplinæ pœna nullatenus differendam ſubeat. Si quis autem, vel tranſactæ abſtinentiæ cauſa, vel præſervandæ, aut etiam tuendæ valetudinis gratia aliqua ſibi utiliora edulia condiri, ſeu miniſtrari petierit, de Superioris conſenſu cum DEI benedictione condiri, & miniſtrari queant.

In coquinam nemo intret. 3. Fratres autem quicunque (Officialibus duntaxat exceptis) eóque minus ſæculares ad Coquinam, vel ubi parantur portiones, (quas nullo pacto intra Refectorium parari volumus) ſub quovis prætextu accedere non permittantur.

De honeſta Fratrum Recreatione.

TITULUS XVII.

Recreationum tempus, & modus. 1. Superiores, ut Fratres noſtri bis quotidiè ordinaria recreatione reficiantur, ſemel poſt prandium, ac iterum ſemel poſt cœnam unius duntaxat horæ pro qualibet vice ſpatium benignè concedant, eóque tempore mutuis, modeſtis tamen, religioſiſque confabulationibus, colloquiiſve pietatem, religionémque redolentibus, quibus ſpiritus ædificetur potiùs, quàm deſtituatur, inter ſeſe refocillentur.

Extraordinariæ recreationes. 2. Alias inſuper extraordinarias recreationes juxta Nationum, locorum, temporum, ac Perſonarum diverſitatem tum intra, tam extra Urbes, Oppida (non tamen in domibus ſæcularium, quieunque hi fuerint) diſcreti Superioris arbitrio benignè concedimus.

Recreationes prohibitæ. 3. Spectaculis verò, Choreis, Comœdiis, Perſonis, aliiſque hujuſmodi vanitatibus nullatenus intereſſe præſumant, nec Superiores intereſſe permittant; quòd ſi contra hujus Conſtitutionis præſcriptum iis impudenter intereſſe, ſive ea per ſemetipſos efficere auderent, ad Superioris arbitrium puniantur.

CON-

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT VI. REGULÆ.

De Cellarum, ſeu Camerarum, & Hortorum proprietate eliminanda.

TITULUS I.

Tex. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c.*

Cubiculorum Patentes, & uſus. 1. Cubicula in poſterum, ſeu Cameræ Conventuum juxta antiquitatis, ac dignitatis gradum diſtribuantur: pro conceſſione verò literæ patentes, ſi fiant, à Generali, vel Provincialibus Miniſtris non abſolutè, vel perpetuò, ſed ad eorum duntaxat arbitrium concedantur. Nullúſque Cubicula, Cellas, ſeu Cameras ſibimet ut proprias uſurpare præſumat, ſed ſinguli Cellarum, quæ ſibi à Superioribus concedentur, quæve per omnia (quantùm fieri poterit) uniformes erunt, ſimplici tantùm uſu fruantur.

Cubiculorum inſcriptiones. 2. A privatis autem Cellis particularium nomina inſcripta penitùs auferantur, ac ne ad tempus tantummodò hujus decreti exequutio facienda cenſeatur, decernitur, ut ex eorum poſtibus etiam divellatur. In Valetudinario tamen, Hoſpitio, Seminario, Cubiculiſque Prælatorum officio deputatis, ac iis inſuper Cellis, quæ Concionatorum, ac Lectorum (quibus licita hæc commoditas neceſſaria eſt) uſui deputantur, præfatæ inſcriptiones permittantur, quin potiùs, ubi deſint, apponantur.

In Cellis epulari nefas. 3. In privatis autem Cellis, ſeu alicubi nullus veſci, nullus ibidem res eſculentas abſcondere, aut quovis modo recipere, ſeu recepta aſſervare præſumat; ex neceſſitate tamen, ſeu infirmitate, vel medicina aliquid ad Superioris arbitrium concedatur.

Supellex in Cellis non admittenda. 4. Vana Iconum, Imaginum, ſive tabularum pictarum, vel etiam Statuarum ornamenta, ſive ſuperfluæ conopeorum delitiæ, & quæ religioſam paupertatem excedunt (niſi de Superioris licentia ex urgenti duntaxat neceſſitate conceſſa) à quibuſvis, ſeu quorumcumque Cellis, & Cubiculis penitùs auferantur.

5. Sint tamen (ut diximus) quoad fieri poterit, Religioſorum Cellæ per omnia conformes lectulus ſimplex, humili ſubſtrato, aliiſque neceſſariis tantummodo, non autem ſuperfluis rebus munitus, linteis quoque, & operimentis, quæ pauperes deceant, modeſtè compoſitus adſit, totáque ſupellex, & utenſilia omnia ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſumus, conveniat. Supellectilis religioſitas.

6. In Cellis autem Superiorum Officio deputatis, aut Inſigniorum Patrum uſui conceſſis plura quoque utenſilia, aliáque juxta munerum, & officiorum dignitatem neceſſaria (modò ſuperflui luxus, & vanitatis quælibet ſpecies abſit) ſubminiſtrari poterunt. Nemini tamen ad proprium uſum, etiam ad breve tempus (niſi legitima cauſa, vel urgens adeſſet neceſſitas) concedantur. Verùm à Conventus Officialibus, quibus de munere incumbit, Superioribus abſentibus, ſedulò cuſtodiantur, & conſerventur. Cellis Superiorum, &c. aliquid permiſſum. Cellæ Superiorum à quibus cuſtodiendæ.

7. Omnium cellarum feneſtræ, quæ in publicas vias, aut vicinas Sæcularium ædes proſpiciunt, muro, vel ligneis cancellis, aut quopiam aptiori inſtrumento ita obſtruantur, ut earum proſpectus omnino impediatur. Clemens VIII. Feneſtræ.

8. Nemo peculiarem, ſive privatum hortum poſſideat, nec ulli in poſterum horti hujuſmodi concedantur, ſi tamen aliquis adeſſet, qui ex particulari duntaxat cella ingreſſum habeat, ejus curæ cameræ Cuſtos pro communi tamen Conventus uſu præficiatur; Si verò patentem habeat aditum, aliquis ei Laicus ad cuſtodiam deputetur, fructus tamen omnes pro Fratrum neceſſitatibus aſſerventur. Fructiferæ arbores abſque Capituli Conventus licentia non incidantur; qui verò eas abſque præfata licentia incideret, ſi Superior fuerit, privetur; ſin autem, arbitrio Superioris puniatur. Laici verò hortos Horti Cellarum. Fructiferæ arbores.

Digitized by Google

tos colendi artem callentes ad id muneris etiam inviti à Superioribus compellantur.

Hortus Sacrarii, Sem. Valet.

9. Separatus verò hortus Sacrario, Seminario, ac etiam Valetudinario, quantum fieri poterit, & ab horto communi diſtinctus aſſignetur.

De ratione admittendi Paternitatem, & Filiationem in Conventibus.

TITULUS II.

Paternitatum & Filiationum uſus.

1. PAternitatis, & Filiationis uſus nullam arguit adverſus Regulæ præceptum domus, aut loci appropriationem; Provinciales itaque Miniſtri, ut ſinguli Provinciarum Conventus Patres, & Filios habeant, atque ut hic uſus juxta Urbanarum hujuſmodi Conſtitutionum Decreta inviolatè ſervetur, omnem adhibeant diligentiam.

Filiationes Conventuum non transferendæ. Earum privatio ablata.

2. Filiationes itaque à Conventu in Conventum (ſalvo tamen Decreto ſuperius Cap. II. tit. VI.) minimè transferantur, nullæque deinceps, etiam in perpetrati delicti pœnam à nativis Conventibus excorporationes (ut ajunt) fieri poſſint.

Nativus Conventus qui.

3. Is verò nativus Conventus appellabitur; cui aliquis in Filium à Patrum Capitulo (ut ſupra ſtatuimus) cooptatus eſt, ſive ejuſdem loci ſit oriundus, vel non, ſive probationem in eo egerit, vel ibi profeſſionem emiſerit, ſive non. Quòd ſi quiſpiam hactenus in Filium Provinciæ receptus ſit, in eadem Provincia poſſit per duas ex tribus partibus Capituli Conventus loci nativi in ejuſdem Filium acceptari. Quòd ſi non acceptetur, per Provinciale Capitulum, ſeu Congregationem alicui illius Provinciæ Conventui cooptetur; Item ſi in aliena Provincia receptus ſit ad habitum, & Profeſſionem, tanquam ejuſdem Provinciæ Filius, per Capitulum, ſeu Capitularem Congregationem alicui Conventui illius Provinciæ incorporetur.

Cooptationes in filiũ.

Bona conferentes in commune.

4. Si quis autem Fratrum, poſtquam Urbanæ Conſtitutiones hujuſmodi ad ejus notitiam pervenerint, omnia bona, quæcunque illa fuerint, ſive eis de facto utatur, ſive ea apud ſæculares ullo pacto detineat, non revelaverit, & Conventui, cujus Filius eſt, quantùm ad omne, & quodcunque Jus eo ipſo non reſignaverit, omnium legitimorum Jure, & utraque voce biennio privetur, aliiſque proprietariorum pœnis ſubjaceat.

Bonorum applicatio.

5. De bonis autem ſtabilibus, ac etiam mobilibus indiviſis hæreditatis jure, vel quomodolibet ad Fratres, & Conventus ſpectantibus decernitur, ut quam citiùs hujuſmodi Conventuum jura dilucidentur, bonáque ſic adjudicata nativis Conventibus (ſervato tamen ſacræ Congregationis, ut ſupra Decreto de abdicanda proprietate) penitus applicentur.

Bona obeuntium Fratrum.

6. Si quis verò extra nativum Conventum obierit, mobilium bonorum à Superioribus ſibi pro neceſſitatibus ad uſum conceſſorum, quæ apud ſe tunc haberet, deductis curationum, & funerum impenſis, medietas altera nativo Conventui, altera verò ei, in quo extremum clauſerit diem (dummodo ibi de familia fuerit) applicetur.

Patrum Conventus qualitates.

7. Conventuum autem Paternitates ideo in Ordine noſtro inſtitutæ ſunt, ut Conventus magis magiſque decorentur, pluriúmque diſcretorum Patrum conſilio, & prudentia Conventuum ipſorum negotia utiliùs perficiantur, eorúmque utilitati ex plurium auxilio magis conſulatur. Ad hæſque propterea non omnes paſſim adſumendi ſunt, ſed ii duntaxat, qui egregiis animi qualitatibus ornati fuerint, annúmque trigeſimum quintum expleverint. Ad hoc verò (Doctoratus titulo duntaxat excepto) nullus gradus, nullúmque aliud quodcunque munus ſuffragetur.

Magiſtri ſunt Patres Conventus.

8. Omnes itaque Sacræ Theologiæ Magiſtri, eo ipſo ac Doctoratus lauream ſuſceperint, nativorum Conventuum Patres exiſtant. Aliorum verò Patrum electio ad Conventus Capitulum ſpectat: confirmatio verò, ſine qua invalida eſſet electio, in inſignioribus Conventibus ad Generalem Miniſtrum pertinet, in aliis verò Conventibus ad Provincialem de Capituli Provincialis, ſive Capitularis Congregationis conſenſu.

Patrum electio, & Confirmatio.

De Paternitatibus Provinciarum.

TITULUS III.

Qui intelligantur Patres Provinciæ.

1. DE Paternitatibus Provinciarum ſtatuitur, ut ii tantùm titulo, & privilegio Paternitatis fruantur, qui vel actu ſunt, vel jam Provinciales, tùm in propria, tùm in alienis, ſive etiam titularibus Provinciis fuerunt. Eadem Provinciæ Paternitate Procurator, Socius, Secretarius Ordinis, abſolutis Officiis, per-

perfruantur ; Regentes etiam , qui in Studiis generalibus , & Collegiis duodecim annorum ſpatio legendo laboraverint , quive per gradus præſcriptos ad ſtudiorum generalium Regentias promoti fuerint , ejuſdem Paternitatis ſuarum Provinciarum titulis honeſtentur , & à Generali Miniſtro ad præfatas Paternitates literæ patentes , quæ ſi laudabiliter ſe geſſerint , negari nequeant , benigniſſimè concedantur. *Procuratoris Ordinis privilegium.* Procurator verò Ordinis , expleto Officio , primus ſuæ Provinciæ Pater remaneat. *Patres Provinciæ per gratiam.* Patres autem Provinciæ ex gratia nullatenus in poſterum fiant , hactenus autem deputati nullo Paternitatis privilegio gaudeant , niſi à Diffinitorio Provinciali nativæ Provinciæ approbati fuerint , & à Capitulo Generali confirmationem , & ab ipſo Generali Miniſtro novas patentes literas obtinuerint.

De diverſitate Conventuum , eorum fundatione , & Fratrum numero.

TITULUS IV.

Claſſes Conventus

1. CONventus omnes Religionis quoad dignitatem ſic in Claſſes dividimus , ut primæ Claſſis ſint , in quibus Fratres ultra ſexaginta ali poſſint ; ſecundæ Claſſis , ſupra quadraginta ; tertiæ verò , ſupra viginti ; quartæ demum , reliqui omnes.

Conventuũ receptiones.

2. Pro novis verò Conventibus ædificandis , ſive fundandis , aut etiam iis , qui fundati ſunt , & ædificati , acceptandis (quod tamen non niſi de Capituli Generalis licentia fieri poteſt) hoc inter leges habeatur. Nullatenus deinceps recipiatur locus , niſi ubi ſpes certa fuerit , ut ibi duodecim ſaltem Fratres in DEI , Populorúmque famulatum , juxta Summorum Pontificum Decreta , ac Sacræ Congregationis Concilii Conſtitutionem die vigeſima Junii 1625. ſancitam , ſufficienter ali queant.

Conventus Minores.

3. Ubi verò in Conventibus jam ædificatis minor Fratrum numerus eſt , quàm prædictus , neque is ullo pacto eſſe poteſt , ut in eis quatuor ſaltem Fratres permaneant , qui & fidele DEO miniſterium exhibeant , & Seraphicam Regulam , Sanctiſſimáſque Conſtitutiones inviolatè obſervent , ſintque Populis in ædificationem , & non in ſcandalum , Provinciales Miniſtri quàm diligentet curabunt.

Novorum Conventuum inhabitatio.

4. Ad Conventum verò recenter (ſervatis ſervandis) ædificatum , ſive receptum nullatenus Fratres commoraturi accedant , donec ipſa Eccleſia , & Domus , ſive Conventus ad eam ſtructuræ formam redacta ſit , quæ inſtituto conveniat , niſi Generali Miniſtro unà cum Provinciali , & Aſſiſtentibus pro communi Religionis bono aliter expedire videretur ; nec etiam deinceps abſque Generalis Capituli , ſeu Protectoris , & Generalis Miniſtri diſpenſatione recipi poſſint Conventus , quibus animarum cura annexa ſit.

De aggregatione Locorum , & Conventuum.

TITULUS V.

Quæ loca Conventibus aggregentur , & quomodo.

1. QUoniam in Conventibus , ſeu locis , in quibus ad minus quatuor Fratres commodè ali nequeunt , regularis diſciplina , ac Religionis inſtituta ſervari non poſſunt , ideò decernitur , diſtrictéque præcipitur , ut Conventus , ſeu loca hujuſmodi , quæ quatuor , (ut præfertur) ad minus Fratres alere non valent , cum omnibus ſuis bonis tàm mobilibus , quàm immobilibus , ac etiam juribus , & privilegiis , aliiſque immunitatibus , & gratiis quibuſcunque vicinioribus Conventibus applicentur ; *Loci aggregati cultus.* neque in his Fratres noſtri ullatenus commorari præſumant. Guardianus verò , ſive localis illius Conventus Superior , cui locus præfatus unitus , & aggregatus fuerit , quando ſibi opportunum viſum fuerit , vel neceſſitas ipſa depopoſcerit , Sacerdotem exemplarem , nec ſemper eundem pro Sacro faciendo , & confeſſionibus audiendis una cum Socio eò tranſmittat. *In loco aggregato pernoctare non licet.* Sacerdos autem , & Socius hujuſmodi eo loci nullo pacto , nec ſub quovis prætextu pernoctare audeant , ſed expleta functione , quamprimum ad Conventum reverti , ibique ſub Superioris obedientia humilitet commorari teneantur.

2. Loca verò Ruralia , & Silveſtria , ubi nulla eſt Miſſarum ad Populorum ſatisfactionem , ſeu audiendarum confeſſionum indigentia , penitus dimittantur.

De Conventu Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Urbe.

TITULUS VI.

Ejus regimen.

1. ROmanus Sanctorum duodecim Apoſtolorum Conventus peculiari providentia , ſancta reformationis diſciplina , ſacrorum ſtudiorum propagatione , divinarum rerum obſequio , ac tem-

temporalis adminiſtrationis cura quàm diligentiſſimè regendus eſt. Statuimus propterea, ut ex quibuſcunque, tàm ultra, quàm circa Montes Provinciis Patres, & Fratres, qui vitæ integritate, morum compoſitione, ac ſapientia inter cæteros conſpicui ſint, ibi de familia collocentur. Sint tamen ad Superiorum arbitrium amovibiles; Inutiles verò Fratres à Generali Miniſtro omnino removeantur. Sint verò ea vitæ innocentia, eáque puritate conſpicui, ut nec Prælaturas ambitioſæ prætenſionis titulo, nec aliud quidpiam, quod religioſos viros dedeceat, ullo pacto perquirere, vel attentare præſumant.

Familia amovibilis.

De Conventibus in Terris Infidelium conſtitutis.

TITULUS VII.

Qualitas in his Convent. collocandorum.

1. CONventus, qui in Infidelium, ſive Hæreticorum, aut Schiſmaticorum Terris, aut confiniis ſiti ſunt, maxima Superiorum pro bono eorum regimine prudentia, ac diligentia indigent, ut ii nimirum, qui eis præfuerint, aut vitam ibi traduxerint, Populis in errorum caligine, ac infidelitatis tenebris ambulantibus ſanctiſſimis moribus, & integerrimæ vitæ probitate devotionis, atque doctrinæ lucerna, lumen, & candelabrum exiſtant. Provinciales itaque Guardiani, ſive alii quicunque Superiores, & Fratres de familia collocandi vita, moribus, devotione, atque doctrina inſignes eligantur, nec eò, niſi his qualitatibus præditi, ullo pacto mittantur.

De petendis Eleëmoſynis.

TITULUS VIII.

Tex. *Vadant pro Eleëmoſyna confidenter &c.*

Eleëmoſynis conquirendis deſignentur Laici.

1. FRatres noſtri quotieſcunque, vel ſanctæ obedientiæ mandatum, vel alendorum Fratrum neceſſitas poſtulare, oſtiatim mendicare juxta Regulæ præcepta non erubeſcant. Ubi verò ex Conventus redddituum tenuitate alienis piorum Eleëmoſynis ut plurimùm vivendum eſt, hoc mendicandi onus Fratribus laicis imponatur.

Juniores ad Eleëmoſynas petendas miſſi.

2. Licet autem hæc de quæritandis Eleëmoſynis cura ſolis Laicis regulariter committenda ſit, non improbamus tamen, quin humilitatis exercendæ gratia, Fratres omnes Eleëmoſynas hujuſmodi quærere queant. Quinimmo ſi quando ad eorum mortificationis experimentum, virtutúmque acquiſitionem ſalubriter opportunum Superiori videbitur, eos ad Eleëmoſynas petendas mitti liberè concedimus, adjuncto tamen junioribus, ſi ad id ii deligantur, maturioris ætatis, ſpectatæque probitatis Socio. Ubi verò, & quando conſuetum fuerit, meſſis præcipuè, atque vindemiæ tempore, Guardiani, ſeu locales quicunque Superiores Fratres omnes in petendis Eleëmoſynis frequenter exerceant.

Meſſis, & Vindemiæ Eleëmoſynæ quæſitæ.

3. Nemo itaque ex noſtri Ordinis Fratribus, quicunque hi fuerint, juxta Regulæ monitum Eleëmoſynas quæritare erubeſcat, eóque magis quòd à quibuſdam Summis Pontificibus conceſſam fuiſſe Fratribus pro DEI amore quæſtuantibus quadraginta dierum indulgentiam cognoſcamus, quam & confirmandam à S. D. N. URBANO Octavo humiliter petimus. De ejuſdem inſuper Apoſtolicæ benignitatis conceſſione à quibuſvis etiam utcumque excommunicatis Eleëmoſynas quæritare Fratribus noſtris liberè, licitéque permiſſum eſt.

Eleëmoſynas quærentium indulgentia.

Ab excommunicatis Eleëmoſynæ etiam petendæ.

4. Pro conſanguineis verò, ac etiàm quibuſvis, & cujuſcunque conditionis amicis nemini ex noſtris Fratribus Eleëmoſynas quærere liceat. Confeſſarii ſub pœna ſuſpenſionis à Confeſſionibus audiendis ipſo facto incurrenda pœnitentiam de dando ſibi Eleëmoſynas nullo pacto imponant.

Pro quibus non petendæ Eleemoſynæ.

Confeſſariis quid vetitum.

5. Quia demum gratis acceptum, gratis quoque tradendum eſt, idcirco ſtatuitur, ut in commodioribus noſtri Ordinis Conventibus, loco, & tempore à Superiore deputandis, bis, vel ter in hebdomada juxta Conventuum facultates per probum quempiam, ac pium Patrem ex bis, quæ ſuperſunt religioſis Fratrum neceſſitatibus, Eleëmoſynæ pauperibus diſtribuantur.

Eleëmoſynæ pauperibus diſtribuendæ.

De mutua inter Fratres Charitate.

TITULUS IX.

Tex. *Si mater nutrit, & diligit Filium ſuum carnalem, quantò diligentiùs debet quis diligere, & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem.*

1. QUi pacem, mutuámque fraterni amoris charitatem, ac dilectionis

Religioſam quietem

perturbantium pœnæ. nis tranquillitatem turbaverint, ſeu rixas, odia, & ſcandala inter Fratres, aut Sæculares diſſeminando, ſeu verbo, facto vel ſcripto detrahendo, aut graviter obmurmurando, ſeu adverſus Prælatos præſertim aut alios quoſcunque maligna, temerariáque inventa moliendo, ſeu denique rebellionem impudenter ſtruendo, aut alio quovis modo diſcordiæ peſtilentiam in Conventibus, excitando, ab iiſdem Conventibus ipſo facto expellantur: ac ſi ab eis hæc maleſacta fuiſſe conſtiterit, graviter ſeveréque, omni poſtpoſito humano reſpectu, puniantur, & ad pœnam talionis, qui conficta quomodolibet adverſus quempiam, præcipuè verò Prælatos componere auſi fuerint, rigoroſiſſimè coerceantur.

Circa turbatores pacis Cuſtodum diligentia, & munus. 2. Cuſtodes itaque hos omnes, & conſimiles, itémque eos, qui communiter à Prælatis ob pravam eorum, intolerabilémque converſationem refutari ſolent, diligenter inquirere, & ad Capitulum Provinciale deferre teneantur. Provinciales autem ad Generalem Miniſtrum, ſive Generale Capitulum, vel Congregationem eorum informationem (ſi fuerit opus) traducant. Fratres verò hujuſmodi è Cuſtodiis à Cuſtodibus arceantur, & ad Miniſtros Provinciales mittantur. *Relegati.* Hi verò in alia Cuſtodia, & ſub certi cujuſpiam Patris ad eorum libitum deputandi diſciplina collocentur; ac, ſi præfixo tempore corrigantur, ad Cuſtodiam reduci, ibique permanere queant; Si verò nec intra id tempus mutentur, à Provinciis expellantur, & ad alias etiam corrigendi à Generali Miniſtro mittantur, nec ad proprias, niſi priùs emendentur, ullatenus revocentur, aliíſque pœnis Superiorum arbitrio plectantur, & quouſque de emendatione non conſtiterit, utraque voce priventur. At ſi demum incorrigibiles comperiantur, juxta *Incorrigibiles.* propria de incorrigibilibus Decreta Prælati in eos animadvertant.

Provincialium cura de reconciliatione. 3. Provinciales verò Miniſtri in ſuis viſitationibus perpetuos inter Fratres charitatis ignes excitare tenentur. Idcirco ſi quos repererint aliqua inter ſe levitate diſſentientes, paternè concilient, ſi qui verò paci, ſeu reconciliationi adverſentur, à Conventu ſtatim nulla tituli, nulla gradus, nulláque Perſonarum ratione habita, ipſo facto expellantur.

4. Qui odioſi alicujus nominis per contemptum malitioſè author fuerit, graviter puniatur. Ob ídque decernitur, ne quiſpiam agnomen alicui imponere, cùm Fratres omnes proprio (ut decet) nomine, vel Patriæ ſaltem appellandi ſint, ullatenus audeat.

De Curandis Infirmis, & Valetudinario Cuſtodiali.

TITULUS X.

Tex. *Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, &c.*

1. UT eo diligentiùs infirmorum obſequiis ſatiſfiat, decernimus, ut *Inſtitutio ejuſdem.* non ſolum in unoquoque Conventu Valetudinarium (ſi fieri poteſt) habeatur, ſed alterum inſuper in unaquaque Cuſtodia loco ad id per Provinciale Capitulum, ſeu Capitularem Congregationem aptiori, ſalubriorique delecto commodiùs omninò, & quamprimum inſtituatur, multis manſionibus, melioribus item, ac ſplendidioribus ſupellectilibus ditetur, omnibúſque neceſſariis pro ſingulis totius Cuſtodiæ infirmis ejuſdem Cuſtodiæ Conventuum pro rata expenſis copioſiùs inſtruatur.

2. Primus Cuſtodialis hujuſmodi *Præfectus, Infirmarius & Coadjutores.* Valetudinarii Præfectus Cuſtos ipſe in ſua Cuſtodia inſtituitur, Infirmariúſque præterea, & ſi fuerit opus, alii Coadjutores eligantur. Si quando Cuſtodem abeſſe contigerit, alium ex probioribus Patribus in ſui vices, qui Valetudinarii curam gerat, idem ipſe Cuſtos ante diſceſſum deputare *Cuſtodis partes.* tenetur, ejúſque quoad hoc munus erit, infirmos frequenter inviſere, ac blandè conſolari; Guardianum, ſeu localem Superiorem, Infirmariúmque, prout expedire judicaverit, ut exactiſſimè infirmis ſatiſfiat, ardenter ſolicitare. Provinciales verò Miniſtri, ſi quos Cu- *Negligentes puniantur.* ſtodes, Guardianus, alióſque locales Superiores circa infirmorum curam notabiliter adeo deliquiſſe compererint, ut ægrotantibus hujuſmodi viſitationes, aliáque neceſſaria tum medicamenta, tùm edulia à Medicis ordinata defuerint, privationis officiorum eo ipſo pœna coerceant.

3. Infirmarium verò, qui Cuſtodia- *Infirmarii qualitates.* li præfato Valetudinario præficiendus eſt, ſolertem oportet eſſe virum, laboris patientem, charitate fervidum, validíſque viribus; Ejus circa infirmos *Munus.* munera erunt, ſedulò ipſis, punctuatímque providere, Superiorem, ſi res aliqua ad expellendum morbum defuerit, ſtatim monere, modum in propria inſtructione ſibi tradendum ritè per-

ſol-

ſolvere, ſpecialémque ſeniorum, atque debilium Fratrum, non ſecus ac graviter ægrotantium curam habere, omnem denique diligentiam in hoc maximo charitatis miniſterio adhibere, quòd ſi ipſe, ſive coadjutores defecerint, ſeverioribus pœnis juxta delicti qualitatem graviter puniantur.

Ciborum parator.

4. Inſtituatur præterea in unoquoque hujuſmodi Valetudinario peculiaris miniſter, qui coquinæ Valetudinarii præſit, deputetúrque hac de cauſa locus ad id quàm maximè aptus, ſingulis utenſiliis ad cibaria pro ægrotis excoquenda ſingillatim munitus.

Medicus.

5. Singuli verò Conventus, iſque maximè, ubi Cuſtodiale hujuſmodi valetudinarium inſtitutum fuerit, pro infirmis diligenter curandis medicum eo loco fama celebriorem à ſolo Superiore de localis Capituli conſenſu deligendum adhibeat.

Qui ad Valet tranſmittendi.

6. Ad hoc itaque Valetudinarium totius Cuſtodiæ Fratres infirmi, ſive ejus Cuſtodiæ nativi fuerint, ſive tantùm in præfatæ Cuſtodiæ Conventibus de familia collocati, ſtatim ac in morbum aliquem gravem diuturnúmque inciderint, Equo, vel alia quacunque neceſſaria commoditate vecti à Guardianis, aut localibus quibuslibet Superioribus ſub pœna privationis officiorum, & inhabilitatis per triennium ad alia quælibet tranſmittantur. Qui autem incurabili detinerentur infirmitate, ad nativos Conventus remittantur; ſi tamen ab incurabili hujuſmodi infirmitate in aliquo conventu, ubi longum vitæ ſpatium in ejus ſervitio traduxiſſent, correpti fuerint, inibi remanere ad Miniſtri Provincialis arbitrium valeant.

Incurabili morbo detenti.

Ægroti peregrinantes

Accidentariæ, & conquiſitæ ægritudines.

7. Alienarum inſuper Provinciarum Fratres advenæ, ſeu Peregrinantes, ſi in morbum incidant, ad ipſum idem Valetudinarium, ac ſi ejuſdem Cuſtodiæ eſſent, aut ibi de familia collocati, eo ipſo curationis gratia mittantur. Nemo verò eorum in quavis ægritudine quantumvis accidentaria, & non febrili, ac etiam ex actu quocunque ſpontaneo contracta deſtituatur, quinimmo ſi quas pœnas demeruiſſet, iis ante curationem non plectatur, curatus verò, ſi non ſatis paſſus ſit, cum miſericordia puniatur.

Expenſæ pro peregrinis ægrotis.

8. Expenſæ verò, quæ pro peregrinantibus (ut præfertur) infirmis Fratribus faciendæ ſunt, ab eorum nativa Cuſtodia, vel Provincia Valetudinario hujuſmodi ſolvantur; quòd ſi præ magni gravitate ad Cuſtodiale præfatum Valetudinarium eorum peregrinorum, infirmorúmque Fratrum quiſpiam tranſmitti non poſſet, in ejus loci, ubi cùm infirmari contigerit, Valetudinario omnibus charitatis obſequiis recipiatur, & curetur. Quidquid verò expenſum fuerit, à nativa ejus Cuſtodia, vel Provincia, juxta Provincialis illius diſpoſitionem exſolvatur.

Quando in Conventus valetudinario peregrini detinendi.

9. Ubi primùm Fratres aliquo morbo affecti decubuerint, devotiſſimè confiteantur, eiſque JESU CHRISTI (qui verus animarum, corporúmque medicus eſt) Sanctiſſimum Corpus deferatur, quòd ſi ita ingraveſceret morbus, ut infirmi diutiùs lectulo decumbere cogerentur, ſi Sacerdotes fuerint, ſingulis ſaltem hebdomadibus ſanctiſſima Communione reficiantur; periculoſiori verò valetudine laborantes eò frequentiùs communicent, quò reverentia tanti Sacramenti permiſerit: Si verò Sacerdotes non ſint, ad Confeſſarii arbitrium de Superioris conſenſu Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumant.

Confeſſ. & comm. ægrotantium

10. Non minus tamen de viſitatione, quàm de ſolerti ægrotantium cura providendum eſt. Superiores igitur, & Cuſtodes præſertim infirmos non ſemel quotidie viſitare, ſanctiſſimis verbis mulcere, ſolari demum, & ad patientiam confortare tenentur.

Viſitationes infirmorum

11. Quia verò non ad Superiores modò, ſed & ad cæteros quoſcunque Fratres infirmorum viſitatio ſpectat, ſinguli propterea, aut ſaltem per vices alternatis diebus hoc charitatis officium ardenter ab omnibus præſtandum eſt; quod tamen ut diligentiùs compleatur, ſtatuitur, & decernitur, ut qualibet hebdomada in conſueta Sabbathi tabula duo ex Patribus (nemine prorſus excepto) infirmorum viſitatores, qui eos quotidiè viſitent, deputentur. Excipiuntur tamen Novitii, & Profeſſi intra Seminaria degentes; qui tamen hoc ipſum, ſi quando accidat, inter ſeſe præſtare debebunt.

Viſitationes ægrotantiū

12. Viſitatorum itaque hujuſmodi munus erit ægrotantes frequenter inviſere, conſolari, & ad patientiam cohortari; Superiores verò præſertim cùm infirmorum aliquis in agoniam devenerit, poſtrema, eáque maxima charitatis munera compleant. Adſint propterea ſpeciales libri ad infirmorum ſolamen, & ad animarum commendationem, eáque diligentiſſimè adeò compleа-

Munus eorum.

Animæ commendatio.

pleatur, ut in extremis laborans ægrotus nullatenus etiam per minimum temporis ſpatium deſeratur.

Obſequia defuncti Fratris.

13. Si Fratrem mori contigerit, quicunque ille ſit, eo ipſo ſigno campanæ manifeſtetur, & Fratres ſinguli audientes Pſal. *De profundis* recitare teneantur, ex corde DEO animam ejus commendando: deinde per Infirmarium, & alios hujus muneris officium, tam pium exercere volentes lavetur corpus, & in locum Capituli deferatur, Fratribus omnibus aſſociantibus, & Pſal. *Miſerere* recitantibus, ac uſque ad horam ſepulturæ duo Fratres alternatim ibi aſſiſtant, Officium Defunctorum recitando. Denique Miſſæ celebrentur pro ejus anima, & proceſſionaliter deferatur circum ſepta Conventus ad Eccleſiam, adhibitis cereis pro qualitate Perſonæ, & aliis ſolemnitatibus ſecundùm Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſepulturæ tradatur; Provincialis Miniſter de ejus morte certior fiat, qui ſuæ Provinciæ pro defuncto Fratre ſuffragia perſolvenda præſcribat, juxta ea, quæ cap. 3. Tit. 7. dicta fuere.

Proprietariorum ſepultura.

14. Si verò (quod Deus avertat) proprietarius quiſpiam in ea proprietate obſtinatus moreretur, Eccleſiaſtica ſepultura juxta Sacros Canones legitimè careat, ejúſque cadaver ad ſterquilinium deſeratur; quòd ſi fortè Eccleſiaſtica ſepultura potiretur, ſtatim ac ipſum eo modo deceſſiſſe conſtiterit, exhumetur.

Convaleſcentes.

15. Si quis verò ad bonam valetudinem recuperandam, ſeu recuperatam tuendam aeris mutatione indigeat, de Provincialis licentia ad opportunum locum ſeſe transferre cum DEI benedictione queat.

Omnino curentur infirmi.

16. Demum verò decernitur, ut tanta in ægrotis Fratribus curandis adhibeatur charitas, & ſolertia, ut nemo penitus, aut æger, aut debilis, aut ſenior, quicunque is fuerit, neceſſariis auxiliis, omni avaritia pulſa, omni ſubterfugio ſepoſito, etiamſi ſacra deberent venundari vaſa, ullatenus deſtituatur.

Superiores erga infirmos malè ſe gerentes

17. Localis verò quicunque Superior, qui ægrotantem, ſenem, aut debilem, vel alio quopiam modo indigentem de ſua familia collocatum, aut etiam adventitium directè, vel indirectè expulerit, aut improba tractatione per ſe, vel per alium ad exeundum de Valetudinario, vel Conventu adegerit, duabus publicis diſciplinis ſeverè mulctetur, Officio ſtatim privetur, ad ſex menſes carceri mancipetur, ac in perpetuum ad Prælaturas quaſcunque inhabilis omninò reddatur.

Viſitatorũ Provinciarum cura.

18. Viſitatores autem Provinciarum in ſuis viſitationibus, an hujuſmodi de infirmorum cura Conſtitutiones ſerventur, inquirant. Si quos verò negligentes, aut tranſgreſſores offenderint, graviter puniant, & in Capitulo præſertim Provinciali de remedio tùm corrigendo, tùm puniendo provideant; Si verò in aliquibus Provinciis negligentiam hanc, ſeu crudelitatem potiùs quomodocunque vigere comperendo, ad Generale Capitulum fideliter referant. Ejus autem partes erunt Decretorum hujuſmodi obſervantiam rigoroſiſſimè ab omnibus indifferenter expetere.

De Valetudinario locali.

TITULUS XI.

Valetudinarium Conventus.

1. PRæter locum tamen hujuſmodi pro Infirmis curandis in unaquaque Cuſtodia (ut dictum eſt) conſtituendum, aliud quoque Valetudinarium in certo, ac ſalubriori ſingulorum Conventuum loco, quod juxta loci ſitum, Fratrúmque commorantium numerum (quoad fieri poterit) aptiſſimum ſit, omni diligentia deputetur.

In eo curandi.

2. In eo itaque Fratres omnes, qui in morbum non valde gravem, aut curatu difficilem, juxta peritiorum Medicorum fidem inciderint, omni charitatis affectu excipiantur, curentur, & gubernentur, indeque non niſi plenè, integréque ſanitate recuperata, ullatenus abire permittantur.

Ab eo ad Cuſtodiale transferendi.

3. Quòd ſi diuturnior futurus ſit morbus, ad ſupraſcriptum Cuſtodiale Valetudinarium transferantur; Fratres itaque omnes, quicunque hi fuerint, morbo aliquo laborantes in alterutro Valetudinario, prout morbi ratio poſtulaverit, diligenter curentur, extra Valetudinarium verò (niſi ex rationabili cauſa aliter Superior judicaverit) nullum quibuſvis Fratribus ægrotis Medici, aut medicamentorum, vel ſervitutis adjumentum exhibeatur.

In Valetudinario veſci debent, & quomodo.

4. Qui jejunare non poſſent, obtenta (prout decretum fuit) licentia, in Valetudinario veſcantur, ibique in loco ad id mundè, religioséque parato omni religioſa modeſtia, debitóque ſen-

lentio, ac ſi communi adeſſent menſæ, ſacram lectionem auſcultantes reficiantur. Cùm verò ob eam cauſam ad Valetudinarium acceſſerint, ante omnia Infirmario (à quo aliter non admittantur) licentiam legitimè datam oſtendere teneantur.

Valetudinarii ſupellex. 5. Mobilia Valetudinario applicata ibidem relinquantur, neque etiam ad breve quantumvis tempus amoveri, ſive aſportari poſſint; aſportantes verò, aut permittentes gravi pœna puniantur. Valetudinarii itaque Præfectus vel Infirmarius omnia bona hujuſmodi ſibi per proprium Inventarium tradita diligenter cuſtodiat, Infirmorúmque tantùm uſui applicet.

Valetudinarii Commiſſarius, & ejus munus. 6. Præter Infirmarium utrique Valetudinario tam locali, quàm Cuſtodiali aliquis probatæ vitæ, ſpectatæque prudentiæ Pater inſigni charitate præditus ſub titulo Commiſſarii Valetudinarii hujuſmodi præponatur. Is, ubi fuerit opus, Infirmarium corrigendi facultatem habeat, reddituum præfato loco applicatorum, ſive applicandorum, item ſupellectilium, aliorúmque bonorum tam mobilium, quàm immobilium, rerúmque omnium ad illud qualitercunque ſpectantium curam gerat, rationem ſuæ adminiſtrationis, ſicut alii Conventus Miniſtri, & Officiales, reddere teneatur, ac præfatorum bonorum Inventarium, cujus exemplar penès ſe retinebit, abſoluto Officio, Succeſſori tradat.

7. Pro Infirmorum denique neceſſitatibus aptius, exactiúſque reparandis, minoribúſque pro eis ſumptibus faciendis opportunum, & utile quidem eſſet, in Conventibus, iíſque præſertim, ubi Cuſtodiale Valetudinarium erigetur, Aromatariam inſtituere. Decernimus itaque, ut Provinciales Miniſtri in hoc quantùm fieri poterit, incumbant, ut Aromatariæ hujuſmodi paſſim, & opportunè in prædictis præſertim Conventibus, prout reddituum emolumenta permiſerint, totius Cuſtodiæ Conventuum ſumptibus pro rata contribuendis erigantur; erectæque diligentiſſimè cuſtudiantur; omnium earum bonorum Inventarium conficiatur, térque ſaltem in anno à Guardiano, ſive locali Superiore, Valetudinarii Commiſſario (qui eo caſu etiam Aromatariæ præficiatur) & aliis Patribus diligenter recognoſcatur. Aromataria

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT VII. REGULÆ.

De Caſuum reſervatione.

TITULUS I.

Tex. *Pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, ut recurratur &c. teneantur ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine mora &c.*

Clemens VIII. 1. CUM ſatis reipſa compertum ſit, juxta Clementis Octavi Conſtitutiones, *quòd reſervatio facultatis abſolvendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam gravioribus, niſi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa utantur, nonnulli infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æterna damnationis periculum, & ſpiritualis remedii deſperationem, ideo, ut huic malo opportunè proſpiceretur, præfatus Pontifex decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutionem ſibi reſervet, exceptis quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot Subditorum utilitati magis conferre prudenter in Domino judicaverit.* Caſuum reſervandorum moderatio.

Veneficia, incantationes, ſortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu conventus fiat egreſſio.

Nocturna, ac furtiva à Monaſterio, ſeu Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

Juramentum falſum in Judicio regulari, ſeu legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, ſeu Conventus.

Furtum de rebus Monaſterii ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occi-

Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuſcunque Perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut pro conſcientiæ puritate reſervandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

Hæc Clemens VIII.

Caſuum diſtributio. 2. Decernitur itaque, ut pro ſingulis noſtri Ordinis Superioribus eo prorſus modo, eáque forma, quæ ab eo hucuſque tempore in Religione perſeveravit, præfatorum reſervatorum caſuum diſtributio fiat. Videlicet.

Miniſtro Generali reſervantur.

1. *APoſtaſia vera, & formalis à Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio.*

2. *Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam non conſequuto effectu.*

3. *Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus.*

4. *Occiſio, ſeu vulneratio, & gravis percuſſio Prælatorum.*

5. *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, ſive aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

6. *Furtum de rebus Monaſterii, ſeu Conventus in ea quantitate, quæ ſit ſupra ſummam ſcutorum triginta.*

Miniſtro Provinciali.

1. *VEneficia, incantationes, ſortilegia.*
2. *Nocturna, vel furtiva è Monaſterio, vel Conventu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.*

3. *Juramentum falſum in Judicio Regulari, ſeu legitimo.*

4. *Furtum ſupra ſummam ſcutorum decem de rebus Monaſterii, ſeu Conventus.*

5. *Quævis percuſſio cum effuſione ſanguinis cum ſcandalo publico.*

Cuſtodi.

1. *GRavis percuſſio Sacerdotum.*
2. *Furtum infra ſummam ſcutorum decem.*

3. *Proprietas in quatuor ultimis gradibus.*

Declaratur, quod in Provinciis, in quibus non ſunt Cuſtodes, ut ſunt Provinciæ Orientis, & Romaniæ, Caſus Cuſtodi reſervati à Guardiano loci, ſeu Conventus abſolvi poſſint.

Guardiano.

1. *LApſus carnis voluntarius opere conſumatus.*

2. *Gravis percuſſio cujuslibet Fratris non Prælati, nec Sacerdotis.*

3. *Proprietas, & furtum peccati mortalis, quod ad valorem trium (ut vocant) Juliorum aſcendat.*

3. Verùm ad cognitionem graduum proprietatis pro Confeſſariis è gravioribus caſibus quidam extracti hìc apponuntur, & ut ſupra reſervantur.

Proprietatis actus potiores.

1. *QUicunque propria authoritate aſſumpſerit in uſum ſibi, vel aliis ſpecialem rem communem aliis Fratribus, puta libros, veſtes, &c. contra voluntatem expreſſam, vel probabilem ſui Superioris.*

2. *Qui res aliquas Prælato petenti, & viſitanti celat, vel claves earum abſcondit, vel retinet, ne Prælatus tollat, & ne ad libitum de illis diſponat.*

3. *Qui contra voluntatem ſui Prælati coram eo cum aliquo Fratre de re aliqua ſibi appropriãda contendit: aut qui in cella aliqua, vel in particulari Conventu permanere procurat.*

4. *Qui domus, & poſſeſſiones proprio nomine, & propria auctoritate alteri locat, & illorum fructus, cenſus, vel canones expetit, vel recipit.*

5. *Quicunque res ſuperfluas, vel curioſas, & pecuniam ipſam apud ſe habuerit, iiſque utatur, etiam de voluntate & permiſſione Prælati.*

6. *Quicunque alienaverit, vel diſpoſuerit propria authoritate de re ſibi conceſſa, vel à ſe quocunque modo acquiſita.*

7. *Qui contractus, vel ſchedulam fecerit, in quibus ſe aliquid dare, teneri, vel ſibi ab alio deberi confiteatur.*

8. *Quicunque abſque Prælati conſenſu, & aſſenſu res ſibi conceſſas, vel non conceſſas apud Sæculares repoſuerint, & cuſtodierint.*

9. *Quicunque in lucro mercaturæ cujuſcunque generis, ſive poſſeſſionum, animalium, ſive mercium omnis generis partem habuerit.*

10. *Si quis Superior concedat, & Subditus teneat bona ſtabilia ad uſum, uſumfructum, adminiſtrationem, vel commendam etiam nomine Conventus.*

De Confeſſariis Fratrum.

Titulus II.

Tex. *Si quis Fratrum inſtigante inimico mortaliter peccaverit, &c.*

Clemens VIII.

1. DE Coofeſſariis Regularium extat felicis recordationis Clementis Octavi Decretum, cujus alteram partem ſuper caſuum reſervatione præmiſimus, alteram verò de Confeſſariis opportunè ſubiicimus. Videlicet.

Superiores non audiant confeſſiones, &c.

Non liceat Superioribus Regularium Confeſſiones Subditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet Subditi ſpontè, ac proprio motu id ab iis petierint.

Confeſſorii deputati.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro Subditorum numero majori vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſervatis eos abſolvant, & quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, quando caſus occurerrit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius judicaverit.

Notitia per confeſſiones.

Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibuſdam peccatis, etiam non reſervatis à Confeſſariis imponendas, quæ Subditos ab hujuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Pœnitentiarum Canonicæ.

Atque ita per quoſcunque Regularium Superiores, quicunque illi ſint, obſervari mandavit,, non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cujuſvis Concilii, etiam Generalis, Decretis, necnon conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obſervatis, aut Regulis in Generalibus, ſeu Provincialibus Capitulis editis, Statutis, & Conſtitutionibus, etiam Apoſtolica authoritate confirmatis, privilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuſcunque, quorum tenores hìc pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Menſis Maij 1593.

Reſervatorum abſolutio.

Sanctitas ſua deinceps declaravit, & declarat, ut ſi hujuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, abſolvere. Hæc ex præſata Conſtitutione. Quæ omnia ut ſupra inviolabiliter obſervari mandamus.

Subrogatio Confeſſariorum.

2. Declaratur inſuper, & decernitur, ut ſi ex his Fratribus, qui ad aliorum Fratrum pœnitentium confeſſiones audiendas deputati fuerint, aliquis vel aliqui à Conventu diſceſſerint, alter, vel totidem in eorum vices, qui tamen ab Ordinario Provinciæ admiſſi fuerint, ſubrogentur, eorúmque nomina in ipſa Confeſſariorum tabella publicè in loco Sacriſtiæ conſpicuo affigenda ſcribantur.

Pro reſervatis quomodo petenda facultas.

3. Ad tollendam verò Fratrum vagationem, qui ob reſervatas culpas adeundi Superiores velamine divagarentur, ſtatuitur, ut hujuſmodi Superiores per literas à Confeſſariis, vel ipſis pœnitentibus, aut cùm advenerint, ab iiſdem perſonaliter, & oretenus conſulantur, & tàm quoad præſentes, quàm quoad abſentes, Superiores ſupra poſitum Clementis Octavi Decretum circa recurſum hujuſmodi inviolatè ſervetur. Interim verò directè (ut ajunt) à non reſervatis, indirectè autem, ſive ad cautelam à reſervatis culpis abſolvant.

Exteros Confeſſores adhibentes.

4. Nemo verò Fratrum copiam Confeſſariorum noſtri Ordinis habens extraneos Confeſſarios, tum aliorum Ordinum Regulares, tum etiam Sæculares pro Sacramentali Confeſſione facienda ullatenus adire præſumat, alioquin Confeſſio irrita ſit, & nulla, noſtri verò Confeſſiones audire non audeant, niſi priùs à Superioribus approbentur, aliàs ſuſpenſionis à Divinis pœnam eo ipſo incurrant.

Procur. Ordin. facultas.

5. Procurator Ordinis, qui nec Guardiano, nec Provinciali ſubiicitur, eadem in reſervatis caſibus facultate gaudeat; qua etiam ipſi Provinciales actu exiſtentes in ſuis Provinciis potiuntur, qua & ſuæ familiæ Fratres ab hujuſmodi caſibus diſpenſare queat. Si verò à Generali Miniſtro Generalis Commiſſarius deputetur; Caſus Miniſtro Generali reſervatos nullatenus diſpenſare poſſit, niſi talis facultas ab eodem Generali expreſsè ſibi fuerit delegata.

Socii, & Secretarii Ordinis.

6. Socio verò, & Secretario Ordinis, cùm Guardiani, vel Provincialis obedientiæ non ſubjaceant, conceſſum eſt, ut de Generalis Miniſtri licentia Confeſſarium ſibi ad arbitrium deligere poſſint, quemadmodum Provinciales, & Guardiani, *juxta Sacros Canones c. fin. Ne pro dilatione extra pœnit. & remiſſ.* Reliqui verò de familia Generalis caſuum reſervatorum facultatem toties quoties petere teneantur.

De Sæcularium Confeſſariis.

TITULUS III.

Conditiones eorum, & examen. 1. QUi ad Sæcularium confeſſiones adſumendi fuerint, hi eximia probitate vitæ, ſufficienti ſcientiarum peritia, prudentia, & fidelitate, ac ſtudio præſertim Summarum, caſuúmque conſcientiæ emineant, & antequam ad confeſſiones audiendas admittantur, ab Examinatoribus in Capitulo Provinciali, ſive Capitulari Congregatione ad id ſpecialiter deputandis, vel extra Capitulum à Provinciali Miniſtro, & Aſſiſtentibus rigorosè examinentur, & approbentur.

2. Confeſſiones, niſi ex rationabili causâ, ſemper in Eccleſia parato ad id, patenti, decentique loco audire teneantur. In ſingulis itaque noſtrarum Eccleſiarum locis Confeſſaria (ùt ajunt) cum grate parvis foraminibus inter Sacerdotem ac Pœnitentem perforata conſpicuis locis collocentur. Bulla Cœnæ Domini, & caſuum Ordinario reſervatorum index ex parte Confeſſarii apponantur; ex parte verò Pœnitentis ſacræ imagines affigantur. Confeſſionalia.

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT VIII. REGULÆ.

De indicendo & convocando Generali Capitulo.

TITULUS I.

Text. *In Capitulo Pentecoſtes Provinciales Miniſtri teneantur inſimul convenire, ubicunque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum.*

Indictionis tempus. 1. OPportunè Generalis Miniſter eis, qui ad Capitulum convocandi ſunt, per literas citatorias conſtitutum tempus, præfixam diem, certúmque locum Generalis ipſius Capituli ſignificabit, Ultramontanis nimirum, & Ultramarinis ſex, in Italia verò conſtitutis tribus ſaltem ante ipſum Capitulum menſibus.

Commiſſarii munus. 2. Commiſſarium ad neceſſarias Capituli proviſiones, eleemoſynarum Collectores, Concionatores, Cathedrantes, Oratoreſque, ac cætera omnia neceſſaria opportunè item, prudentérque deputabit; Procurator verò Ordinis Indulgentiam à ſummis Pontificibus hucuſque de more conceſſam à ſanctiſſimo Domino noſtro Impetrare tenetur. Indulgentiæ pro Capitulo.

Locus Capituli. 3. Convocetur autem Generale Capitulum, prout Seraphicus Pater in Regula præcipit, ubicunque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum, ſexto quolibet anno ex felicis recordationis Pauli Quinti Conſtitutione, quæ incipit: *Ut ea* &c. Conſultius tamen eſſet, ſi in præcedenti Capitulo locus determinaretur, ubi futurum celebrandum eſſet, ea tamen lege, ut Generalis Miniſter ex gravi aliqua neceſſitate, ſeu evidenti utilitate præfixum locum immutare, alióque Generale hujuſmodi Capitulum transferre poſſet. Pentecoſtes autem tempus pro generalium Comitiorum celebritate à Regula diffinitum immutari, aut Generale Capitulum differri, ſeu alio quovis modo longiùs protrahi nullatenus poſſit; ſingulis itaque ſex annis Sabbato de Vigilia Pentecoſtes generalis electio penitus abſolvatur. Sexto anno celebretur. Capituli tempus.

De his, qui ad Generale Capitulum profecturi ſunt.

TITULUS II.

Text. *Electio Succeſſoris fiat à Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus.*

Capitulo Generalis interſit, vel ejus Commiſſarius. 1. PRimùm quidem Generalem Miniſtrum, vel, ſi ordinario Generali careat, Vicarium Generalem Apoſtolicum Generali Capitulo intereſſe oportet; quod ſi ex urgentiſſima, eáque legitima causâ abeſſe cogatur, Commiſſarium inſtituat, eóque opportunè tranſmittat; is autem Generalis præfati vices, perſonámque ſuſtineat, ejúſque nomine requiſitus ſigilla Ordinis reſtituere, officiúmque deponere teneatur; ad quæ, ſi renuerit, etiam à Diffinitorio compellatur. Si tamen nec ipſe acceſſerit, nec ſtatuta ad celebrationem Capituli die Commiſſarium miſerit, ſive deinceps veniat, vel Commiſſarium mittat, ſive non ejus officium exſpiraſſe, ipſum- Quid præſtare teneatur.

ipſúmque in Ordinem redactum fuiſſe declaramus.

Generali, & Commiſſario abſente.

2. Quo caſu Miniſter Provincialis Diœceſanus, vel (eo abſente) Provincialis ſancti Franciſci Generalis vices ſuppleat, idque totum uſque ad publicationem Præſidentis Capituli à Sede Apoſtolica declarandi peragat, quod ad Generalem ipſum Miniſtrum, ſi adeſſet, ſpectaret. Nemo tamen abſque ſpeciali Generalis Miniſtri, ſeu Vicarii Generalis licentia ante præfixum terminum eò convenire præſumat.

Conveniendi tempus.

Provinciales, & Cuſtodes Cuſtodum conveniant

3. Ad Generale verò Capitulum hi omnes convenire tenentur, qui vocem in eo, ſeu ſuffragium tum ex præſcripto Regulæ, tum ex privilegio habent, Provinciales nimirum, & Cuſtodes Cuſtodum. Provincialis autem, qui non legitimè impeditus accedere prætermiſerit, ab officio deponatur, ſi tamen legitimum impedimentum adeſſet, Commiſſarium inſtituere, eúmque ſua vice cum authentica excuſatione mittere queat. Commiſſarius autem hujuſmodi, proinde ac ſi Provincialis eſſet, jus ſuffragandi, eáque omnia peragendi, quæ Provinciales ſolent, abſolutam, omnimodámque facultatem in Capitulo habeat. Quoad præcedentiam verò poſt omnes Provinciales inter cæteros (ſi plures adeſſent) Commiſſarios ſedeat, eúmque locum inter eos teneat, qui ejus Provinciæ, cujus Miniſtri vices obtinet, jure debetur.

Provincialis Commiſſarius.

Si moriatur Cuſtos Cuſtodum, quid agendum?

4. Si autem Cuſtodem Cuſtodum infirmari, ſeu mori contigerit, alter ab eis, ad quos ſpectat, licèt extra Provinciale Capitulum, ſeu Capitularem Congregationem eligatur; quòd ſi Electores intra præfinitum terminum non convenerint (prout inferiùs Titulo ſequenti) electio ad Generalem eo ipſo devolvatur.

Alii Vocales qui ſint?

5. Præter hos autem, qui ex Regulæ præcepto ad Generalis electionem ſuffragaturi, generalibus Ordinis Comitiis intereſſe tenentur, alii inſuper, qui ex privilegio ſuffragia hujuſmodi in electione Generalis habuerint, eò accedere debent. Sunt autem, qui Generales Ordinis fuerunt, qui perpetui totius Ordinis Diffinitores ſunt, Procurator, Socius; & Secretarius Ordinis, Cuſtos ſacri Conventus Aſſiſienſis, Guardianus ſanctorum duodecim Apoſtolorum de Urbe, & Guardianus Capituli. Si tamen ex omnibus præfatis aliquem, ſeu aliquos deeſſe contigerit, nihil tamen eorum, quæ per Generale Capitulum expedienda ſunt, omittatur.

Nunquam omittatur.

Capitulum per abſentiam alicujus.

Viſitatores Provinciarum referant.

6. Accedant præterea Generales Provinciarum Viſitatores, qui Generali Miniſtro, totique Generali Capitulo earum, quas viſitaverint, Provinciarum ſtatum denunciare teneantur; votum tamen (ùt ajunt) ſeu vocem non habeant.

Concionatores.

7. Accerſendi præterea ſunt celebriores Ordinis Concionatores, quibus à Generali Miniſtro, pro cujuſque dignitate, locus & ordo congruè præſcribatur. Pro diſputationibus verò tres vel quatuor ex doctioribus noſtræ Religionis Patribus, qui cunctis diſputationibus generaliter præſint, evocentur; Cathedrantes inſuper pro ſingulis Comitiorum diebus, qui ad publicas diſputationes ſufficiant, ex doctioribus accerſantur; hique diverſarum Facultatum quæſtiones, pro ſuis vicibus opportunè à Generali Miniſtro deſignatis, ſingulis Capituli (ùt præfertur) diebus publicè ad diſputandum proponant, & defendant.

Aſſiſtentes.

Cathedrantes.

Muſica.

8. Magiſter præterea Muſices extraordinarius, excellentioréſque noſtri Ordinis Cantores, Eccleſiaſticorúmque Inſtrumentorum Pulſatores vocentur.

Qui non admittendi.

9. Juniores verò in Sacris nondum conſtituti ſub quovis prætextu nullatenus admittantur. Pro ſacris autem functionibus in Eccleſia obeundis Studentes, ac ſimplices Sacerdotes adhibeantur; Miſſarum autem privatarum miniſterio Laici deputentur, qui & menſæ in Refectorio inſervire debebunt. Hi autem omnes, qui ad Capitulum acceſſuri ſunt, juxta ſibi præfixum à Generali Miniſtro in literis convocatoriis tempus ſingillatim accedant.

Servitiis applicandi.

Prohibitio.

10. His tamen exceptis, nemini prorſus ad Generale Capitulum, niſi ex urgenti, eáque legitima cauſa à Protectore Ordinis, vel Generali Miniſtro evocetur, accedere liceat.

De his, quæ ſervari debent in electione Superiorum, & Officialium Ordinis.

TITULUS III.

Vocalium qui ſcopus.

1. Ante omnia Electores, Vocaléſque monemus, ut in omnium Superiorum & Officialium Religionis electionibus nil aliud, quàm Dei honorem, animarum ſalutem, Ordinis neceſſitatem, regulariſque diſciplinæ obſervantiam præ oculis habeant; nullúmque majus

majus obſequium ſe Deo præſtare arbitrentur, quàm ſi bonos, idoneóſque animarum Paſtores elegerint. Et ad hunc effectum in prima ſeſſione antequam ad electionem Miniſtri deveniatur, ex Decretis Clementis VIII. ſtatuitur, ut congregatos, recognitóſque Vocales Præſidens in hæc verba interroget: *Juratíne ſecundùm veritatem conſcientiæ veſtræ eum vos ad officium N. electuros, qui ad id magìs idoneus in Domino videbitur?* Vocales verò ipſi more Sacerdotum jurantes, pectori admoveant manum; quo ſigno præſtito, ſciant ſe juraſſe, proindéque Deo injuriam ſe facturos agnoſcant, ſi quid in ea electione contra rectæ conſcientiæ dictamen præſumpſerint. Ideo etiam, ne ignorantiam quicunque incuſare valeat, decernitur, ut immediatè Conſtitutiones de qualitate & requiſitis eligendorum, item de forma eligendi, & aliis ſingulis neceſſariis coram omnibus perlegantur; quod & in aliis omnibus electionibus uniuſcujuſque Religionis Prælati ſervandum eſt.

Clemens VIII.

Juramentũ Vocalium.

Conſtitutiones de qualitate eligendorũ legantur.

2. In electione itaque Generalis Miniſtri, Provincialium, Procuratòris Ordinis apud Apoſtolicam Sedem, Cuſtodum, Guardianorum, aliorúmque omnium Officialium, quibus aliquis adminiſtrationis, ſeu ſuperioritatis gradus ex electione accedit, ſtatuitur, ut omnes ſupradicti eligi debeant per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur; nec in poſterum liceat quoſcunque Superiores, aut Vocales titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere, aliàs electio irrita ſit, & electus, qui permiſerit eligi, deinceps ad omnia officia inhabilis exiſtat.

Concilii Tridentini vota ſecreta.

Abſentium vota non ſuppleantur.

3. Qui verò ad Prælaturas Ordinis concurrit, ● concurſu hujuſmodi non impediatur, etiamſi quibuſvis malis notis affectus foret, niſi eas per propriam confeſſionem accuſaverit, vel per facti evidentiam, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, eæ palàm omnibus conſtiterint, vel per ſui legitimi Judicis ſententiam, tribus ſaltem menſibus ante Capitulum latam, de eis convictus fuerit.

A concurſu ne no rejiciatur, vel qui.

4. Si quis autem decennio à perpetrata culpa immaculatè vixerit, neque pœna ipſi pro crimine impoſita productior fuerit, ad electionem, præfata culpa non obſtante, concurrere, in eáque eligi poſſit.

Culpa notari quando ab officiis non impediatur?

5. Natalium defectum patientes, quicunque hi fuerint, ad Prælaturas, gradus, & officia Ordinis inhabiles ſint, & in officiis tantùm Guardianatu inferioribus miniſtrare queant.

Spurii.

6. Si de alicujus Prælati, ſive Officialis electione dubium aliquod occurrat, in Capitulo Generali Generalis Miniſter cum Diffinitoribus, in Provinciali verò Provincialis item Miniſter cum Diffinitoribus infra unius naturaliter diei terminum per majorem Diffinitorii partem illud decidere teneatur, deciſioni verò, & reſolutioni hujuſmodi nemo penitus contradicere audeat; quòd ſi quis ſecus attentare præſumpſerit, utriuſque vocis, officii, & luci privationem irremiſſibiliter incurrat.

Dubia circa electiones quomodo diſcutienda

7. In ſcrutinio per ſchedulas hic ordo ſervandus eſt: unuſquiſque Elector de manu Præſidis ſchedulam unam accipiat; ſint autem multæ hujuſmodi ſchedulæ omnes uniformes, opportunéque paratæ. Accepta ſchedula, in loco ad id parato, ejus, quem eligere voluerit, nomen in ipſa ſub hac forma deſcribat: *Eligo Admodùm Reverendum Patrem Magiſtrum N. de N. in Generalem*, receptámque ſchedulam complicet, ita ut à nemine ante ejus aperitionem legi ullatenus queat, complicatámque demum in vas coram Præſide ſuper menſam paratum conjiciat. Peracta verò ſchedularum ſcriptione, ab ipſo Præſide in eodem vaſe confundantur, & miſceantur. Tunc verò omnes ter alta voce interroget: *Placétne vobis, ut numerentur ſchedulæ?* Quibus omnibus, nemine diſcrepante, ter reſpondentibus (*Placet*) numerentur, &, an ſuffragia ſuffragantibus paria ſint, obſervetur; ſi inæqualia videantur, tamdiu de errore diſquiratur, donec æqualia reperiantur, ſtatimque æqualitate reperta, qui electioni præeſt, omnes ter alta voce interroget: *Placétne vobis, ut aperiantur, & legantur ſchedulæ?* Quibus item, nemine opponente, ter reſpondentibus (*Placet*) mox coram omnibus aperiantur, & perlegantur; electio verò ultra naturalem diem nullatenus prorogetur.

Scrutinii ordo.

Schedulæ electionis.

Numeratio ſchedularũ.

Aperitio & lectio.

Electionis termini.

8. Pro lectione verò ſchedularum hujuſmodi duo, vel tres Fratres, qui Scrutatores appellantur, tamen de Diffinitorii corpore non ſint, quive minùs characteres agnoſcere judicabuntur, à Capituli Præſide, Diffinitorio annuente, ſeligantur.

Qui ſchedulas legent.

9. Electiones, quæ intra præfixum unius naturalis (ùt præfertur) viginti quatuor horarum diei tempus non fiunt, ad immediatum Superiorem, qui ordinatio

Electio diem tranſcendens.

nario jure, non autem delegato, electioni præeſt, ipſo facto devolvantur.

In electione quæ prohibentur.

10. Nemo in electione vocem ſuam alteri delegare, nec in una, eadémque electione duobus electivis votis ſimul potiri, neque ſe ipſum eligere ullatenus poſſit.

Rejecti.

11. Semel in ſuffragatione rejectus, ad idem iterum officium ea vice proponi nequeat. Ad officium tamen Guardianatus rejectus pro uno Conventu, pro alio tamen eadem vice proponi poſſit, ac de ſimilibus idem ſtatuitur.

Numerus incluſivus.

12. Qui vota affirmativa in electionibus ſupra medietatem habuerint, jure cenſeantur electi. Antequam autem comburantur ſchedulæ (quæ in quacunque electione ante publicationem ſemper comburendæ erunt) *An aliquis vel perſona electa, vel electionis modo opponere velit*, coram omnibus acclametur, nullo tamen opponente, hi legitimè cenſeantur electi, qui (ùt præfertur) plura affirmativa vota ſupra medietatem habuerint.

Si quis velit opponere, interrogetur.

Electionum libertas.

13. Electio Generalis Miniſtri, & Provincialium adeo libera ſit, ut nemo penitus proponatur. Si nullus tamen vota ſupra medietatem habuerit, iterum ferantur ſuffragia; quòd ſi nemo denuo ea ſupra medietatem receperit, ſi Generalis ſit, ad ſummum Pontificem; ſi verò Provincialis, ad Generalem Miniſtrum devolvatur.

Dum vota non excedunt medietatem, quid?

Diffinitorum, Cuſtodum, & Guardianorum electio per propoſitionem.

14. Electio verò Guardianorum, Cuſtodum, & Diffinitorum per balotationes (ùt ajunt) facienda eſt. Antequam tamen ad ſuffragia veniatur, congregentur omnes illius Provinciæ Diffinitores tam perpetui, quàm temporanei, ibique inter ſeſe de proponendis ad hujuſmodi munera aptis, idoneiſque Patribus diſcutiatur: proponátque alterum Provincialis Miniſter, alterum verò illius Cuſtodiæ temporaneus Diffinitor; quòd ſi propoſiti hujuſmodi inepti judicentur, alii proponantur, ac tandem, quinam in Diffinitione proponendi ſint, ſtabiliatur. In Diffinitione verò Capituli Præſidens ipſe duos jam ſtabiliros pro quolibet Conventu proponat; in Congregatione verò Capitulari Provincialis Miniſter, eadem forma ſervata, eos proponat: & qui ſupra medietatem plura affirmativa ſuffragia receperit, canonicè cenſeatur electus. Quòd ſi ex propoſitis nemo ſuffragia ſupra medietatem recipiar, Superior ipſe alios iterum duos ad idem officium proponere teneatur. Animadvertat tamen, ne cum apto & idoneo ineptum, ſive inhabilem nominet, ſed proponendi omnes ad illud onus laudabiliter exequendum idonei ſint.

De proponendis diſcuſſio.

Propoſitio.

Quando quis electus.

Dum neuter medietatem excedat, quid?

Præſidens habet votum electivum, & deciſivum.

15. Præſidentes electionibus electivum votum habeant, hoc tamen non obſtante, etiam deciſivum, ubi vota poſt ſecundum (ùt præfertur) ſcrutinium ſupra medietatem paria fuerint, habere poſſint; in eo tamen Capitulo ad quodcunque officium, & Prælaturam voce paſſiva penitus careant.

At non paſſivam vocem.

Officiorum pluralitas.

16. Nullus duobus ſimul officiis fungi, nec ad ipſa ſimul eligi poſſit; quapropter decernitur, ut nemo poſſit eſſe Provincialis Miniſter ſimul, & Guardianus, vel Procurator, Socius, aut Secretarius Ordinis: ſtatim verò ac quiſpiam ad aliquod eorum promotus fuerit, aliud officium eo ipſo exſpiraſſe cenſeatur. Quo caſu nec Generalis Miniſter ſine expreſſo Capituli Generalis conſenſu, & ſpeciali, eáque urgentiſſima cauſa diſpenſare valebit. Decretum hoc tamen non extenditur ad Provinciales Titulares, qui in aliis Religionis oneribus exercendi ſint.

Suffragia procurantes.

17. Ad coërcendum verò quorumdam ambitum, qui ad officia & Prælaturas Ordinis ſuffragia ſeu voces promiſſione, terrore, odio, paſſione, Principum aut Prælatorum favore, maximè verò cum ſimoniæ nota procurant, decernitur, ut felicis recordationis Clementis Octavi Decretum, quod inferiùs apponetur, inviolatè ſervetur.

De ſollicitantibus ſuffragia inquiſitio.

18. Qui verò Capitulo præeſt, ante electionem ſedulò de his ambientibus, diligentérque perquirat, ac ſi, quos juridicè vota hujuſmodi callidè, ambitioſéque procuraſſe compererit, carcere, aliiſque pœnis ſeverè puniat, juxta præfati Pontificis infraſcriptum Decretum. Videlicet:

Eorum pœnæ.

Clemens VIII.

Suffragiorũ procuratio prohibita omnino.

19. *Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa vel indirecta vocum ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præſertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicunque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à nobis, vel Succeſſoribus noſtris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porrò ſupradictas pœnas ad complices, & ſimpliciter ſcientes,*

Pœna.

Complices & ſcientes.

tes, & non revelantes extendimus. Hæc Clemens VIII.

Licita diſcuſſio de aptis ad munus.

20. Ob id tamen non interdicitur, quòd Miniſtri & Vocales ante electionem maturè, prudenter, ſinceréque abſque omni odio, & conventionibus inter ſeſe de bono Paſtore conſulere, ac tum privatim, tum publicè colloqui poſſint.

Indictio electionis.

21. In omnibus & ſingulis electionibus ad ſignum campanulæ Vocales omnes, ſeu Electores in præfixum locum conveniant, ibique coram omnibus officiorum, quibus de idonea ſubroganda, eligendáque perſona agendum eſt, publica denunciatio à Capituli Præſide fiat, trésque canonici termini ad deliberandum ſufficientes Electoribus aſſignentur.

Termini.

Vocalium diſcuſſio.

22. Fiat præterea ſingulorum Vocalium matura diſcuſſio, ter alta voce coram omnibus interrogante Præſide, *num adſit, qui alicui Vocalium opponere velit.* Si nullus opponat, omnes, ea diſcuſſióne facta, his verbis à Præſide legitimentur: *Abſolvo vos ab omni excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, & diſpenſo ſuper irregularitatibus ad hujus tantùm electionis effectum; vóſque legitimos Vocales declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

Habilitatio.

De modo & ordine Actionum Capitularium ante electionem Miniſtri Generalis.

TITULUS IV.

Spiritus ſancti imploratio.

1. FEria ſexta, quæ prima dies eſt infra Aſcenſionis Domini noſtri octavam, ſummo mane Miſſa de Spiritu ſancto ad ejus aſſiſtentiam invocandam ſolemniter celebretur, eáque peracta, ad Diffinitorii locum omnes, qui ſunt de corpore Capituli, immediatè ſe conferant, ibique dictis de more precibus, omnibus juxta gradum, dignitatémque ſedentibus, catalogus Patrum & Fratrum pro Capituli Generalis ſervitiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus deputatorum perlegatur. Catalogus autem, & Officiales hujuſmodi à Præſide Capitoli inſtituantur, io eóque omnes & ſinguli Officiales præfati, ut puta Guardianus Capituli, Moderator Chori, ſolemniter Comitiorum tempore celebrantes, Conciooatores, Cathedrantes, cáuſarum Auditores, Concionatorum, Confeſſatiorum, ad ſacros Ordines, & ad Religionis habitum Promotores deſcribaotur.

Tabula Capituli legatur.

Indictio primæ actionis.

2. Prælecto (ùt præfertur) catalogo, qui Capitulo præeſt, unumquemque ad munus ſibi impoſitum ſedulò perficiendum omni ſermonis efficacia adhortetur; deincépſque pro prima futura Capituli actione canonicos terminos ferat. Erit autem prima Capitularis Actio, Cuſtodum literas, eáque omnia, quæ Cuſtodes ad Capitulum referent, diligentiſſimè obſervare.

Quid ea continent.

3. Quoniam autem in præſcripto catalogo unum ex Eccleſiæ Altaribus ad Sacra facienda unicuique Provinciæ deſtinandum erit, in hanc præcipuè curam Provinciales Miniſtros incumbere opus eſt, ut quotidie à ſummo mane uſque ad meridiem ad Altare ſuarum Provinciarum Sacerdotes ſibi ſubjecti pro Religionis Beoefactoribus devotiſſimè celebrent, omnéſque ſibi ſubjectos Fratres ad populorum ædificationem, Chori frequentiam, ſæcularium negotiationum fugam ſæpiùs adhortentur.

Cura Provincialium circa celebrationem Miſſarum.

4. Ad confuſiones autem tollendas ſtatuitur, ut Capituli Generalis initio, lecto (ùt ſupra) catalogo, Secretarius Ordinis Provinciales omnes, ſingulóſque Vocales eo ordine, quem inter ſeſe juxta præſcribendum Decretum ſervare debuerint, in ſchedula diligènter deſcribat, eáque publico, conſpicuóque loco, quo à ſingulis legi poſſit, affigatur. Si quis autem Vocalium hujuſmodi præfatorum loca uſurpare, ſive etiam malitioſè occupare præſumpſerit, publicè à Guardiano Capituli corrigatur, & (ſi fuerit opus) puniatur.

Ordo inter Provinciales.

De diſcuſſione Cuſtodum Vocalium Capituli Generalis.

TITULUS V.

1. DIe itaque immediatè ſequenti, terminis à Capituli Præſide aſſignatis jam peractis, térque hora competenti debito intervallo pulſata campanula, pro diſcuſſione Cuſtodum ad deputatum Capituli locum Vocales omnes accedant; ibique Spiritus ſancti gratia de more implorata, Capituli Præſidens Cuſtodes omnes à Capituli Secretario debito ordine evocandos in medium accedere jubeat.

Seſſionis ordo.

2. Cuſtodes itaque cùm evocati fuerint, ſingillatim accedant, ſuæque electionis patentes (ùt ajunt) teſtimonialéſque literas proferant, hæ verò, poſteaquam coram omnibus perlectæ fuerint, ſi authenticæ ſint, ac juxta formam inferiùs ſuo loco præſcribendam, admittantur; ſin autem, rejiciantur, nullum-

Diſcuſſio.

Qui non admittendi, & qui recipiendi ſint Cuſtodes.

que jus præfatis Cuſtodibus ex literis hiſce rejectis accedat, ſed ipſi pariter à Capitulo, velut non legitimè inſtituti, pellantur. Admiſſis verò literis, an, qui eas protulit, omnes & ſingulas conditiones juxta URBANAS has Conſtitutiones in Cuſtodes Cuſtodum prærequiſitas habuerit, explorandum eſt; ſi non habuerit, admiſſis (ùt ſupra) literis non obſtantibus, ipſe nullatenus admittatur; ſi verò eas habuerit, quæ ad propriam ſpectabunt Provinciam (ùt infra Tit. *de Cuſtodis Cuſtodum Officio* præſcribetur) toti Capitulo ſingillatim proferat.

Vocales nominatim appellentur.

3. Antequam verò Capitulares Seſſiones incipiantur, Capituli Secretarius Vocales omnes & ſingulos nominatim appellet, iique, cùm appellati fuerint, reſpondeant: *Adſum.* Deinceps Decretum de non recedendo à Seſſionibus de mandato Præſidis publicetur. Nemini videlicet Vocalium ante completam Seſſionem, gratiarúmque actiones è Diffinitorii loco diſcedere abſque expreſſa Præſidis licentia ullo pacto licere. His peractis, qui Vocales non fuerint, dimittantur, Diffinitoriique januæ claudantur, nec per alium, quàm per Capituli Guardianum, quando fuerit opus, reſerentur.

A ſeſſionibus non recedant Vocales.

Totius Diffinitorii diſquiſitio.

4. Iis autem, quæ circa Cuſtodes Cuſtodum, Provinciáſque diſcutienda ſunt, abſolutis, ante Miniſtri Generalis electionem, num plena, legitimáque ſit Congregatio, à Præſide diſquiratur, ſi qui abfuerint, quinam ſint, & quanam fuerint occupatione detenti, perquiratur, & dignoſcatur. Poſt hæc autem Capituli Præſidens omnes, ſingulóſque præſentes Vocales à cenſuris abſolvat, votáque omnia (ùt ſupra Tit. III. n. 22. decretum eſt) eáque forma legitimet.

De oratione quadraginta horarum ante electionem Generalis Miniſtri inſtituenda.

TITULUS VI.

Inſtitutionis tempus, & modus.

FEria quinta ante feſtum Pentecoſtes manè hora competenti Fratres omnes tam Vocales, quàm non Vocales in Eccleſia congregentur, adsintque Miſſæ de Spiritu ſancto, quam Miniſter, aut Vicarius ipſe Generalis, vel alius, eo jubente, ſolemniter cantabit, eáque abſoluta, ſtatim quadraginta horarum ſolemnis oratio inſtituatur. Sacerdotes omnes eodem pariter die Miſſam de Spiritu ſancto celebrabunt, & qui non fuerint Actibus Capitularibus legitimè impediti, omnes, juxta Provinciarum ordinem in tabella publicè affigenda conſcribendum, alternatim per vices bini ſuperpelliceo induti in ſingulas horas orationi aſſiſtant; quotidie verò in ſero prædicta oratio concludatur, cunctiſque Fratribus ad ſignum præfixum proceſſionaliter convenientibus, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum reponatur juxta formulam in noſtro Cæremoniali præſcriptam.

Sacerdotum, & cæterorum preces.

De qualitatibus Miniſtri Generalis.

TITULUS VII.

1. AD Præfecturam Generalatus is minimè aſſumendus eſt, qui actualiter ſit, vel immediatè fuerit Generalis Religionis Miniſter, niſi poſt triennium abſoluto Officio. *Inter ejuſdem electiones ſit intervallum.*

2. Inter cæteras Generalis Miniſtri eligendi qualitates ea quidem prima eſt, ut eo ſit ornamento inſignis, ut ſubditos ad eaſdem ſibi virtutes ſtudioſè comparandas ſuimet exemplo inſtituat, & alliceat. *Sit vir inſignis.*

3. Ipſe charitatis præcipuè, humilitatis, patientiæ, manſuetudinis, fortitudinis, cæterarúmque virtutum ſplendore præfulgeat, tantáque modeſtia, affabilitate, atque familiaritate noverit ſibi ſubjectos gubernare, ut non Prælatus, ſed omnino ſervus & ſubditus eſſe videatur; & cùm aliàs ſit omnium Dominus, ac Reverendiſſimus Pater, non ſe tamen Religioſis, ſeu Religioſorum Dominum, ſed Miniſtrum & ſervum juxta Regulam eſſe meminerit: séque Fratrum neceſſitatibus promptè inſervire debere ſedulò arbitretur, ac ſciat. *Qualitates, & virtutes ejus.*

4. Accedat doctrina & ſcientia, quæ licèt præferenda non ſit prudentiæ, ea tamen præditus eſſe debet. *Doctrina.*

5. Illius autem ætatis, quæ quadrageſimum ſuperet, nec ſeptuageſimum annum excedat, viribus validus, robuſtiorique corporis habitudine firmus. *Ætas.*

6. Illius ad ſpiritualem vitam propenſionis, ut in ſpiritualibus rebus non vulgariter fuerit exercitatus. *Spiritualitas.*

7. Ejúſque probitatis morum, ac vitæ integritatis, ut nullum habeat canonicum impedimentum. *Integritas.*

8. Quæ ſanè conditiones & qualitates in ipſis etiam Provincialibus, aliiſ- *Extenſio ad alios Superiores.*

que

que reſpectivè Superioribus (quantùm fieri poterit) deſiderantur.

De Syndicatu Miniſtri Generalis habendo, & aliis ad Seſſionem pertinentibus.

TITULUS VIII.

Syndicatus indictio.

1. FEria ſexta ante Pentecoſtes, omnibus, ſingulisque Vocalibus ad deputatum Diffinitorii locum convenientibus, Præſidens Capituli, facto priùs (ſi fuerit opus, opportunúmque judicabitur) cohortationis verbo, Generali Miniſtro Syndicationem juxta Conſtitutiones de illo faciendam indicet. Generalis verò Miniſter, ut in ejus adminiſtratione, moribúsque liberiùs agi poſſit, útque nullus accuſandi libertate careat, à Diffinitorio ſtatim diſcedat.

Objectionum productio.

2. Singuli itaque poſt Generalis Miniſtri diſceſſum, quidquid gravius deferendum de ejus erratis habeant, per literas authenticas à Provinciis tranſmiſſas, quæ inſuper, qualéſve fuerint accuſationes delatæ fuerint, ſi notabiles exceſſuum accuſationes bona fide, Dei tantùm honorem zelantes manifeſtare teneantur; ſi notabiles exceſſuum accuſationes delatæ fuerint, Provinciarum hujuſmodi literæ publicè in Diffinitorio perlegantur. Perlectis autem literis, Generalis ad Diffinitorium revocetur, eique literarum & accuſationum ſubſtantia exponatur, ſuámque tuendi cauſam abſoluta facultas concedatur. Afferat ille ad ſui defenſionem, quaſcunque voluerit potiores rationes, hisque productis, è Diffinitorio iterum egrediatur. Generali Miniſtro egreſſo, accuſationes ſimul & defenſiones diligentiſſimè conferantur, nihilque improbatum, indiſcuſſúmque relinquatur.

Defenſiones audiantur.

Miſſa de Spiritu ſancto.

3. Sabbato demum Vigilia Pentecoſtes ſummo mane poſt primam Miſſam à Capituli Præſide Miſſa de Spiritu ſancto ſolemniter celebretur, eique Fratres omnes tum Vocales, tum non Vocales dato ſigno intereſſe teneantur, ſingulisque Electoribus, qui non celebraverint, ab eodemmet celebrante ſacra Communione refectis, expletáque Miſſa bini & bini de more præintonatum hymnum: *Veni Creator Spiritus* devotè cantantes, ad Diffinitionis locum accedant. Hymno cantato, ſoliti verſiculi & oratio devotiſſimè pariter recitentur. Expleto cantu, cunctis attentè audientibus, Capituli Præſidens ſermonem ad Fratres (prout magis expedire judicaverit) habeat; eóque demum abſoluto, omnes, qui Vocales non fuerint, à Diffinitorio excludantur, ejúsque januæ à Capituli Guardiano, aliquibus ejus Conventus diſcretis Patribus ſecum aſſumptis, diligentiſſimè claudantur, ſedulóque cuſtodiantur. Exeat & Generalis Miniſter, Syndicationis actibus expletis, mox reverſurus. Præcipitur autem prætera ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, ne Guardianus Capituli, aut alius, quicunque is fuerit, comeſtibile quidquam Vocalibus hujuſmodi in Diffinitorio recluſis, donec Generalem Miniſtrum elegerint, ullatenus afferre præſumat.

Proceſſio ad locum Capituli.

SermoPræſidis.

Comeſtibilia non inferantur in locum Diffinitorii.

4. Primùm verò, poſteaquam Electores in Diffinitorio recluſi fuerint, ad inceptæ Syndicationis actum procedatur. Præſidens itaque Capituli ſententiam, & ſingulorum vota, quæ conſcribenda, palámque legenda erunt, perquirat, ac juxta majoris Capituli partis ſententiam, ad correctionem, vel liberationem Generalis deveniatur. Auditis propterea (ùt præfertur) Vocalium votis, Generalis Miniſter in Diffinitorium revocetur, Ordinis ſigilla Præſidenti Capituli publicè reddat, officio ſuo renunciet, & coram Vocalibus præfatis de ſuis negligentiis & erratis culpam humiliter dicat, ſtatimque, ſi corrigendus ſit, corripiatur; ſi verò commendandus, à Præſide commendetur; móxque ab officio abſolvatur his verbis: *Abſolvo te ab officio tuo, in nomine Patris, & Filii* &c., atque ad Generalis Miniſtri electionem deveniatur.

Syndicationis complementum.

Renunciat Officio Generalis.

Abſolvatur ab Officio.

5. In eo verò Generali Capitulo, ſi Generalis Miniſter ex Syndicatione liber evaſerit, omnibus aliis actibus, electionibus, & Diffinitionibus adeſſe, vocémque habere, ac etiam (niſi Præſidens Apoſtolicus adſit) in ſui Succeſſoris electione liberè, licitéque præſidere poſſit, & valeat.

Actibus Capitularibus quando intereſſe poteſt.

6. Quandocunque autem Generalis Miniſter è Diffinitorii loco egreditur, vel ingreditur, aut cauſam ſuam tuetur, vel culpam dicit, omnes (ùnico duntaxat excepto Capituli Præſide) detectis capitibus ſtare, eique reverenter aſſurgere teneantur.

Reverentia Generali renunciantì debita.

De Miniſtri Generalis electione.

TITULUS IX.

1. ABſolutis his, quæ de Syndicatu decreta ſunt, ſi Capituli Præſidens non fuerit extra Ordinem ab Apoſtolica Sede deputatus, ſed vel ipſe Generalis Miniſter, vel ex noſtris alius quiſpiam electioni præſideat, ut electio ipſa cano-

Præſidens, ſi ex noſtris ſit, abſolvatur.

canonicè magis, ritéque procedat ab eo, qui poſt ſe primus ſedet, ad cautelam duntaxat à quacunque cenſura abſolvatur, & ab irregularitatibus diſpenſetur, ac iterum Vocales omnes juxta formam ſuperiùs Tit. III. num. 22. deſcriptam abſolvat; mox omnibus, ſingulisque Vocalibus ſtantibus, Secretarius Ordinis ſingulos Provinciales juxta Provinciarum ordinem nominet. Hi verò, prout nominati fuerint, ſe adeſſe reſpondeant. Cuſtodes item à Secretario Ordinis juxta Provinciarum dignitatem, ordine inferiùs præſcribendo non ſecùs ac Provinciales appellentur. Ordo verò, ſive Provinciarum dignitas ita ſervetur. Videlicet

Abſolutionis univerſalis repetitio. *Vocales nominatim recenſeantur.*

PROVINCIA

Ordo inter Provincias.

Sancti Franciſci	Argentinæ
Romæ	Marchiæ
Sancti Antonii	Sancti Nicolai
Bononiæ	Mediolani
Neapolis	Tuſciæ
Siciliæ	Januæ
Sancti Bernardini	Leodii
Calabriæ	Romaniæ
Sancti Angeli	Auſtriæ
Sardiniæ	Bohemiæ
Dalmatiæ	Orientis
Sancti Bonaventuræ	Tranſilvaniæ
Sancti Ludovici	Terræ Sanctæ
Occitaniæ	Angliæ
Poloniæ	Hiberniæ
Ruſſiæ, & Lithuaniæ	Saxoniæ
Styriæ, & Carinthiæ	Daniæ
Coloniæ,	Hungariæ.

Poſt nominationem verò felicis recordationis Clementis Octavi Decretum ſuperiùs poſitum Tit. III. num. 19. perlegatur, inviolabilitérque ſervetur. Perlegantur etiam Conſtitutiones de Qualitatibus Generalis Miniſtri, ut ſupra Tit. VII.

2. Demum cùm in Generalis (ùt præfertur) electione ſuffragia ab Electoribus ferenda ſint, Capituli Præſidens tot ante ſe paratas habeat ſchedulas utraque facie albas, & nullo pacto, ſeu quovis modo conſcriptas, quot fuerint Electores, ſeu Vocales. Hi verò bini & bini ordine jam præſcripto evocentur.

Schedulæ.

3. Unica de manu Præſidentis accepta ſchedula (ùt ſuperiùs decretum eſt) ad menſam ejus longitudinis, latitudinisque, ut alter alterius ſcriptionem legere nequeat, in medio Diffinitorii ad hunc duntaxat effectum paratam accedant, móxque juxta formam ſuperiùs traditam, nomen, & Patriam ejus, quem eligere voluerint, intelligibili manu deſcribant; deſcriptáſque, ac complicatas ſchedulas Præſidenti Capituli ſinguli reddant, qui eas in urnam ante ſe poſitam publicè, patentérque conjiciat.

Earum diſtributio. *Voti conſcriptio.*

4. Sehedularum ſcriptione peracta, duo vel tres extra Diffinitorium Scrutatores, ſive præfatarum ſchedularum Lectores adhibeantur.

Scrutatores

5. Poſtea excutiatur urna, ſuffragia miſceantur, ſchedulæ confundantur, deincepſque ſingulæ numerentur, & (ùt ſupra decretum eſt) an paria ſint, perquiratur. Æqualitate reperta, unamquamque illarum ſeorſim apertam alter Lectorum alta voce, clarè, & diſtinctè coram omnibus legat, eandémque alter alta pariter voce coram omnibus repetat; quoad omnia verò ordo ſuperiùs præſcriptus Tit. III. reſpectivè ſervetur.

Numeratio, & publica lectio.

6. Interim, dum ſchedulæ perleguntur, Capituli Secretarius unumquodque ſuffragium ſua ſcriptura excipiet, electi nomen prænotando, quod & à diverſis Diffinitoribus (tribus ſaltem) à Præſidente Capituli deſignandis pariter fiat.

Suffragiorũ notatio.

7. Perlectis demum ſchedulis, ùt ſupra, quiſnam ritè, canonicéque fuerit electus, juxta ſuperius Decretum judicetur, omnibúſque ſequenti ordine publicetur.

Electus publicetur.

8. Primùm Diffinitorii januæ aperiantur, Capituli campanula, omnéſque deinde campanæ Conventus pulſentur, omnibúſque in Capitulo exiſtentibus congregatis, Secretarius in altum conſcendens, electionem factam ſub hac verborum formula plena voce enunciabit.

Publicationis ordo, & Publicator.

Formula publicationis poſt novi Generalis electionem faciendæ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Anno Domini milleſimo &c. die &c. menſis &c. Ego Frater N. nomine meo, & nomine omnium, ad quos juxta Regulam in præſenti Conventu N. Civitatis N. legitimè in Spiritu ſancto congregatos electio Generalis Miniſtri pertinet, nomino, & publico in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Minorum Conventualium ſancti FRANCISCI Reverendiſſimum Patrem N. de N., in quem major Vocalium pars, ſcilicet (numerus) *favorabilibus votis conſenſit,* (vel) *omnia vota, dempto uno, conſenſerunt, ſicque legitimè electum omnibus denuncio. In nomine Patris &c.*

9. Quo facto, ſtatim à Cantoribus intonetur *Te Deum laudamus*, & tunc præcedente

Proceſſio poſt electionem.

cedente Cruce cum Acolythis ad Eccleſiam omnes proceſſionaliter pergant, ubi expleto hymno, ſi Generalis electus præſens fuerit, ſtatim ambabus ſuper Miſſali extenſis manibus coram Altari majori flexis genibus in manibus Præſidentis Capituli teneatur Fidei profeſſionem cum juramento alta, intelligibilique voce ſequenti forma emittere.

Formula Profeſſionis Fidei à Miniſtro Generali electo emittendæ cum juramento:

Profeſſio Fidei.

EGo Frater N. Generalis Miniſter Ordinis Fratrum Minorum Conventualium firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, videlicet

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium: & in unum Dominum JEſum Chriſtum Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm Scripturas, & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas: Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum; & exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquáſque ejusdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè Sacramenta novæ Legis à JEſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia, ſingulis neceſſaria, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illáque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deum verum, proprium, & propitiatorium pro vivis atque defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, fieríque converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam converſionem Eccleſia Catholica Tranſubſtantiationem *vocat. Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi: conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animáſque ibi detentas Fidelium ſuffragiis adjuvari. Similiter & Sanctos unà cum Chriſto regnantes venerandos, atque orationes pro nobis DEO offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas firmiſſimè aſſero.*

Imagines Chriſti, & Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam, Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarúmque uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanóque Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro: Cætera item omnia à ſacris Canonibus, Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimúlque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum. In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, deſtitutionibus, & repulſionibus faciendis de perſonis dicti Ordinis fideliter ſecundùm Deum, & Regulam beati Franciſci, purámque & rectam conſcientiam in me habebo, ac toto meæ gubernationis tempore (quantùm in me fuerit) adnitar ſtudioſiſſimè, ut Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum obſervantia in Religione exquiſitè vigeat, ita ut de cultu divino, & de regulari diſci-

plina, ſi quid ad meliorem formam redigendum comperero, non patiar, ut cura mea, labor, ſtudium, & induſtria deſideretur.

Preces dicendæ. *Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.*

Obedientia præſtanda. 10. Peracta Fidei Profeſſione, Generalis Miniſter electus ad Altare majus accedens, conſuetas preces, ac orationes dicat, ſtatimque ſedens, univerſos Fratres obedientiam ſibi præſtantes amplectatur, quo interim Cantores Antiphonas, & Hymnos, prout in Rituali noſtro habetur, ſolemniter caotent.

Electionis nuntius ad Pont. 11. Licet autem Generali Miniſtro electo alia confirmatione opus non ſit, nihilominus ſi Generale Capitulum extra Urbem celebretur, poſt electionem factam, Nuntius ad Summum Pontificem, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales totius Capituli nomine cum literis electionem ipſam, aliáque Capituli geſta, & gratiarum actiones referentibus deſtinetur.

Si electus Generalis abſens fuerit quid? 12. Si verò Generalis Miniſter electus abſens fuerit, electionis ſuæ accepto decreto, præſente ejus loci, ubi eum eſſe contingat, Fratrum Conventu, fidei profeſſionem, cum juramento præſcripto in manibus Superioris illius Provinciæ ſtatim emittere teneatur, móxque Generalatus Officio, ac poteſtate plenè, abſolutè, legitiméque fungatur, & gaudeat.

Si multum abſens ſit Generalis electus quis ejus vices gerat? 13. Si autem Generalem Miniſtrum noviter electum longius extra Italiam abeſſe contigerit, donec hujuſmodi electionis de ſe (ut præfertur) factæ decretum accipiat, Præſidens ipſe Capituli, ſive Vicepræſidens ab ipſomet inſtitutus, aut alius quiſpiam à Sede Apoſtolica deputatus plenariam gubernandi Ordinem facultatem, ac poteſtatem habeat. Quòd ſi infra triennium Generalem Miniſtrum ſic infirmari contingat, ut de vita ipſius ſuſpicari rationabiliter poſſit, coram Socio, & Secretario Ordinis, item illius Provinciæ (ſi aderit) Provinciali Miniſtro, ejus Conventus Guardiano aliiſque nonnullis diſcretis ejuſdem Conventus Patribus Sigilla Ordinis, cæteráque omnia, quæ ad Religionem ſpectaverint, fideliter reſignare teneatur. Eáque in arca trium clavium à dictis Patribus conſerventur, & uſquequo per Apoſtolicam Sedem de Apoſtolico Vicario proviſum fuerit, fideliſſimè aſſerventur.

Si Generalis vitæ in diſcrimine ſit, quid faciendum?

14. Quicunque tamen Ordinis regimini Apoſtolica fuerit authoritate præpoſitus, ſi Generalis Miniſter ante Feſtum Sancti Michaelis Menſe Septembris obierit, Miniſtrorum, & Cuſtodum univerſitati ejus obitum ſignificare, futurique Capituli Generalis pro Feſto Pentecoſtes proximè ſequenti celebrationem abſque ulla dilatione intimare, ad eámque Vocales, & Electores omnes convocare teneatur. Si verò præſcripto Sancti Michaelis Feſto tranſacto, Generalis deceſſerit, ejus duntaxat obitum ſingulis Provincialibus Miniſtris denunciet, Generale tamen Capitulum ad annum proximè ſequentem (niſi tamen eo anno celebrari debuiſſet) differatur. Eóque loco, ubi à Generali Miniſtro præterito Capitulo fuerat intimatum, niſi Summus Pontifex aliter expedire judicaverit, celebretur. Obeunte Generali quando celebrandum Capitulum.

15. Vicarius autem Generalis hujuſmodi eadem prorſus authoritate poteſtate, favoribus, honoribúſque & privilegiis, aliiſque indultis; quibus Generalis Miniſter fruebatur, quouſque novi Generalis electio compleatur, & ipſe liberè, abſolutè, ac plenariè perfrui poſſit, & valeat. Vicarii Generalis auctoritas.

16. Id ipſum in quacunque extra Capitulum vacatione, ſive per mortem, ſive per renunciationem, ſive per promotionem, ſive alia quacunque ex cauſa occurrat (niſi tamen aliter Summus Pontifex judicaverit) inviolatè ſervetur. Idem ſervandum, ſi aliter vacet Generalis Offic.

De his, quæ poſt Miniſtri Generalis electionem agenda ſunt.

TITULUS X.

1. Generalis Miniſter electus, ubi primùm commodè fieri poterit, poſt exhibitas DEO debitarum gratiarum actiones in loco Capituli Fratres omnes ad regularis vitæ cultum, Populorum ædificationem, ad exactam Conſtitutionum obſervationem, Religioniſque ſplendorem efficacioribus verbis omni charitatis ardore cohortetur, profanas pompas, vanas acclamationes, immodeſtos quoſcunque actus contemnat, ſeveréque damnet. Æternam benedictionem iis impertiat, qui ſanctè in Ordine, & laudabiliter vixerint, fideliterque in ſua vocatione perſeveravrint; Apoſtatis verò (ſi qui fuerint) æternam maledictionem nominatim etiam, niſi reſipuerint, comminetur. Generalis electi ſermo.

De

De Auditoribus cauſarum, & Promotoribus Capitularibus.

Titulus XI.

Auditorum Deputatio, & poteſtas. 1. Generalis ad arbitrium ſuum in Capitulo Generali quatuor, aut plures eliget Provinciales Miniſtros, ſeu alios ex Patribus prudentes, rerúmque experientia inſigniores, quibus in duas Claſſes diſtinctis, Provinciarum, Regionùmque ratione habita cauſas omnes, tàm civiles, quàm criminales tum Fratrum, tum ſæcularium ad Capitulum quomodolibet ſpectantes cognoſcendi poteſtas, & cura demandetur. Hique cauſarum propterea Auditores appellentur.

Civiles cauſæ terminentur. Determinatio libro notetur. 2. Civiles cauſæ ſtatim tranſigantur, ac decidantur, deciſiones verò in peculiari libro, ad hunc duntaxat effectum deſtinato, conſcribantur, propriarúmque ſingulorum Auditorum hujuſmodi manuum ſubſcriptionibus firmentur.

Criminalium judicium ad Generalem ſpectat. 3. Criminales autem, poſtquam diligenter cognitæ fuerint, ſedulóque ab ipſis Auditoribus examinatæ, ad Generalem Miniſtrum reiiciantur, eique Auditores ſuos ſenſus aperiant, tum verò Generalis Miniſter diffinitivam ex inſtituto ſententiam ferat, quoſvè innocentes repererit, abſolvat, quos autem culpis obnoxios, reos declaret, & puniat.

Cauſæ ad Provinciales pertinentes. 4. Præſenti tamen decreto ſtatuitur, ne quis cauſas quaſcunque, quæ in Capitulo Provinciali, vel per ipſum Provincialem Miniſtrum expediri poſſunt, ad Generale Capitulum, ſeu cauſarum Auditores hujuſmodi transferre, ſive traducere audeat. Qui ſecùs fecerint, non modò non audiantur, ſed pro temeritate ad Generalis arbitrium puniantur.

Appellationum admiſſio. 5. De appellationibus autem, quæ in Capitulis, tàm Generali, quàm Provincialibus ſæpius à quibuſdam interponi ſolent, decernitur, ne quoad effectum devolutivum impediantur, quoad effectum tamen ſuſpenſivum omnino tollantur; Ita ut appellatione quacunque non obſtante, omnia ſinguláque Capituli acta perficiantur, deincépſque ſi minuùs canonicè facta fuerint, Generalis Miniſter cognoſcat, ac prout de jure diffiniat. Idem decernitur, ſi fortè fieret ad Summum Pontificem, & Apoſtolicam Sedem appellatio. Contingit enim interdum aliquos reperiri, qui ex quacunque cauſa appellationes hujuſmodi interponunt, ſicque omnia in Capitulis pertractanda perturbare, & inania reddere conantur: quod cùm non ſine magno ordinis detrimento, ac dedecore fieri poſſit, ad horum pervicaciam retundendam decretum hoc ſancitum eſt, quod ab omnibus omnino ſervandum eſſe mandamus. Appellationum pertinacia tollenda.

6. Capituli Generalis perdurante tempore omnes Auditores præfati ad cognoſcendas, examinandáſque cauſas quotidiè congregentur; In eorum ſententiis proferendis per ſuffragia ſecreta ſemper procedant. Auditores inſuper Apoſtatarum eodem modo deputentur. Ordo cognitionis cauſarum. Cauſæ Apoſtatarum.

7. Examinatores præterea ad Verbi DEI prædicationem, ad Confeſſiones audiendas, ad ſacros Ordines, & ad habitum Religionis promovendum inſtituantur. Horúmque munus ſit cauſas cognoſcere, ad examen ſinguliS Capituli diebus convenire, & illud, cùm opus fuerit, exercere, omniáque, & ſingula propriis manibus adnotare, eáque adnotata ad Generalem Miniſtrum pro diffinitiva reſolutione deferre. Promotores & Examinatores Capitulares.

8. Ad Ordinationes autem, ſive Gymnaſiorum diſpoſitiones ſex item Regentes præcipui, ſeu alii idonei Patres ad Generalis arbitrium deſtinentur, iſti verò, prout occaſio poſtulaverit, debitis horis quotidiè Capituli tempore congregati ea, ad quæ deſtinati ſunt, exequantur, & executiones factæ in peculiari libro adnotentur, propriiſque exequentium manibus ſubſcribantur, & Generali Miniſtro tradantur. Pro ſtudiis. Eorum munus.

9. Tres itidem ex inſignioribus Ordinis Patribus ſtatus omnium Religionis Conventuum Reviſores deſtinentur. Singuli verò Provinciales Miniſtri ſingularum Provinciarum ſtatum, ut ſuperiùs decretum eſt, ad eos ſummatim deferre teneantur. Ratiocinatores Capitulares.

10. Quibus benè viſis, & ab hujuſmodi Reviſoribus conſideratis, de his omnibus Generalem Miniſtrum certiorem faciant, ipſéque prout meliùs judicaverit, arbitrio ſuo juxta Conſtitutionum decreta diffiniat. Deciſio Generalis.

De Procuratore Generali eligendo.

Titulus XII.

1. Poſt Miniſtri Generalis electionem diebus proximè ſequentibus, quoad Generale Capitulum perduraverit, om- Vocales excluſi.

omnes, & ſinguli Religionis Diffinitores, unacum Præſidente Capituli Generalique Miniſtro ad Diffinitorii locum, ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio (ut decet) præmiſſo, ſignóque dato, de aliis quoque rebus, & electionibus tractaturi conveniant. Cuſtodibus tamen Provinciarum, itémque ſacri Aſſiſienſis Conventus Cuſtodes, Sanctorum duodecim Apóſtolorum de Urbe, ac etiam Capituli Generalis Guardianis, qui in electione duntaxat Generalis Miniſtri Electores exiſtunt, exceptis.

Seſſio hujus electionis.

Conveniant ad locum.

2. Feria itaque ſecunda, ubi (prætermittendis de more, ut ſupra præmiſſis) ad ſolitum Diffinitorii locum convenerint, de Procuratoris Ordinis electione agatur.

Procuratoris Ordinis Syndicatio.

De ſubrogatione alterius vel confirmatione diſceptatio.

3. Ad nutum igitur Præſidentis, qui aliqua priùs, ſi videbitur, de electione hujuſmodi verba faciat, Procurator Ordinis tunc exiſtens aſſurgat, & coram illos genuflexus palam de ſuis erratis, ac negligentiis humiliter ſe ipſum accuſet, itémque ad Præſidentis mandarum è Diffinitorio egrediatur. Egreſſo Procuratore Ordinis, an adſit, qui adverſus Procuratorem quidquam habear deferendum, trina proclamatione interroget, ſicque cum cæteris circa Procuratoris vitam, mores, merita, qualitates examinet, maturéque diſcutiat, & an hujuſmodi Procurator ſecunda vice ſit adſumendus, an potiùs cum alterius ſubrogatione amovendus, de Diffinitórum conſilio determinet.

Si pœnas mereatur quid agendum.

4. Si quid verò probetur, quo puniendus ſit, ad idem Officium ſecunda vice illum aſſumere, eique in Diffinitorio locum dare minimè liceat, deinceps benè conſideratis, probatiſque cauſis ob quas pœnis afficiendus fuerit, eis prout de jure plectatur.

Si nihil contra actū ſit ſuo loco ſedeat &c.

5. Cæterùm ſi nulla correctionis, nulláque punitionis aderit cauſa, ad Diffinitorium revocetur, ſolito ſuo loco inter alios ſedeat, vocémque activam in Officialium electionibus, aliiſque capitularibus actionibus legitimè habeat.

Diffinitorii accurata diſquiſitio.

6. Antequam igitur ad novi Procuratoris Ordinis electionem deveniatur, cauſæ, ob quas prior eſſet deponendus, juxta harum Conſtitutionum Decreta inferiùs poſita Tit. ſequenti coram omnibus perlegantur, ſedulóque animadvertant Electores, ne iiſdem cauſis detentum, convictum, ſeu convincendum denuò eligant, aliàs electio eo ipſo irrita ſit, & nulla.

De cauſis depoſitionis Procuratoris Ordinis.

Titulus XIII.

Vitæ relaxatio.

1. Sunt autem potiſſimæ, & ſufficientes ejus amotionis cauſæ, quando ſcilicet, timore Domini poſtpoſito, vitam ſolutiorem duceret ab inſtituto religioſo alienam.

Reformationis negligentia.

2. Quando ipſe præ cæteris irreformatus reformationis Ordinis totis viribus non faverit, & à regularis diſciplinæ obſervantia aberraverit, & ad eam promovendam operam ſuam fideliter præſtare coram Summo Pontifice; & Cardinalibus apertè neglexerit.

Circa cauſas ordinis incuria.

3. Quando in rebus Ordinis ita remiſſus fuerit, ut ex ipſius negligentia, & incuria aliquid contra Ordinis libertatum impetratum fuerit, vel aliquod privilegium ablatum.

Conv. ablationis permiſſio.

4. Quando (non faciendo quod in ſe eſt) Conventus à Miniſtrorum Religionis obedientia auferri permiſerit.

Tranſgreſſionum circa venientes Romam toleratio.

5. Quando abſente Generali Fratres vagos, & diſcurrentes, qui ſine legitima Superiorum licentia ad Urbem venerint, debitis modis non ejecerit, ac puniri curaverit.

Bonorum defraudatio.

6. Quando in adminiſtratione pecuniarum, aut expenſarum fraudem aliquam commiſerit, vel aliàs dolo, aut lata culpa in ea re deliquerit.

In Generalem conſpiratio.

7. Quando contra Generalem Miniſtrum conſpiraverit, aut conſpirantes non revelaverit, & puniri curaverit.

Super culpas Procuratoris Ord. invigilatores.

8. Quamobrem mandatur Miniſtro Provinciæ Romanæ, & Guardiano Romæ, ut ſuis literis Generalem (fortaſſe abſentem) illicò moneant, ſi Procurator in jam dictas, vel ſimiles culpas incidiſſet. Si verò tam Provincialis, quàm Guardianus prædicti in hoc negligentes ſe præbuerint, ab officio ſuo per ſex menſes ſuſpendantur.

Depoſitio ab Officio.

9. Miniſter verò Generalis juridico proceſſu formato deponere poteſt Procuratorem de prædictis, & aliis culpis accuſatum, & alium ſubrogare, ſicuti etiam, ſi Procurator aliquo longiori morbo detineretur, aut aliàs ſic impedite-

Subrogatio alterius.

diretur , quominus ſuo muneri utiliter ſatisfacere poſſet , per eundem Miniſtrum Generalem alius ſufficiens , & idoneus ſubrogandus erit , qui Coadiutor appelletur , & ceſſante infirmitate , vel impedimento , illius etiam ſubrogatio ceſſet.

In caſu mortis ſubſtitutio alterius. Ejus nomẽ & duratio

10. Similiter decernimus , ut Miniſter Generalis poſſit (ſi mori contingat Procuratorem) conſulto Protectore , & Aſſiſtentibus , in ejus locum alterum idoneum ſubſtituere , & ſubſtitutus , vel cauſa mortis , vel cauſa depoſitionis propter aliquod crimen Procurator item appelletur , & in eo Officio uſque ad Capitulum Generale permaneat.

Unicus Procurator, vel quando geminatur.

11. Volumus autem , ut ad evitandam diſcordiam unus tantùm ſit Procurator , non autem plures , niſi pro Ultramontanis Provinciis alterum conſtituere neceſſe ſit.

De qualitatibus Procuratoris Generalis.

TITULUS XIV.

Qui eligi non poſſit.

1. IN electione Procuratoris Ordinis ſciant Electores ad hoc Officium aſſumendum non eſſe , qui ſecundo triennio antea confirmatus eſt , niſi ab eo Officio abſoluto triennium aliud ſine officio tranſegerit , ſed alium in nomine Domini eligendum eſſe , virum ſcilicet prudentia præditum , doctrina conſpicuum , rerum uſu probatum , negotii gerendis aptum , fidelem , promptum , ſollicitum , bonæ famæ , amabilem , affabilem , qui conſpectui Summi Pontificis , & Cardinalium apparere poſſit , qui Religionis muneribus , & omnibus , quæ exercuit , laudabiliter functus fuerit , qui non ſit cupidus , & ambitioſus , paratus pro Republica Ordinis , & pro obſervantia , & defenſione Regulæ , & Conſtitutionum noſtrarum omnia perpeti incommoda. Ætatis ſit quadraginta annorum , vel circa , qui & latini ſermonis facundia , & elegantia polleat , quippe in Capella Sanctiſſimi Orationem habere , & in loco Sapientiæ Romanæ promovendos ad Sacræ Theologiæ Doctoratum examinare valeat. In Regularium materiis exercitatus , ad caſus occurrentes enodandos aptus , & idoneus.

(Margin: Qualia debeat. — Ætas. — Eloquentia — Doctrina.)

De electione Procuratoris Ordinis.

TITULUS XV.

Suffragia electionis.

1. PRælectis cauſis depoſitionis , itémque titulo de qualitatibus , pro ejus electione ferantur ſuffragia. In quem verò ſupra medietatem vota conſenſerint , is Procurator Ordinis jure cenſeatur electus.

2. Decernitur tamen , ut Procuratori Ordinis ſtatim electo nondum autem confirmato decreta omnia , quæ infra de authoritate , & Officio Procuratoris Ordinis ſtatuuntur , perlegi debeant. Eáque jurejurando obſervaturum ſe ſpondeat , alioquin electio irrita ſit , & nulla , nullúmque robur , aut vigorem obtineat. Quid jurare debeat.

Formula Profeſſionis , & juramenti Procuratoris Ordinis.

EGO Frater N. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium , & Reverendiſſimi Patris Generalis Miniſtri in Romana Curia Procurator electus promitto eſſe fidelis dicto Ordini , & Reverendiſſimo Patri Generali , ac ejus Officio , & Succeſſoribus canonicè intrantibus , in ſumendis , proſequendis , & defendendis cauſis omnibus commiſſum mihi Officium tangentibus. Nec unquam verbo , ſcripto , vel facto conſiliarius ero alicujus conſilii , tractatus , aut informationis , quæ in fraudem dicti Ordinis , vel ipſius Generalis Miniſtri , aut Succeſſorum ſuorum utcunque poſſint , & valeant redundare , & in commiſſo mihi Procuratoris Officio , quam fideliſſimè potero , & novero , ſecundùm Deum , & rectam conſcientiam , me habebo.

Præterea teſtem invoco Dominum JEſum Chriſtum , cui jurejurando firmiter promitto , me dignitatem ullam , maximè Generalatum in Religione non eſſe ambiturum , neque ad eum obtinendum paſſivam vocem unquam petiturum , aut acceptaturum niſi elapſo poſt abſolutum meum Officium triennio. Inſuper promitto nunquam immediatè , vel mediatè me petiturum abſolutionem , ſive diſpenſationem ab hoc juramento ad effectum cujuſcunque dignitatis conſequendæ. Juro itidem me obſervaturum omnia decreta pro reformatione Procuratoris Generalis Ordinis facta , & approbata ; ſic me DEUS &c.

De qualitatibus , & electione aſſiſtentium Generalis Miniſtri , Socii videlicet , & Secretarii Ordinis.

TITULUS XVI.

1. SOcius , & Secretarius Ordinis , ut ii ſint , quibus hoc Generalis aſſiſtentiæ munus meritò conferatur , debent in primis eſſe vitæ innocentia , uſu rerum , ac doctrina conſpicui , ejuſque bonæ apud omnes exiſtimationis , ut Fratres de eis in Religione optimè ſentiant. Sint itaque Sacræ Theologiæ Magiſtri , ad ſpiritualium ſtudium quàm Aſſiſtentiũ qualitates , & Doctrina

maximè propenſi, in Decretis, & Conſtitutionibus Religionis verſati, prudentiáque inſignes.

Socii conditio. Ætas. 2. Socius Ordinis ejus experientiæ, & qualitatis ſit, ut Provincialatus, vel ſaltem in inſignioribus Conventibus Guardianatus munere laudabiliter perfunctus ſit, ætatis verò quadraginta circiter annorum.

Secretarii eruditio. Ætas. 3. Secretarius autem Ordinis iiſdem prudentiæ inſignibus conſpicuus ſit, latiniſque, & politioribus literis eruditus, ætatis verò triginta annorum.

Aſſiſtentiũ exigentia. 4. Ut ea igitur, quæ ad rationem Officii ſui pertinent, faciliùs, & accuratiùs perficere poſſit Miniſter Generalis, túncque maximè, cùm res aliqua incidit gravis, & difficilioris momenti, præ cæteris, quos (ut infra) debet Conſultores adhibere, Patres duos penes ſe habere perpetuò tenetur veluti Aſſiſtentes, quorum conſilio, & in rebus gravioribus inferiùs aſſignandis conſenſu utatur.

Nomina. 5. Horum alter Socius, alter verò Secretarius Ordinis appelletur, qui ambo tanquàm Aſſiſtentes Generali in rebus agendis aſſiſtere, illúmque quoquò ſe verterit, comitari debebunt: Idcirco (quoad fieri poterit) aliis negociis non occupentur, quibus ab officio ſibi injuncto notabiliter abducantur, & impediantur. Munus. Neque ſeparentur à Generali, niſi mittantur, vel ad celebrandum Capitula Provincialia, vel alias ob graviſſimas cauſas.

Officii duratio, & ejus terminus. 6. Eorum Officium ſit triennale; completo triennio, poſt electionem Procuratoris Ordinis in Capitulo, ſeu Congregatione Generali intermedia debeant ipſi quoque Officio ſuo renontiare, & Syndicatum ſubire; deinde vel ipſi ſecunda vice, vel alii de novo eligantur. Quomodo deponi poſſunt. Eorum electio fiat à Diffinitorio per ſuffragia ſecreta, ut dictum eſt. Datur tamen facultas Miniſtro Generali, eos, vel aliquem eorum, æqua accedente, & rationabili cauſa cum Illuſtriſſimo Protectore communicanda, ab Officio ſuſpendendi, atque etiam de conſenſu præfati Illuſtriſſimi penitus removendi & alios ſubrogandi.

Decreta ab illis obſervanda. Et eorum juramentũ. 7. Facta eorum electione, Decreta, quæ ad illorum officium ſpectant, inferiùs Tit. ſeq. præſcribenda legantur, deinde jurent ea ſe obſervaturos, quòd ſi jurare recuſent, confirmari non poſſint, & eorum electio nulla ſit, & irrita.

De authoritate, & officio Socii, & Secretarii Ordinis.

TITULUS XVII.

Aſſiſtentiũ præſentia. 1. AD Socium pariter, & Secretarium Ordinis ſpectat à Generali Miniſtri latere nunquam abeſſe, eique ſemper aſſiſtere, debitáque cum reverentia, modeſtiâ, ac liberate ſuam in arduis caſibus ſententiam illi aperire.

Quando exigitur conſilium Aſſiſtentiũ. Clemens VIII. 2. Caſus verò præcipui, in quibus Generalis Miniſter horum duorum nedum conſilium, ſed & conſenſum adhibere tenetur, ſunt ſequentes, cùm videlicet agitur.

De Guardianorum electione in Conventibus de menſa Generalis extra Capitulum.

De Viſitatoribus, & Commiſſariis in Provinciis deputandis.

De promovendis ad Sacræ Theologiæ Doctoratum, ſi contingat.

De pœna perpetui, vel ſupra annum carceris.

De pœna triremium, vel ergaſtuli.

De pœna exilii ſupra biennium.

De privatione Officii Provincialatus, aut Guardianatus primæ Claſſis, vel longioris temporis ſuſpenſione à legitimis actibus Ordinis.

De acceptione, & receptione novi loci, & Conventus, ſi gravis neceſſitas urgeat, extra Capitulum.

Omnéſque præterea conſimiles caſus, in quibus tum pro gravitate, & magnitudine rei, tum pro aliis hujuſmodi circumſtantiis Aſſiſtentium conſenſus opportunè requirendus videretur.

Hujuſmodi conſilii mentio. 3. Conſilii verò hujuſmodi, ſenſúſque præſtiti teſtimonium in ſingulis expediendis actibus, literis patentibus, ſententiis, conceſſionibus, & aliis quibuſcunque Secretarius Ordinis in hæc verba, prout ei qualitas poſtulaverit, adjungere teneatur, *De conſilio vel conſenſu ſuorum Aſſiſtentium &c.*

Clemens VIII. Dum conſilia ſunt varia quid? Decreta 4. Si verò contingat horum ſuffragia eſſe diverſa, Generalis Miniſter eam tunc ſequatur ſententiam, quæ magis ſibi placuerit.

abſque hoc conſilio. 5. Si autem in hujuſmodi caſibus abſque Aſſiſtentium (ut præfertur) conſenſu quippiam Generalis Miniſter attentare præſumpſerit, eo ipſo irritum ſit, poſſitque Generalis ad Protectoris arbitrium reſpectivè puniri.

6. Secretarii præterea Ordinis peculia-

Secretarius ſcribat patentes.

culiaria munera ſunt, patentes (ut ajunt) Miniſtri Generalis literas propria manu ſcribere, nomine ſuo in calce munire, eáſque in libro Regiſtri ad hoc duntaxat deputato diligenter referre; in alio item

Liber regiſtri.

libro Fratres omnes facinoroſos ad Generalem Miniſtrum quacunque via, &

Liber Facinorum eorum & delatorum.

modo delatos adnotare, ibique accuſationes, querimonias, quæſtiones omnes ad Miniſtri Generalis Tribunal quoquo pacto obvenientes, compendiosè (clarè tamen) die, menſe, anno, nomineque ſedulò adnotatis, deſcribere.

Privilegia.

7. Durante eorum Officio, utrique totius Religionis temporanei Diffinitores ſint, ſicut & Ordinis Procurator, ita ut ipſi in omnibus Capitulis tàm Provincialibus, quàm generali votum habeant. Expleto verò Officio, dummodo in eo ſeſe laudabiliter geſſerint, nativarum Provinciarum perpetui Diffinitores remaneant, ac ſi nativarum Provinciarum Provinciales extitiſſent.

Poteſtas eis competens.

8. Nullam tamen, ſive actualiter Generali Miniſtro aſſiſtant, ſive alibi etiam pro cauſarum, negotiorúmque Religionis expeditione commorentur, ordinariam poteſtatem in Ordinem habeant, ſed delegatam duntaxat, prout eis Generali Miniſtro delegare placuerit.

Negotia Religionis non revelent.
Non conſpirent in Generalem
Pœna depoſitionis.

9. Neuter illorum præterea de Religionis negotiis ad alios literas ſcribere, ſeu ad ſeſe ſcriptas recipere abſque Generalis Miniſtri licentia poſſit, ſi quando tamen ſeu hujuſmodi literas ſcripſiſſe, vel recepiſſe, aut in Religionis perniciem, vel Generalis damnum quidpiam, tum verbo, tum ſcriptis attentaſſe, ſive ſecreta ſibi commiſſa revelaſſe legitimè convicti fuerint, eo ipſo ab officiis deponantur, ad eáque ulterius exercenda nullatenus admittantur.

De Viſitatoribus Provinciarum ſub finem triennii deſtinandis.

Titulus XVIII.

Viſitationum neceſſitas.

1. CUM nihil ſit, quod ad rectum totius Ordinis regimen magis conferat, quàm frequens per idoneos viros, regulariſque diſciplinæ cupidos Viſitatio, qua omnium Religionis Conventuum, ſingularúmque Provinciarum vivendi ratio exploretur; decernitur propterea, ut Generalis Miniſter, vel per ſe ipſum, vel per Viſitatores univerſam Religionem, quemadmodum & Provincialis totam Provinciam, ex officio viſitare debeat, Provincialis ſingulis annis, Generalis autem ſex anno-

Generalis & Provincialis viſitatio ordinaria.

rum ſpatio; Quòd ſi nondum completa Viſitatione novus Generalis expleto ſexennio deligeretur, ubi Prædeceſſor deſierat, inde ſucceſſor Viſitationem auſpicetur, & proſequatur.

2. Decernitur præterea, ut unaquæque Provincia ſingulis quoque trienniis ſub finem cujuslibet Provincialatus generaliter viſiterur. Si itaque per ſeipſum Generalis Miniſter, aliis neceſſariò detentus negotiis, hoc præſtare nequiverit, Patres, qui & Magiſterii inſignibus, & vitæ probitate, & regularis diſciplinæ zelo, aliiſque conſpicuis conditionibus in Religione emineant, dummodo illius Provinciæ, quæ viſitari debet, non ſint, ad id muneris eligere, ac deputare debeat.

Viſitatorum miſſio loco Generalis.

3. Hi verò ſub finem (ut præfertur) triennii infra quatuor ultimos cujuſcunque Provincialatus menſes ante futuram Provincialis Capituli celebrationem aſſignatas ſibi Provincias viſitare teneantur. In hujuſmodi viſitationibus autem Miniſtrorum Provincialium gubernandi rationem exactè perquirant, rectane, an prava ſit, ut juxta methodum ſibi præſcriptam Generalem Miniſtrum opportunè moneant, & Comitiorum Provincialium tempore, quæ referenda fuerint Diffinitorio Provinciali, fideliter referant, ut Provinciales Miniſtri in ſyndicatu eorum juxta Viſitatorum relata conſequantur laudem, vel correctionem ſubeant.

Viſitandi tempus.
De Provincialis regimine inquirant.
Referant opportuna.

4. Provinciales itaque Miniſtri Viſitatores Provinciarum ſuarum à Generali Miniſtro opportunè petere, eóſque cùm in Provincias advenerint, benignè, ac peramanter excipere teneantur. Ipſi verò Viſitatores non priùs viſitationem aggredi, quàm cum ipſarum Provinciarum Ordinariis egerint, eiſque Generalis Miniſtri commiſſiones oſtenderint, ullo pacto præſumant.

Viſitatores Provincialibus mandata oſtendant.

De Viſitatoribus Generalibus Ultramontanis.

Titulus XIX.

1. PRo Provinciis verò Ultramontanis Generale Capitulum Ultramontanum Viſitatorem Generalem deputare teneatur, qui etiam extra Capitulum ab ipſomet Generali Miniſtro conſilio Aſſiſtentium inſtitui poſſit.

Eorum deputatio.

2. Ut autem minoribus impenſis, & ſalubriori fructu præfatarum Provin-

Qui deputandi.

ciarum viſitatio peragatur, decernitur, ut (quantùm fieri poteſt) Viſitatores hujuſmodi, vel ex his, qui actu earum Ultramontes Provinciarum Provinciales exiſtunt, vel aliis ex iiſdem regionibus, ſeu vicinioribus viri moribus, doctrina, exemplóque vitæ inſignes, ac linguas maximè earundem Provinciarum callentes ſedulò deligantur.

De electione Provincialium extra Italiam.

TITULUS XX.

Provinciarum jus.

1. DEcernitur, ut Provinciæ omnes cùm Ultramontanæ, tum Tranſmarinæ proprium ſibi Provincialem Miniſtrum eligere poſſint & valeant, ac ipſo facto legitimè eligant. Quapropter decernitur, ut Generalis Miniſter Fratres vel Magiſtros alienæ Provinciæ Provinciis, quæ ſibi Provinciales (juxta harum Conſtitutionum Decreta) eligere poſſunt, Provinciales dare minimè valeat. Hæ verò Provinciæ, quæ ex propriis Vocalibus electionem habere non poſſunt, ut ſunt Provincia Romaniæ, Orientis, ac Tranſilvaniæ, & aliæ, ſi quæ ſint, quæ Vocalium defectu electionem ritè, canoniceque (ùt præfertur) habere nequiverint, Provinciales ſibi deligere nullo pacto præſumant, ſed in Capitulo Generali eligantur, vel extra Capitulum ab ipſo Generali Miniſtro de conſilio & conſenſu Aſſiſtentium inſtituantur, ac (ùt infra dicetur) profeſſionem Fidei, & juramentum emittant.

Quales Provinciæ eligere non poſſunt Provincialem.

Electio ſtorum.

2. Ut autem ſic inſtituti à Generali Ordinis præfatarum Provinciarum Miniſtri omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, aliiſque honoribus & indultis, quibus alii Provinciales in Ordine noſtro de jure, & approbata conſuetudine (juxta harum Conſtitutionum Decreta) potiuntur, fruuntur, & gaudent, & ipſi potiri, frui, & gaudere poſſint, decernitur, & ſtatuitur, ut ſaltem biennio in ſuis Provinciis permaneant, eáſque perſonaliter viſitent. Item quòd, cùm Provinciale Capitulum, ſeu Capitularem Congregationem celebrare non poſſint, in deputandis Guardianis quatuor ſaltem ex inſignioribus illarum Provinciarum Patribus adhibeant, eáſque deputationes per ſuffragia ſecreta perficiant; non obſtante quavis alia conſuetudine ſive uſu in contrarium, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, aliiſque contrariis quibuſcunque, aliàs deputatio, ſive inſtitutio irrita ſit, nulliúſque roboris, vel momenti.

Norum Provincialium reſidentia.

Quomodo Guardianos deputare debent.

De electione ac inſtitutione Provincialium Titularium in partibus Infidelium, & Hæreticorum.

TITULUS XXI.

1. SEraphica noſtra Religio, quæ velut Vinea Domini per totum Orbem longè, latéque diffuſa, uſque ad mare propagines, ac uſque ad flumina ramos ſuos extendit, multas jam Provincias ab Infidelibus ſeu Hæreticis occupatas, earúmque religioſiſſima, innumeratáque Monaſteria magno cum Fidei detrimento non ſine mœrore omiſit; cùm autem occupata per Tyrannidem poſſeſſione, jus neutiquam amittatur, Deique miſericordia ſuccurrente, ſperandum ſit, brevì Provincias haſce ad Romanam Fidem, Imperiúmque Romanum reverſuras, ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exempla ſectantes, Provinciarum hujuſmodi Titulares Miniſtros eligi, inſtitui, ac deputari decernimus, & ordinamus, ac antiquæ proinde Religionis diviſioni inhærentes, ſequentium Provinciarum titulos perpetuò deinceps erigimus, erectóſque declaramus, & approbamus. Videlicet

Ratio deputationis Provincialium Titularium.

Provinciæ Titulares.

TERRÆ SANCTÆ,	DANIÆ,
ANGLIÆ,	SAXONIÆ,
HIBERNIÆ,	HUNGARIÆ.

2. Ad hos igitur Provinciarum titulos ii duntaxat aſſumendi ſunt, qui iiſdem qualitatibus ac inſignibus decorentur, quibus in tota Religione alios ad Provincialatus, ſive per electionem, ſive per inſtitutionem aſſumendos decoratos eſſe oportet; iiſdémque omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, honoribus, vocibus, indultis, exemptionibus, & præcedentiis, quibus alii Provinciales tam alienarum, quàm nativarum Provinciarum in Ordine noſtro fruuntur, & gaudent, ipſi quoque, ac ſi nativarum Provinciarum Provinciales exiſterent, legitimè fruantur, & potiantur. Eóque pariter modo (ùt ſuperiori titulo de Provincialibus extra Italiam deputandis) in Capitulo Generali eligantur, ſive extra Capitulum ab ipſo Generali Miniſtro deputentur, profeſſionémque Fidei, & juramentum, ùt alii Provinciales, qnibus per omnia æquiparantur, emittant.

Qualitates aſſumendorum ad hos titulos.

Privilegia.

Electio.

Formula Profeſſionis Fidei Provincialium Titularium.

EGo Frater N. Ordinis Minorum Conventualium Provincialis electus (vel deputatus) Provinciæ N. firma fide credo, & profiteor omnia &c. habetur ſupra Tit. de electione

Profeſſio Fidei.

ctione Miniſtri Generalis, eámque his verbis concludat:

Eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retineri, & confiteri, atque à meis ſubditis (ſi quos unquam habuero) vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum.

In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, deſtitutionibus, & repulſionibus faciendis de perſonis dictæ Provinciæ (ſi quando fuerit opus) fideliter, & ſecundùm Deum, & Regulam beati Franciſci, ſecundùm puram & rectam conſcientiam me habebo, ac toto meæ gubernationis tempore (quantùm in me fuerit) totis viribus, totóque cordis affectu ſtudioſiſſimè nitar, ut JEſu Chriſti Domini noſtri, ſancta Romanæ Eccleſiæ Catholica Fides, Regula, & Conſtitutionum obſervantia in hac Provincia N. exquiſitè colatur, & vigeat, ita ut ad verum Dei cultum, & regularem diſciplinam, quantùm fieri poterit, ut Provincia hæc N. redigatur, non patiar, ut cura mea, labor, ſtudium, atque induſtria deſiderentur.

Inſuper tibi Reverendiſſimo Patri Minorum Generali, & Succeſſoribus tuis canonicè intrantibus ad Generalatus officium, quamdiu in obedientia, ac unitate Eccleſiæ fuerint, perpetuam ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam promitto, fidelitatémque ſinceram me tibi ſanctiſſimè præſtiturum jurejurando polliceor.

Præterea teſtem invoco Dominum JESUM Chriſtum, quòd omnia & ſingula contenta in Conſtitutionibus ac Decretis officium meum tangentibus (quantùm in me erit) inviolatè obſervabo, ac, ut ab omnibus mea cura ſubjectis (ſi quos unquam habuero) exactè ſerventur, diligentiſſimè curabo, nihilque fraudis, nihil inſidiarum neque dicto, neque facto, neque ſcripto moliar contra te Minorum Generalem, vel Succeſſores tuos canonicè intrantes; neque directè vel indirectè, mediatè vel immediatè præfecturas extra Ordinem noſtrum Eccleſiaſticas toto hoc mei Provincialatus tempore mihi procurabo.

Ita ego idem Frater N. ſpondeo, voveo, & juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia &c.

Horum Provincialium exercitia.

3. Ut autem non ſine laboribus hujuſmodi Provinciarum titulis ac privilegiis quicunque Fratres fruantur, decernitur, & ſtatuitur, ut ad eos ii præſertim aſſumantur, qui pro Religione aſſiduè laboraverint, ejúſque negotiis inſudaverint, ac illius utilitati tum ſtudiorum lucubrationibus, cùm negotiorum occupationibus conſuluerint. Qui verò actu hujuſmodi Provinciarum titulis, & privilegiis potiuntur, ſive in Provinciarum viſitationibus, ſive in commiſſionibus, aliiſque Religionis oneribus & functionibus à Generali Miniſtro exerceantur. Expleto verò Provincialatus hujuſmodi tempore, ad Succeſſores ſigilla Provinciarum tranſmittere, eóſque (ſi qui aderint) de earum negotiis certiores reddere teneantur; ac deinceps nativarum Provinciarum Patres, perpetuique Diffinitores, ac ſi earum Provinciales extitiſſent, jure, legitiméque remaneant.

Expleto Officio, ſigilla tradant Succeſſoribus.

Sint Patres Provinciæ.

De electione Cuſtodis ſacri Aſſiſienſis Conventus, & Guardiani ſanctorum duodecim Apoſtolorum de Urbe.

TITULUS XXII.

Electio, & ejus reiteratio.

CUſtos ſacri Conventus Aſſiſii, & Guardianus ſanctorum duodecim Apoſtolorum de Urbe per ſecreta ſuffragia in Capitulo Generali eligantur, vel extra Capitulum à Generali Miniſtro de conſilio & conſenſu Aſſiſtentium deputentur; ſi verò prudenter, religioſéque in adminiſtratione ſe geſſerint, pro ſecunda duntaxat vice (ampliùs verò nequaquam) præſcripto modo confirmari queant.

De electione Guardianorum primæ Claſſis, & eorum qualitatibus.

TITULUS XXIII.

Qui primæ Claſſis Guardiani.

1. PRimæ Claſſis Guardiani ii duntaxat in Ordine noſtro nuncupentur, qui Conventibus ex veteri & immemorabili conſuetudinis privilegio à quampluribus generalibus Religionis Capitulis approbato ſub immediata Generalis Miniſtri protectione, curáve poſitis, ab ipſomet Generali deputati, ſive in Capitulis Generalibus canonicè electi legitimè præſunt, iiſque Generales Miniſtri cauſas ſibi viſis in unaquaque Provincia ad evitandas Commiſſariorum expenſas committere ac demandare conſueverunt. Hi verò primæ Claſſis Conventus ex harum Conſtitutionum Decreto ſequentes ſunt, videlicet

Cauſarum commiſſiones eis demandantur.

CONVENTUS

Conventus primæ Claſſis.

S. Antonii de Patavio	Aquilæ
Magnæ Domus Venetiarum	Peruſii
Bononiæ	Firmi
Ferrariæ	Urbini
S. Laurentii de Neapoli	Fani

 Pa-

Panormi	Bitunti
Meſſanæ	Liciæ
Mediolani	Trojæ
Brixiæ	Montis Leonis
Januæ	Cracoviæ
Ticini	Coloniæ
Florentiæ	Pragæ
Senarum	Viennæ
Piſarum	Avenionis.

Aſſiſtentes electionis.

2. Horum itaque Conventuum Guardiani in Capitulo Generali, ſive Generali Congregatione ad annum duntaxat eligantur; extra Capitulum autem, ſeu Congregationem ab ipſomet Generali, adhibitis tamen Socio, & Secretario Ordinis Aſſiſtentibus, Provinciali, ac duobus antiquioribus perpetuis Diffinitoribus illius Provinciæ, in qua hujuſmodi electionem fieri contigerit, nec non Guardiano ejuſdem Conventus, ac ſervatis ſervandis eligantur.

Pius V.

Confirmationes.

Ætas.

Qualitates.

3. Hujuſmodi verò Guardiani ſecunda & tertia vice (ampliùs verò nequaquam) in eadem Conventus Prælatura confirmari poſſint; ſint autem ad minus triginta, vel circiter annorum ætatis, & ſpectatæ vitæ, exemplaris diſciplinæ, prudentes, pacifici, benigni, liberales, in œconomia verſati, in temporalibus rebus ſolertes, in providendis, ac reparandis erroribus ſagaces, omnibus tum exteris, tum noſtratibus affabiles, ac ſuper omnia charitate præditi, & divinis obſequiis, ac Regulæ & Conſtitutionum obſervantiæ quàm maximè addicti.

Si quis velit opponere, acclametur.

4. Expletis itaque in Capitulo Generali ſingulis (ùt præfertur) electionibus, an adversùs electiones hujuſmodi, aut electas perſonas quidquam objiciendum ſit, trina de more acclamatio fiat, & ad reliquos actus canonicè perficiendos deveniatur.

De reliquis Capituli Generalis Actibus.

Titulus XXIV.

Regentum electio.

1. **F**Acta Guardianorum electione, Collegiorum, ſtudiorúmque Regentes per ſecreta ſuffragia deligantur, ac deinceps eorundem Collegiorum ac Studiorum tabulæ ordinentur. Quò verò citiùs actiones hujuſmodi perficiantur, néve longiùs æquò Capitulum protrahatur, ſinguli Provinciales Miniſtri ſingularum Provinciarum Patrum ac Fratrum ſtudiis incumbentium (ſive Magiſtri, ſive Baccalaurei, ſive Studentes fuerint) nomina, ætates, ſcientiam, ac ſufficientiam in tabella fideliter deſcripta ad Generalem deferant, Viſitatoréſque pariter ſtudiorum eandem debitæ diligentiæ operam compleant.

Studiorum tabulæ.

Provincialium notæ pro ſtudiis.

Apoſtatarum & incorrigibilium publicatio.

2. Provinciales poſthac Apoſtatarum & incorrigibilium nomina proferant, quæ Provinciales omnes ſcriptis excipient, & ad ſuas Provincias deferent. Denique ea omnia, quæ tum univerſaliter, tum particulariter in adminiſtrationibus egerint, in ſcriptis fideliter adnotata exhibeant, cæteráque omnia, quæ ad rectum Provinciarum ſuarum regimen ſpectant, coram Diffinitoribus diligenter aperiant.

Acta referant Provinciales.

De Provincialium moribus inquiſitio.

3. Diſquirat tamen Generalis Miniſter, num præſertim Provincialium quiſpiam in turpi proprietatis vitio contra Conſtitutionum Statuta ſordeſcat; num Fratres profugos in Provinciam exceperit, vel commorari, pacificéque degere paſſus ſit; num demum regularis diſciplinæ cultum, harúmque Conſtitutionum obſervantiam pro viribus diligenter promoverit, ac denique, quidquid laudis, & quidquid correctionis promeruerit, diligenter ſcrutetur.

Mortuorum Fratrum nomina & preces.

4. Defunctorum Fratrum nomina ſcriptis tradita ad omnes Provincias tranſmittantur, ut pro eorum animabus in earum Capitulis piæ ad Deum preces de more fundantur, eorundémque præterea defunctorum Fratrum nomina publicè coram toto Generalis Capituli Diffinitorio legantur. Quibus perlectis, Pſalmus *De profundis* cum ſolitis precibus & orationibus recitetur.

5. Mox autem totius triennii tum à Generali Miniſtro, tum à Procuratore Ordinis accepti & expenſi rationes dignoſcantur. Poſtea verò quàm publicè lectæ fuerint, & à toto Diffinitorio approbatæ, aliquot ex Provincialibus, aliiſque inſignioribus Patribus in hac arte peritis ab ipſo Diffinitorio delgantur, quibus eaſdem rationes recognoſcendi, & confirmandi authoritas demandetur. Rationes autem præfatæ in librum Religionis (ùt vocant) Magiſtralem referantur, & liber ipſe ſigillo Ordinis ſubſignetur, & in Archivio reponatur.

Epiſtolæ ad Capitulum miſſæ.

6. His omnibus jam expletis, literæ ad Capitulum miſſæ reſignentur, publicéque aperiantur, & perlegantur; quidquid autem decernendum ſeu decidendum fuerit, ſtatuatur, ac per deputatos Fratres in peculiari libello adnotetur. Si tamen reſponſionibus opus ſit, maximè ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardina-

dina-

Digitized by Google

dinales, Prælatos, aut Principes, vel Communitates ſtatim, nulla interpoſita mora, ſervato tamen Religionis jure, reſcribatur.

Qui Capitulo eleemoſynas contulerunt.

7. Nominentur præterea, qui eleemoſynas Capituli Patribus erogaverint, quibus etiam inter cætera de more ſuffragia in ipſo Capitulo à Generali Miniſtro diſponenda, & à cunctis Fratribus adimplenda devotiſſimè ſatisfiat.

Loci determinatio pro futuro Capitulo.

8. Poſtremò de loco futuri Generalis Capituli, ac etiam de loco & ordine (ùt infra ſtatuemus) futuræ Generalis Congregationis diligenter agatur, & diſponatur.

De fine & dimiſſione Capituli Generalis.

TITULUS XXV.

Generalis cohortatio.

1. AD extremum igitur feria quinta poſt Pentecoſten ad ſolitum ſignum omnes tum Diffinitores, tum privati Generalis Capituli Fratres in unum conveniant, ibique à Generali Miniſtro exhortationis verba ſuſcipiant. Generalis verò Miniſter pro ſui officii munere omnes ad divinum obſequium, regularis diſciplinæ, Seraphicæ Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam, tum verò ad mutuam charitatem & pacem, aliáſque religioſas virtutes, & obedientiam in primis adhortetur. Secretarius autem Ordinis, ſermone peracto, omnium ſive electorum, ſive inſtitutorum Superiorum & Officialium ſeriem tabella conſcriptam publicè legat.

Officialium tabula publicetur.

Generali negantes obedientiam.

2. Si quis verò Fratrum Generali Miniſtro canonicè in eo Capitulo (ùt præfertur) electo debitam reverentiam, obedientiámque ſubtraxerit, ſive verbo, vel ſcripto ei obediendum non eſſe, nec ipſum verum Ordinis Generalem eſſe quoquo pacto aſſerere præſumpſerit, vel ore blaſphemo de his & ſimilibus diſputaverit, ſeu alicujus delicti prætextu ab illo obedientiam amovendam eſſe pertinaciter aſſeruerit, excommunicationis latæ ſententiæ pœnæ, aliiſque ad Generalis arbitrium ipſo facto ſubjaceat, nec à quopiam (unico Generali Miniſtro excepto) ullatenus abſolvatur, carcere ad hæc ad Generalis libitum maceretur, &, cùm demum de tali delicto per competentem Judicem convictus fuerit, pœnis à jure latis ſeveriſſimè puniatur.

Piæ preces.

3. Suffragia demum pro vivis, defunctiſque Benefactoribus ordinentur, & ultimo loco, ſi quæ noviter factæ fuerint, aut ex jam factis abrogatæ, immutatæ, vel innovatæ Conſtitutiones è ſublimi loco altiori voce legantur, earúmque tranſumptum Ordinis ſigillo munitum Provinciales Miniſtri in ſuas Provincias ad exactiſſimam obſervantiam deferant.

Decretorũ publicatio.

4. His tandem omnibus (ùt præfertur) expletis, Fratres omnes flexis genibus generalem de more confeſſionem habeant, & à Generali Miniſtro abſolutionem accipiant.

Conſueta abſolutio.

5. Reſervatorum caſuum, ac cenſurarum pro una tantùm vice ſingulis Religionis Fratribus facultas concedatur. Indulgentia, quæ à ſummo Pontifice conceſſa fuerit, promulgetur, ac demum benedictionem ſuam cunctis Fratribus tum præſentibus, cùm abſentibus Generalis Miniſter impertiatur; expletiſque poſt Canticum *Te Deum* gratiarum actionibus, Generale Capitulum abſolvatur, ac unuſquiſque cum Dei benedictione religioſè diſcedat; ſi quid tamen de bono Religionis ſtatu eſſet ulteriùs conſulendum, quicunque ad Generalis Miniſtri nutum juxta rei exigentiam detenti fuerint, nullo pacto recedant; eadémque capitularis dimiſſionis ſolemnitas in omnibus aliis Congregationibus, & Capitulis Provincialibus, ac etiam in Generali Congregatione ſervetur.

Indultum de reſervatis caſibus.

Indulgentia, promulgatio, benedictio, gratiarum actio, & Capituli abſolutio.

De Capitulo, ſeu Congregatione Generali.

TITULUS XXVI.

1. CApitulum Generale, ſeu Generalis Congregatio intermedia poſt expletum à Generali Miniſtro ſui Generalatus triennium de ſexennio in ſexennium in feſto ſacratiſſimo Pentecoſtes, vel circiter celebretur.

Tempus.

2. Præcedens itaque Generale Capitulum, ubi proximè futura Congregatio Generalis habenda ſit, ſtatuat, & decernat; adventante verò celebrationis tempore, debitiſque proviſionibus præparatis, prævia citatione omnes, qui præfatæ Congregationi intereſſe debuerint, opportunè à Generali Miniſtro evocentur.

Loci determinatio.

Citatio.

Vocales verò hujus Congregationis generalis ad evitandos immoderatos ſumptus erunt tantùm infraſcripti, videlicet Reverendiſſimus Pater Generalis, Admodùm RR. PP. Provinciales,

Vocales.

S. Franciſci	Marchiæ	Calabriæ
Romæ	S. Nicolai	S. Angeli

S. An-

S. Antonii	Mediolani	Procurator
Bononiæ	Januæ	Socius, &
Neapolis	S. Bernardini	Secretarius
Siciliæ	Tuſciæ	Ordinis,

Qui omnes eandem omnino facultatem habeant, quam in ipſo Generali Capitulo omnes ſimul Provinciales habent, in ipſisque tota Generalis Diffinitorii facultas reſideat.

Quoad locum & Vocales poteſtas Generalis.

3. Si tamen Congregationis locus à Capitulo Generali præfixus non ſit, aut urgenti aliqua cauſa præfixum mutare contigerit, vel alios inſuper Religionis Patres, præter deputatos, ob ardua fortaſſe negotia convocare neceſſe ſit, Generalis Miniſter, Ordinis Protectore conſulto, & locum præfigere, vel mutare, & alios quoque ad Congregationem vocare liberè ac licitè poſſit & valeat.

Præſidens quæ in Congreg. fieri nequeunt.

4. In hoc itaque Capitulo, ſeu Generali Congregatione intermedia Generalis Miniſter præſideat; ibique (ſecluſa Miniſtri Generalis electione, ac novarum Conſtitutionum ſanctione, vel veterum abrogatione, ſive moderatione, quæ non niſi de ſexennio in ſexennium in Capitulo Generali non intermedio fieri poſſunt) electiones omnes tam Procuratoris Ordinis, quà n Aſſiſtentium & Guardianorum de menſa Reverendiſſimi, aliorúmque Religionis Officialium, quæ in Generali Capitulo fieri ſolent, eadem ipſa auctoritate ab iis riè, rectéque habeantur, eáque omnia, quæ in Capitulis Generalibus de ſexeñio (ùt ſupra) in ſexennium celebrandis effici, ſtatuique ſolent, efficiantur, ac legitimè ſtatuantur, eandémque vim & robur habeant, ac ſi in Generali Capitulo acta forent.

De poteſtate Diffinitorii Generalis.

TITULUS XXVII.

Diffinitorii partes.

1. Diffinitorium Generale in Ordine noſtro eſt omnium Religionis Diffinitoriorum tum perpetuorum, cùm temporalium aggregatio. Sunt autem (ùt ſuperiùs decretum eſt) Religionis Diffinitores ii Patres duntaxat, qui vocem electivam, ac reſpectivè deciſivam cum Præſidente Capituli, qui primus eſt Diffinitor, canonicè habent. Perpetui Diffinitores ſunt Generales Miniſtri tam actualiter perfungentes, quàm officio jam functi; itémque Vicarii Religionis Apoſtolici. Temporanei verò ſunt omnes tam nativarum, quàm alienarum, ac etiam titularium Provinciarum Provinciales Miniſtri actuales, eorúmque Commiſſarii, ipſis legitimè (ùt præfertur) abſentibus, itémque Procurator, Socius, & Secretarius Ordinis.

Summa Poteſtas.

2. Diffinitorii itaque Generalis ex prædictis Præſide, aliiſque perpetuis, & temporaneis Diffinitoribus conſtituti, ac in Spiritu ſancto legitimè congregati maxima, abſolutáque (ùt paſſim ſuperiùs decretum eſt, nunc autem compendiosè ſtatuitur) in toto Ordine authoritas eſt. Quamobrem ſingulari prudentia, inſigni pietate, zelóque decoratum eſſe oportet, quippe quod tanti ſit, ut tota ab ipſo Religio tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus abſolutè dependeat.

Super Generalem.

3. Poteſt autem Generale Diffinitorium Generalis acta in Syndicatu dijudicare, corrigere, & approbare, novúmque Generalem Miniſtrum eligere, & deponere.

Super omnes cauſas.

4. Generalis inſuper Miniſtri, Provincialium quorumcunque, aliorúmque omnium & ſingulorum totius Ordinis Fratrum cauſas & querimonias audire, proſequi, decidere, ſpecialitérque committere.

Prælatorum poteſtatis contrectatio.

5. Generalis præterea Miniſtri, aliorúmque omnium Religionis Prælatorum & Officialium authoritatem arctare, præſcribere, & ampliare, prout ad regularem obſervantiam, regiminis opportunitatem, & Regulæ puritatem expedire judicabitur.

Nova Decreta.

6. Novas Conſtitutiones ſeu Leges condere, præcepta ac Decreta ſancire, veteréſque Leges pro opportunitate ac indigentia, ſive Capitulorum Provincialium, vel etiam Generalium, ſive Prælatorum ſint, penitus abrogare, ſeu etiam immutare, & renovare.

Adminiſtrationum Calculatores.

7. Generalis Miniſtri, & Procuratoris Ordinis expenſas judicare, acceptique ac dati rationes approbare, vel reprobare.

Ad confeſſiones, conciones, Ordines.

8. Ad confeſſiones præterea & conciones, ad ſacros Ordines, & ad habitum Religionis admittere.

Actuum revocatio.

9. Gratias inſuper & pœnas à quibuſvis Superioribus collatas, ſeu inflictas revocare.

Electiones, & deputationes.

10. Literas quoque Cuſtodum legere, atque omnia de ſingulorum Provinciis ab illis relata diſcutere, Procuratorem, Socium, & Secretarium Ordinis, itémque primæ Claſſis Guardianos, Regentes omnes Collegiorum (unico dun-

duntaxat Seraphico Romano Dioi Bonaventuræ excepto) aliorúmque primæ ac ſecundæ Claſſis Gymnaſiorum, itémque Provinciarum Viſitatores, ac Ultramoontanos Commiſſarios, ſive etiam Viſitatores legitimè eligere, eorúmque omnium ac ſingulorum electionem in Generalem Miniſtrum compromittere, aliáque multa de jure, & approbata conſuetudine, & joxta harum Conſtitutionum Decreta poteſt, & valet.

De Generali Miniſtro expleto ſexennio.

Titulus XXVIII.

Conventū eligere poteſt.

1. GEneralis Miniſter, elapſo ſui officii ſpatio, ſi contigerit, ut intra clauſtra remaneat, totius Religionis ſit Pater, Conventum regulari diſciplinæ quàm maximè accommodatum, ejus vita durante, ſibi deligere poſſit (Conveutibus primæ Claſſis exceptis) Superior verò à Capitulo, ſeu Congregatione Generali, velut ſi talis Conventus de menſa ipſius eſſet, ejúsque protectioni immediatè ſubeſſet, ad ejus quoque inſtantiam deputetur.

Ejus Guardianus à Generali deputetur.

Neceſſariorum ſubminiſtratio.

2. Ab eo itaque Conventu quæcunque cùm ad victum, tum ad veſtitum neceſſaria, ejúsque religioſo ſtatui accommodata diligentiſſimè ſuhminiſtrentur, duóſque Fratres Sacerdotem alterum in Socium, alterum verò Laicum in obſequium aſſumere ſibi poſſit & valeat, qui quidem Reverendiſſimus cum duobus ejus Sociis Generali Miniſtro immediatè ſubjiciuntur.

Socii.

Ad Præfecturas nequit promoveri, vel quomodo.

3. Nec deinceps, peracto ſexennio, ad alias Religionis Præſecturas promoveri poſſit, niſi fortè intermedio abſoluto triennio Generalis iterum eligeretur, aut Vicarius Generalis ab Apoſtolica Sede inſtitueretur, Reverendiſſimi tamen tituli, dum vixerit, retineat.

Titulus Reverendiſſimi.

De Autboritate & Officio Procuratoris Ordinis.

Titulus XXIX.

Ejus munus, negotia Religionis, & Fratrum tractare.

1. AD hoc præcipuè Procuratoris Ordinis munus in noſtra Religione jam diu viguit, ut cauſæ omnes, quæ ad Religionem ſpectaverint, ab eo fideliter curentur, totiúſque Ordinis jura, privilegia, gratiæ, immunitates, & favores, bonáque omnia Cooventuum & Fratrum ab eo quàm diligentiſſimè tuentur. Cauſas igitur omnes, & quæ agitandæ fuerint Romæ, omniáque totius Religionis negotia omni conatu, omnique diligentia tranſigere ac expedire præcipua ejus officii cura ſit. Singulis aotem Fratribus, cujuſcunque ordinis, gradus, ſtatus, vel conditionis extiterint, negotia hujuſmodi tractare, ſive ſeſe quomodolibet in eis intromittere penitus interdicitur, niſi de ipſius Generalis Procuratoris licentia & conſenſu. Provinciales tamen Miniſtri actu exiſtentes, dum Romæ fuerint, Provinciarum, quibus præſunt, conſulto tamen priùs, licèt non conſentiente, vel etiam renuente Procuratore Ordinis, cauſas & negotia tractare, agitare, ſeu quomodolibet expedire liberè & licitè poſſint & valeant.

Provinciales negotia tractare valent.

Inventariū attinentium ad Procuratorem Ordinis, & eorum conſignatio.

2. Antequam igitur Generalis Ordinis Procurator ſui officii munus excipiat, à Prædeceſſore ſuo omnia, quæ ad munus præfatum ſpectaverint, tum Ordinis privilegia, tum literas, & inſtrumeota cauſarum, aliarúmque ſingularum rerum ſtatum ſub Inventario, vel ſpeciali Regiſtro coram ſanctorum duodecim Apoſtolorum Guardiano, aliquibúsque aliis diſcretis Patribus ad hoc ſpecialiter evocatis recipiat. Inventarium autem hujuſmodi fideliter ac diligenter conſcriptum, ac ipſius Procuratoris, Guardiani, aliorúmque præfatorum Patrum ſubſcriptione firmatum in Archivio Conventus præfatus Guardianus aſſervari curabit, ut, cùm novum Procuratorem ad id muoeris aſſumi contigerit, omnia ei eodem otdine aſſignentur.

Generali abſente munus Procuratoris.

3. Ad Procuratorem Ordinis, Generali Mioiſtro abſente, Fratres omnes Romam advenientes, quidnam negotii in urbe habeant, examinare ſpectat. Quòd ſi eos iis negotiis, quæ facilè ab ipſo expediri poſſint, detineri cogooverit, eo ipſo dimittat, & ad eorum obedientiæ loca redire compellat.

Conſtitutionibus repugnantia impetrari non ſinat.

4. Hoc tamen ſuper omnia Procuratori Ordinis præcipitur, diſtrictéque mandatur, ut totis viribus, totóque conatu diligentiſſimè curet, ne à Fratribus (quicunque ii fuerint) aliquid quomodolibet obtioeri ſinat, quod his Conſtitutiooibus URBANIS adverſetur. Si quid verò quomodolibet extortum fuerit, nullatenus admittatur, & (ſi fuerit opus) ad Apoſtolicam Sedem, ne quid adversùs ſanctiſſima hæc Religionis Decreta attentari incipiat, recurratur.

De reſidentia Procuratoris Ordinis.

TITULUS XXX.

PRocurator Ordinis toto ſuo trienniali tempore in urbe reſideat, ac in Conventu ſanctorum duodecim Apoſtolorum cum aliis Superioribus communiter vivat, ob id præſertim, ut iis, qui ad ipſum cauſas agitandi gratia recurrere ſolent, divagandi occaſio penitus auferatur; cellas autem, ſive manſiones officio ſuo accommodatas, ubi cum Secretario & Socio degere poſſit, apud præfatas ſanctorum Apoſtolorum ædes obtineat.

De indicendo Capitulo Provinciali.

TITULUS XXXI.

Text. *Miniſtri poſſunt eodem anno ſemel Fratres ſuos ad Capitulum convocare &c.*

Tempus, & locus. 1. TErtio quocunque anno, quo Provincialatus abſolvitur, Provinciale Capitulum inviolabiliter celebretur in loco à præcedenti ejuſdem Provinciæ annua Congregatione, ſeu in præcedenti Capitulo jam præfixo, & Generalis Miniſtri authoritate approbato; qui proinde ſtatim de loci electione certior faciendus eſt, ut, ſi illum reprobaverit, alius eligatur. Semel autem ab ipſo approbatus, non niſi ex urgentiſſima cauſa, ipſóque denuò conſulto, mutari poterit.

In quindena fiat Congregatio. 2. De tempore verò, quo tum Provinciale Capitulum, tum Capitularis Congregatio celebranda erit, ſtatuitur, & decernitur, ut in ſingulis noſtræ Religionis Provinciis tam Provincialia (ùt præfertur) Capitula, quàm etiam Capitulares Congregationes poſt quindenam Paſchæ deinceps perpetuò celebrentur; nec ultra feſtum Aſcenſionis celebrationes hujuſmodi ullo pacto protrahi poſſint. Quòd ſi interim Provincialis deceſſerit, renunciaverit, vel depoſitus fuerit, Generalis Miniſter Commiſſarium Generalem ad futurum uſque Capitulum, etiamſi ſtatim poſt Paſcha probabiliter celebrari non poſſit, duraturum, ad ejus Provinciæ regimen, ſervatis ſervandis, inſtituere poſſit & valeat. Provinciali deficiente, Commiſſarius ſtatuatur.

Proviſionum Commiſſarius. 3. Quò verò exactiùs, commodiúſque Capituli proviſiones fiant, omniáque ad Capitulum hujuſmodi Provinciale ex inſtituto neceſſaria opportunè parentur, decernitur, ut certa celebrationis dies à Præſide Capituli præfiniatur, & aſſignetur. Provincialis verò, vel ejus Conventus, ubi Comitia celebranda fuerint, Guardianum, vel quempiam idoneum Patrem Capituli Commiſſarium, & Expenſorem inſtituat; cujus præcipua cura ſit, ea omnia providere, & opportunè parare, quæ neceſſaria fuerint. Si verò præterea opus ſit, inſtituat & eleëmoſynarum Collectores, & Concionatoribus etiam Fidelium eleëmoſynas colligendi curam committat; harúmque omnium eleëmoſynarum Provincialis Miniſter abſolutus, unà cum Commiſſario, vel Expenſore hujuſmodi coram Diffinitorio rationem reddere teneatur. Eleëmoſynarum Collectores. Earum rationes.

Concionatores. 4. Celebriores præterea ejus Provinciæ Concionatores in Capitulum evocentur, dies eis certa conſtituatur, eáque diligentia diſponatur, ut quinque ſaltem ipſa Capituli Provincialis hebdomada conciones ad populum habeantur.

Diſputationes. 5. Toties inſuper diverſarum Facultatum diſputationes publicè à ſtudiorum illius Provinciæ Profeſſoribus juxta ipſorum Gymnaſiorum dignitatem & ordinem habeantur. Quòd ſi in ea Provincia ſex, aut ſaltem quinque Gymnaſia non reperiantur, Provincialis Miniſter alios ex ſua Provincia Magiſtros, ſive alios tum Scholaſticos, tum Lectores ex vicinioribus Provinciis (qui nullatenus accedere renuant) acceríere poſſit.

De his, qui ad Provinciale Capitulum convenire debuerint.

TITULUS XXXII.

Vocales pro electione Provincialis. 1. IN Provincialium Miniſtrorum electione votum, ſeu vocem electivam habeant Miniſter Generalis, vel (eo abſente) Viſitator, ſive Commiſſarius Generalis, qui ejus loco Capitulo præfuerit, Capituli Secretarius, Socius Ordinis, & Procurator, ſi adfuerint, omnes præterea ejus Provinciæ ſacræ Theologiæ Magiſtri, Diffinitores diſcreti, qui præterea Magiſtri Seminariorum per duodecim annorum tempus continuò laudabiliter extiterint, Guardiani item locorum, ubi Diſcretorum electio haberi non poteſt, Diffinitor denique ex gratia, & Guardianus Capituli, omnéſque loco Capituli congruo tempore ab ejuſdem Capituli Præſide opportunè indicto adeſſe teneantur. Aliarum Provinciarum Miniſtri (ſi Capitulis Provincialibus extra eorum Provincias eos intereſſe contigerit) vocem activam in electione duntaxat

taxat Provincialis Miniſtri obtineant. Viſitator item hanc vocem in electione Provincialis tantùm, etiamſi non fuerit Præſes.

In aliis electionibus. 2. Patres verò extranei, etiamſi propriarum Provinciarum Patres, ac perpetui Diffinitores exiſtant, ſi Provincialibus Capitulis extra eorum Provincias interfuerint, nullam electivam vocem in cujuſvis electione, nec etiam Provincialis Miniſtri habere queant. In aliorum verò Officialium, Cuſtodum ſcilicet, Diffinitorum, Guardianorúmque electione Præſidens, & ſoli illius Provinciæ Diffinitores tùm perpetui, tum temporanei votum, ſeu vocem electivam habeant.

Syndicatus. 3. Actiones autem omnes Capitulares eo prorſus ordine perficiantur, qui ſupra de Capituli Generalis actionibus præſcriptus eſt. Primò itaque adverſus Provincialem Miniſtrum accuſationes (ſi quæ aderint,) & querimoniæ in ſyndicatu (ut ajunt) ipſo Provinciali Miniſtro à Diffinitorio recedente, audiantur. Auditiſque majoris partis Diffinitorum votis, Præſidens Capituli revocatum Provincialem Miniſtrum vel corrigat, vel (prout ejus geſta popoſcerint) accuratè commendet.

Electio uno die claudatur. 4. Miniſtri Provincialis electio ſtatuto die omninò fiat, quòd ſi intra naturalis hujuſmodi præfixi diei terminum non compleretur, Electoréſque de Provincialis electione haudquaquam conſenſerint, mox exſpirata die, à jure eligendi cadant, electióque ipſa (ut ſuperiùs decretum eſt) ad Generalem Miniſtrum legitimè, canonicéque devolvatur.

Qui eligi poſſunt, & qui non. 5. Ad Provincialatus dignitatem nativi tantùm illius Provinciæ Sacræ Theologiæ Magiſtri (dummodo paſſiva voce privati non fuerint) aſſumi queant. Viſitator autem, vel Commiſſarius Generalis, qui electionibus, & Capitulo præeſt, ſive in Provincialem, ſive ad alìud quodvis munus, Officiúmque nullatenus eligi poſſit. Secretarius quoque Provinciæ in Capitulo Provinciali immediatè ſequenti voce paſſiva ad Provincialatum penitus careat, niſi urgentiſſima cauſa à Generali Miniſtro inſcriptis approbanda diſpenſetur. Poſſit tamen aſſumi, & eligi intermedio expleto triennio, dummodo omnibus, & ſingulis requiſitis conditionibus (quæ inferiùs proprio titulo præſcribendæ ſunt) decoretur. Idem quoque de Provinciali Miniſtro actu exiſtente decernitur in iis tantùm Provinciis, ubi ob penuriam Fratrum, qui ad tale Officium requiſitis conditionibus, & qualitatibus ſit, non reperitur.

Diſcreti electio. 6. Ne igitur in Capitulo Provinciali, quæ pro bono Conventuum ſtatu, regiminéque peragenda fuerint, negligantur, enuntiato, ac de more indicto Provinciali Capitulo, in quolibet Conventu legitimum, canonicúmque impedimentum non habente (prout in ſequenti titulo ſtatuemus) electio Diſcreti celebretur.

De qualitatibus, & electione Diſcreti ad Provinciale Capitulum ituri.

TITULUS XXXIII.

Diſcreti eligendi qualitates. 1. Multa ſunt, quæ in his, qui Diſcreti Conventuum eligendi ſunt, neceſſariò requiruntur. Primò quidem, ut in eo Conventu de familia collocatus ſex ſaltem integris ante Capitulum menſibus permanſerit, ſuper quo non poſſit diſpenſari, niſi à Generali, cauſa benè viſa; præterea ut vitæ probitate, morum honeſtate, regulariſque diſciplinæ cultu inſigniter ſit præditus; ſit per aliquot annos expreſſè in Religione profeſſus; ſit (ſi fieri poterit) Sacerdos, ſin minus ſaltem in Sacris conſtitutus; Non ſit illius Conventus Guardiano ullo modo cognatus, aut affinis, vel genere conjunctus; Non denique Procurator illius Conventus, Vicariùs verò, ſi non adminiſtraverit bona Conventus, in Diſcretum eligi valeat.

Electores qui. 2. In electione Diſcreti cujuſvis Conventus electivam vocem liberè, ac licitè habeant Fratres omnes in eo de familia collocati (etiamſi laici ſint) ibique per duos ſaltem ante electionem immediatos menſes commorati, & expreſsè profeſſi.

Ubi nequit eligi Diſcretus quis mittendus. 3. Ubi verò tres ſaltem Vocales non fuerint activam, ut præfertur, vocem habentes, duoque ſaltem paſſivæ vocis capaces, hujuſmodi diſcretorum electio canonicè fieri nequit. Ac proinde ſtatuitur, & decernitur, ut in Conventibus canonicum electionis impedimentum habentibus Guardianus, ſive localis Superior, (qui aliàs nullo pacto in Diſcretum eligi poſſit) Diſcreti loco ad Provinciale Capitulum proficiſcatur. Cuſtodis relatio. Quo caſu mandamus, & ordinamus, ut Cuſtos ſtatum, & conditionem illius Conventus, vel loci diligentiſſimè à ſe perquiſitam coram Diffinitorio, ac ſi illius

lios Conventus Diſcreti munus obiret, exponere teneatur.

A Conventibus amotio.

4. Ad ſubmovendum verò omnem in hujuſmodi Diſcretorum electionibus fraudem præcipitur, diſtrictéque mandatur, ne quis Fratrum ſex menſibus ante Capitulum à Conventu, ubi de familia collocatus manet, quovis prætextu, niſi delicti gravioris, ſive notorii cauſa, amoveatur.

Schedulæ.

5. Electio Diſcreti (ut de aliis primariis electinnibus ſuperiùs præmiſſum eſt) per ſchedulas fiat, ac in ea omnia, ſingulá que ibi ſtatuta inviolatè ſerventur.

6. Electione verò canonicè abſoluta, literæ in hanc formam expreſſæ, Sigillóque Conventus firmatæ electo Diſcreto conſignentur.

Formula literarum, quæ ad Provinciale Capitulum per Diſcretos Fratres à Cnoventibus tranſmittendæ ſunt.

IN Cenventn noſtro N. Præſidente Patre Cuſtede Fr. N. vel Patre Guardiane Fr. N. latis priùs, & præfixis ad noſtrarum conſtitutionum præſcriptum tribus canonicis terminis, adhibitíſque ad ſecreta ſuffragia ſchedulis, electus fuit in Diſcretum per nes legitimos Electores infraſcriptes Fr. N. N. de IV. ſervatis ſervandis, juxta noſtrarum URBANARUM Conſtitutionum Decreta, in quem datis ſuffragiis (decem, octo, vel ſex) Vecales cenſenſere. Qui de ipſius Cenventus conditione, & ſtatu rationem nemine noſtro exactiſſimè redditurus eſt, Provinciali Miniſtro votum ſuum daturus, Paternitatibuſque veſtris obedientiam præſtiturus. Datum &c.

His literis Vocales omnes propria manu ſubſcribant, eiſque jam Sigillo Conventos obſignatis hujuſmodi ſuperſcriptio adiiciatur.

Admodùm Rev. Patri, Patri Miniſtro Provinciali, cateríſque Patribus, & Fratribus Previnciæ in Capitulo Provinciali apud Civitatem (vel oppidum) N. congregatis.

Literæ ſtatus Conv. & querelæ.

7. Præter has, aliæ quoque literæ Sigillo pariter Conventus munitæ, io quibus ſtatus, & rationes Conventus, rerúmque conſumptibilium reſidua. Item ſi quæ fuerint adverſus Provincialem, Cuſtodem, vel Guardianum accuſationes, vel querimoniæ, contineantur, præfato Diſcreto, ut ad Capitulum fideliter deferat, conſignentur.

De Officio Diſcreti.

TITULUS XXXIV.

Relatio Diſcreti de ſpirituali regimine Conv.

1. DIſcretus canonicè electus ad Provinciale Capitulum profecturus, ſui Conventus ſtatum, & conditionem tùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus ſcriptis fideliter expreſſam ſecum deferre, & coram omnibus in publico Diffinitionis loco, ea omnia, quacunque ſepoſita humana paſſione, producere teneatur: Num ſcilicet debito cultu DEI obſequium frequentetur; Num ſtatis horis divinum Officium in Choro devotè (ut decet) perſolvatur; Num Miſſarum, & legatorum obligationibus ſedulò ſatisfiat; Num Conſtitutionum obſervantia vigeat; Num Seminaria, ubi fuerint, debita diligentia, Tyronéſque Seminariorum religioſa educatione cuſtodiantur; Num bnnorum temporalium ſit fidelis adminiſtratio; Num alieoo ære gravetur Cœnobium; Num adminiſtrationis rationes coram Fratribus juxta ſtatuta legantur; ac reliqua demum omnia, quæ ad regularis diſciplinæ cuſtodiam, rectúmque Cooventus regimen ſpectant.

De Temporali adminiſtratione.

De qualitatibus Miniſtri Provincialis.

TITULUS XXXV.

Qualitates Provincialis eligendi.

IN eo, qui ad Provincialatus Officium aſſumendus eſt, ea neceſſariò requiruntur ornamenta virtutum; ut bona in primis fama, & apud omnes exiſtimatione laudabilis ſit, nulla proprietate notatus, Sacræ Theologiæ Magiſter, in Ordine expreſsè profeſſus, regularis diſciplinæ zelo inſignis, Conſtitutionum obſervantiæ addictus, eiſque animi dotibus exornatus, quas in Generali Miniſtro requirendas eſſe monuimus. Ætatem verò triginta, vel circiter annorum ſufficere declaramus.

De electione Miniſtri Provincialis.

TITULUS XXXVI.

Electionis dies.

1. ELectio Provincialis Miniſtri die Sabbathi regulariter habeatur. Georalis verò Miniſter, vel eo abſente, Generalis Viſitator, vel Commiſſarius, aut Præſidens delegatus opportunè Capitulo intereſſe diligentiſſimè curent die ſaltem Mercurii celebrationi proximo. Eadémque præterea ipſa die ab eodem, prælectis priùs (niſi fuerit Georalis Miniſter) ſuæ Præſidentiæ literis, ſermonéque de more habito, Provinciale Capitu-

Aperitio Capituli Commiſſ. Præſide.

pitulum aperiatur, ac poſtridiè primus Vocalium conſeſſus habeatur.

Actiones Capitulares 2. In Provinciali Capitulo omnia juxta ordinem in Capitulo Generali præſcriptum ſerventur; Officialiúmque propterea, Concionatorum, Diſputantium, aliorúmque Capituli miniſteriis deputatorum ſeries, ſive Tabella legatur; Vota, ſeu Vocales omnes explorentur, ac de more legitimentur; Miſſa de Spiritu Sancto ſolemniter cantetur; Oratio Quadraginta horarum inſtituatur, Sancti Spiritus gratia in cujuslibet ſeſſionis principio imploretur; Electionis termini præfigantur; Novæ electionis cauſa, vel ex completo officio, vel ex morte, aut privatione (quo caſu ex propria conſtitutione inferiùs præſcribenda depoſitionis cauſæ perlegantur) aut quæcunque alia notificentur; jurent Electores de probiori eligendo; Decretum de qualitatibus Provincialis Miniſtri legatur; Provincialis prædeceſſor Sigilla tradat; Syndicatum ſubeat; culpam de negligentiis dicat; ab officio abſolvatur; dentur ſchedulæ; ſcribantur ſuffragia; Numerentur, & perlegantur eodem penitùs ordine ſervato.

Confirmatio. 3. Si Generali Miniſtro abſente, Provincialis Miniſter eligatur, quàm citiùs ab ipſo confirmari, ab eóque ordinariam poteſtatem recipere, in ejúſque manibus fidei profeſſionem emittere ſtudeat; Niſi ea omnia, vel aliqua Capituli Præſidens à Generali delegatus de ſpeciali ejus mandato præſtare poſſet.

4. Profeſſionem autem Fidei ſequenti formula emittet.

Formula Juramenti, ac Profeſſionis Fidei à Miniſtris Provincialibus emittendæ.

EGo Frater N. Ordinis Minorum Conventualium Provincialis electus vel inſtitutus Provinciæ N. firma fide credo, & profiteor omnia &c. habetur ſupra Tit. 9. n. 9. eámque his verbis concludat.

In correptionibus judicialibus gravium criminum, & in proviſionibus, promotionibus, confirmationibus, depoſitionibus, & repulſionibus faciendis de perſonis dictæ Provinciæ fideliter & ſecundùm Deum, & Regulam Beati Franciſci, ſecundùm puram, & rectam conſcientiam me habebo, ac toto mea gubernationis tempore (quantùm in me fuerit) adnitar ſtudioſiſſimè, ut Regula, & Conſtitutionum obſervantia in Provincia hac N. exquiſitè colatur, & vigeat, ita ut ad verum DEI cultum, & regularem diſciplinam, ſi quid ad meliorem formam redigendum comperero, non patiar, ut cura mea, labor, ſtudium, atque induſtria deſiderentur.

Inſuper tibi Reverendiſſimo Patri Minorum Generali, & Succeſſoribus tuis canonicè intrantibus ad Generalatus Officium, quamdiù in obedientia, ac unitate S. R. E. fuerint, perpetuam ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam promitto, fidelitatémque ſinceram me tibi ſanctiſſimè præſtiturum jurejurando polliceor.

Præterea teſtem invoco Dominum JESUM Chriſtum, quod omnia, & ſingula contenta in Conſtitutionibus, ac Decretis Officium meum tangentibus (quantùm in me erit) inviolatè obſervabo, ac ut ab omnibus mea curæ ſubjectis ſerventur, diligentiſſimè curabo, nihílque fraudis, nihil inſidiarum, neque dicto, facto, neque ſcripto moliar contra te Minorum Generalem, vel Succeſſores tuos canonicè intrantes; neque directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè præfecturas extra Ordinem noſtrum Eccleſiaſticas, toto hoc mei Provincialatus tempore mihi procurabo.

Ita ego idem Frater N. ſpondeo, voveo, & juro, ſic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

De particularibus cauſis depoſitionis, ſeu privationis Miniſtri Provincialis.

TITULUS XXXVII.

1. PRæter communes cum aliis Superioribus privationis Officiorum cauſas, quæ in quorumdam decretorum tranſgreſſione decernuntur, aliæ quoque peculiares, antiquatum Conſtitutionum veſtigiis inhærendo, in Provincialium Miniſtrorum depoſitione, vel privatione ſtatuimus. Deponatur itaque quicunque Miniſter à Provincialatus Officio, quotieſcunque jure, legitiméque conſtiterit de inſufficientia ejus: De intollerabili ad viſitandum, corrigendum, ac reformandum negligentia: De gravi quocunque notabilique exceſſu, aliiſque publicis culpis, quibus juxta ſacros Canones, & has URBANAS Conſtitutiones privationis Officiorum pœna incurritur. Inſufficientia. Negligentia Viſitationis.

2. Si Seraphicæ Regulæ harúmque Conſtitutionum obſervantiam negligat, ſeu ad ejus profectum non laboret; ſi demum Conventuum reformationi, juxta Alexandri Sexti Decretum, cum effectu totis viribus non intendat. Querelæ, ſeu accuſationes hujuſmodi, ſi quæ adverſus Provinciales Miniſtros extiterint, diligentiſſimè perſcrutentur, ſpecialique Provinciarum utilitati (uti par eſt) conſulatur. Querelæ in Provinciales expendantur.

Oppoſitionum probatio.

3. Deponi tamen à dignitate Provincialis Miniſter non poſſit, niſi prædicti defectus, ſive per evidentiam rei, ſive aliàs legitimè probati, ſive ex propria confeſſione notorii ſint, ſive etiam ex evidenti inſufficientia, vel probato (ut præfertur) manifeſtóque Provinciæ detrimento.

Depoſitio ad quem ſpectet.

4. Quòd ſi Provincialis legitimè deponendus ſit, Generalis Miniſter de conſilio, & conſenſu Aſſiſtentium ad privationem, depoſitionémque procedat; indictóque etiam intra triennium (ſi fuerit opus) ſtatuto tempore Provinciali Capitulo, præſcripto ordine alium ſibi Provincialem Miniſtrum deligere ejus Provinciæ Diffinitorium liberè, ac licitè valeat, & interim de conſilio Aſſiſtentium de Commiſſario provideat. Idem etiam ſervetur caſu renunciationis.

De Aſſiſtentibus Miniſtri Provincialis.

TITULUS XXXVIII.

Duo Aſſiſtentes.

1. Miniſter Provincialis, ut omnia ſuæ Provinciæ negotia faciliúſque perficiat, duos continuò Aſſiſtentes, quorum conſilio, & (juxta opportunitatem inferiùs præſcribendam) con enſu utatur, penes ſe habeat; alter ſit Provinciæ Secretarius, alter verò ejus, quam viſitat, ſeu incolit, Cuſtodiæ Cuſtos.

Secretarii electio.

2. Secretarius à Capituli Provincialis Diffinitoribus deligatur, & à Generali Miniſtro confirmetur, ſitque rerum gerendarum prudentia, litterarum

Qualitates.

eruditione, politioris literaturæ exercitio, & quod pluris eſt, vitæ innocentia, morúmque probitate inſignis, ætatis annum trigeſimum, vel circiter attingens. Cuſtos verò lis conditionibus, quæ proprio titulo inferiùs præſcribentur, decoretur. Sint autem ambo Provincialis hujuſmodi Aſſiſtentes (ſi fieri poterit) Sacræ Theologiæ Magiſtri, vel Prædicatores, aut Baccalaurei è Studiis jam dimiſſi, vel aliàs Patres mediocriter ſaltem eruditi, uſúque rerum, ac laudabili vita conſpicui.

Aſſiſtentes comitentur Provincialem.

3. In decernendis itaque Provinciæ negotiis Cuſtos, & Secretarius Provinciali Miniſtro (ut præfertur) aſſiſtant, ac illum, quocunque ierit, comitentur, Secretarius per totam Provinciam; Cuſtos verò intra ſuam Cuſtodiam, teneatúrque propterea Provincialis Miniſter, cùm ex una ad aliam Cuſtodiam tranſmigraverit, ejus Cuſtodem de ſuo ad talem ejus Cuſtodiæ locum adventu opportunè reddere certiorem. Cuſtos verò ei quamprimum obviam ire pariter teneatur.

Servus Provincialis.

4. Præter hos duos Aſſiſtentes regularem præterea Converſum vigeſimum quintum ætatis annum excedentem pro debito famulatu Provinciali Miniſtro concedimus.

In quibus maximè requiritur Aſſiſtentiũ conſenſus.

5. Aſſiſtentium itaque præfatorum conſilium in decernendis quibuſcunque negotiis Provincialis Miniſter adhibeat. In infraſcriptis verò gravioribus caſibus nedum ipſorum utatur conſilio, ſed & conſenſum ſequatur, cùm nimirum decernendum fuerit.

De pœna triremium, ſive ergaſtuli, & carceris infligenda.

De proſcriptione, vel exilio à Provincia, & Cuſtodia.

De excommunicatione, & interdicto, ſuſpenſione à Divinis, & ab Officiis.

De fabricis conſtruendis.

Ac præterea de omni alio graviori caſu, qui, ſi accidat, Generalis Miniſtri, vel Aſſiſtentium ipſorum conſenſum rationabiliter expoſcere videatur.

Aſſiſtentiũ aſſenſus mentio.

6. Aſſenſus verò hujuſmodi teſtimonium in omnibus, & ſingulis actibus Secretarius Provinciæ fideliter adnotare teneatur, ac in patentibus proinde literis, ſententiis, conceſſionibus, aliiſque hujuſmodi actis præfatos caſus quomodolibet concernentibus, hæc verba, *de ſuorum Aſſiſtentium conſilio, & conſenſu*, ad hunc effectum adhibeat. Si quando verò contigerit, Aſſiſtentium ſententias eſſe diverſas, eam partem, quæ ſibi magis placuerit, Provincialis Miniſter ſequatur. Si quid tamen in his omnibus abſque requiſito conſilio conſenſúque hujuſmodi reſpectivè quodlibet attentare præſumpſerit, eo ipſo irritum, inaneque ſit, nulliúſque roboris, vel momenti, quin & ipſe ad Generalis Miniſtri arbitrium corripi poſſit.

Sine hoc conſilio acta ſint irrita.

7. Extra tempus autem viſitationis ſi Provincialis Miniſter in aliquo Conventu, ubi Cuſtos non commoretur, permaneat, Cuſtodis loco Fratrem aliquem ibi de familia degentem, probioris tamen vitæ, & regularis diſciplinæ ſtudioſum in Aſſiſtentem ſibimet aſſumere teneatur. Id ipſumque ſtatuitur, ſi quando Secretarius abeſſet, vel eorum alter legitimè impeditus Provincialem Miniſtrum comitari nequiret.

8. Sin-

Viſitationis neceſſitas.

8. Singulis autem quibuſcunque ſui Officii annis Miniſter Provincialis omnes, ſingulóſque Conventus, ac loca Provinciæ inviſere teneatur; Quòd ſi abſque legitimo impedimento à Generali Miniſtro approbando neglexerit, utraque voce ad triennium privetur.

De electione Diffinitorum Provincialium.

TITULUS XXXIX.

Diffinitorũ electio & modus.

1. AD introducendum in electionibus Diffinitorum in univerſa Religione ubique Provinciarum, & locorum laudabilem uniformitatem, evitandúmque inutilem ad Provinciale Capitulum Fratrum quorumlibet acceſſum decernitur, & ſtatuitur, ut Diffinitorum electio, habita juxta laudabilem Religionis conſuetudinem locorum, ſive Monaſteriorum ratione, ordine inferiùs præſcribendo, deinceps inviolatè fiat.

2. In Provinciali Capitulo expleta Provincialis Miniſtri, ſingulorúmque inferiorum Superiorum electione, Diffinitores pro futura Capitulari Congregatione deligantur. In Congregatione autem, expletis pariformiter omnium Prælatorum electionibus, Diffinitores ſive pro futura Congregatione, ſive pro futuro Provinciali Capitulo eligantur, nullatenus verò ante Provincialis, & aliorum Officialium electionem.

Diffinitorũ qualitates.

3. Quoniam verò, eos, qui in Diffinitores Provinciarum præter inſignes alias conditiones iis omnino qualitatibus decoratos eſſe oportet, quòd nimirum ſint Sacræ Theologiæ Magiſtri, nec non prudentia, uſúque rerum ſpectabiles, vel quòd ſaltem in aliquo Conventu Superiorum munus laudabiliter geſſerint; Propterea præcipitur, ut Provincialis Miniſter inſigniorum cujuſcunque Cuſtodiæ, & Conventus Patrum, præfatiſque qualitatibus præditorum nomina apud ſe conſcripta retineat, ex quorum

Conventuum ratio habeatur.

numero annuatim in Capitulo, ſive Congregatione Provinciali, omnibus aliis Prælatis electis, habita ratione Conventus, & loci, cui per vices Diffinitor competit, duo illi, qui jam inter Diffinitores, & Capituli, ſeu Congregationis Præſidentem, ut proponantur, ſtabiliti fuerunt, ut ſupra dictum eſt Tit. III. num. 14. à Præſidente Diffinitorii proponantur, quæ & ad electionem, per ſecreta ſuffragia, ſeu ſecretas (ut ajunt) balotationes facienda eſt, veniatur; Is verò, qui ſupra medietatem plura affirmativa vota habuerit, cenſeatur electus. Quòd ſi Conventus, cui per vices competit, idoneos Patres non haberet, duo alii ex eadem tamen Cuſtodia, eodem ordine proponantur.

4. Electi verò poſtquam à Secretario fuerint publicati eo pacto, quo dicetur infra de Cuſtodibus, tàm ſi præſentes, quàm ſi fuerint abſentes à Capituli, ſeu Congregationis Præſide, ſive omnes ſimul, ſive ſeorſim (mutatis tamen mutandis) his verbis confirmentur.

Confirmatio.

Authoritate, qua fungor, confirmo vos in Diffinitores hujus Provinciæ N. ſingulos in ſua Cuſtodia in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Diffinitores ad alia non promoveantur. Dum quis moritur ſubſtituendus

5. Qui verò ſic electi, & confirmati fuerint, eo anno ad aliud quodvis Officium aſſumi non poſſint. Si quempiam verò ante completum annum mori contigerit, is, qui præcedenti anno ejuſdem Cuſtodiæ Diffinitor extiterat, in demortui locum à Provinciali Miniſtro ſubrogetur.

Diffinitores à quibus eligendi.

6. Diffinitorum autem electio ad omnes actu exiſtentes Diffinitores, ſive perpetui, ſive etiam temporanei fuerint, ipſo jure pertineat.

De Diffinitore Provincialis poteſtate & Officio.

TITULUS XL.

Circa Regimen Provincialis Diffinitorũ poteſtas.

1. PRæcipua eſt, eáque maximi ponderis Diffinitorum poteſtas, quippe quibus una cum Capituli, ſive Congregationis Præſide ea omnia, quæ ad totius Provinciæ ſtatum, regimen, & curam ullatenus pertinent, cognoſcere, diſcutere, decernere, ac ſtatuere liceat. Poſſunt itaque Diffinitores præfati una cum Capituli, ſive (ut præfertur) Congregationis Præſide Provincialis Miniſtri delicta, exceſſúſque cognoſcere, exactéque examinare; Provincialem ipſum Miniſtrum ſub ſyndicatione tenere, eundémque, ſi corrigendus ſit, intra Diffinitorium corrigere; Literáſque proinde, quæ adverſus Provincialem Miniſtrum à Conventibus tranſmittuntur, aperire, legere, (habitáque ſeorſim diſcreta deliberatione) de Miniſtro (eo interim à Diffinitorio jam abſente) decernere; quòd ſi Provincialis Miniſter incorrigibilem ſe præbuerit, illum etiam deponere poſſunt.

Circa cauſas, & Deputationes Officialium

Cauſas præterea omnes, quæ ad Capitulum deferuntur, cognoſcere, ac diffinire, taxationes præſcribere, in eorum Provinciis ad confeſſionem tàm pro Fratribus, quàm pro ſæcularibus admittere, vel reprobare; Novitiorum, Profeſſorúmque

Magi-

Magiſtros inſtituere, ſtatuta, ordinationéſque Provinciarum condere, Monaſteriorum, itémque ſingulorum Fratrum bona revidere, eáque demum omnia, quæ ad morum compoſitionem, vitæ honeſtatem, Provinciarum reformationem, ſtudiorum progreſſum, Religionisque commodum, & ornatum conducunt, plenaria poteſtate decernere.

De electione, & qualitatibus Cuſtodum.

TITULUS XLI.

Doctrinæ & qualitates. 1. QUi ad Cuſtodiatus dignitatem, quæ in Seraphica noſtra Religione præcipua eſt, aſſumendi fuerint, iis conditionibus, quibus primæ Claſſis Guardiani (ut in proprio ipſorum decreto ſtatutum eſt) decoratos eſſe oportet. Sintque præſertim (quantùm fieri poterit) Sacræ Theologiæ Magiſtri, aut Baccalaurei è Claſſe licentiati, ſeu ſaltem Guardianatus officium laudabiliter geſſerint; Sintque præterea notæ integritatis Viri, regularis diſciplinæ Cultores, ac juxta Diffinitorum electionem, habita (quantùm fieri poteſt) Locorum, ſive Conventuum ratione, ex quacunque Cuſtodia probiores deligantur.

2. Tot igitur Cuſtodes in unaquaque Provincia deligantur, quot fuerint ejuſdem Provinciæ Cuſtodiæ; in eorúmque electionibus eadem omnino ratio, idémque ordo, qui in Diffinitorum electione ex præcedenti titulo ſervandus eſt, Electio. inviolatè quoque ſervetur: iidémque Electores. Electores, qui Diffinitores eligunt, Cuſtodes quoque ſervatis ſervandis, deligeré teneantur. Cùm verò electi fue- Publicatio. rint, à Secretario Capituli vel Congregationis his verbis publicari mandamus. Videlicet.

Formula publicandi Cuſtodes.

EGo Frater N. Secretarius nomine omnium, ad quos præſens Cuſtodum electio ſpectat, publice in Cuſtodes Cuſtodiarum Provinciæ N. Reverendos in Chriſto Patres; pro Cuſtodia id eſt N. Fratrem N. & pro Cuſtodia N. Fratrem N. &c.

Confirmatio. 3. Ipſi verò Cuſtodes electi, ſi aderint, mox nominati aſſurgant, & ad Capituli præſidem pro confirmatione pergant, is verò ſive adſint, ſive non, vel omnes ſimul, vel ſingulos ſeorſim his verbis (mutatis tamen mutandis) confirmet.

Et ego authoritate, qua fungor, confirmo te in Cuſtodem Cuſtodiæ N. hujus Provinciæ N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

De electione Cuſtodis Cuſtodum ad Capitulum Generale mittendi, ejuſque qualitatibus, & Officio.

TITULUS XLII.

1. IN Capitulo Provinciali, ſive Capitulari cujuſcunque Provinciæ Congregatione, quæ ante Generale Capitulum immediatè celebratur, antequam Cuſtodes ab Officio abſolvantur, hoc eſt ante novorum ejuſdem Provinciæ Cuſtodum electionem, Cuſtodes Cuſtodum ab ipſis Cuſtodibus actu exiſtentibus Provinciali Miniſtro, vel delegato Præſidente, vocem tamen electivam non habente, deligantur. A cæteris Cuſtodibus eligatur.

2. Si tamen intra naturalis unius diei ſpatium Cuſtodes præfati in electione Cuſtodis Cuſtodum non conſenſerint, ejus electio ad Generalem eo ipſo devolvitur. Quòd ſi in aliqua Provincia tres ſaltem Cuſtodiæ non fuerint, propter Vocalium, ſive electorum inſufficientiam, Cuſtos Cuſtodum à Provinciali Diffinitorio eligatur. In Provinciis autem, ubi una tantùm Cuſtodia reperitur, qui ejus Cuſtodiæ Cuſtos delectus fuerit, velut Cuſtos Cuſtodum illius Provinciæ nomine ad Generale Capitulum pergat. Provincia verò Orientis, donec in ea multiplicentur, ſeu ab Infidelibus occupati recuperentur Conventus, Cuſtode Cuſtodum carebit. Quando ad Generalem deputatio ſpectat. Quando à Diffinitorio eligendus. Provinciæ ubi una tantùm Cuſtodia.

3. Qui verò ad id muneris eligendus eſt, unus ex Cuſtodibus actualiter exiſtentibus ſit, dummodo Sacræ Theologiæ Magiſter fuerit, vel ſi inter eos Sacræ Theologiæ Magiſter non fuerit, alius ejuſdem Provinciæ nativus, qui ſingulis conditionibus in Provinciali Miniſtro requiſitis, ut jam dictum eſt, decoretur. Provinciali præterea Miniſtro non ſit conſanguinitate, vel cognatione ullo pacto conjunctus, extra ſuam Provinciam actu non commoretur, nec in Studiis generalibus degat, ſed qui ſaltem per triennium in ea Provincia ſibi nativa permanſerit, actúque dum eligitur, in ea degat; Generalis verò Miniſter petitionem in contrarium ſuper hoc factam nullo pacto admittat. Situnus ex Cuſtodibus, ſed Magiſter in Sacra Theol.

4. Sic itaque legitimè, canonicéque electus teſtimoniales ſuæ electionis literas Sigillis Cuſtodiarum, ſingulorúmque Cuſtodum propriarum manuum ſub- Literæ electionis.

Relationes de ſtatu Cuſtodiarum.

ſubſcriptionibus munitas juxta tenoris formulam de literis Diſcretorum expreſſam (mutatis tamen mutandis) ad Generale Capitulum opportunè accedens, ſecum deferre teneatur. Informationes quoque à ſingulis Cuſtodibus de Cuſtodiarum ſtatu fideliter adnotatas, ſigillisque Cuſtodum hujuſmodi, propriisque ſubſcriptionibus approbatas præter teſtimoniales literas deferat.

De Regimine Provincialis.

5. In Generali verò Capitulo, ſive Generali Diffinitorio Provincialis Miniſtri vitam & mores, inſufficientiam, defectus, exceſsúſque omnes, item Provinciæ ſtatum, communem pacem, vel diſſenſionem exponat. Et quoad Provincialem quidem referat, an per eum gravetur Provincia, an munera recipiat, an viſitationibus pro debito incumbat, an reformationem procuret, an ad effectum ea deducat, quæ Capitulum ſtatuit, an receptor ſit Fratrum ex alienis Provinciis fugitivorum, & an demum in ſpiritu & virtutibus proficiat, ſive potiùs deficiat. Hæc & alia quælibet ſive bona, ſive mala ad communem Provinciæ ſtatum ac regimen quoquo pacto ſpectantia, etiam non requiſitus, ſive à Capituli Præſide ſpecialiter interrogatus Generali Diffinitorio fideliter exponere teneatur.

Si mendax fuerit, punitur.

6. A mendacio tamen in hujuſmodi relationibus omnino caveat, quod ſi mendax reperiatur, ad omnia Ordinis officia, dignitatéſque tum ipſe, cùm omnes conſentientes, & alii quomodolibet participantes eo ipſo perpetuò inhabiles declarentur. Ipſe verò Cuſtos velut indignus à Capitulo depellatur, & ad Præſidis arbitrium puniatur.

De electionibus, & qualitatibus Guardianorum.

TITULUS XLIII.

Horum electio ad quos ſpectet.

1. Guardianorum electiones ad Provinciale Capitulum (iis tantùm, qui Conventibus de menſa Generalis præſunt, exceptis) regulariter ſpectant. Igitur, antequam ad electionem Guardianorum deveniatur, fiat matura diſcuſſio inter Præſidem, & cujuſque Cuſtodiæ Diffinitorem de Fratribus inſignioribus, & debitis conditionibus præditis, ex quibus poſtea per ipſummet Præſidem duo pro quolibet Conventu Diffinitorio proponantur, & qui plura ſupra medietatem vota affirmativa habuerit, electus remaneat.

Guardianorum qualitates.

2. Sit autem Guardianus eligendus Sacerdos triginta, vel circiter annorum, ad Dei obſequium, Regulæ obſervantiam, Conſtitutionúmque diſciplinam quàm maximè propenſus, prudens, rerum adminiſtrationi addictus, affabilis, ſolers, pacificus; qui munus aliquod (ſi Frater, ùt ajunt, ſimplex fuerit) ritè in Ordine exercuerit, qui Conventum aliquem in bonorum illius adminiſtratione non defraudaverit, ejúſque ſit apud Fratres exiſtimationis, ut ei parere, credere, & obſequi non dedignentur, ad Sæcularium confeſſiones ſaltem admiſſus, nec ære alieno gravatus, aut reddendæ alicujus Conventus adminiſtrationi obnoxius.

Ceſſante Guardiano, quis ſubſtituendus, & quo titulo?

3. Si quempiam Guardianorum infra annum obire, vel alia quacunque ex cauſa officio cedere contigerit, Vicarius ejuſdem Conventus, ſi à Capitulo Provinciali inſtitutus fuerit, in demortui, vel privati locum ſuccedat; ſin autem, Provincialis Miniſter, ſi Capitulum, ſeu Congregatio per ſex menſes diſtaret, adhibitis Aſſiſtentibus, aliiſque duobus ex inſignioribus Patribus, per ſecreta ſuffragia ad novi Guardiani electionem procedat; at ſi minùs à Capitulo, ſive Congregatione diſtaverit, Præſidens idoneus loco Guardiani inſtituatur. Idémque de Cuſtode, ſi fortè vacaret, ſtatuimus.

Quouſque continuare Guardianatus liceat?

4. Decernitur autem, ne de cætero quiſpiam in eodem Conventu ultra triennium Guardianatus officio fungi poſſit, ſed, antequam denuo eligatur, ad annum ſaltem eo officio careat.

De Præſidentibus & Vicariis Conventuum, déque eorum authoritate & officio.

TITULUS XLIV.

A quibus inſtitui poſſunt.

1. Præſidentes à Majoribus noſtris ii nuncupati ſunt, qui aliorum Superiorum, Guardianorúmque præſertim vices ſubeunt, in eorúmque locum ſubrogantur; poſsúntque ex recepta & approbata Religionis conſuetudine cùm à Provinciali Miniſtro (ùt ſuperiùs dictum eſt) tum ab ipſis Guardianis inſtitui.

A Guardiano deputati.

2. Guardianorum Præſidentes hi ſunt, qui à Guardianis in illum finem deputantur, ut ipſis in domeſtica Conventuum gubernatione auxilio ſint.

Ubi Præſidentes inſtituendi.

3. De his itaque Præſidentibus decernitur, ut in Inſignioribus Conventi-

bus, ubi plurimi Patres degere ſolent, Guardianus præter Vicarium, Præſidentem etiam inſtituere ac deputare poſſit & valeat. In aliis verò Conventibus Vicarius ipſe, Guardiano abſente, Præſidentis vices, vocéſque penitus ſubeat, &, ſi à Capitulo electus fuerit, in demortui vel privati locum ſuccedat.

Eorum conditiones.

4. Sint itaque propterea tam Præſidentes præſati, quàm Guardianorum Vicarii ex inſignioribus cujuſcunque Conventus Fratribus, & ad regularem vitam propenſioribus, ejúſque apud omnes exiſtimationis, ut ab omnibus (uti par eſt) debitæ reverentiæ cultu excipiantur, eorúmque juſſa promptè, accuratéque (cùm magis opus fuerit) exequantur.

Horum authoritas.

5. Horum Præſidentium authoritas delegata eſt, nullámque penitus nec in foro conſcientiæ, nec in foro exteriori abſolutam ex ſe facultatem habent, ſed delegatam tantummodo, & ad id præcipuè inſtituuntur, ut Guardianis in onere Prælaturæ ſuccurrant, eóque maximè, ſi eos à Conventu abeſſe contingat. Cùm igitur ſic delegata, limitatáque facultate fruantur, Guardiano tum completo officio, tum intra officium vita functo, præſidere non ampliùs queunt.

Deficiente Guardiano, qua fruantur authoritate.

6. Hac itaque de cauſa, & ad tollenda inconvenientia non parvi momenti ſtatuitur, ut, ſi Guardianum Conventus de menſa Generalis mori contingat, Præſidens in eodem Conventu, quouſque à Generali Miniſtro de Succeſſore provideatur, abſolutè præſideat, atque interim ordinaria Guardianorum facultate tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus plenariè utatur, & perfruatur.

De Commiſſariis.

TITULUS XLV.

Quando mittendi, & quales.

1. AD graviores cauſas ſpeciatim examinandas, & cognoſcendas in unaquaque Provincia Generalis Miniſter Commiſſarios cum ea facultate, quam illis delegare placuerit, deſtinare poſſit, & valeat; Fratres autem de propriis neceſſitatibus Generalem Miniſtrum (ſi quando fuerit opus) fideliter moneant. Is verò paterno judicio, an Commiſſarium expedire neceſſe fuerit, necne, prudenter decernat. Quotieſcunque præterea Provincialis Miniſter à Provincia quacunque ex cauſa, præſertim verò ad Generale Capitulum proficiſcendi receſſerit, quempiam ex inſignioribus Provinciæ Patribus (conſulto tamen Generali Miniſtro) Commiſſarium inſtituere teneatur, Miniſtrúque Provinciali abſente, Commiſſarius Provincialis hujuſmodi ea ipſa facultate, qua præfatus Miniſter utitur, & ipſe liberè, licitè, & abſolutè utatur, & perfruatur.

Commiſſarium quando inſtituere debet Provincialis, & qualem?

Moriente Provinciali, Secretarius ejus vices gerit.

2. Quòd ſi Provincialem Miniſtrum mori contigerit, Provinciæ Secretarius, qui primus Aſſiſtens eſt, quouſque à Generali Miniſtro Commiſſarius Generalis deputetur, Provincialis officio perfungatur. Atque interim ſigilla Provinciæ in Archivio illius Conventus, ubi illum mori acciderit, aſſervanda deponere teneatur.

Ante Capitulum Provincialis officium terminans.

3. Si verò Provincialis Miniſter ante Provincialis Capituli celebrationem ſui Provincialatus tempus expleverit, titulum Provincialis deponat, Generaliſque Miniſter Commiſſarium ejus loco inſtituat.

De reliquis Capituli Provincialis actionibus, ejúſque fine, & dimiſſione.

TITULUS XLVI.

Familiarum tabulæ.

1. ABſolutis electionibus, aliiſque ad Provinciale Capitulum quomodolibet ſpectantibus, familiæ Conventuum, ſive familiarum tabulæ diſponantur.

Convent. de menſa tabula.

2. Quamvis autem Guardianos Conventuum de menſa Generalis Miniſtri Provinciale Diffinitorium eligere nequeat, eorundem tamen Conventuum tabulas in eodem Capitulo, præfatis Guardianis conſultis, diſponere poſſunt, quæ ad Generalem Miniſtrum erunt tranſmittendæ; Generalis autem Miniſter eas moderare, Officialéſque amovere, alióſque denuo inſtituere, ac Fratres omnes, quos in iis Conventibus opportuos eſſe judicaverit, collocare poſſit & valeat, nec deinceps Provincialis, aut Guardianus ullo modo immutare, augere, vel diminuere valeat abſque Generalis conſenſu.

3. Decernitur autem, ut, quicunque tam in Generali, quàm in Provinciali Capitulo, ſeu Capitularibus Congregationibus ad aliquod Religionis munus ſive officium aſſumpti fuerint, ſi renuerint, vel non paruerint, ad omnia Ordinis officia (niſi legitima, canonicáque adeſſent impedimenta, à Generali Miniſtro & Provinciali reſpectivè probanda) per quinquennium inhabiles declarentur.

Rationum ſupputatio.

4. Rationes pecuniarum ac ſumptuum Provinciæ Capituli ſive Congregatio-

gationis, quæ in Diffinitorio (prout decretum eſt) publicè referendæ ſunt. Peractis tabularum diſpoſitionibus, ſupputentur taxæ, contributiones, ſive Collectæ perſcribantur, aliáque negotia ad Capitulum Provinciale, ſive Capitularem Congregationem quomodolibet ſpectantia expediantur, confirmanda firmentur, reprobanda reprobentur, ſolitisque ritibus ſuperiùs præſcriptis Capitulum ſive Congregatio abſolvatur.

Taxæ.

Abſolutio Capituli.

5. Si quæ tamen aderint graves Provinciæ cauſæ ſive pro Statutis condendis, ſive pro alia qualibet magna neceſſitate, de mandato Præſidentis Capituli, ſive Provincialis Miniſtri Diffinitores tantùm tum perpetui, cùm temporanei nullo pacto recedant.

6. Et ſi nova Statuta condenda ſint, à tribus ex quatuor ſuffragiorum partibus approbentur; quæ ſi recepta fuerint, ut validiora ſint, decernitur, & ſtatuitur, ut Capituli Præſidens, vel Provincialis Miniſter ea per totam Provinciam publicari mandet, eorúmque tranſumpta ad omnes Cuſtodes Provinciæ ſigillo, propriæque manus Provincialis Miniſtri ſubſcriptione munita tranſmittantur, ac ad proximum uſque futurum Generale Capitulum duratura obſerventur; quòd ſi à Capitulo Generali deinceps non confirmentur, nullius exinde ſint roboris vel momenti, prout ſupra ſtatutum eſt.

Decreta publicentur, & obſerventur.

De Authoritate & Officio Cuſtodum.

TITULUS XLVII.

1. Cuſtodes debent quot annis ſuas Cuſtodias viſitare, regiſtra, ſeu Conventuum inventaria recognoſcere, conficere, & renovare, in electionéque Diſcretorum ipſo electionis tempore præſidere, & in electione Cuſtodis Cuſtodum juxta exigentiam vocem habere.

Viſitatio, & ad ea attinentia.

2. Debent Edicta & Ordinationes Superiorum per ſuas Cuſtodias promulgare, in Provinciali Capitulo, ſive Capitulari Congregatione adeſſe, in Capitulo Provinciali eligendos in Diffinitores, electóſque Diſcretos Cuſtodiæ præſentare; an Superiorum Decreta in eorum Cuſtodiis ſerventur diligenter perquirere; defectus Guardianorum, & eorum Fratrum in ejus viſitatione inquirere, ac ad Provincialem in Capitulo, ſive Generalem Miniſtrum (ſi fuerit opus) referre; Fratribus in eorum Cuſtodiis degentibus (dummodo juniores non fuerint) de Cuſtodiis exeundi ex rationabili cauſa facultatem concedere, Valetudinario Cuſtodiali præeſſe nomina Fratrum intra eorum Cuſtodias defunctorum in peculiaribus libris adnotare, eorundémque obitum ſingulis Cuſtodiarum Conventibus ſignificare, Provincialem Miniſtrum intra Cuſtodias viſitationis tempore comitari, eique fideliter aſſiſtere, & à caſibus demum officio ſuo reſervatis abſolvere.

Munus in Capitulo, & extra.

3. Non poſſunt tamen, niſi ad breve tempus, ab earum Cuſtodiis abeſſe, non niſi in ipſo viſitationis tempore præcedentiam habere, non demum cum actu Cuſtodes fuerint, Guardianatus officio fungi.

Limitatio.

De Authoritate, & Officio Guardianorum.

TITULUS XLVIII.

1. Guardiani omnes, qui Plebanis & Curatis à jure communi æquiparantur, Prælati in Ordine noſtro ſunt, ordinariáque authoritate per Apoſtolica privilegia præfulgentes.

Quibus æquiparantur.

2. Poſſunt itaque Guardiani, quæ ad Conventuum, quibus præſunt, regimen ſpirituale, morale, ac temporale pertinent (niſi majoribus Superioribus quidpiam reſervatum fuerit) abſolutè pertractare, Fratres omnes ſibi ſubjectos, ſive de familia fuerint, ſive ex itinere tantùm advenerint, regere, eóſque ad Conſtitutionum, & à Superioribus in dictarum Ordinationum obſervationem compellere, eis per modum ſpecialis præcepti, & ſub peccati mortalis, ac cenſurarum pœnis (qua tamen authoritate diſcrerè utantur) præcipere, à caſibus & cenſuris in foro interiori eorum officio reſervatis abſolvere, abſolvendique ab hujuſmodi reſervatis caſibus Confeſſariis tantùm à Generali vel Provinciali Miniſtro approbatis facultatem concedere, in exteriori foro de infraſcriptis exceſſibus cognoſcere, diffinire, ac judicare; videlicet

Poteſtas in regimine Fratrum.

De blaſphemia non hæreticali.
Luſu chartarum, vel taxillorum.
Contumelioſis.
Detractoribus.
Inhoneſtè loquentibus.
Venatione cum armis.
Ab eorum obedientia pertinacibus.
Couventus abſque eorum licentia exeuntibus, & abſque Socio extra Conventus vagantibus, & aliis ſimilibus.

3. Si qui caſus ad majores Superiores ſpectantes occurrant, in quibus ſit timor fugæ, vel curiæ informatio neceſſaria ſit, poſſunt reos in carcerem trudere, ſtatimque Superiorem, ad quem ſpectaverit cauſa, diligenter monere, proceſsúmque informativum ad eundem Superiorem quantocyùs tranſmittendum capere. Locationum, ſive affictuum (ùt ajunt) contractus de conſenſu Capituli Conventus ad triennium duntaxat conficere, ab eo tamen, cui præeſt, Monaſterio quindecim tantùm dierum, vel de Miniſtri Provincialis licentia unius duntaxat menſis ſpatio abeſſe (præterquam concionandi prætextu Quadrageſimæ tempore) valeat.

Carceratio. Proceſſus fabricatio. Locationes. Abeſſe à Conventu.

4. Qui verò extra ſui Guardianatus civitatem vel locum concionatum Quadrageſimali tempore proficiſci voluerit, ſi de menſa Generalis fuerit, à Generali Miniſtro, ſin minùs, à Provinciali eundi licentiam petere teneatur. Qui verò abſque licentia & facultate hujuſmodi concionandi gratia ſui Guardianatus Conventum reliquerit, præter privationem officii ipſo facto, etiam à prædicationis munere ſuſpendatur.

5. Non poſſunt Guardiani per modum legis quidpiam ſuis ſubditis imperare, non excommunicationis ſententias ferre, niſi pro re gravi: non bona ſtabilia vendere, & oppignorare, fabricas, ædificiáque, niſi ad iſtarum Conſtitutionum præſcriptum, conſtruere: libros, aliáque mortuorum Fratrum ſupellectilia diſtribuere, extra Cuſtodiæ limites Fratres dimittere, Profeſſis junioribus è Conventu ad alium quoque Conventum licentiam dare, neque Procuratoris officium exercere.

6. Licèt autem inferiores Conventuum Officiales ad Superiorum nutum amoveri poſſint & valeant, niſi id ſpecialiter à Conſtitutionibus prohibeatur, Guardianus tamen & Regens abſque legitimo proceſſu privari, ſive ſuſpendi nullatenus poſſint.

Qua ratione privari poſſunt Guardianus & Regens.

De Capitulo Conventuali, ejúsque poteſtate.

T I T U L U S XLIX.

Quando legitimè congregatur.

1. CApitulum Conventuale tunc legitimè, canonicéque convocari dicitur, cùm, jubente Prælato, datóque propterea ſolito ſigno, Fratres de familia certis quibusdam diebus vel horis in aliquo particulari loco ad ea, quæ pro Conventus utilitate pertractandà fuerint, negotia in unum conveniunt.

2. Vocales in hujuſmodi Conventuali Capitulo ſunt Fratres omnes de familia expreſsè profeſſi, & in Sacris conſtituti. Vocales.

3. Cæterùm in inſignioribus Conventibus Patres omnes eorundem duntaxat Conventuum, qui vel ſacræ Theologiæ Magiſtri fuerint, vel Paternitatis titulo inſigniti, in Conventuali hujuſmodi Capitulo Vocales ſint. In Conventibus inſignioribus.

4. Poſſunt autem hi omnes prædicto modo legitimè congregati rationes expenſarum, quæ quotidie à Conventus Officialibus fiunt, examinare, ac ſupputare, ex illisque admittendas admittere, rejiciendásque rejicere; poſſunt agros, fundos, prædia, domus, aliáque hujuſmodi ad Conventum quomodolibet ſpectantia bona ad triennium duntaxat locare, annuos cenſus ad favorem Conventus conſtituere, ſervatis ſervandis. Poteſtas.

5. In contrahendo tamen, ut major Capituli pars interſit, contractúsque totius Capituli nomine fiat, neceſſe eſt, ſi proinde pro graviori aliqua re Quadrageſima, ſeu alio quovis tempore, cùm pars magna Patrum abeſſe ſolet, Capitulum hoc, ut quidpiam approbetur, quod præſentibus omnibus veriſimile eſt non approbatum iri, arte vel dolo convocetur, id omne irritum & inane, nulliúsque valoris ac momenti declaratur, niſi tamen fiat de licentia Provincialis. Malitiosè congregatum.

De cauſis depoſitionis Prælatorum Ordinis, déque eorum exceſſibus.

T I T U L U S L.

PRælati omnes in Ordine noſtro Seraphico, quicunque hi fuerint, ſi deponi quaodo (quod abſit) in omnes, vel aliquem ex infraſcriptis exceſſibus prolaberentur, lapsósque fuiſſe convincerentur, à Prælaturis & Officiis eo ipſo deponantur. Omnes poſſunt.

1. Si ad gradus, & dignitates, & officia per ſimoniam pervenerint. Cauſæ.

2. Si eosdem gradus & officia ſimoniacè unquam contulerint, vel actu conferant.

3. Si mercaturas mediatè vel immediatè quomodolibet exerceant.

4. Si

4. Si timore Dei poſtpoſito, inhoneſtam vitam traducant.

5. Si Conſtitutionum, regularisque diſciplinæ obſervantiam oppugnare comperiantur; vel eam ita non tueri, ut manifeſtas, graves, & enormes culpas, atque delicta juxta Ordinis Statuta corrigere ac punire neglexerint.

6. Si denique revera juxta Regulæ, ac Conſtitutionum Decreta inutiles, ac inſufficientes eſſe noſcantur; quod tunc præſertim eſſet, ſi quis eorum ſuæ Regulæ, aut juris divini, ſeu Apoſtolicarum Conſtitutionum transgreſſor notorius deprehenderetur.

Generale Decretum. 7. Quas omnes cauſas (præter alias ſpeciales pro particularibus aliquibus Prælatis ſancitas) ad omnes & quoſcunque noſtri Ordinis Superiores & Prælatos virtute præſentis Decreti reſpectivè referimus, & extendimus.

Maturè procedendum. 8. Decernitur tamen, ut maturè admodum & prudenter in exceſſuum hujuſmodi probationibus procedatur, ac, niſi de veritate efficaciſſimè, apertiſſiméque conſtiterit, nullatenus ad privationis actum deveniatur.

Depoſiti careant privilegiis. 9. Quicunque verò ob demerita ab officio deponetur, privilegiis, gratiis, & indultis per has URBANAS Conſtitutiones dignitatum omnibus laudabiliter perſungentibus quomodolibet conceſſis frui, potiri, & gaudere minimè poſſit; & hoc arbitratu Generalis.

De Ordine præcedendi.

TITULUS LI.

Univerſalitas ſanctionis. 1. QUoad præcedentias tum inter Superiores, ac Prælatos Ordinis, tum inter alios quoſcunque noſtræ Religionis Patres & Fratres ſtatuitur, ut ubique terrarum infraſcriptus ordo ab omnibus inviolatè ſervetur.

Patres Religionis qui Generales fuere. 2. Qui Seraphicæ hujus Religionis Generales Miniſtri fuerunt, omnes alios Fratres, quicunque hi fuerint, & quibuſcunque titulis gaudeant (Generali duntaxat Miniſtro, actû exiſtente, excepto) in Curia Romana, aliiſque publicis Religionis locis, ubi Generalem Miniſtrum perſonaliter reperiri contigerit, jure, legitiméque præcedant. Ubi verò Generalis Miniſter non reperitur, omnes alios Patres & Fratres (Provinciali tantùm Miniſtro in ſua Provincia, & in ſuo Conventu Guardiano exceptis) pariter abſolutè præcedant. Quòd ſi eos Capitulis Provincialibus, ſeu quarumcunque Provinciarum Capitularibus Congregationibus intereſſe contingat, vocem habeant activam, ſicut cæteri Patres illius Provinciæ. Eorum vox in Capitulis omnibus.

Procurator Ordinis. 3. Extra Generale Capitulum Ordinis Procurator in Curia Romana, præter Generalem Miniſtrum tum actu exiſtentem, tum jam officio functos omnes alios Religionis Patres præcedat, ſimiliter extra Curiam, Provinciali illius Provinciæ, in qua eum reperiri contigerit, duntaxat excepto; in Capitulis autem Generalibus Provincialibus Miniſtris, & Commiſſariis Provinciarum locum cedat.

Provinciales. 4. In Capitulis Generalibus Provincialis Miniſter ſancti FRANCISCI, Generali Miniſtro præſente, alios omnes præcedat, abſente verò Generali, Diœceſanus; Provincialem verò S. FRANCISCI, Generali Miniſtro præſente, ſequatur Provincialis Diœceſanus, hunc Provincialis Romæ. Inter alios autem ſervetur antianitatis (ùt ajunt) ſive antiquitatis ordo, qui ex priori electione cum confirmatione extenditur. Quòd ſi plures Provinciales eodem die electos, & confirmatos fuiſſe contingat, eo caſu præſcriptus ordo dignitatis Provinciarum ſervetur. Provinciales ſequentur Provinciarum Commiſſarii juxta earundem Provinciarum ordinem & dignitatem; hos ſubſequantur Procurator, Socius, & Secretarius Ordinis; poſt hos ſacri Conventus Aſſiſienſis Cuſtos, deinde Guardianus Romæ, poſt quem Guardianus Capituli, & tandem Cuſtodes Cuſtodum juxta Provinciarum dignitatem. Aſſiſtentes Ordinis.

5. Extra Generale Capitulum poſt Generalem actu exiſtentem, aliósque jam officio defunctos, in Curia primus eſt Procurator Ordinis, ſecundus Provincialis Romæ, tertius Socius, quartus Secretarius Ordinis, deinde Provincialis ſancti FRANCISCI, ac cæteri poſt hunc juxta antianitatem, ſive prioritatem officii.

6. Extra Curiam poſt Generalem Miniſtrum primum locum obtineat Provincialis Diœceſanus, ſecundum Procurator Ordinis, deinde Socius, & Secretarius Ordinis, poſt hos autem Provincialis ſancti FRANCISCI, Provincialis Romæ, cæterique, ùt ſupra.

7. Extra tempus Capituli in Conventibus, qui de menſa Generalis Miniſtri fuerint, poſt Provincialem Diœceſanum, In Conventu de menſa Reverendiſſ.

ſanum, alios omnes Guardianus Conventus antecedat, deinde Socius, & Secretarius Ordinis, cæterique, ùt ſupra.

Patres Provinciæ.

8. Inter Patres Provinciarum il, qui tum nativarum, tum alienarum, cùm etiam titularum Provinciarum Provinciales fuerint, alios omnes, qui Provinciales non fuerint, antecedant.

Ordo ab electione, non à Provinciis.

9. Inter eos verò, qui Provinciales fuerunt, qui priùs fuerit Provincialis, alios poſteriores præcedat. Quæ præcedentia extenditur etiam ad alienarum Provinciarum Miniſtros priùs electos vel deputatos reſpectu Provincialium naturalium poſteriùs electorum ex Decreto Generalis Capituli, quod etiam ad Provinciales Titulares priùs (ùt præfertur) electos vel inſtitutos reſpectu Provincialium tum alienarum, tum nativarum Provinciarum electorum, ſive deputatorum plenariè, abſolutéque extendimus.

Provinciales Titulares.

Patres & Regentes.

10. Qui ad harum Conſtitutionum præſcriptum fuerint primæ Claſſis Regentes, cæteros omnes, qui non ſunt Patres Provinciæ, præcedant.

Regentes.

11. Qui actu primæ Claſſis Gymnaſiorum Regentes fuerint, alios omnes ſacræ Theologiæ Magiſtros, præter antianos Patres Provinciæ, in iis tantum Conventibus, ubi erunt Regentes, præcedant. Lectores publici Theologiæ, & Metaphyſicæ Gymnaſiorum, ſive Univerſitatum ad modum primæ Claſſis Regentium ſeſe habeant, iisdémque gratiis, privilegiis, ac præcedentiis gaudeant.

Lectores publici.

Ordo inter ſe ipſos.

12. Inter Lectores autem Gymnaſiorum ſive Univerſitatum hujuſmodi, & primæ Claſſis Regentes, ac inter Lectores publicos inter ſe; Regentéſque primæ Claſſis pariter inter ſeſe ordo Magiſterii ſervetur.

Provincialis Romæ, & Guardianus ſanctorum duodecim Apoſtolorum.

13. Inter Provincialem Romæ, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum de Urbe Guardianum ſervetur Breve Apoſtolicum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. ſub dato Romæ die 3. Julii anno 1594.

Provinciarum Secretarii.

14. Provinciarum Secretario in actu viſitationis, & Provinciali Miniſtro præſente, alios omnes (Patribus earum Provinciarum, & in propriis Conventibus eorum Guardianis exceptis) præcedant; Provinciali verò abſente, ſi ejus Commiſſarii fuerint, ejus quoque locum ſuper omnes obtineant.

Conventuum Guardiani Cuſtos.

15. Guardianus in ſuo Conventu Fratres alios, quicunque hi fuerint (Provinciali duntaxat Miniſtro, ejúſque Cuſtodiæ Cuſtode, cùm actu viſitaverit, exceptis) antecedat; Cuſtos verò, cùm actu viſitaverit, Guardianos omnes, Patréſque & Fratres ſuæ Cuſtodiæ (Provinciali Miniſtro excepto) præcedat; expleta verò viſitatione, ac ſi non eſſet Cuſtos, locum ſuum obtineat.

Præſidentes à Provinciali, & à Guardiano inſtituti.

16. Præſidentes à Provinciali Miniſtro deputati, ſeu aliàs in tabula notati, Guardianis abſentibus, ad inſtar eorum omnes alios præcedant; ab Ipſis verò Guardianis inſtituti tunc ſolùm, cùm Guardiani extra civitatem vel oppidum fuerint, alios eodem modo præcedant. In Refectorio verò cùm Guardianus non aderit, ejus locum, etiamſi in oppido vel civitate fuerit, ſuper omnes obtineant.

Sacræ Theologiæ Magiſtri.

17. Sacræ Theologiæ Magiſtri alios ſimiliter ſacræ Theologiæ Magiſtros juxta antianitatem Magiſterii, omnéſque cæteros, qui Magiſtri non fuerint, antecedant; Seraphici verò Collegii ſancti Bonaventuræ de Urbe Magiſtri in præcedentiis ad alios omnes ſe habeant juxta felicis recordationis Clementis Papæ VIII Decretum; inter ipſos verò, & dum plures eodem ſimiliter tempore lauream Doctoratus ſuſcipiunt, ordo Sacerdotii ſervetur.

Ex Collegio Divi Bonaventuræ.

Seminariorum Magiſtri.

18. Magiſtri Seminariorum, qui per duodecim annos (ùt ſuperiùs decretum eſt) in eorum officio ſeſe laudabiliter geſſerint, Patres omnes & Fratres, qui ſacræ Theologiæ Magiſtri non fuerint, antecedant. Ad invicem verò is, qui priùs duodecim annorum munus ſuum expleverit, alios omnes præcedat; Magiſterii tamen titulum nullo pacto obtineant.

Vicarii.

19. Vicarius omnes alios Fratres (ùt ajunt) ſimplices, qui graduati non fuerint, antecedat. Magiſtri Muſices per literas patentes à Generali Miniſtro declarati, qui quinque vel quatuor ſaltem muſicalia opera in lucem ediderint, Vicarios non Præſidentes, & Patres omnes ſimplices non graduatos præcedant. In tabulis verò, & alibi non appellentur abſolutè Magiſtri, ſed hoc duntaxat titulo in actibus quibuſcunque prænotentur Pater Fr. N. Mag. Muſices.

Magiſtri Muſices.

Prædicatores, & Lectores non Magiſtri.

20. Prædicatores & Lectores in Eccleſiis, item Studiorum, Gymnaſiorum, Collegiorúmque Lectores non Magiſtri Sacerdotes Baccalaureos omnes, & Studentes in iis Conventibus, ubi Lectores fuerint, antecedant; alibi verò profeſſionis

ſionis ordinem ſervent, & ſi non fuerint Sacerdotes, in ſcholis tantùm, & in actibus ſtudiorum præcedant; Concionatores verò, Lectoreſque Eccleſiarum & Studiorum inter ſe antianitatis ordinem ad invicem ſervent.

Baccalaurei & Studentes. 21. Baccalaurei juxta harum Conſtitutionum Decreta poſthac inſtituti omnes alios non Baccalaureos etiam ætate ſeniores, & Sacerdotes, licèt ipſi Sacerdotes non fuerint, in ſcholis tantùm præcedant; inter ſe verò, qui priùs patentes literas obtinuerit; Studentes autem inter ſeſe profeſſionis ordinem ſervent. Extra ſcholas verò tum in Refectorio, tum in aliis omnibus publicis locis Sacerdotes Baccalaurei juxta antianitatis ordinem præcedant Baccalaureos non Sacerdotes, ac Studentes omnes tam Sacerdotes, quàm non Sacerdotes. Poſt hos ſequantur Studentes Sacerdotes juxta profeſſionis ordinem, deinde Fratres ſimplices Sacerdotes, poſtmodum Baccalaurei non Sacerdotes juxta antianitatis ordinem, demum Studentes non Sacerdotes juxta ordinem profeſſionis. Fratres ſimplices.

Profeſſi. 22. Clerici profeſſi præcedant Novitios, & Laicos profeſſos. Inter Clericos autem explicitè profeſſos ordo profeſſionis ſervetur; Clerici verò Novitii ordinem ingreſſus ad Religionem obſervent, & Novitios Laicos præcedant. Novitii.

Laici. 23. Laici profeſſi præcedant omnes Novitios tam Clericos, quàm Laicos. Laici Novitii omnibus aliis, præterquam Oblatis & Tertiariis, locum cedere teneantur.

CONSTITUTIONES

IN

CAPUT IX. REGULÆ.

De Concionatoribus.

TITULUS I.

Text. *Fratres non prædicent in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cùm ab eo &c.*

1\. Seſſ. 5. c. 2. de reform. & Seſſ. 24. cap. 4. de reform. NUllus Fratrum in alicujus Epiſcopi Diœceſi, contradicente Epiſcopo, populo verbum Dei juxta ſacri Concilii Tridentini, ac Seraphicæ noſtræ Regulæ ſanctiones ullatenus annunciare præſumat.

Sufficientia doctrinæ. 2. Nullus ad prædicationis officium admittatur, qui Sacerdos non ſit, Catholicáque doctrina, ac iis, quæ populo annunciari debent, ſufficienter inſtructus.

Probitas morum. 3. In primis autem juxta Seraphicam Regulam ad ædificationem & utilitatem annuncianda ſunt vitia & virtutes, pœna & gloria. Cúmque præterea eloquia Domini eloquia caſta ſint, non literarum modò ſcientia, ſed & probitate morum hi, qui ad præfatum prædicationis officium aſſumentur, inſignes ſint. Quapropter decernitur & ſtatuitur, ut nullus à Generali Miniſtro ad conciones admittatur, qui priùs examinatus ac approbatus non fuerit, ac morum ſuorum probitatis teſtimonium non habuerit ab iis, quibus à Generali Miniſtro fuerit demandatum. Examen & approbatio.

Facultatum revocatio. 4. Generalis, Provincialis, & Commiſſarii facultates Concionatoribus datas, quoties, & quando opportunum vel expediens judicaverint, revocare, ſuſpendere, ac reſtringere poſſint.

Sine licentia prædicantes. 5. Si quis autem abſque Superiorum licentia prædicationis munus exercuiſſe deprehenſus fuerit, poſt carceris ad menſem macerationem, triennio à Provincia exulet; quòd ſi ſæpiùs hoc modo deliquerit, per annum carceribus mancipetur.

Confeſſionibus ſint apti Concionatores. 6. Nullus præterea ad concionandi munus admittatur, qui Fidelium confeſſiones audire non poſſit, aut nolit; quapropter qui ad hujuſmodi concionandi munus admittendus fuerit, de caſibus quoque conſcientiæ examinetur. Baccalaurei verò & Collegiales, omneſque Studentes extra concionum tempus à confeſſionibus audiendis omnino prohibeantur, niſi urgente aliqua neceſſitate à Superiore probanda. Quibus audire confeſſiones vetitum.

Tyronum in concionibus exercitium. 7. Qui igitur tam præclarum prædicationis munus incepturi fuerint, aſſiduis precibus ac ſtudiis ſeſe præparent,

quas autem primò habituri fuerint conciones, Regentes, aut alii à Generali Miniſtro, vel Provincialibus deputandi diligenter examinent, propriarúmque manuum ſubſcriptionibus approbent, nec ullus Fratrum, qui primò (ùt prætertur) approbatus non fuerit, publicè prædicare præſumat.

Approbatio.

Tempora præparationum.

8. Curabunt præterea Superiores, ut Concionatoribus opportunum tempus ab aliis domeſticis curis liberum ad concionum ſtudia tum pro Quadrageſima & Adventu, tum pro tempore & Sanctis infra annum largiantur.

Prædicatorum ſcandala.

9. Concionator autem, qui loco ac tempore prædicatioois publicum populo ſcandalum dederit, prædicationis officio privetur, ne, quod verbo ædificat, exemplo deteriùs deſtruat, amoveatur, gravioribúsque pœnis pro qualitate delicti ſubjaceat.

Prædicatores requiſiti obediant.

10. Nullus noſtri Ordinis Concionatorum à Provinciali Miniſtro requiſitus, ut Quadrageſimali tempore in aliqua noſtri Ordinis Eccleſiarum prædicet (etiamſi aliis prædicationem, eo inconſulto, promiſerit) obedire renuat.

De Concionatoribus Generalibus, & Provincialibus.

TITULUS II.

Claſſis duplex.

1. Duplicem Concionatorum Claſſem inſtituimus, Generalium, qui in noſtri Ordinis locis eis à Generali Miniſtro aſſignandis, & Provincialium, qui io locis eis à Provincialibus pariter aſſignandis conciones (ſervatis tamen ſervandis) publicè populis habeant.

Generalis loca.

2. In Provincia ſancti FRANCISCI Generalibus Concionatoribus infraſcripta loca à Generali Mioiſtro ſunt aſſignanda:

Aſſiſium	Interamna	Burgum S. Sepulchri
Leoniſſa	Tifernum	Mons Realis.

IN PROVINCIA ROMÆ.

Roma	Viterbium	Alatrum
Setia	Sommenum	Vetralla.

IN PROVINCIA S. ANTONII.

Venetiæ	Patavium	Verona
Lendinaria	Tarviſium	Rodigium
Vicentia	Coneglanum	Tridentum.

IN PROVINCIA BONONIÆ.

Bononia	Ferraria	Placentia
Parma	Lugum	Cremona
Toſſinianum	Longianum	Formulivii
S. Jo. in Perſiceto	Mutina	Breſighella
Burgum S. Donnini	Ariminum	Caſtrum Bononienſe.
Corrigium	Caeſena	Bertinorum
Bagnacaballum	Faventia	Meldula
S. Archangelus	Caſtrocarum	Mons Scutolus.
	Caſalis major	

IN PROVINCIA MARCHIÆ.

Ancona	Fanum	Urbioum
Pergula	Fabrianum	Corinaldum
Aſculum	Firmum	Senogalia
Caſtrum Durantis	Piſaurum	S. Angel. in Vado
Mons novus	Moodavium	Mondainum.

IN PROVINCIA THUSCIÆ.

Florentia	Senæ	Piſæ
Aretium	Piſcia	Fighinum
Caſtilionum Flor.	Fulecchium	Mons Varehius
Lucinianum	Mons Ilcinus	Caſtrum Flor.

IN PROVINCIA MEDIOLANI.

Mediolanum	Brixia	Crema
Vallis Camonica	Saronum	Garignanum
Bugella	Novocomum	Viglevanum
Ipporedia	Canturium	Vercellæ.

IN PROVINCIA JANUÆ.

Janua	Sextrium	Caſſinæ.
Foſſanum	Mitia palearum	Valentia
Ticinum	Cherium	Vigiotimillia
Mons Clavius	Taurinum	Cunium
Ceva	Albinga	Savona.

IN PROVINCIA NEAPOLIS.

Neapolis — Ebulum.

IN PROVINCIA S. NICOLAI.

Tarentum — Bituntum.

IN PROVINCIA SICILIÆ.

Panormus — Meſſana.

IN PROVINCIA S. BERNARDINI.

Aquila — Sulmona.

IN PROVINCIA DALMATIÆ.

Tergeſtum — Mugla.

3. Reliqua verò loca ab Ordine acceptа & acceptanda ad Provinciales pertineant, nec poſſit Generalis Miniſter præter hæc loca alia ad Provinciales ſpectantia (niſi ipſomet Provinciali conſulto) prædicationibus quibuſvis concedere, aliàs conceſſio nulla ſit, iſque concionis munus exerceat, qui à Provinciali delectus eſt.

Provincialis conciones.

CON-

CONSTITUTIONES
IN
CAPUT X. REGULÆ.

De Viſitatione, quæ Miniſtrorum eſt.

TITULUS I.

Text. *Fratres, qui ſunt Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum, viſitent, & moneant Fratres ſuos &c.*

Generalis viſitatio. 1. TOtius Seraphicæ noſtræ Religionis univerſalem viſitationem Generalis Miniſter, uti ſuperiùs decretum eſt, modò legitimum impedimentum non adſit, ex debito perficere debet. Uti delegati. Si verò legitimo impedimento detentus, ſeu totam, ſeu partem viſitare per ſe nequiverit, per deputaros Commiſſarios, ſive Viſitatores inviſere teneatur, & in Capitulo Generali impedimentum exponat, alioquin à Diffinitoribus corrigatur.

Comm. Generalis Italiæ. 2. Si verò Ultramontanas, vel Ultramarinas Provincias præſcriptæ viſitationis, ſeu alterius occupationis gratia adierit, Commiſſarium Generalem in Italia, quemcunque maluerit, inſtituere, ac cum omnis poteſtatis plenitudine relinquere poſſit, & valeat.

Succeſſoris Generalis viſitatio. 3. Succeſſor verò in Generalatus Præfectura, ſi Generalem mori contigerit, aut totam, (uti decretum eſt) Religionem viſitare nequiverit, inde viſitationem auſpicetur, ubi prædeceſſor viſitationem intermiſerat, eodémque pariter modo totam viſitationis gratia Religionem ſedulò perluſtrare, ae in Capitulo Generali de Provinciarum, quas viſitaverit, ſtatu exactam rationem reddere teneatur. Viſitatio Provinciałis. Hoc ipſum de ſuis Conventibus, quos omnes (uti decretum eſt) ſub pœnis ibi contentis quot annis viſitare tenetur, à Provinciali Miniſtro in Capitulo Provinciali præſtandum eſt.

In viſitationibus ſervanda. 4. Ad exactam verò viſitationem pro DEI gloria, animarúmque ſalute, & Religionis zelo perficiendam ſtatuitur, ut Viſitatores omnes, ae Generalis ipſe, & Provinciales Miniſtri, dum actu viſitaverint, ea omnia, quæ inferiùs decernuntur, inviolatè obſervent, ac omni diligentia, prudentiáque viſitationem ipſam ad rectam arbitrii ſententiam (prout expedire videbitur) perficiant.

De obſervantia incipiuntur, à Fratribus obſerventur; de quiſitio. 5. Exquirant itaque primò qualiter divina præcepta, & quæ ab Eccleſia præinde quæ ad profeſſionem, Regulæque Seraphicæ obſervantiam ſpectent. Offenſiones deinde, quæ mali ſpeciem habent, veluti ſuſpectas familiaritates, vagationes inutiles, aliáque id generis, quæ bonum Religioſorum nomen diminuere, ſeu magis peſſundare, vel omnino denigrare queunt. Urbanarum Conſt. introducenda obſervantia De vita præterea, moribus, & ſingulorum Fratrum conditione, & ſtatu perquirant, ac de harum præſertim URBANARUM Conſtitutionum obſervatione, quæ per Viſitatores hujuſmodi quàm diligentiſſimè in Religione introducenda eſt.

Viſitatio localis. 6. Quæ præterea ad DEI obſequium, & temporalium rerum ſtatum ſpectaverint, non ſecus inviſant, Sacrarium, Chorum, Altaria, Officináſque omnes, Hoſpitiúmque præſertim, & Valetudinarium, eatúmque Officinarum neceſſariam ſupellectilem, hortos inſuper, [illegible]rea, promptuaria, pavimenta, tecta, parietéſque ne dum viſitent, & conſiderent, ſed ſi quid ex Guardianorum incuria laboraverit, ſalubrioribus præceptis, ac ſi fuerit opus, correctionibus quoque reſtaurent. Fratrum inſuper cellas diligentiſſimè viſitent, vana omnia prohibita auferant, hujúſque inobſervationis, ſi quos invenerint, authores ſeveriſſimè puniant, ſi verò in eis non fuerit æqua ſupellectilium portio (prout decrevimus) neceſſaria, ubi deſint, provideant, ſuperfluáque extrahant. Seminaria luſtrent, Procuratores denique, Seminariorúmque (ſi aderint) Magiſtros, aliόſque Conventuum Officiales diligenter examinent, & quidquid ad rectum Conventuum regimen neceſſarium judicabitur, ordinent, & decernant.

Studiorum viſitatio. 7. Ubi prætetea ſtudia, ſive Gymnaſia erecta fuerint, diligenter perquirant, num qui ſtudiis incumbere teneantur, aliis occupationibus vacent, num ab eis Conſtitutionum obſervantia excolatur,

tur, num demum ea modeſtia, eáque religioſa animi compoſitione, quæ Juvenes præſertim decet, mores, vitámque componant; ſi quos verò ſive in ſtudiis, ſive extra Seraphicæ Regulæ URBANARUMQUE Conſtitutionum hujuſmodi tranſgreſſores quandocunque invenerint, eos acriter corrigant, ac pro tranſgreſſionis, & delicti qualitate etiam puniant. In viſitatione autem hujuſmodi ſervetur methodus Generalis Geſualdi jam typis mandata.

Viſitationis Methodus.

8. Dum itaque viſitatio perficitur, decernimus, ut Conventuum januæ ita cuſtodiantur, ne extraneum, vel ſæcularium aliquis intra eorum ſepta ullatenus ingrediatur, Fratres autem abſque Miniſtri, Viſitatoris licentia eo tempore è Conventu egredi nullo pacto præſumant. Omnia demum Conventuum regiſtra, & inventaria, librique rationum, & alia omnia (uti hactenus conſuetum eſt) videantur, omniáque, & ſingula uſibus Fratrum applicata Miniſtris, ſive Viſitatoribus ſcriptis fideliter adnotata præſententur. Quòd ſi ea proportionabiliter aſſignata fuiſſe compererint, ea iterum applicent, vel ſi non æquè diſtributa fuerint, denuò æquè diſtribuant. Qui verò quidpiam integrè non detexerit, velut proprietarius puniatur, eíque omnium eorum uſus auferatur; quòd ſi iterum in eundem errorem prolaberetur, ad aliam Provinciam debitæ punitionis ergò, juxta delicti qualitatem, ad Viſitatoris arbitrium tranſmittatur.

Ad Conventus adminiſtrationem ſpectantia.

Viſitatori quidquam celantes.

9. De omnibus verò, quæ in viſitationibus majoris momenti acciderint, Generalem Miniſtrum certiorem reddere Viſitatores protinus teneantur.

Viſitatorum relationes.

10. In fine verò viſitationis, habito à Viſitatore ad regularis diſciplinæ obſervantiam hortatorio ſermone, communis ab omnibus Fratribus culpa coram Ipſo de more fiat, ſalutares ab eo imponantur pœnitentiæ, factáque deinde generali abſolutione, benedictionem ſingulis ante diſceſſum impertiatur.

Viſitatoris diſceſſus.

De cauſis cognoſcendis.

TITULUS II.

Text. *Humiliter, & charitativè corrigant eos &c.*

Provincialis judicio.

1. QUoad cauſas verò decernitur, & ſtatuitur, ut nullus Fratrum, quicunque Is fuerit, ſui Miniſtri Provincialis judicium ſubterfugiat, vel illud ullo pacto, quouſque ſuam ſententiam non protulerit, reiicere audeat.

2. Provinciali tamen Miniſtro in cauſa procedente, ſi rationabilis ſuſpicio, etiam ante inchoationem judicii, manifeſtis argumentis appareat illum non ſecundùm Deum, rectámque conſcientiam procedere, eo caſu reus, vel accuſatus à Generali Miniſtro Collegam, qui unacum Provinciali Miniſtro cauſam expediat, humiliter petere poſſit, interim tamen ſub pœna convicti criminis nullatenus recedere audeat.

Aſſeſſor quando poſtulandus.

3. Qui tamen, vel poſtea pro injuſtitia ſibi illata, ſeu quam ſibi illatam eſſe prætenderit, ad ſæculare brachium, & non ad noſtri Ordinis Prælatos temerariè confugere quomodocunque præſumpſerit, è Provincia ſtatim depellatur, & ultra excommunicationis pœnam Summo Pontifici reſervatam, quam ipſo facto incurret, ad omnia, & ſingula Ordinis munera, vel Officia in habilis perpetuò ſit, & eo ipſo reddatur.

Ad ſæculare judicium accedens.

4. Cum autem non rarò contingat, ut In cauſis Fratrum reorum ad immediatos Superiores ſpectantibus majores Ordinis Prælati ſeſe ingerant, eáſque ab inferioribus Prælatis, ad quos de jure ſpectarent, evocare nitantur; Ne hujuſmodi error, & injuſtitia à quopiam noſtri Ordinis Prælatorum, nec etiam ab ipſo Generali Miniſtro deinceps ullatenus admittatur, decernitur, & ſtatuitur, ut Sacroſancti Concilii Tridentini Decretum ſeſſ. 24. cap. 20. inviolatè ſervetur.

Ordo inter judices non perturbetur.

5. Decernit verò Sacroſancta Synodus, ut cauſæ omnes in prima inſtantia coram ordinariis duntaxat Superioribus cognoſcantur, neque aliis antea committantur, nec avocentur, nec appellationes à reis interpoſitæ per Superiores quoſcunque recipiantur, eorúmve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi à diffinitiva, vel à diffinitiva vim habente, & cujus gravamen per appellationem à diffinitiva reparari nequeat.

Cauſæ in prima inſtantia.

6. Modus autem procedendi In cauſis apud Seraphicam noſtram Religionem is omnino ſervetur, quem Sacroſancta ipſa Tridentina Synodus ſeſſione 5. cap. 2. inſinuat, ut ſummariè nimirum, & ſola facti veritate inſpecta, à competenti Judice, quouſque deſuper cognitum, ac deciſum fuerit, procedatur.

Procedendi methodus.

7. Sa-

Prima, ſecunda, & tertia.

7. Sacroſancti propterea Concilii Tridentini veſtigiis inhærendo, decernimus, & mandamus, ut (niſi ex aliqua ratione à jure permiſſa cauſa aliàs devolvatur) cauſæ omnes, quæ Guardiano competunt, in prima inſtantia ab eo, in ſecunda inſtantia à Miniſtris Provincialibus, vel eorumdem Commiſſariis, in tertia demum à Generali Miniſtro, vel ejus Commiſſariis cognoſcantur.

Superiorũ delinquentium cauſæ.

8. Quòd ſi delictum aliquod ab ipſo locali Superiore perpetratum cognoſcendum fuerit, Provincialis Miniſter cauſam cognoſcat; ſi autem Provincialis, vel Procurator, & Aſſiſtentes Ordinis deliquerint, cauſæ à Generali Miniſtro, vel ejus Commiſſario immediatè cognoſcantur, & judicentur.

Procedendi methodus.

9. Ut autem in cauſis cognoſcendis uniformi methodo ab omnibus Judicibus procedatur, mandamus, ut ea in criminalibus cauſis tractandis omninò ſervetur, quæ in lib. cui Tit. Practica criminalis Canonica Patris Fratris Franciſci de Pitigianis Aretini Ordinis Min. Obſervantiæ, præſcribitur, omnéſque propterea noſtri Ordinis Superiores, & Judices quocunque nomine nuncupentur, ſupradictam Methodum apud ſeſe habere, & juxta eam procedere teneantur.

Unde accipienda.

Cauſarum ſumptus.

10. Sumptus verò, qui in cauſis neceſſarii fuerint, à Conventibus accuſatorum, donec ad debitum finem perducantur, ſubminiſtrari, ac ſuppeditari decernimus.

Querelæ in Superiores.

11. Nulli tamen adverſus Superiorem ſuum querelam proponere, aut ſi propoſuerit, audiri liceat, Officio Superioris durante, niſi de graviori delicto, quo Superior ipſo jure deponendus eſſet, ageretur. Expleto verò Officii tempore, Superior, ſervatis ſervandis, accuſari pariter, & querelari poſſit, & valeat.

Cauſæ contra Generalem actitatæ.

12. Si quis autem contra Generalem Miniſtrum, etiam pro ſui Conventus, Provinciæ, vel etiam totius Ordinis utilitate accuſationem proponere, vel propriam cauſam dicere voluerit, non niſi à Protectore Ordinis, vel Summo Pontifice audiatur; de borúmque duntaxat conſenſu ſumptus in cauſa neceſſarii ab eo Conventu, vel Provincia, vel à toto Ordine, ſi ejus nomine cauſa fiat, ſuppeditentur. Si verò Generalis Miniſter (ut præfertur) accuſatus ob ejus innocentiam ab accuſationibus abſolvatur, accuſans perpetuò infamis ſit, & velut infamis omni officio, & dignitate, ac utraque voce, abſque ulla reintegrationis ſpe eo ipſo privetur, pœnáque graviſſima mulctetur. Idem quoque ſervari mandamus in accuſatione aliorum Superiorum Ordinis.

Earum actores.

Proceſſuum &c. conſervatio.

13. Decernitur præterea, ut omnia regiſtra, ſive ſcripturæ in cauſis à quibuſcunque Judicibus factæ authenticæ ſint, Sigilliſque ipſorum majori, aut ſaltem minori, Notariorum, vel Secretariorum, aut Scriptorum manuum ſcriptionibus firmatæ, etiamſi coram Judice extra Religionem fuerint qualitercunque ventilatæ, & ad debitum finem redactæ, in Archivio Provinciæ, & Religionis reſpectivè reponantur.

Exceſſuum notæ in libris propriis.

14. Exceſſus præterea omnes, delictáque Fratrum enormia, ob quæ nimirum graviores, ac confuſibiliores pœnæ in Ordine noſtro conſueverunt imponi, de quibus aliquis condemnatus fuerit, aut legitimè convictus, ſive judicialiter confeſſus, item quæ evidentia rei notoria, ac publica forent, in libris Ordinis, & Provinciarum ad hunc duntaxat effectum deputatis, vel deputandis regiſtrentur & adnotentur. Quapropter cùm alicubi Fratrum quempiam puniri contigerit, Judicis partes erunt, ſtatim tam ſententiarum exemplaria, aut earum ſaltem compendia, quàm injunctarum notas pœnarum ad Generalem tranſmittere, ut eorum omnium monumenta libro in Archivio Religionis ſervando valeant conſignari.

Sententiarum relationes.

Monumenta fideliter aſſerventur.

15. Ea verò, quæ ſic regiſtranda, vel adnotanda fuerint, fideli ſcripturæ commendentur, totóque Prælatorum eorumdem regiminis tempore fideliter aſſerventur. Diſtrictè præterea iiſdem Prælatis, & aliis quibuſcunque præcipitur, & mandatur, ne libros, ſeu acta, quæ in ipſis ſcripta, & regiſtrata fuerint, vel aliud quidpiam de illis detrahant, deleant, ſubtrahant, comburant, vel alio quopiam modo deſtruant, ſeu mutent, vel id per alios fieri mandent, aut nullo modo abſque expreſſa Generalis Miniſtri facultate permittant; ſi quis autem contrarium temerariè attentare præſumpſerit, excommunicationis ſententiam, à qua per Generalem Miniſtrum, vel eum duntaxat, cui is committendum duxerit, abſolvi poſſit, ipſo facto incurrat, ac ſi demum legitimè convictus fuerit, gravioribus pœnis puniatur. Cùm verò præfatos Miniſtros, aut viſitato-

Tranſgreſſores.

Succeſſori conſignentur. tatores ab officio amoveri contigerit, aut ipſi Miniſtri officiis jam defuncti Succeſſores fuerint accepturi, iis omnia hujuſmodi acta, ſive regiſtra integra, in nullóque depravata vel corrupta fideliter reddere ac conſignare teneantur. Si quid verò contra hujuſmodi Succeſſores aliqua ibi regiſtrata, ſive adnotata reperirentur, de Generalis Miniſtri licentia à libris hujuſmodi reſignandis deleantur, ac in ipſius Generalis Miniſtri Regiſtro deſcribantur, ibique perpetuò incorrupta ſerventur. Quo pacto quædam delenda.

De authoritate Provincialis Miniſtri in ſua viſitatione.

Titulus III.

Text. *Obediant ſuis Miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare &c.*

Viſitationis jus. 1. PRovincialis Miniſter, ut aptiùs ſuam Provinciam poſſit in officio, & obedientia continere, In omnibus iis, quæ ad viſitationem, ac morum correptionem ſubditorum ſibi Fratrum ſpectaverint, jus & poteſtatem habeat ea omnia ordinandi, moderandi, puniendi, ac juxta ſacrorum Canonum ſanctiones exequendi, quæ illi ex prudentia ſua pro præfatorum ſubditorum emendatione, ac Provinciæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, ubi de viſitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat. Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 10 de reform. Quibuſcunque præferendum.

Appellatio quando non interponenda. 2. Decernitur præterea, ut noſtri Ordinis Fratres in cauſis viſitationis & correctionis, nec non criminalibus à Provinciali Miniſtro, alio quocunque Judice ante diffinitivam ſententiam ab interlocutoriis, & alio quocunque gravamine, nullo modo appellent, ſed ſi fuerit opus, Collegam (ùt Capite præcedenti dictum eſt) à Generali Miniſtro, ſeu alio competenti Superiore expoſcant, nec Provincialis appellationes hujuſmodi deferre teneatur, ſed ea, quacunque inhibitione ab appellationis Judice emanata contraria non obſtante, ad ulteriora procedere poſſit, niſi gravamen hujuſmodi per diffinitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa diffinitiva ſententia appellari non poſſit. Collega quando aſſignandus.

Viſitationis uti ſubjecti. 3. Omnes itaque Provinciæ ſuæ Conventus, etiamſi de menſa Generalis Miniſtri fuerint (uti ſuperiùs decretum eſt) omnéſque Fratres in ea degentes (iis duntaxat, qui Generales fuerunt, vel qui Generali pro tempore exiſtenti immediatè ſubſunt, exceptis) quotannis viſitare teneantur. Annualis viſitatio.

De authoritate Viſitatorum Provinciarum.

Titulus IV.

1. VIſitatores Provinciarum appellantur, qui ex commiſſione Generalis mittuntur ad viſitandas Provincias; ordinamus autem, ut ad id muneris non mittantur, ſive inſtituantur, niſi qui fuerunt Provinciales, vel qui proborum judicio ad hujuſmodi munus exercendum idonei ſint. Qui ad viſitationes mittendi.

2. Provinciales actu non ſunt ad hoc munus inſtituendi, ne à ſuis Provinciis diu abeſſe contingat, in quibus divino jure tenentur reſidere: nec etiam præficiendi ſunt illi, de quibus ſuſpicari poſſit favore potiùs, quàm meritis ad tale officium fuiſſe promotos, ne horum Viſitatorum interdum promotione Provinciæ ipſæ patiantur jacturam ob eorum nullam in rebus experientiam.

3. Prædictorum verò authoritas, etſi plenaria eſſe ſoleat, per has tamen Conſtitutiones hoc pacto reſtringitur, & modificatur; Viſitatori itaque prohibetur, ut non exerceat munus ſuum, donec Provinciali Provinciæ conſtet de ejus commiſſione, eique ſuas literas oſtenderit. Non poteſt inſuper Conſtitutiones condere, nec Decreta aliorum Prælatorum immutare in ipſa Provincia, nec Confeſſores aut Prædicatores inſtituere, nec Novitios recipere, nec receptos ad profeſſionem admittere, nec Fratres extra Provinciam ſibi commiſſam tranſmittere, niſi fortè ad Generalem Miniſtrum eos mitti contingat. Non poſſit eligi in Provincialem illius Provinciæ, quam viſitat, nec habere votum in aliis electionibus ab electione Provincialis, niſi ipſemet illis præſideat; neque authoritatem exercere, niſi in loco, quem actu viſitat. Authoritas, & ejus limitatio.

4. Sed quia quidquid Viſitator peragit, id efficit Generalis Miniſtri authoritate, ideo ei obediendum eſt in cunctis abſque ulla prorſus contradictione, & in ipſum rebellantes, aut eidem contradicentes ſint ipſo facto excommunicati juxta Extrav. Gregorii XIII., Statutáque per eum facta in libris Decretorum cu- Viſitatori obediendum.

Viſitatoris Statuta. cuſuſque Conventus deſcribantur, & nullo modo à Provinciali reſcindi, aut mutari poſſint ſine expreſſa licentia Miniſtri Generalis.

Judicialis authoritas. 5. Poteſt tamen, & debet omnium & ſingulorum Conventuum ſtatum & conditionem perquirere, denunciationes & accuſationes Fratrum recipere, & de eis Generalem Miniſtrum conſulere, ſed non ſuper ipſis inquirere, teſtes examinare, Fratres etiam abſentes vocare, eóſque examinare, proceſſus fabricare, nec ſententiam ferre, niſi ſpeciali facultate à Generali Miniſtro ſibi committantur.

6. Socium diſcretum atque fidelem de conſenſu Generalis ſecum in viſitatione habere queat. Provinciali etiam Miniſtro in his, quæ ad ſui muneris rationem ſpectaverint, abſolutè præcipere; itémque Seminaria viſitare, & quæ ad Novitiorum ſeu Profeſſorum educationem pertinent, diligenter inquirere.

In viſitatione nota non revelet. 7. Non poteſt hujuſmodi Viſitator ſub gravioribus pœnis ei ſeveriſſimè infligendis quorumcunque Fratrum ſecreta crimina vel errata in viſitatione ſecreta ab ipſo diligentiſſimè perquirenda qualitercunque propalare, aut deferentes quomodolibet revelare; ſi quæ verò ſecreta (ùt præfertur) errata in viſitatione invenerit, imponat erranti debitam pœnitentiam, & ſcripturæ in Archivio Religionis reponantur. Si quis verò ſecretorum hujuſmodi accuſantium ſeu accuſatorum nomina vel errata revelaverit, non niſi à Generali Miniſtro abſolvi poſſit, impoſita illi ſalutari pœnitentia, ut per quindecim dies intra ſex menſes pane tantùm & aqua jejunet. Revelantium pœna.

Expenſarum moderatio. 8. Nec ſuperfluis ſumptibus uti valeat, ſed ei à Conventibus, ad quos viſitandos devenerit, quidquid neceſſarium fuerit, ſuppeditetur, menſæ tamen communitate utatur, ac in omnibus & ſingulis religioſam parſimoniam præferat. Non poſſit inſuper à Provincia, quam viſitat, ſub quocunque prætextu quidpiam extorquere, poſtulare, aut ſpontè oblatum ullo pacto recipere, quòd ſi receperit, ab ipſomet Generali Miniſtro acriter puniatur. A Provincia nihil recipiat.

Relatio in Capitulo facienda. 9. Debet præterea Provinciali Capitulo intereſſe, eáque omnia, quæ in viſitatione egerit, ac invenerit, item Provincialium & Guardianorum exceſſus, aliáve quæcunque gravioris momenti delicta fideliter coram Diffinitorio referre. Si quis autem amore, odio, aliáve mala qualibet affectione convincatur, quæ ſuperiùs dicta ſunt, falsò denunciaſſe, ad omnia, ſinguláque Religionis munera à Generali Miniſtro inhabilis perpetuò declaretur.

De Capitulo Culparum.

Titulus V.

1. AD expiandas verò Fratrum omnium conſcientias, quò ſalubriùs virtutum omnium, mortificationiſque præſertim exercitationi aſſueſcant, Deóque liberiùs ſub obſervantia Regulæ, ſanctarúmque Conſtitutionum diſciplina inſerviant, culparum Capitulum (à quo nemo penitus immunis ſit) in loco Capituli Conventus vel Sacrarii poſt Completorium ſingulis quarumcunque hebdomadarum Sabbati diebus in omnibus noſtri Ordinis Monaſteriis præcipuè inſignioribus inviolabiliter celebretur. Tempus præſcriptũ.

2. In hoc verò Capitulo Superior arguat & reprehendat, hortetur & moneat, & quidquid pro bono ſuæ familiæ regimine, ac vitæ regularis obſervantia expedire in Domino judicaverit, omni ſpiritus ardore Fratribus ſuis proponat. Modus autem vel ordo culparum hujuſmodi Capitulum celebrandi, ùt infra, ſervetur. A Superiore proponenda. Modus.

3. Superior, quemcunque ſibi libuerit, ad culpas publicè accuſandas ex ſuis Fratribus ſive unum, ſive plures advocabit; hi verò (prout magis neceſſarium duxerint) errores ſuos ac negligentias, præſertímque in divinis laudibus recitandis, in ſilentio non ritè ſervato, aliiſque ſimilibus humiliter incuſent, deincépſque confeſſione *Confiteor Deo* &c. omnes ſimiliter flexis genibus Deo, Prælatóque errata patefaciant, ac veniam deprecentur, eiſque à Superiore ſalutari impoſita pœnitentia, recitatiſque de more abſolutionibus, ſcilicet *Miſereatur* &c. *Indulgentiam* &c. Superior ipſe cunctis hoc modo Dei benedictionem impertiatur: *Gaudium cum pace, emendationem vitæ* &c. Et: *Benedictio Dei pleniſſima deſcendat ſuper vos, & benedicat vos Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen*; habitiſque de more pro Benefactoribus vivis atque defunctis conſuetis precibus, culparum Capitulum abſolvatur. Ad culpam dicendam vocentur Fratres. Pœnitentia, & abſolutio.

De correctione, quæ ad Superiores ſpectat.

TITULUS VI.

Text. *Debent diligere eos, qui nos reprebendunt & arguunt &c.*

Correctionis Evangelicus & religioſus ordo.

1. PRæſtat magnopere ad rectam Ordinis gubernationem, ut à Superioribus ita retineatur ſeveritas, ut benignitatis ac manſuetudinis non obliviſcantur, peccata ſubditorum diſſimulanda non ſunt; ſed qui lapſus fuerit, ſecretò priùs admoneatur; ſi ſecundò peccaverit, coram Senioribus; ſi tertiò demum, coram omnibus in publico refectionis loco corripiatur; & tandem, ſi pertinax in ſua ſententia ad cor redire neglexerit, debitæ ultioni ſubjaceat, quæ eò gravior eſſe debet, quò obſtinatiori ipſe animo in ſua protervia obduruerit; at ſi quandoque talis ſit error,

Quando accelerandum.

ut correctio in longum diutiùs non videretur producenda, videlicet ob ſcandalum, & alia hujuſmodi, prædicto omiſſo ordine, ad correctionem (quatenus opus fuerit) deveniatur.

Pœnarum impoſitio.

2. Nullus Localis Superior pœnitentias ſubditis publicè imponere audeat, niſi ordinarias, & tunc non niſi ex legitima cauſa ante pœnitentias imponendas ab ipſo Superiore manifeſtanda.

Carceribus mancipandi.

3. Nullus Fratrum ob levem quamlibet cauſam carcere rigorosè mancipetur, ſed pro manifeſto tantùm, vel enormi exceſſu carceris pœna infligatur. Enormis autem exceſſus vel ratione ipſiuſmet peccati, vel ratione circumſtantiæ, vel ratione publicæ notitiæ, vel frequentis reiterationis attendendus eſt. Cùm itaque quiſpiam ita deliquerit, ut carceris pœnam meritò ſubire debeat, Guardianus, aut Cuſtos, vel eorum Vicarii de aliquot diſcretorum Patrum conſilio in carcerem conjicere valeant.

Seſs. 13. de Reform. cap. 1.

4. Modus autem, qui à ſacroſancto Concilio Tridentino in ſubditorum correctione præſcribitur, inviolatè ab omnibus noſtri Ordinis Prælatis ſervetur, videlicet

In correctione ſervanda.

Illud primùm eos admonendos cenſemus, ut ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita praeeſſe ſibi ſubditis oportet, ut non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios & fratres diligant, elaboréntque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur.

Diſcreta Prælatorum juſtitia.

Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda preceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia, cùm ſæpè plùs erga corrigendos agat benevolentia, quàm comminatio; plùs charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint, emendentur; ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo à vitiis deterreantur. Maximè enim cavendum eſt, ne à Religione noſtra diſcretus Juſtitiæ uſus eliminetur; manifeſto enim alioquin ruinæ periculo exponeretur.

In correctione lenitas & juris amor ſervandæ. *(In correctione juris amo- vendæ.)*

5. Illud præterea caveant Prælati, ne in reprehendendo & corripiendo ſubditos contumelioſis utantur verbis, ſed humiliter & charitativè corrigant eos, ſciántque differendam eſſe correctionem, cùm animo perturbatos ſeſe, vel ira commotos præſenſerint; eſt enim procul dubio objurgandus, qui peccat, ſed ita prudenter, ac ita diſcretè, ut objurgatio, contumelia, & admonitio acerbitate careat.

6. Nulla tamen gravis objurgatio, vel correctio Prælatis, aliiſque gravioribus Patribus per Provinciarum Viſitatores, aut alios quoslibet Superiores, niſi rationabili de cauſa, fiat; commiſeratione tamen & clementia ita Superiores quicunque moderentur, ut nimiæ facilitatis, familiaritatiſque periculum quàm diligentet effugiant.

De Correctione Fratrum.

TITULUS VII.

Neceſſitas.

1. POſtulat religioſæ charitatis officium, ut alter alterius ſaluti proſpectum cupiat, & unuſquiſque Fratris ſui ſpiritualem progreſſum ſtudiosè adjuvet. Quandoquidem religioſis Viris nil antiquius eſſe debet, quàm ut alter alterius neceſſitatibus, animarum præſertim, per ſanctum correctionis officium ſedulò ſubveniat, nec ſolùm ubi gravior hæreat culpa, verùm etiam ubi leviores cernuntur defectus, quos contemnentes facilè in pejora dilabantur.

In fraterna correctione obſervanda.

2. In hoc itaque præcipuè charitatis munere perſolvendo ſingulas præfatæ correctionis conditiones, perſonarum nimirum, ætatis, officii, recentioris converſionis, & ſimilium correctores Fratres omnes diligenter animadvertant, nulláque ſimultate, nullo minùs in ordinato affectu, quo inanis ipſa correctio reddatur,

Per eam non proficientes. datur, ſed animarum duntaxat, Religioniſque zelo quiſque ad corrigendum ducatur; qui verò correctionem modo prædicto factam contempſerit, nec de emendatione cogitet, Eccleſiaſtico præcepto ſervato, & quovis humano reſpectu poſtpoſito, ad Superiorem deferatur.

De manifeſtando delicto.

TITULUS VIII.

In communitate patrata revelanda. 1. SI quis Fratrum in grave aliquod crimen prolaberetur, quo toti Ordini, vel Conventui, aut quamplurimis perſonis notabile detrimentum afferretur, conſcius, qui ob temporis brevitatem debitum correctionis ordinem ſervare opportunum non judicaverit, Superiorem, ad quem remedium ſpectat, nulla interpoſita mora, commoneat; Judicis partes. Superior verò ſuper hoc juxta ſacrorum Canonum ſanctiones, ſacrorúmque Doctorum deciſiones procedat: eos verò, Delator celetur. qui ſponte deferrent (quoad fieri poteſt) non prodat, nec revelet.

Detractores. 2. Inhibetur autem ſingulis noſtri Ordinis Fratribus, ne aliorum Fratrum famæ quoquo modo, ſeu verbo, ſeu ſcripto detrahere audeant; ſi quorum autem peccata noverint, non niſi debito Charitas in denunciatione. charitatis zelo, nullóque iniquo animo Superiori (uti præfertur) ea denunciare præſumant.

Deficientes in probatione. 3. Quòd ſi quiſpiam Fratrem aliquem accuſaverit, accuſationem verò per ſufficientes teſtes legitimè ſemiplenè ſaltem probare nequiverit, pœnæ talionis obnoxium ſeſe eſſe penitus ſciat.

In bonæ famæ viros querelæ de occultis. 4. Cæterùm ſi delator adverſùs aliquem aliàs bonæ exiſtimationis Fratrem gravia delicta, occulta tamen, ſolus, ſecretóque Superiori ſuo denunciaverit, ejuſdem denunciatio ad judicialem inquiſitionem nullo pacto ſufficiat, niſi delator, ſeu denuncians medio juramento requiſitus, ad ea, quæ ſecretò detulit deponenda, & indicia ſufficientia ad inquirendum ſaltem, ac loco & tempore coram ſic accuſato etiam cum juramento ſubſtituenda ſeſe paratum fore affirmet.

Terminus Judicis. 5. Quòd ſi intra biennium Superior reum non monuerit, & ad judicium evocaverit, nihil eorum, quæ ad eum delata, actáque fuerint, ei ulteriùs obeſſe poſſit, & tanquam contra calumniatorem in detentorem procedi poſſit.

6. Quando autem plurium perſonarum teſtimonia contra aliquem Fratrem ſuper exceſſibus ejuſdem generis haberentur, ex quibus probabiliter ſuſpectus redderetur; tunc Superior animadvertens perſonæ ac delicti qualitatem, & veriſimilitudinem facti, ſi expediens judicaverit, habito conſilio probi alicujus ac experti viri, ad pleniorem veritatis inquiſitionem procedat, &, ſi crimen per inquiſitionem hujuſmodi non probetur, ipſiúſque denunciati fama lædatur, indicetur ei purgatio canonica, prout in practica Aret., vel alio modo honeſtati Ordinis, ejúſque famæ provideatur. Inquiſitio. Purgatio canonica.

De Incorrigibilibus.

TITULUS IX.

1. QUi culpas paſſim Dei, hominúmque timore poſtpoſito committunt, pœnáſque ferre recuſant, vel ex earum inflictione ſæpiùs repetita diſcretorum Fratrum judicio non profeciſſe noſcuntur, incorrigibiles ſunt, ad quos juxta culparum qualitatem ſeveriùs puniendos ſtatuitur, & decernitur, ut in unaquaque Provincia carceris ſeu ergaſtuli locus ad hunc duntaxat effectum conſtituatur, ibique (prout delicta expoſtulaverint) ad tempus, vel per totam vitam facinoroſi hujuſmodi, & incorrigibiles Fratres detineantur. Qui incorrigibiles. Provinciarum carceres.

2. Decernitur tamen, ut ſacræ Congregationis Concilii Decretum ſub die 21. Septembris anno 1624. de incorrigibilibus ſancitum inviolatè ſervetur, ne videlicet in poſterum ullus legitimè profeſſus è Religione ejici poſſit, niſi verè incorrigibilis ſit. Verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolum ea omnia concurrant, quæ ad hoc ex juris diſpoſitione requiruntur, verùm etiam, ut in privato carcere, ſive (ùt præfertur) Ergaſtulo unius anni ſpatio in jejuniis & pœnitentia ſervetur. Decreta Congreg. Concil. Qui verè incorrigibilis.

3. Elapſo autem anno, ſi de reſipiſcentia nulla ſpes adſit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre à Generali duntaxat Miniſtro de conſilio, conſenſúque Aſſiſtentium, inſtructo priùs (juxta harum Conſtitutionum Decreta) proceſſu, plenéque ad ſacrorum Canonum præſcriptum probatis cauſis expulſionis, ejici tandem poſſit & valeat. Ad Generalem ſpectat expulſio.

4. Generalis verò Miniſter, expulſione peracta, ſtatim locorum Ordinariis, cujus juriſdictioni & obedientiæ ſub- Sententiæ notificatio ordinariis.

ſubeſſe debent expulſi, expulſionis ſententiam notificare teneatur.

Obedientiales literæ expulſis non fiant. 5. Superioribus præterea, quicunque hi fuerint, ne expulſis hujuſmodi ullas literas ſive teſtimoniales, ſive quaslibet alias, quocunque nomine nuncupentur, concedere audeant, penitus interdicitur.

Superiorū charitas. 6. Adhæc omnes noſtri Ordinis Superiores hortamur, & paternæ charitatis ac manſuetudinis, quam profitentur, memores, nihil intentatum relinquant, ut Fratrum ſuorum animas lucrentur, antequam graviſſimum expulſionis remedium adhibeant.

7. Ut verò contra incorrigibiles hujuſmodi canonicè procedendi ratio habeatur, caſus ad incorrigibilitatem ſpectantes primò, deincépsque procedendi modum præſcribemus. Caſus verò hi ſunt, videlicet

Caſus incorrigibilitatis.

- Dimiſſio habitus animo apoſtatandi.
- Percuſſio gravis.
- Furtum, ſive ſacrilegium in re gravi.
- Lapſus carnis cum quacunque tertia perſona.
- Rebellio contra Superioris mandatum.
- Falſificatio literarum, ſeu ſigillorum Superiorum.
- Falſa accuſatio, ſive teſtimonium falſum.
- Recurſus ad Tribunalia ſæcularia.
- Conſpiratio contra quemcunque Superiorem.
- Scribentes libellos famoſos, ſeu litteras infamatorias.
- Perjuri.
- Luſores ludis prohibitis.
- Ingredientes Monaſteria Monialium.
- Introducentes mulieres ob malum finem intra ſepta Conventuum.
- Scribentes literas amatorias Monialibus.
- Venefici.
- Percutientes Superiores.
- Et alia ſimilia flagitia, enormiáque delicta pluries repetita.

Ordo procedendi. 8. Si quis verò in prædictis caſibus deliquerit, primùm tunc erit conficiendus legitimus proceſſus, per ſententiam puniendus; & ſi ſecunda vice in eundem errorem, vel alium graviorem inciderit, facto proceſſu, per ſententiam puniatur, ac moneatur, ut ab hujuſmodi exceſſibus in poſterum caveat, ſub pœnis incorrigibilibus propoſitis. Si tertiò demum peccaverit (ut præfertur) proceſſu formato, & ſententia lata, declaretur incorrigibilis, & pœnis incorrigibilibus præſcriptis ſubjiciatur (quod etiam contra contumaces ſervandum erit.) Et hi omnes incorrigibiles, & diſſoluti in Capitulo Generali, ſive puniti fuerint, ſive etiam puniendi (uti decretum eſt) promulgentur.

Publicatio incorrigibilium.

De Pœnis.

Titulus X.

1. De pœnis autem ſic ſtatuendum erit, ut ſemper in qualibet cauſa habeatur ratio perſonæ delinquentis, ut ſi fuerit Doctor, vel Sacerdos, Clericus, an Laicus, & ſi ſæpè conſueverit peccare; ſimiliter ſi delictum ſit publicum, & cum ſcandalo, an verò privatum, & demum omnes circumſtantiæ conſiderari debebunt, quæ aggravant peccatum, vel minuunt, & juxta gravitatem delicti pœna imponatur. Circumſtantiarum conſideratio.

2. Puniti verò, & qui redduntur infames (niſi de ſublevatione ipſorum rationabiliter facta conſtiterit) nullo modo ad gradus honorum in Ordine noſtro promoveantur, nec conſtitiſſe intelligimus, niſi authenticæ Prælatorum literæ coram Fratribus audientibus perlegantur. Idem dicitur de eo, qui excommunicatus, citatus, vel aliàs innodatus jam antea ſciebatur. Pœnis affecti ſunt inhabiles. Quomodo diſpenſari poſſunt.

De Canone Pœnitentiali quoad forum exterius.

Titulus XI.

Gravioribus nonnullis flagitiis certas, graviorésque pœnas præſcribendas eſſe illud vel tantùm perſuadere videtur, quòd iis velut directivis quibusdam regulis Superiores, attenta delictorum & perſonarum qualitate, facinoroſos, & delinquentes hujuſmodi apertiùs compeſcere, ac redarguere poſſint. Antiquarum proinde Conſtitutionum veſtigiis inhærentes infraſcriptos Canones decernimus, & ordinamus.

De Obloquentibus contra Romanum Pontificem.

Canon I.

Si quis in Romanum Pontificem, Cardinales, aliòſque Eccleſiæ Prælatos, aut Apoſtolicas Sanctiones temerariè obloqui præſumpſerit, carceris, aut quavis alia condigna pœna juxta qualitatem blaſphemiæ puniatur.

De

De ſpernentibus, ac deridentibus Conſtitutiones, & Reformationem Ordinis.

Canon II.

SI quis reformari noluerit, vel ſacras has Conſtitutiones contempſerit, vel damnaverit, aut aliis terrorem contra eorum obſervantiam incuſſerit, vel contra eas conſpiraverit, ſive Prælatis, qui reformationi incubuerint, impio ore detraxerit, carceri ad Superioris arbitrium mancipetur, omnibuſque legitimis, ſive paternitatis, ſeu aliorum quorumcunque graduum, & officiorum actibus ad biennium privetur; quòd ſi pertinax in ſententia perſtiterit, velut incorrigibilis puniatur.

De non reverentibus Prælatos.

Canon III.

SI quis ſuo Prælato ignominioſis verbis, vel turpi, aut inſolenti geſtu irreverentiam intulerit, excommunicationis ſententiam illi Prælato reſervatam ipſo facto incurrat, & carceri mancipetur; quòd ſi, eo duce, Conventus adverſus Superiorem rebellionem, ſive conſpirationem moliretur, publico interdicto puniatur, & ſi pertinax in ſententia perſtiterit, omnibus legitimis actibus privetur, & in carcerem cum aliis pœnis pro qualitate delicti ad Generalis arbitrium detrudatur.

De diffamantibus.

Canon IV.

SI quis alicujus famam, Superiorum præſertim falsò, ſeu etiam verè de occulto crimine læſerit, niſi priùs omni meliori modo famam reſtituerit, abſolvi non poſſit, & pro qualitate delicti condignas pœnas exſolvat.

De turbatoribus pacis, ſive factiones nutrientibus.

Canon V.

SI quis in Provincia, Cuſtodia, vel Conventu pacem turbaveit, ſive factiones, & partes nutriverit, aut literas irreverentes, minuſque honeſtis verbis ſcripſerit, aut ſcribi mandaverit, vel conſenſerit, unde pacis turbatio oriretur, à Provinciali Miniſtro, vel ipſo non ſufficiente à Generali, vel Commiſſario ejus omnibus officiis, actibuſque legitimis privetur, & à Provincia, Cuſtodia, vel Conventu eiiciatur, aliſque pœnis plectatur, ipſaque quies accuratiſſimè reſtituatur.

De detrahentibus Fratribus defunctis

Canon VI.

SI quis Fratribus defunctis detraxerit, iiſque præſertim, quorum famam, vitam, vel etiam, miracula populi prædicent, ad omnis Religionis officia inhabilitatis pœnam ipſo facto incurrat.

De revelanribus Religionis ſecreta.

Canon VII.

SI quis Religionis ſecreta, quæ in ejus perniciem, aut gravem alicujus infamiam verterentur, extra Religionem cuivis temerariè verbo, vel ſcripto revelare præſumpſerit, aut cujuſpiam Fratris carcerationem, ſeu Prælatorum depoſitionem, vel earum cauſas, item eorundem contentiones vel Diffinitorum in Capitulo, aut extra diſſenſiones extra Ordinem prodere, ſive manifeſtare præſumpſerit, excommunicationis pœnam, à qua non niſi à Generali Miniſtro aut alio de ſpeciali ejus conceſſione abſolvi poſſit, officiorum depoſitionem, omniumque legitimorum actuum privationem ipſo facto incurrat, & ſi laicus fuerit, per menſem carceri mancipetur, & qualibet ejuſdem menſis ſexta feria coram Fratribus publicè in refectorio genuflexus Beatæ Virginis Coronam recitet, & aliis pœnis pro qualitate delicti afficiatur.

De formantibus libellos famoſos.

Canon VIII.

SI quis proprio, vel alterius nomine libellos famoſos ediderit, eoſque per ſe, vel per alium mittendo, proiiciendo, ſeu quomodolibet exponendo, ſive ut edantur, vel exponantur conſentiendo, ſive literas abſque nomine, vel nomine ſuppoſito ſcripſerit, miſerit, aut ſcribi, vel mitti mandaverit, conſuluerit vel conſenſerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrat, à qua (non niſi reſtituta omni meliori modo fama) à Generali duntaxat poſſit abſolvi: legitimè verò de hoc convictus omnibus legitimis actibus ipſo facto privetur, ac ad triremes, vel ergaſtulum juxta delicti qualitatem deſtinetur. Superiores tamen quicunque, ad quos literæ, ſeu libelli hujuſmodi tranſmiſſi fuerint, nullo pacto poſſint de contentis inquirere, ſeu inquiri facere, ſed eos, ſtatim ac ad eorum manus pervenerint, lacerent, & comburant, niſi fortè ad reperiendos, & convincendos ſcriptores, authores ſervandos eſſe judicaverint.

De malitiosè Sigillum, aut literas falſificantibus.

Canon IX.

SI quis per ſe, vel per alium Sigillum, vel manum Generalis Miniſtri, vel Principum, aut Provincialis, vel ejus Commiſſarii, aut aliorum, ſive noſtri, ſive alterius Ordinis, ſive etiam extra Ordinem falſificaverit, excommunicationis ſententiam Generali Miniſtro reſervatam ipſo facto incurrat, & omni legitimo actu eo ipſo privetur, legitiméque convictus pœna carceris, publica diſciplina, aliiſque pœnis ad Prælatorum reſpectivè arbitrium, & qualitatem delicti puniatur.

De retardantibus, vel impedientibus Superiorum literas.

Canon X.

SI quis Generalis, Provincialis, vel Procuratoris Ordinis literas ad inferiores, vel inferiorum ad illos malitiosè retinuerit, excommunicationis ſententiam, à qua non niſi à Generali Miniſtro abſolvi poſſit, ipſo facto incurrat, omnibuſque actibus ad Generalis arbitrium ipſo facto privetur.

Si quis verò Præfatorum Superiorum, ſive etiam eorum Commiſſariorum literas malitiosè aperire, ſeu laceratas eorundem Superiorum literas colligere, collectaſque reintegrare, ac in aliorum jacturam, vel dedecus Ordinis retinere præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, omnibuſque legitimis actibus ad eorumdem Superiorum arbitrium ipſo facto privetur.

De ludentibus ludis prohibitis.

Canon XI.

SI quis taxillis, aleis, aut ludo quovis alio prohibito in ædibus ſæcularium, vel etiam in Conventu ludere, ſeu ejus, vel eorum inſtrumenta retinere, aut ad ludendum pecunias mutuare præſumpſerit, omnibus legitimis actibus, & ſi Superior fuerit, officio quoque ipſo facto privetur, & ad omnia Ordinis officia, donec à Generali Miniſtro, ſalutari ſibi impoſita pœnitentia, reſtituatur, ſit inhabilis; ſi quis verò monitus, vel correptus non abſtinuerit, à Provincia per triennium exulet.

De peccantibus contra caſtitatem.

Canon XII.

1. *SI quis de lapſu in libidinem ſufficienter convictus, ſive confeſſus fuerit, attentis qualitate criminis, ejuſque circumſtantiis, puniatur.*

2. *Si quis de ſuſpectis quibuſcunque conſortiis, vel mulierum colloquiis evidenter notatus fuerit, & admonitus non ſeſe correxerit, carceri ad Superioris arbitrium mancipetur, deinde ab eo Conventu expellatur, & ſi Superior fuerit, ab officio deponatur, ſi verò laicus, vel Clericus præter carcerationem, & expulſionem reſpectivè aliis quoque pœnis ad Superioris arbitrium puniatur.*

De loquentibus cum his, qui carceri mancipantur, vel claves adulterantibus.

Canon XIII.

1. *SI quis abſque Prælatorum, ad quos ſpectaverit, licentia eum, qui ſecreto carceri mancipatur, alloqui, aut ad illum literas tranſmiſerit, carceribus arbitrio Superiorum mancipetur; & qui malitiosè auxilium, operam, ſive conſilium, ad carceratum, vel per ſe, vel per alium educendum aut liberandum dederit, quo carceratus hujuſmodi carcere exierit, iis pœnis, quas ille ſubiturus erat, plectatur.*

2. *Si quis autem adulterinas claves fecerit, aut fieri juſſerit, vel qualitercunque retinuerit, in carcerem detrudatur, pœniſque furi debitis plectatur ſeverè.*

De vulnerantibus, & arma offenſiva tenentibus.

Canon XIV.

1. *SI quis Fratrem, aut ſæcularem graviter vulneraverit, aut mutilaverit, ſive ut hæc alii faciant, juſſerit, vel procuraverit, vel venenum porrexerit, ad ergaſtulum, vel triremes, aut perpetuum carcerem non niſi à Generali Capitulo liberandus condemnetur.*

2. *Si quis verò arma offenſiva, aut in cella, aut alibi, ſeu aliàs quomodolibet retinere præſumpſerit, in pœnam excomunicationis, à qua non niſi à Generali, ſeu Provinciali abſolvi poſſit, ſtatim incurrat, carceris pœnæ triginta diebus, vel aliis pœnis arbitrio ſubjaceat.*

De falſum deponentibus.

Canon XV.

1. *SI quis coram legitimo Superiore ſcienter, & malitiosè falſum quidpiam contra alium depoſuerit, vel ad deponendum induxerit, aut benè, & rectè depoſitum falsò, & dolosè revocaverit, vel ad revocandum induxerit, excommunicationis ſententiam, à qua non niſi à Provinciali Miniſtro prævia ſatisfactione abſolvi poſſit, ipſo facto incurrat.*

De

De recurrentibus ad Principum favores.

CANON XVI.

1. *SI quis Principum, aut Prælatorum quocunque gradu, vel titulo præfulgentium favorem, vel gratiam imploraverit ſeu ad gradus, & dignitates aſſequendas, ſeu ad obedientia reſiſtendum ſive pro ſe, ſive etiam pro aliis quibuſcunque utraque voce, omnique legitimo actu per biennium privetur, & ad officium, ſive gratiam imploratam inhabilis ſit.*

2. *Si verò Generalis Miniſter Principum quorumcunque tàm temporalium, quàm Eccleſiaſticorum ſuaſu, vel poſtulatu quidpiam, quod his Conſtitutionibus notabiliter repugnaret, eoque juſtitia læderetur, qualitercunque conceſſerit, vel revocaverit, ſive aliàs quomodolibet effeceris, omnipotentis DEI Judicium ſubeat, & Generalis Capituli coerectioni ſubjaceat.*

De recurrentibus ad Tribunalia ſæcularium, ſeu ad brachium ſæculare.

CANON XVII.

1. *SI quis per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè, ſive pro aliquo gravamine, ſive ut Superiores quoſcunque, ne in ſibi ſubditos Fratres aut Conventus authoritatem exercere poſſint, impedire præſumat, aut aliàs quomodolibet ad ſæcularium tribunalia recurrerit, excommunicationis pœnam Summo Pontifici reſervatam, ac utriuſque vocis privationem perpetuò velut infamis, ac Ordinis proditor ipſo facto incurrat.*

De formahtibus Proceſſus, vel litteras per perſonas ſæculares.

CANON XVIII.

1. *SI quis abſque expreſſa Superioris licentia in ſcriptis obtenta literas ſive alias quaſcunque ſcripturas, unde Religioſis, vel alicui Fratri ſcandalum, vel infamia oriri poſſit, per manum ſæcularium perſonarum, ſive Tabellionum, ſive Notariorum per ſe, vel per interpoſitam perſonam efformare, tractare, vel quomodolibet fieri committere, vel procurare præſumpſerit, ſi ſubditus ſit, pœna carceris puniatur, ſi Guardianus vel Cuſtos ab officio deponatur, ſi Provincialis ab Officio ſuſpendatur, & aliis pœnis arbitratu Superiorum plectatur.*

2. *Omnia itaque, tam civilia, quàm criminalia per ſcriptores Ordinis deputatos fiant, iiſque velut authenticis Notariis in omnibus ad Religionem ſpectantibus plena fides adhibeatur.*

3. *Legis Doctores verò, aut alios quoſcunque Peritos (ſi fuerit opus) ſalva ſemper Religionis, & particularium Fratrum ſama, Generalis Miniſter, & alii quicunque ſupradicti prudenter conſulere poſſint.*

De Declarationibus ſuper quibuſdam pœnis ex Conſtitutionum præſcripto infligendis.

TITULUS XII.

De excommunicatione, aliiſque Cenſuris.

DECLARATIO I.

1. *DEclaratur, quòd excommunicationis, ſuſpenſionis, aut privationis pœnam Fratres niſi deliberato animo, & ex certa ſcientia id, quod prohibetur, executioni mandaverint, nullo pacto incurrant, niſi tamen ex culpabili aliqua ignorantia id commiſerint.*

2. *In foro præterea exteriori ſuſpenſionis, vel alia quæcunque hujuſmodi pœna ex Conſtitutionibus infligenda nullum abſque judiciali declaratione Prælati etiamſi crimen publicè perpetratum fuiſſet, ſed non Juris ordine ſervato probatum, afficere poſſit.*

3. *In foro verò interiori, ſi latæ ſententiæ ſint, vel ipſo facto incurrendæ, & ſimilia, abſque alia Judicis declaratione ex peccato mortali ſuum ſtatim ſortiantur effectum, ſecus verò ſi ſint tantùm comminatoria.*

4. *Ubi verò non exprimitur, à quo pœnæ infligenda ſint, id intelligatur, coram quo legitimè probatur exceſſus, dummodo talis correctio ad ipſum pertineat.*

5. *Nullus autem Ordinis noſtri Prælatus excommunicationis pœnam perpetuam per modum ordinationis, vel ſtatuti ad præcavenda delicta, niſi tantùm in ſcriptis, inferre poſſit, alioquin nulla ſit; ad tempus verò duntaxat, ſive contra aliquem Fratrem ex Privil. Leon. X. non tenentur eam in ſcriptis proferre.*

De privatione Officiorum.

DECLARATIO II.

1. *IN pœna privationis officiorum declaratur, & ordinatur, ut non Prælatura tantum, ſed Prædicationis, Confeſſionis, Lectionis, Viſitationis, Paternitatis, Diffinitoris, Electionis pro Diſcreto, & Cuſtode Cuſtodum privatio pariter intelligatur.*

De privatione actuum legitimorum.

DECLARATIO III.

1. *PRivatio actuum legitimorum eſt inhabilitas, ad vocem activam, & paſſivam*

in quacunque electione, & diffinitione Capituli. In hac verò privatione non intelligitur exerutio, vel juſtificatio in Judicio.

De pœna carceris.

DECLARATIO IV.

1. *QUi carceri ob gravioris criminis pœnam mancipatur, eo ipſo legitimorum actuum privationem incurrit. Quòd ſi è carcere liberaretur, ad eos tamen non intelligatur reſtitutus, niſi explicitè per Superiorem declaretur, ſive per fidem in ſcriptis acceptam, ſive coram Teſtibus factam. Carcerationes verò cuſtodiæ cauſa facta, ne ſcilicet Reus fugam ante Judicium arripiat, vel ex probatione quadam inchoata, & ſemiplena delicti ad torturam ſufficiente, nec prædictam vocis activæ, paſſivæque privationem, nec ullam infamiam inducunt.*

De pœnis in genere.

DECLARATIO V.

1. *DEclaratur, quòd Guardiani, & Cuſtodes pœnas in his Conſtitutionibus taxatas commutare non audeant, niſi fuerit impotentia faciendi in corpore. Conceditur tamen Miniſtro Generali, & Provinciali, ut poſſit eas aliquando commutare, ac mitigare; modò non ſolvatur Ordinis diſciplina, neque præbeatur delinquendi incentivum.*

2. *Declaratur, quòd nullus Superior minor à pœnitentia arbitraria per majorem Superiorem impoſita abſolvere eam, aut commutare præſumat abſque licentia dicti Superioris majoris, & ſi ſecus factum fuerit, talis abſolutio ſeu commutatio ſit inanis, & commutans in ſequenti Viſitatione puniatur.*

3. *Ad tollendum autem abuſum, quo ſolent majores Prælati pœnas ab Ordinariis inferioribus ſubditis inflictas relaxare, inviolabiliter obſervetur Decretum Conc. Trid. quo ſtatuitur, ut nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia nulla reſtitutio ad priores gradus, & dignitates, ſive honores ſuffragetur ſubdito, niſi Superior Prælatus hæc omnia ipſi ſubdito injuſtè inflicta eſſe compererit.*

CONSTITUTIONES IN CAPUT XI. REGULÆ.

De ſuſpecto conſortio vitando.

TITULUS I.

Text. *Ne habeant ſuſpecta conſortia, vel conſilia mulierum &c.*

Superiorũ diligentia.

SUſpecta conſortia, ſuſpectæ nimirum familiaritates, facilitas inviſendi mulieres, frequentes extra pœnitentiæ Sacramentum collocutiones à Superioribus, & Viſitatoribus perquirantur, ac penitus tollantur.

De Monialibus.

TITULUS II.

Tex. *Ne ingrediantur Monaſteria Monacharum.*

Acceſſus ad Monaſteria.

1. PRohibetur omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Fratribus, ne ad Monialium Monaſteria, niſi pro divinis agendis, aut confeſſionis, prædicationis, & Eleëmoſynæ petendæ gratia ullo pacto accedant. In aliis autem caſibus ſervetur Decretum URBANI VIII. ſuper hoc editum.

De Fratribus, & Sororibus Tertiariis.

TITULUS III.

1. FRatres Tertiarii noſtri Ordinis, qui ſibi propria authoritate habitum aſſumpſerunt, vel eum ab aliquo ex noſtris Fratribus, non ſervata debita forma, receperunt, ſeu in heremitoriis à juriſdictione Ordinis alienam vitam traducunt, Privilegiis, indultis, & exemptionibus Tertio hujuſmodi Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, cùm veri Fratres Divi FRANCISCI non ſint, nullo pacto fruantur. Prælatis ideo Ordinis diligenter curandum eſt, ut hoc ſemifratrum genus, quod ſæpiùs Religioni maculas infert, ab Ordinariis locorum Seraphico habitu exuatur.

Non legitimè hunc habitum geſtantes.

Prælatorũ invigilantia.

2. Nul-

Mulieres ad habitum Tertii Ord. recip.

2. Nulla præterea ex Mulieribus ad habitum Tertii Ordinis recipiatur, niſi priùs de probata vita, & bonis moribus digna teſtimonia extent.

Viſitatores deputandi. Eorumque qualitates.

3. Viſitatores Tertii Ordinis, qui in unoquoque Provinciali Capitulo, ſive Capitulari Congregatione deligendi ſunt, literarum ſufficientia inſtructi, qua verbo pariter, & exemplo ad perfectionis ſemitam Fratres, Sororéſque hujuſmodi dirigere valeant, diligentiſſimè curent, ut quartum Regulæ ejuſdem Tertii Ordinis Caput ab omnibus inviolatè ſerve- tur. Qui primò tranſgreſſus fuerit, publicè in Congregatione reprehendatur, & donec abſoluta fuerit, in medio coram omnibus genufle&at. Qui ſecundò, præter latam pœnam, ſi Frater ſingulis Fratribus, ſi Soror ſingulis Sororibus pedes humiliter oſculetur, dummodo graviori pœna pro qualitate delicti non eſſet plectendus. Qui tertiò demum, ab Ordine expellatur.

Tertiarii tranſgreſſores. Pœnæ.

4. In Dominicis autem cujuslibet Menſis diebus, cum Cordigerorum Proceſſio de more in noſtris Eccleſiis celebratur, Fratres omnes, Sororéſque in eorum Sacello Miſſæ intereſſe, ibique ſacra Communione, & ſacramentali Confeſſione præmiſſa, communiter à Viſitatore refici teneantur. Qui Viſitator poſt Veſperas Ordinis Regulam Fratribus, Sororibúſque communiter congregatis exponat, eóſque ſpirituali aliqua lectione ſoletur.

Communio. Viſitationis munus.

Non convenientes ad debitos actus.

5. Qui verò ſpiritualibus hujuſmodi exercitiis, abſque legitima cauſa à Viſitatore approbanda intereſſe neglexerit, ad ejuſdem Viſitatoris arbitrium puniatur.

Tertiariorũ Confeſſores.

6. Nemo tamen ex noſtris Fratribus Tertiariorum hujuſmodi confeſſiones audire præſumat, niſi priùs à locorum Ordinariis ad ſæcularium confeſſiones admiſſus fuerit.

Miniſtri, & Vicarii electio.

7. Habeant præterea Tertiarii Fratres Miniſtrum, & Vicarium, ſicut pariter Sorores Tertiariæ Miniſtram, & Vicariam, qui eligantur in Feſto Seraphici Patris noſtri Franciſci, vel in feſto Sanctæ Eliſabeth Ungariæ Reginæ modo infra ſcripto. Videlicet. Viſitator Miniſtrum, & Vicarium à ſingulis Fratribus, & Sororibus, quemnam deligere velint, perſcrutetur, acceptóque per vocem, ſeu aliqua ſigna cujuſcunque ſuffragio, ea Viſitator deſcribat, & qui ſupra medietatem affirmativa habuerit, jure, legitiméque cenſeatur electus.

Eligendorũ qualitates.

8. Qui tamen in Miniſtros, vel Miniſtras Tertii Ordinis aſſumendi fuerint, probitate vitæ, morum honeſtate, prudentia inſuper, & charitate, bonóque apud concives nomine, tum Regulæ obſervantia perſpicui ſint; communibúſque, aut domeſticis negotiis, ut commodiùs rectæ Ordinis adminiſtrationi vacare poſſint (quantùm fieri poterit) non impediti.

Temporalium adminiſtrator. Ejus rationes.

9. Officiales verò temporales impoſita eis munera fideliter exequantur, elapſóque anno coram Viſitatore, Miniſtro, & Vicario, aliiſque tribus ad hunc effectum ſpecialiter evocatis adminiſtrationis rationem reddere teneantur; ſi quis verò infidelis, vel fraudulentus repertus fuerit, poſt reſtaurationem rei ſubreptæ, ſeu deperditæ, excluſo quovis reſpectu corripiatur. Officiales etiam Sorores coram Viſitatore, Miniſtra, Vicaria, aliiſque tribus rationem (ut præfertur) reddere teneantur.

Tertii Ordinis Privilegia.

10. Curent inſuper Religionis Prælati, ut Fratres, Sororéſque Tertii Ordinis Privilegiis, & Indultis eorum Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis fruantur, nec eorum jure quoquo pacto priventur. Privilegia verò eis conceſſa, prout noviſſimè Sacr. Reg. Congregatio declaravit, hæc ſunt. Quòd mulieres virginalem, ſeu vidualem vitam ducentes cum expreſſo caſtitatis voto inter Viſitatoris manus emiſſo privilegiis, exemptionibus, & immunitatibus fruantur, quibus frui poſſunt Tertii Ordinis Fratres in Congregatione degentes, ac ab Ordinariorum juriſdictione eximantur. Iiſdémque privilegiis ii Tertiarii, qui in Clauſtro habitant, perfruantur. Reliqui verò Fratres, & omnes intra domeſticos parietes degentes iis privilegiis, quæ ab Apoſtolica Sede Sacr. Congr. & Can. huic Ordini conceſſa ſunt, liberè, licitéque perfruantur, & gaudeant.

Viſitatoris cura. Provincialium. Expulſi.

11. Illud autem quàm maximè curabit Tertii Ordinis Viſitator, ut fel. rec. Nicolai V. Regula unacum noſtris Conſtitutionibus reſpective à cunctis, & ſingulis Fratribus, & Sororibus exactè ſervetur. Quapropter præcipitur Miniſtris omnibus Provincialibus, ut in Viſitatione Conventuum, quam ſingulis annis obire tenentur, pari modo Tertii Ordinis Fratres, Sororéſque diligenter viſitent, & quatenus opus fuerit, corrigant, & reforment, & ad Regulæ, Conſtitutionúmque obſervantiam inducant. Qui verò ſemel ab Ordine pulſus fuerit, nullatenus in poſterum recipiatur.

CONSTITUTIONES IN CAPUT XII. REGULÆ.

De mittendis ad partes Infidelium.

TITULUS I.

Text. *Quicunque Fratrum divina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos, & alios Infideles &c.*

Relatio Provincialis requiratur.

I. MInister Generalis neminem Fratrum ad infidelium, ſive etiam Hæreticorum, aut Schiſmaticorum partes, niſi habito à Provinciali Miniſtro de idoneitate, ac probitate illius teſtimonio, proficiſci permittat. Provinciales verò diligenter, tum de vitæ integritate, tum de literarum ſufficientia, præſertim verò de fide prævio rigoroſo examine inquirat; Nec niſi omnino fide dignũ teſtimonium proferat, nec ad hujuſmodi partes, qui de aliquo errore, ſuperſtitione, aut mala converſatione ſuſpectus ſit, ullatenus accedere permittatur.

Provincialis debitum

De Protectore Ordinis.

TITULUS II.

Text. *Petant à D. Papa unum de S. R. E. Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector &c.*

Per quos petendus.

I. UT ſupra ſtabiles Eccleſiæ Cardines Seraphica Religio ſtabilis, firmáque conſiſteret, protectioni, gubernationi, & correctioni unius ex S. R. E. Cardinalibus perpetuò eam Seraphicus Pater ſubjecit. Tenentur igitur Generalis, & Provinciales Miniſtri ex Regulæ præſcripto à Romano Pontifice unum de S. R. E. Cardinalibus petere, ut ſit in bonis agendis Gubernator, in oppreſſionibus alienis Protector, & in delictis Religionis Corrector. Sitque prætera Religionis propugnaculum, ne ſuis privilegiis, juribus, indultiſque defraudetur, ſi S. R. E. pedibus cervices (quod abſit) non flecteret, aut in fide catholica non permaneret, vel à regulari profeſſione pro majori parte deficeret, corrigat, & ad veritatis viam reducat. Fratreſque qui per juridicas appellationes, prout ſtatuit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Quoniam noſtrum &c.* Sacráque Regularium Congregatio, à ſuorum Superiorum gravamine ad illum recurrerent, libenter, benignéque audiat, ac per omnia Ordinem noſtrum Seraphicum ſua protectione perpetuo protegat, foveat, augeat, & defendat.

Protectoris auctoritas.

Eum appellantes excipiat.

COHORTATIO AD FRATRES, & Conſtitutionum finis.

HIs itaque ſalutaribus præceptis, ſanctiſſimiſque URBANARUM Conſtitutionum Decretis Fratres omnes pro animarum zelo, totiúſque Religionis ſalute toto cordis, totóque mentis affectu hortamur, & ad ſalutaris obedientiæ meritum ſub pœnis paſſim in eiſdem Conſtitutionibus latis præcipimus, ut ſigillatim in Domino pareant, firmitérque obediant, Miniſtriſque propterea Provincialibus, Viſitatoribus, Commiſſariis, Cuſtodibus, Guardianis, aliiſque Superioribus præſentibus, & futuris, ut omnia, & ſingula ſuperiùs decreta, ſtatuta, ſeu quomodolibet ordinata obſervent, & pro viribus ab aliis exactiſſimè ſervari faciant, ad eorúmque obſervantiam pœnis (cùm fuerit opus) ſeveriùs agant, duróſque durè compellant, præcipimus pariter, & mandamus, ſi enim (quod abſit) harum Conſtitutionum obſervantia negligeretur, fruſtra animarum ſaluti, Religioniſque decori, quod obnixè deſideramus, tot laboribus, & ſudoribus conſultum foret.

SUPPLICATIO AD SUMMUM PONTIFICEM URBANUM VIII.

SUpplices demum ad S. D. N. pedes, humiléſque preces effundimus, reverentérque Sanctitatem ejus precamur, ut Ordinem Noſtrum Seraphicum ſolita benignitate paternè protegat, favoribúſque ac gratiis proſequatur. Quo interim devotè Deum Optimum Maximum exoramus, ut ad ejus ſanctæ Eccleſiæ incolumitatem, Ordiniſque Seraphici protectionem diuturnam valetudinem, atque felicitatem eidem concedere dignetur.

SUM-

SUMMORUM PONTIFCUM,

AC

SEDIS APOSTOLICÆ

PRÆCIPUA DECRETA

Ad Seraphicam Fratrum Minorum Conventualium Religionem ſpectantia.

Ad Urbanas haſce Conſtitutiones moderandas vel declarandas.

DECRETA

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri INNOCENTII Papæ Decimi edita Pro recipiendis Novitiis in Ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci.

AD propagandam iu Ordine Fratrum Minorum Conventoalium Sancti Franciſci Regularem Obſervantiam , quæ Novitiorum inſtiturioni , & educationi præcipnè innititur , Sacr. Cong. à Sanctiſſ. D. Noſtro deputata ſuper ſtatu Regularium de mandato Sanctitatis Suæ in ſingulis Italiæ Provinciis ejuſdem Ordinis præſentis Decreti vigore deſignat , ac deputat infraſcriptos Conventus pro Novitiatibus , & Profeſſoriis , videlicet: In Provincia Romana pro Novitiatu Conventum Sancti Franciſci Viterbii , & pro Profeſſoriis Conventus SS. Apoſtolorum Urbis Romæ , Sancti Franciſci Ferentini , & Sancti Caroli Cavis: In Provincia S. Franciſci pro Novitiatu Sac. Conventum Aſſiſii , & pro Profeſſoriis Conventus Saocti Franciſci Peruſiæ , Sancti Fortunati Tuderti , & S. Franciſci Ameliæ : In Provincia Bononienſi pro Novitiatu Conventum S. Franciſci Bononiæ , & pro Profeſſoriis eundem Conventum S. Franciſci , necnon Conventus S. Franciſci Ferrariæ , S. Franciſci Faventiæ : In Provineia Neapolitana pro Noviriatu Conventum S. Laurentii Neapolis , & pro Profeſſoriis eundem Conveorum S. Laurentii , necnon Conventus S. Franciſci Averſæ , & S. Franciſci Mirabellæ : In Provincia Marchiæ pro Novitiatu Conventum S. Franciſci Firmi , & pro Profeſſoriis Conventus S. Franciſci urbini , & S. Franciſci Fani : In Provincia S. Nicolai pro Novitiatu Conventum S. Fraociſci Civitatis Licien. & pro Profeſſoriis Conventus S. Franciſci Bitunti ,& S. Franciſci Andriæ : In Provincia Mediolanenſi pro Novitiatu Conventum Sancti Franciſci Mediolani , & pro Profeſſoriis eundem Conveotum Sancti Franciſci , nec noo Conventus Sancti Franciſci Saroni , & Sancti Franciſci Gallerati : In Provincia Hetruriæ pro Novitiatu Conventum Sanctæ Crucis Florentiæ ; & pro Profeſſoriis Cooventus S. Franciſci Piſarum , S. Franciſci Senarum, & S. Franciſci Piſtorii: In Provincia Genuenſi pro Novitiatu Conventum S. Franciſci Genuæ , & pro Profeſſoriis Conventus Sancti Franciſci Taurioi , Sancti Franciſci Papiæ , & S. Franciſci Caſtri Novi : In Provincia Sancti Bernardini pro Novitiatu Conventum Sancti Franciſci Therami , & pro Profeſſoriis Cooventus Sancti Franciſci Aquilæ , & Sancti Franciſci Sulmonæ : In Provincia Calabriæ pro Noviatu Cooventum Sancti Franciſci Arenæ , & pro Profeſſoriis Conventus Sancti Franciſci Montis Leonis, & Saocti Franciſci Jeracii : In Provincia Sancti Aogeli pro Novitiatu Conventum Sancti Franciſci Iſeroiæ , & pro Profeſſoriis Conventus Sancti Franciſci Trojæ , & Sancti Franciſci Foggiæ. In quolibet autem ex prænominatis Conventibus pro Novitiatu , ut præfertur , deſignatis eandem Sacra Congregatio impertirur licentiam hac vice tantùm recipiendi Novitios intra numerum hic præfixum , nempe in Provincia Romana decem Clericos , ſeu Choriſtas , & duos Laicos ſeu Converſos : In Provincia Sancti Franciſci decem Clericos , & duos Laicos : In Provincia Bononienſi decem Clericos , & duos Laicos : In Provincia Neapolitaoa decem Clericos , & duos Laicos : In Proviocia Marchiæ decem Clericos , & duos Laicos : In Proviocia Sancti Nicolai decem Clericos , & duos Laicos : In Proviocia Mediolanenſi decem Clericos , & duos Laicos : In Provincia Hetruriæ decem Clericos , & doos Laicos : In Provincia Genuenſi decem Clericos, & duos Laicos : In Provincia Calabriæ ſeprem Clericos,& Laicum unum:In Provincia Sancti Bernardini quinque Clericos , & Laicum unum : In Provincia Sancti Angeli quinque Clericos, & Laicum unum : Dum tamen hæc quæ ſequuutur, inviolatè obſerveotur. Primum

mum indicatur, & in ſingulis dd. Provinciarum Conventibus publicetur futurum examen, ſeu ſcrutinium eorum, qui ad habitum probationis recipi poſtulaverint, omnéſque à Provinciali, & Diffinitoribus diligenter examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint natalibus, ætate, vita, & moribus anteactis, literatura reſpectu Clericorum, corpotis habitudine, impulſu ſpiritus, aliiſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac ſtatutorum Ordinis: Non idonei verò reiiciantur, nec aliquis approbetur pro Clerico, qui decimum quintum, nec pro laico, qui vigeſimum ætatis ſuæ annum non expleverit. Tum deinde hoc examen, ſeu ſcrutinium ſcripto fideliter exaratum, & manu propria cujuſque examinatoris ſubſcriptum, ac juramentnto firmatum, obſignatúmque primo quoque tempore ttanſmittarur ad Generalem, qui ſtatim conſultis, atque adhibitis Procuratore Generali, ac Patribus gravioribus, qui ei aſſiſtunt, ſcrutinium ſic receptum accuratè percurrat, & per ſingulas partes expendat; ac prǽterea tam per ſupradictos, quàm per literas familiares, & ſecretas inquiſitiones à Patribus Provinciæ antiquioribos, ac zelum DEI habentibus aſſumendas ſedulò inveſtiget, num adverſus examinatos, & approbatos inveoiatur aliqua exceptio, an verò ipſorum quiſpiam ſit conſanguineus, vel affinis, amicus, aut qunquo modo addictus alicui examinatori, aut alteri ex ſtatribus Ordinis, & an zelu perfectionis vitæ, & DEO liberius in Sancta Religione ſerviendi, an potius levitate, aut neceſſitate, vel alio fine inordinato ductus poſtulet admitti. Hiſque peractis, ex omnibus, ut ſupra approbatis idem Generalis cum aliis ſupradictis intta numerum Novitiorum pro Clericis, & Laicis in illa Provincia, ut ſupra conceſſum, præeligat meliores, habita præſertim ratione indolis, morum, ſervoris ſpiritus, acuminis ingenii, & conditionis natalium: moxque prælectorum nomina mittat ad Provincialem, qui tunc demum, & non prius eoſdem prælectos ad habitum probationis ſuſcipiat, & anno elapſo, ſi eos habiles invenerit, ad profeſſionem admittat, ſub exacta tamen vita communi ad præſcriptum Regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſeu potiùs corruptela in contrarium introducta, ſervatáque forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præcipuè Decretorum ſan. mem. Clementis Papæ VIII. nec non ſtatutorum prædicti Ordinis. Quod ſi aliquem ex dd. Novitiis ante profeſſionem à Religione diſcedere, aut expelli contigerit, alius in ejus locum ſubrogari poſſit, dummodo tamen in omnibus ſervetur forma ſuperius præſcripta. Sed & illud omnino cavendum erit, ne à volentibus ingredi Religionem pro ipſo ingreſſu, nec poſt ſuſceptum habitum probationis pro admiſſione ad profeſſiiooem, vel alio quocumque prætextu, excepto victu, & veſtitu Novitii illius temporis, quo in probatione eſt, ab ipſo, vel ejus parentibus, aut propinquis, vel curatoribus aliquid accipiatur ſub pœnis per ſacros Canooes, & Tridentinum Concilium ſtatutis. Cæterùm, ut prædicti Novitii poſtquam in Profeſſorum numerum, ut præfertur, recepti fueriot, melius in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſtabiliantur, & coofirmentur, ſtatim poſt profeſſionem emiſſam, ſi in Conventu pro Novitiatu ut ſupra aſſignato locus aderit ſecundi Novitiatus, ſeo Profeſſorii ab ea, quæ Novitiorum eſt, atque antiqoorum profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus, ibi collocentur, ſi Conventus eos alere queat. Sin minus, transferantur in aliúm Cooveotum ex deſigoatis pro Profeſſorio, ſeu ſecundo Novitiatu, ubi is locus cum requiſitis ad Novitiatum ipſum præſcriptis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conſtruatur: ita tamen, ut ſi prædicta Religio ex ſuarum Conſtitutionum, ſeu inſtitutionum vigore majoris tempotis curſu novos profeſſos intra Novitiatum detinere conſueſcat, illis in hac parte minimè derogatum eſſe intelligatur: & nihilominus permittitur Superioribus, ut id ipſum facere poſſint, ſi rationi, ac Religioni magis expedire judicaverint. In quo quidem Profeſſorio degant ſob Regulis, & modo vivendi adhuc ſtrictiori, quàm ſervent antiquiores Profeſſi, ita ut nec in negotiis Conventus ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neqoe alterius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant quouſque ad ætatem Sacris Ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem pervenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo & debebunt literarum ſtudiis operam navare ſub directione, & regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magiſtrum præditum eſſe oportet, quemadmodum ipſius Clementis decreto providè ſancitum eſt. Porrò in Cooventibus tam pro primo, quàm pro ſecundo Novitiatu, ut præmittitur, aſſignatis, nec Superior, nec Novitiorum Magiſter, nec familia Religioſorum conſtituatur, vel amoveatur, niſi ab ipſomet Generali, conſultis Procuratore Geoerali, ac Patribus gravioribus ei aſſiſtentibus, nec non Pro-

vin-

vincialibus, ac Diffinitoribus, neque in eis collocentur, niſi Religioſi graves, devoti, exemplares, & regularis obſervantiæ, ac puritatis Regulæ ſtudioſi; præcipuè verò caveatur, ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſervare vitam communem, quæ in prædictis Conventibus ad Regulæ præſcriptum exactè obſervetur, indéque amoveantur, qui tam Sanctæ ordinationi contradicere, aut quoquomodo ſe opponere auſi fuerint. Ad extremum poſtquam Novitii in Profeſſorum numerum, ut ſupra cooptati fuerint, Superiores Regulares, ad quos pertinet, illico Sac. Congregationem edoceant ſupradicta omnia, & ſingula fuiſſe ad unguem adimpleta, & exequutioni mandata: alioquin pœnas in memoratis Decretis Clementis VIII. fel. record. ſtatutas ſe ſubituros, ac novas licentias recipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos certò ſciant. Non obſtantibus quoad præmiſſa omnia, & ſingula Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non prædicti Ordinis ſtatutis, conſuetudinibus, & privilegiis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ die 5. Novembris 1654.

B. Card. Spada.

Loco ✠ Sigilli.

P. Fagnanus S. Congr. Secr.

DE PRÆVIA AGGREGATIONE NOVITIORUM.

Alexander VII. in Conſtit. 86. qua incipit Inſcrutabili, edita 1660. die 8. Martii pro Fratribus Minoribus Conventualibus, inter alia declaratur ut infra in Bullario.

DEclaratur demum Decretum Urbanæ Conſtitutionis de non admittendo ad Probationem, vel Profeſſionem ante aggregationem ita eſſe intelligendum, ut nullus deinceps Novitius ad Probationem admittatur, niſi de prævia aggregatione legitimè conſtiterit, &c.

DECRETA

Noviter edita, & à S. Sede confirmata pro regularis diſciplina inſtauratione in Religione noſtra Minorum Conventualium, ut infra.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabili divinæ Sapientiæ arcano in ſacra Principis Apoſtolorum Cathedra, meritis licèt imparibus, collocati, illis, quæ pro felici religioſorum Ordinum in Eccleſia DEI piè, ſanctéque plantatorum, ac uberes bonorum operum fructus proferre jugiter ſatagentium directione, & gubernio providè dignoſcuntur emanaſſe, libenter cùm à Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjungimus firmitatem. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus de Vareſio Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, quod aliàs à Diffinitorio Generali ejuſdem Ordinis, ad neceſſarium regularis diſciplinæ præſidium, & incrementum, edita fuerunt nonnulla Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet.

¶ Generale Diffinitorium Romæ congregatum Anno M. DC. LIX. Præſidente Reverendiſſ. P. Mag. Jacobo Fabretto de Ravenna Miniſtro Generali, cupiens eidem Miniſtro adjutricem dare manum pro inſtauratione Regularis diſciplinæ Ordinis, non ab obſervantia Urbanarum Conſtitutionum declinare, ſed ejuſdem obſervantiæ indemnitati conſulere arbitratur, dum dubia aliquot contingentia enodare, & nonnulla, quæ tempori minus adaptata comperta ſunt modificare (ablegatis, quæ in contrarium inoluerunt corruptelis) opportunum cenſuit; Idcirco ſequentes declarationes, ſanctionéſque ſubtexere, & Sanctiſſimo exhibere decrevit, ut Apoſtole-

ſtolicæ confirmationis robore implorato, inſertas eas dictarum Urbanarum Conſtitutionum volumini habeamus veluti totius operis coronidem.

Primò igitur diſtrictè injungitur cuilibet Provinciæ Diffinitorio, ut in proximo futuro Capitulo requiſita examinare non negligat Magiſtrorum ſuorum ad Lauream promotorum ab ultimo Capitulo Generali ad hæc uſque tempora; ſoli verò admittantur per ſecreta ſuffragia, qui ad præſcriptum URBANARUM Conſtitutionum inſtituti probabuntur, arceantur verò in fraudem promoti, & abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ facultate.

Teneatur etiam idem Diffinitorium in proxima Congregatione Provinciali requiſita itidem examinare cujuslibet Diffinitoris perpetui meritorum titulo inſtituti poſt Capitulum generale præfatum, & hi ſolum approbentur, ſecretis ſuffragiis, de quorum meritis legitimè conſtiterit, ad tenorem dictarum Conſtitutionum, cæteris excluſis quavis poſſeſſione non obſtante, & omni meritorum æquiparantia exploſa, excepta lectura triennali ſupra curſum duodecim annorum, quam in ſupplementum indulgendam fore decernimus Regentibus ſtudiorum, quibus non contigit ſortiri munus Regentiale in aliquo Religionis Collegio.

In poſterum etiam idem Diffinitorium cujuſvis Provinciæ Vocalium, Magiſtrorum, & Diffinitorum ſuorum quos abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ facultate noviter inſtitui contigerit, requiſita ut ſupra, recognoſcere, & examinare teneatur in primo Capitulo Provinciali, & Capitulari Congregatione poſt eorum inſtitutionem, & illi dumtaxat admittantur ad votum electivum, qui per ſecreta ſuffragia ab eodem Diffinitorio approbati fuerint tanquam canonicè inſtituti.

Prærogativas minores, quibus conſuevere Miniſtri Generales Fratrum ſimplicium aliquos declarare graduatos annuimus concedendas eſſe iiſdem Fratribus non ſolùm ob Magiſterium Novitiorum, ob meritum operum Muſicalium, ad tenorem Conſtitutionum, verùm etiam ob miſſiones, ob conſpicuas conciones, ob curam animarum, ob munus confeſſarii, ob lecturam Seminariorum, & hujus ponderis ſimilia onera ſpatio duodecim ſaltem annorum laudabiter peracta, & hoc ad alliciendum præmio eorum animos, qui plerumque faſtidiunt talium functionum ſubire labores.

Verum Provinciæ Paternitatem ex merito decernitur indulgendam eſſe ſolis S. Theologiæ Magiſtris, non tamen ſolo titulo laborum, in exercitio lecturarum ad præſcriptum Conſtitutionum, verùm etiam titulo Concionum, dummodo quindecim annorum curriculo munus hujuſmodi obierint in inſignioribus Eccleſiis, ſuper quibus interveniat teſtimonium Diffinitorii per ſecreta ſuffragia exprimendum, non verò per ſolas ſubſcriptiones, cùm aliquando extortas potius, quàm impetratas eſſe non ignoremus.

Cum verò in orbita Religionis præcellere etiam cenſeantur præſtantes vitæ ſanctimonia, vel regiminis experimento, noſtra intereſſe arbitramur, hos etiam ad Provinciarum Paternitatem promoveri, quippe qui enituntur, non privato, ſed publico veliſicare commodo, non ſuæ, ſed Religionis ancillari gloriæ, exhortatur itaque Sanctitas ſua, ut (abrogata lege poſterius lata) jubeat horum etiam habendam eſſe rationem in diſtributione quatuor Provincialatuum Titularium ad priſtinam formam Conſtitutionum Urbanarum.

Porrò ad compeſcendum omnem hujuſmodi Prælaturæ, & cujuſcumque etiam alterius dignitatis conſequendæ in Religione ambitum, eorum maximè, quos ad Principum favores confugere non pudet pro conſequutione illarum, præter pœnas in Conſtitutione 116. Pauli V. felicis recordationis comminatas hos ſimilia implorantes ſuffragia pœnam etiam excommunicationis latæ ſententiæ Sanctiſſimo reſervatæ ipſo facto incurrere, ſubiréque decernimus.

Ne de cætero in Provinciis Diffinitorum exceſſivus ſit numerus ſtatuitur, ut in Provinciis primæ claſſis ſint tantum decem & octo Diffinitores perpetui, ſecundæ claſſis duodecim, tertiæ claſſis novem, quartæ claſſis ſex, declaramus tamen PP. Provinciæ naturales nunquam à Diffinitorio expungendos eſſe, etiamſi plures numero ſint; ſi verò Diffinitorum naturalium minor præſcripto ſit numerus,

rus,

rus, ex reliquis Diffinitoribus ob meritum inſtitutis ſuppleatur juxta eorum antianitatem; uſque ad præſcripti normam calculi; ſi qui ſuperſint eorumdem Diffinitorum ex merito excedentes numerum præfixum, nomen utique Diffinitoris retineant, præcedantque ſimplices S. Theologiæ Magiſtros, non verò ſuffragia ferant in electionibus, niſi poſtquam eos Ordine ſupradicto contigerit ſubrogari in locum demortui.

Cum etiam hiſce temporibus exceſſivum experiamur numerum Collegialium laureandorum, decernitur, ut in poſterum in Collegiis Aſſiſienſi, Patavino, Bononienſi, & Neapolitano (reliquis in priſtino ſtatu permanentibus) numerus ad duodenarium reducatur, quorum ſex tantum antiquiores in fine Collegii ſortiantur Lauream; rigoroſo examini de more ſubiiciantur Baccalaurei ad Collegium promovendi, vocatis ſingulis, trienniis pro quolibet Collegio duodecim tantum, ex quibus ſex peritiores ſeligendi ſunt.

Ad crebras perturbationes eliminandas ob præcedentiæ controverſias, declaramus, inter privatos ubique primum locum deberi Patribus officio Generalatus, vel Vicarii Apoſtolici functis, qui uni tantum Superiori (ſcilicet digniori, ſi plures adſint) actu præſenti in Conventu, vel Civitate locum cedere tenentur; ſecundum locum, poſt Superiores actu deberi iis, qui fuerunt Generales Ordinis Procuratores in Rom. Curia; tertium locum Provincialibus, & Aſſiſtentibus Ordinis officio abſolutis; quartum Patribus Provinciæ ex merito inſtitutis, quibus cedere etiam teneantur, ſi qui urgentiori aliqua ratione, gratioſo Decreto ad paternitatem eam habilitarentur; quintum ſacræ Theologiæ Magiſtris; ſextum Baccalaureis Collegialibus, ſi quos aliqua impotentia, contingeret non promoveri ad Magiſterium, cæteris non Collegialibus Baccalaureis ab hac prærogativa ſubductis; Septimum Patribus ſimplicibus graduatis, ſcilicet patentibus litteris à Generali ob meritum decoratis; octavum cæteris non graduatis, ſalvo in quolibet gradu Ordine antianitatis ad formam Urbanarum Conſtitutionum.

Declaratur demum Decretum Urban. Conſtit. de non admittendo ad probationem, vel profeſſionem ante aggregationem, ita eſſe intelligendum, ut nullus deinceps Novitius ad probationem admittatur, niſi de prævia aggregatione legitimè conſtiterit.

Quoniam verò optima rationis urgentia ſacra Congregatio Univerſalis Inquiſitionis aliqualem meritorum æquiparantiam inire nos edocuit, ut prædictum Diffinitoriale munus in præmium vertatur, pari paſſu, inſignioribus Miniſtris ſancti Officii, idcircò in promotione ad Paternitatem Provinciæ Conſultores Inquiſitionis in Curia Romana, Aſſiſtentibus Ordinis æquiparandos eſſe decrevimus; Inquiſitores Generales, Regentibus Collegiorum; Vicarios Generales (dummodo ſacræ Theologiæ Magiſtri ſint) Regentibus Gymnaſiorum: Conſultores Aſſiſtentium, naturalem Paternitatem Provinciæ, ſui muneris ratione, nanciſcantur; Inquiſitores verò (ſi Patres Provinciæ ex merito inſtituti fuerint, antequam onus Inquiſitionis ſortirentur) naturalem pariter Paternitatem novi oneris exercitio conſequantur; ſi verò prius Patres non extabant, ad Paternitatem tantum ex merito, ad inſtar Regentium, ut præfertur, promoveantur; ut autem præmia non contingant præcocia, quæ virtutis incrementa morantur, dictam Paternitatem non ſortiantur præfati Miniſtri, niſi proportionata methodo cum Regentibus, Concionatoribuſque Religionis, nempè Conſultor in Curia poſt ſextum, Inquiſitores, poſt duodecimum, Vicarii dicti, poſt decimum quintum ſui oneris expletum annum; ſi autem contingeret horum Miniſtrorum aliquos duplici Miniſterio, intermedio tempore, ſunctos eſſe, ſcilicet Regentis in Religione, & Inquiſitoris, vel Vicarii in ſancto Officio, tunc promiſcuè calculus annorum computetur ab utriuſque muneris functione, ita ut defectus præſcripti temporis in primo Miniſterio, ſuppleatur ex ſecundo.

Miniſtri verò inferiores ſancti Officii ab ipſiſmet Inquiſitoribus deputati, æquiparentur tantum Magiſtris Seminariorum, & Patribus ſimplicibus graduatis ut promoveri poſſint, poſt duodecimum ſui oneris annum, ad votum electivum in Capitulis Provincialibus, pro electione Miniſtri Provincialis ferendum.

Si quis verò horum Miniſtrorum Baccalaureus ſit, ſtudiiſque Scholaſticæ addictus, & in Concurſu, & examine pro promovendis ad Collegia idoneus repertus fue-

fuerit, alicui Collegio Religionis adſcribatur, diſpenſetur autem à reſidentia Collegii toto tempore, quo juſſus fuerit ſuam alibi navare operam in obſequium officii ſancti; elapſo autem triennio, pari jure, & methodo cum aliis ejuſdem Collegii Concollegialibus Lauream Magiſterii conſequi valeat.

Nullus demum præfatorum Miniſtrorum ad eas promoveatur prærogativas in retributionis vicem, niſi prius per litteras commendatitias, & patentes de ſacræ Congregationis licentia obtentas, ſui Miniſterii laudabiliter functi, merita probaverit.

✠ Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, præfatus Ludovicus Procurator Generalis Decreta hujuſmodi pro firmiori illorum ſubſiſtentia, & inviolabili obſervatione, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio roborari plurimum deſideret: Nos ipſum Ludovicum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui quomodolibet intervenerint in eiſdem ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non quatenus opus ſit, dicti Ordinis, ejúſque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, & aliis quibuslibet, etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, ubique in judicio, & extra quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die viij. Martii M. DC. LX. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

S. Ugolinus.

DUBIA

Aliquot circa novorum obſervantiam decretorum à Religione Fratrum Conventualium propoſita, & declarata ad mentem Sanctiſſimi.

PRimum dubium circa ſecundum decretum. An liceat diffinitorio ex Patribus Provinciæ, huculque inſtitutis aliquos benè viſos gratioſè retinere, etiamſi eorum inſtitutio non cenſeatur facta ad præſcriptum rigorem Urb. Conſt.

Reſpondetur, cùm in decimo decreto inferius poſito ſancitum ſit quartum locum deberi Patribus Provinciæ ex merito, quibus cedere etiam teneantur, ſi qui urgentiori aliqua ratione gratioſo decreto ad Paternitatem etiam habilitarentur, liquet non ablatam eſſe eidem diffinitorio facultatem aliquos beneviſos huculque inſtitutos, & jus poſſeſſorium iteratis vicibus adeptos ex gratia retinendi ob rationabilem cauſam à Miniſtro Generali approbandam, ſed enim vetitum eſſe noviter quemque gratioſè admittere, non ſervata ſcilicet præſcriptione meritorum ad formam decretorum.

Secundum dubium circa quartum. An Fratres ſimplices graduandi ob munus Confeſſarii, & alia onera in decreto expreſſa, vi illius graduationis inſtituantur

antur vocales ad ferendum ſuffragium in electione Provincialis ad inſtar graduatorum ob Magiſterium Novitiorum, vel Miniſterium S. officio præſtitum.

Reſpondetur, minimè illis attributum eſſe jus ſuffragii, ſed ſolum præcedentiæ vi illius graduationis ſupra Fratres ſimplices non graduatos.

Tertium dubium circa ſextum. An ex vi Bullæ confirmationes decretorum dicendum ſit Sanctitatem Suam annuiſſe ſupplicationi in eiſdem decretis inſertæ pro diſtributione quatuor Provincialatuum ſitularium ad priſtinam formam Conſtit. Urb. abrogata lege poſterius lata.

Reſpondetur affirmativè, benignè ſcilicet Sanctitatem Suam diſtributionem hujuſmodi in præmium ceſſuram dignioribus Patribus S. Theologiæ Magiſtris, ob laborum, & meritorum præſtantiam, noviter induiſiſſe, ac demandare moderno Miniſtro Generali P. Magiſtro Jacobo Fabretto de Ravenna, & ſubinde ſucceſſoribus ſuis.

Dubium quartum circa ultimum; An Indultum ad favorem, & præmium Miniſtrorum Sancti Officii veniat recipiendum ſub eodem Titulo Decretorum, Deffinitorii Generalis, & prout ſonat obſervandum.

Reſpondetur, ſi Indultum hujuſmodi occaſionatum dumtaxat fuiſſe ex decretis Deffinitoriis, & ad nutum Sac. Congregationis inſertum, ſubindeque à Sanctiſſimo comprobatum ac confirmatum extitiſſe, idcircò plenam ſortiri debere executionem; Hoc tamen declarato quod ſi aliquos, poſt Provinciæ Paternitatem ex meritis adeptam, ad munus Inquiſitoris Generalis promoveri contingat, non illicò iſtos inter Patres Provinciæ naturales dignioris Ordinis connumerandos eſſe, ſed poſt lapſum tantùm ſui oneris ſexennium, & poſt litteras commendatitias à Sac. Congregatione Univerſalis Inquiſitionis, & litteras Patentes à Miniſtro Generalis Ordinis legitimè obtentas, ita ut jus antianitatis reſpectu præcedentiæ, non à die promotionis ad Inquiſitoratum, ſed à die conceſſionis litterarum Patentium exordiri cenſeatur.

Sanctiſſimus D. N. Alexander divina Providentia Papa VII. facta ſibi relatione de præmiſſis declarationibus, nec non audita deſuper ſententia, & voto Eminentiſſimi Borromæi Ordinis hujuſmodi apud hanc S. Sedem Protectoris, eaſdem declarationes tanquam ad tollendam ambiguitates, & dubia circa memoratorum Decretorum nuper editorum obſervantiam inſurgere poſſint, congruas, & opportunas, benignè approbavit, ac propterea in calce ipſorum reſpectivè decretorum ad faciliorem, & clariorem eorum intelligentiam, & exequutionem deſcribi, & apponi mandavit. Romæ 13. Maij 1671.

M. Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

E. Epiſcopus Camer. Secr.

CLEMENS PAPA X.

Ad Perpetuam rei memoriam.

EX iniuncto Nobis divinitùs paſtoralis ſollicitudinis munere ſingularum merita æqua lance perpendentes, illorum, qui in Eccleſiæ, & Religionis obſequium operam, ſtudiúmque ſuum laudabiliter conferunt, honorificentiæ libenter conſulimus, ſicut rationi conſentaneum eſſe arbitramur in Domino. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus Magnus à Cantu Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum, quod in eodem Ordine reperiuntur Deffinitores perpetui, qui Patres Provinciæ vocari ſolent in quinque ſpecies diſtincti, nempe aliqui propter geſtum in propria, vel aliena Provincia Provincialatus officium, alii quia lecturam duodecim annorum ſpatio in regentiis, inter quas ſunt, quæ primæ Claſſis vocantur, & Collegiis, vel Univerſitatibus Studii generalis exercuerint, alii ex eo, quod verbum Dei eodem temporis ſpatio in pulpitis, ſeu Eccleſiis per decreta d. Ordinis præſcriptis prædicaverint, aiil, quia cùm in ſacra Theologia Magiſtri eſſent, per annos duodecim Magiſtri Novitiorum munere functi ſint, & reliqui ex decreto fel. rec. Alexandri Papæ VII. Prædeceſſoris noſtri, qui pariter Magiſterii in ſacra Theologia gradu

decorari per duodecim annorum decurſum Inquiſitores hæreticæ pravitatis fuerint, ſeu partim lecturam, ut ſupra, & partim Inquiſitionis officium exercuerint. Inter præfatos autem Deffinitores perpetuos, ſive Patres Provinciæ ea eſt differentia, quod qui propter geſtum Provincialatum tales ſunt, tametſi juvenes, cæteros Deffinitores perpetuos, ſeu Patres Proviociæ hujuſmodi antea longè inſtitutos, præcedant; Hæc verò differentia à dilectis pariter filiis Miniſtro Generali, ac Deffinitoribus Generalibus perpetuis, & Aſſiſtentibus dicti Ordinis maturè conſiderata, ſimùlque perpenſis laboribus eorum, qui legunt, prædicant, Novitiorum inſtitutioni præſunt, & Tribunali Officii Inquiſitioois hæreticæ pravitatis inſerviunt, qui plerumque provehuntur ad Provincialatum, ad quem ut plurimum promoventur eorum diſcipuli, aut alii meritis, & qualitate inferiores, qui ſubinde eos præcedunt non ſine eorum verecundia, & aliorum admiratione, ipſe Miniſter Generalis, ac Deffinitores Generales, & Aſſiſtentes, re cum dilecto filio noſtro Giberto S. R. E. Cardioale Borromæo nuncupato Ordinis præfati apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectore communicata, illóque aſſentiente cenſuerunt rem omnem ex noſtra, & hujus Sanctæ Sedis providentia ad æqualitatem fore redigendam, ne Fratres ejuſdem Ordinis ad ſtudioſos labores reddantur ſegniores, ſed ad illos potius in Eccleſiæ obſequium, & dicti Ordinis decorem alacriter ſuſcipiendos, atque peragendos animentur. Quare dictus Ludovicus Procurator Generalis eorumdem Miniſtri Generalis, ac Deffinitorum Generalium & Aſſiſtentium nomine Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Miniſtrum Generalem, ac Deffinitores Generales, & Aſſiſtentes, nec non Ludovicum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet ionodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, ut de cætero omnes,& ſinguli Deffinirores perpetui Provinciarum dicti Ordinis modo, & forma præfatis poſt finitum lecturæ, ſeu prædicatioois, vel Magiſterii Novitiorum, aut Inquiſitoratus tempus per Conſtitutionem ejuſdem Ordinis, ſeu præfatum Alexandri Prædeceſſoris decretum reſpectivè præſcriptum, ab exiſtente pro tempore Miniſtro Generali Ordinis hujuſmodi per patentes ejus litteras; cæteroqui canonicè hactenus inſtituti, & in futurum inſtituendi illico Ex-Provincialium præeminentiis, prærogativis, & præcedentiis fruantur, potiantur, & gaudeant in omnibus, & per omnia, ac ſine ulla prorſus differentia, perinde, ac ſi Provincialium munere functi fuiſſent, atque ita inter eos, & Ex-Provinciales præfatos ſervetur æqualitas, & quoad Ordinem præcedentiæ ſola prioritas, ſive antianitas Diffinitoratus, & Paternitatis Provinciæ attendatur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque io præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ,ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Provinciarum hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tamen præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur in judicio, & extra, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Anoulo piſcatoris die prima Decembris M. DC. LXXI. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

I. G. Sluſius

DEC-

DECRETA

Capituli Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium Romæ celebrati in Feſto Pentecoſtes Anno 1689. Die 29. Menſis Maii à Sancta Sede Apoſtolica approbata, & Confirmata.

ALEXANDER PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ Sollo per ineffabilem Divinæ bonitatis abnodantiam nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti, ea quæ pro ſalubri eorum, qui Altiſſimi obſeqniis ſub ſuavi Religionis jugo mancipati ſunt, directione, ac felici gubernio providè, prudentérque conſtituta ſunt, ut firma ſemper, atque Inviolabilia perſiſtant, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio, cùm id à Nobis petitur, libenter roboramus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius *Ioſeph Maria Bottari Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium* nuncupatorū, quòd in Capitulo Generali dicti Ordinis menſe Majo proximè præterito in Alma Urbe noſtra celebrato, edita, & facta fueruot nonnulla Decreta tenoris, quiſequitur, videlicet.

DECRETA noviter edita à Diffinitorio Generali in Capitulo Generali Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci Romæ celebrato ſub die 29. Maii 1689. in Conventu Sanctorum Duodecim Apoſtolorum.

I. Decernitur, & ſtatuitur, qnod tam Regentes, quàm Lectores, Collegiales, & ſtudentes ſemper io propriis Gymnaſiis reſidere teneantur, nec umquam quacumque occaſione, ſeu prætextu ab ipſis ſtudiis, & lectionibus diſcedere & deficere eis liceat abſque evidenti neceſſitate, ſeu legitima cauſa à ſolo Miniſtro Generali cognoſcenda, cui ſoli liceat concedere etiam per modicum tempus, donec tantùm urgeat neceſſitas extra propriam reſidentiam morari, & oon alteri cujuſcunque gradus, & ſuperioritatis fueriot, excepto tameo tempore Quadrageſimæ, & illarum tantùm feriarum, quæ à Sac. Conſtitutionibus Ordinis conceduntur, qui ſecus fecerint io privationem ſuorum Officiorum, & Studiorum Ipſo facto incurrant abſque alia declaratione; nec poſſint ſub eiſdem pœnis Provinciales Miniſtri, & Superiores Conventuum prædictos Regentes, Lectores, & Studentes quavis cauſa à reſidentia, & exercitiis ſcholaſticis diſtrahere, aut diſpenſare, Immo ſuo muneri deficientes ſeverè corripere, & punire teneantur; ac etiam ſi correctionibus non paruerint à ſtudiis rejicere, Miniſtro tamen Generali conſulto.

II. Quod non promoveantur, nec acceptentur ad Paternitatem Provinciæ, ſive ex munere Regentiæ, ſive Prædicationis, qui curſum non compleverint, à Sac. Conſt. Urb., & aliis Pontificiis functionibus præſcriptum, & reſpectivè Decretis aliàs emanatis à Generali Diffinitorio, ita quòd ad eamdem Pateroitatem Provinciæ obtinendam valeant ſuffragari ſolùm aliæ Regentiæ, & Lecturæ, & ſic pariter illa exercitia Concionum Quadrageſimalium laudabiliter completa io illis tantùm Civitatibus, & locis, & per integrum tempus aonorum, prout ab ipſis Conſtitutionibus, Decretis Pontificiis, ſeu aliis Generalis Diffinitorii præſcribitur, nec aliter liceat Miniſtro Generali pro tempore, ſeu per litteras patentales, ſeu quocunque alio modo Patres Provinciæ inſtituere, aut declarare; & quæcumque Inſtitutio contra prædictas Sanctiones quomodolibet facta In poſterum invalida, & nulla ſit, & illegitimè inſtituti, etiamſi à Diffinitorio Provinciæ acceptarentur totum, ſit irritum, & inane, nec ullo Paternitatis Provinciæ titulo, aut privilegio gaudeat.

III. Miniſtri Provinciales quarumcunque Provinciatum, nec noo Cuſtos S. Conventus Aſſiſienſis nullo modo ad babitum Religionis quemlibet alterius Provinciæ admittere audeant, niſi prius accedat conſenſus in ſcriptis, & beneplacirum Parris Provincialis nativæ Provinciæ, aliàs acceptstio nulla ſit, & invalida, & tranſgredientes privationem ſuorum Officiorum incurraot.

IV. Ad Lauream Magiſtralem oemo poſſit admitti, niſi juxta formam Conſtitutionum Ordinis prævio Collegio, ubi laudabiliter in omnibus ſcholaſticis exercitiis profecerit, publicas Theologicas Theſes egregiè ſubſtinendo, & privatis conferentiis lo Scholis, & Lectionibus aſſiduè per totum Trienniam ſe exercendo, de quibus omnibus juratam fidem io ſcriptis Superiorum Localium, & ſuorum Regentum obtinere; qui Superlores, & Regentes cautè, & ſecundùm conſcientiam procedant, & tales fides negligentibus, qui in ſtudiis non profecerint, denegare teneantur, ſub pœnis Miniſtri Generalis arbitrio reſervatis, etiam privationis Officiorum.

Ita pariter nemo valeat ad Collegia vocari, nec admitti, niſi prius publicè Theologiæ Theſes laudabiliter ſubſtinuerit, fidémque juratam Superiorum, & Regen-

tum

tum illorum Studiorum, ubi fuerint morati, exhibeant, à Miniſtro Generali diligenter examinandam, ſine qua nequeat Generalis Miniſter ullum ad Collegium admittere, ſicut pariter neminem poſſit Collegialis gradu condecorare, niſi prius à pluribus Examinatoribus coram Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Protectore Ordinis, & ipſo Generali Miniſtro fuerit in tota Philoſophia, & ſaltem duobus Tractatibus Theologiæ diligenter examinatus, & tali gradu dignus judicatus, ipſo Ordinis Protectore conſulto, ſicut etiam nemo ex Ultramontanis, & Ultramarinis Provinciis ad Lauream magiſtralem poſſit admitti, niſi ſervata forma privilegiorum Summorum Pontificum prævio rigoroſo examine, & propriæ Provinciæ Diffinitorio annuente.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus *Joſeph Maria Miniſter Generalis* decreta hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactiùs Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ſpecialem ipſi Joſepho Mariæ gratiam facere volentes, eúmque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiæ ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit ad effectum præſentium dumtaxar conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, & audita ſuper præmiſſis Venerabilis fratris noſtri Flavii Epiſcopi Albanenſis S. R. E. Cardinalis Chiſii nuncupati memorati Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam relatione, Decreta præinſerta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Decernentes præinſerta Decreta, ac eaſdem præſentes litteras ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcuuque Judices ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palarii Apoſtolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus eſt dicti Ordinis, ejúſque Provinciarum, & Conventuum quorumvis, aliiſve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & ad Verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Aprilis M. DC. XC. Pontificatus noſtri Anno primo.

I. F. Card. Albanus.

Circa Vigiliam S. Antonii, ex Lantuſca Theatrum Regularium editum Romæ 1669. *pag.* 349. *n.* 3.

QUia Fratres Minores Conventuales ex Conſtitutione Urbana tenentur peragere Vigiliam S. Antonii de Padua, & inſuper jejunare, oblata ab ipſis ſupplicatione ſacræ Rituum Congregationi quid agendum, quando præfata Vigilia occurrit in feſto Corporis Chriſti. Eadem Sacra Congregatio reſpondit, hujusmodi jejunium feria 4. immediatè antecedente eſſe anticipandum, facta autem de prædictis Sanctiſſimo relatione, Sanctitas ſua annuit, ac præcitatos Fratres à præcepto, quo ipſis Urbana Conſtitutione jejunium prædictum pater iniunctum, abſolvit. Die 26. Maij 1659.

I. Epiſc. Sabin. Card. Sachettus.

Loco ✠ Sigilli.

F. Maria Phæbeus S. Rit. Cong. Sec.

In Regeſto ejuſdem fol. 140.

AD-

ADDITAMENTUM XXXII.

CONSTITUTIONES FRATRUM
Sacri ac Regalis Ordinis
B. V. MARIÆ de MERCEDE
Redemptionis Captivorum.

OBSERVATIO CRITICA.

Quemadmodum, labente ſæculo duodecimo, ſurrexerunt viri admirandæ charitatis fervore præditi, qui ſpeciali SANCTISSIMÆ TRINITATIS impulſu excitati ad redimendos captivos Chriſtianos de poteſtate Infidelium; ſic etiam paulo poſt initium ſæculi XIII. nimirum circa annum MCCXVIII. inſpirante divinitus GLORIOSISSIMA DEI MATRE exorſus eſt novus Ordo Religioſus ad eundem finem ordinatus, qui proin merito nominatur: ORDO BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM. Notum quippe eſt omnibus Catholicæ Religionis cultoribus miraculoſum hujus ſacri & Regalis Ordinis exordium, quando unaeodemque tempore Glorioſiſſima Deipara Virgo apparens S. PETRO NOLASCO, S. RAYMUNDO DE PENNAFORT, JACOBO ARAGONIÆ REGI, tale Inſtitutum ſummo Numini, ſibique fore gratiſſimum, revelavit; cujus proin ſolemnem Commemorationem obſervare voluit Eccleſia quotannis, ſub ritu Feſti duplicis, ad diem XXIV. ſeptembris. Erat autem S. Petrus de Nolaſco nobilis Gallus Recaudi prope Carcaſonam natus anno MCLXXXIX., qui nobiliter educatus, primùm magnanimo comiti Simoni de Monteforti ſeſe conjunxit, contra Albigenſes hæreticos, militaturus, ſed poſtea ad educandum Jacobum I. Arogoniæ Regem ab ipſo comite ſelectus, in Hiſpaniam Saracenis oppreſſam ſeceſſit. & Barcellonæ fixam ſedem ponens, totum ſe DEO conſecrare voluit; paratus omnem ſuam ſubſtantiam conſumere, atque ſeipſum venumire, aut in illorum vincula ſuffici, ut de manibus Saracenorum liberaret Captivos Chriſtianos. Igitur his tribus ſanctiſſimis Viris miraculoſa apparitione Glorioſiſſimæ Deiparæ facta, & illi abſque mora divino Oraculo ſatisfacere cupientes, vocato Berengario Epiſcopo Barcellonenſi in Eccleſia Cathedrali publicè S. Petrus de Nolaſco votis Religioſis ſe obſtringens, exordium ſacri Ordinis jecit. Cui & nonnulli nobiles Equites ac pii Sacerdotes ſeſe conjunxerunt, quibus Piiſſimus Aragoniæ Rex Capellam regiam S. Eulaliæ ſacram conceſſit, atque cellas in ipſo Palatio ad inhabitandum dedit, donec locus ſeceſſui aptior pro conſtruendo Monaſterio reperiretur. Commilitones autem dicuntur fuiſſe ſeptem Equites & ſex Sacerdotes, quibus poſtea tredecim Equites omnes Galli, ſeſe conjunxerunt, qui ſimul cum ſuo Magiſtro S. Petro de Nolaſco ſua vota religioſa emiſerunt, ſuperaddito quarto voto, quo aſtringebantur ſeipſos in captivitatem, & vincula redigere, ſi, pro redimendis aliis Captivis, nulla alia remedia ſuppeterent.

Atque tale exordium habuit ſacer & regalis hic Ordo Beatiſſimæ Virginis de Mercede Redemptionis, qui, munificentia regia aliorumque nobilium liberalitate mirifice creſcere cæpit, dum per Hiſpaniam ſumptuoſiſſima Monaſteria acquirere meruerit, quibus omnibus præeminuit hoc primum magnificum Cœnobium Barcellonenſe, cujus ſuperior, etiamnum hodie nominatur Aulæ Hiſpanicæ Vicarius, reliquique Re-

ligioſi inquilini nuncupantur Capellani Regii, *unde ad totam ſacram Congregationem nomen* Regalis Ordinis *emanaſſe videtur. Et quidem non deſunt Auctores, qui aſſerunt tredecim illos Equites immediate hoc ſacrum Inſtitutum amplexos, jam dudum ad gerendum bellum contra Saracenos aſtrictos ſuiſſe, unde apparet primariam illam Congregationem extitiſſe verum* Ordinem Militarem *prout inferius monſtrabimus. Hinc & illi Equites diſtinctum habitum ab aliis Religioſis Sacerdotibus acceperunt, habitu ſæculari albi coloris veſtiti, & ſolo Scapulari brevi, & anguſto capucio diſcriminati ab ipſis Laicis. Dum Sacerdotes & alii Religioſi incedere ſolebant induti tunica talari & Scapulari ejuſdem coloris, cum longiori mantello & ampliori capucio; quibus omnibus Piiſſimus Arogoniæ Rex* Jacobus I. *eorum Scapulari aſſui mandavit ante pectus ad dexteram partem, in memoriam ſuæ protectionis & amicitiæ, Regum Aragonenſium publicam teſſeram, nimirum albam crucem in parmula rubea, quaternis puniceis vacerris in ſolo aurei metalli ornatam.*

Inſtituto igitur monaſterio ad redimendos Captivos diligentem operam impendere voluerunt piiſſimi Inquilini, ad quorum excitandum fervorem ſanctiſſimus Inſtitutor exemplum tantæ charitatis exhibuit, perrexit enim in Regna Valentiæ & Granadæ *à Saracenis jam dudum occupata, & ab eiſdem ſupra quadringentos Captivos Chriſtianos redemit, ac ſecum libere* Barcelonam *reduxit. Nec ſolum apud Hiſpanos hoc Chriſtianæ charitatis officium exercere, ſed in* Africam *tranſnavigare voluit, ubi quidem ab Infidelibus multa paſſus & in vincula conjectus, tandem in* Hiſpaniam *rediit, ut parata pecunia ſocium in vinculis detentum, alióſque Captivos Chriſtianos redimeret, non permiſſus à Saracenis diutius in vinculis permanere.*

Ut verò certam ſeriem & ordinem in hac nova Congregatione pro redimendis Captivis rite diſponeret, conſtituit, quoſdam Moribus & diſcretione maturos ad hoc Charitatis eximium officium rite peragendum, quos Liberatores *nominavit; dum reliqui Religioſi Sodales, vel in colligendis Eleëmoſynis pro tali Captivorum Redemptione neceſſariis occuparentur, vel in celebrando divino officio, aliiſque Muniis monaſticis, domi deſtinarentur. Etiamſi enim novus hic Ordo Religioſus nulla adhuc certa Regula Monaſtica donatus fuerit, ſed ſolum viva voce à ſummo Pontifice Romano* Honorio III. *approbatus; attamen Piiſſimus Inſtitutor ejuſque Sodales vitam activam Religioſam cum contemplativa conjunxerunt, ſequentes ſalutaria Statuta à* S. Raymundo de Pennafort *conſcripta, qui adhuc Canonicus Eccleſiæ Barcelonenſis, &* S. Petro de Nolaſco *à ſacris Confeſſionibus exiſtens, ſacro Ordini erigendo ſummopere operam ſuam impendebat, poſtquam miraculoſa apparitio Glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ, & ipſi facta fuerat. Dum igitur Sanctiſſimus Ordinis Inſtitutor* S. Petrus de Nolaſco *cum ſuis piiſſimis Sodalibus arctiſſimam diſciplinam obſervaret, atque plurimos Captivos Chriſtianos à ſervitute Infidelium indies liberaret, ad illius Societatem amplectendam convenerunt multi Nobiles Equites ex Gallia, Italia, Magna Britannia, Germania, & Hungaria, quo DEO ſecurius militarent, & proximis ſuis ſub Saracenorum dira captivitate gementibus præſens auxilium afferrent. Creſcente autem numero Diſcipulorum, tam Equitum, quam Sacerdotum, relicto Palatio Regio magnificum & amplum Monaſterium munificentia Regis aliorúmque Nobilium liberalitate erexit, quod* ſanctæ Eulaliæ Virgini & Martyri *ſacrum, evaſit totius Ordinis caput, prout ſupra dictum eſt. Et, quia ſacer Ordo nondum ſolenni Bulla Pontificia confirmatus erat, nec eidem aliqua Regula monaſtica præſcripta; ſic ad inſtantiam* S. Raymundi de Pennafort, *& precibus* S. Raymundi Nonnati *Procuratoris Generalis Ordinis, utrumque ab Apoſtolica Sede facile obtinuit. Nam ſummus Pontifex Romanus Gregorius IX. hunc ſacrum Ordinem ſolenni Bulla anno MCCXXXV. & VIII. Januarii data Peruſii confirmavit, atque* Regulam Auguſtinianam *Sodalibus deinceps obſervandam, ſimul ac Conſtitutiones à* S. Raymundo de Pennafort *conditas præſcripſit.*

Qua ampliſſima Bulla Pontificia accepta, S. Petrus de Nolaſco *tanquam Ordinis primarius Inſtitutor, & Magiſter Generalis, omnes præſentes Sodales ad emittendam novam Profeſſionem Religioſam juxta* Regulam S. Auguſtini, *& Conſtitutiones olim ſancitas invitavit, quos etiam dicto obedientes liberrime habuit. Atque poſt biennium, nimirum anno MCCXXXVII. apud* Barcelonam *celebravit Ordinis Capitulum Generale, in quo, omnes Equites & Religioſi per alia Monaſteria diſperſi, & qui nondum novam Profeſſionem Religioſam emittere potuerunt, eandem, ſicuti & reliqui ante biennium præſentes emiſerunt. In hoc etiam Capitulo Generali ſancitum reperimus, ut in quolibet Monaſterio plures reciperentur Sacerdotes & Fratres Clerici ad chorum deſtinati, quàm Equites ad redimendos Captivos ordi-*

nati

nati cum nullus Ordo Religioſus diu ſubſiſtere valeat abſque arcta Officii divini & diſciplinæ Monaſticæ obſervatione. Hinc etiam præceptum eſt, ut omnes Equites quamdiu domi eſſent, chorum diu, noctuque frequentarent, induti quidem cucullo longo ſicut reliqui Religioſi Sacerdotes & Fratres Clerici.

Diximus ſuperius hunc Sacrum & Regalem Ordinem ab exordio extitiſſe MILITAREM, *quod tamen fateri renuunt Ordinis Scriptores, aſſerentes,* S. Petrum Nolaſcum, *non quidem ab exordio inſtituti Ordinis, fuiſſe Sacerdotem, ſed poſtea, circa annum MCCXXXVII., quando in Capitulo Generali decrevit, ut in quolibet Monaſterio plures Sacerdotes reciperentur, quàm Equites; ad ſacrum Sacerdotium anhelaſſe; primámque Miſſam* MURCIÆ, *celebraſſe, poſtquam nimirum illam civitatem totúmque Regnum de manibus Saracenorum recuperaverat* Ferdinandus Caſtiliæ Rex. *Cùm verò & alii magni nominis Auctores, non ſolùm affirment hujus Sacri Ordinis Inſtitutorem nunquam Sacro Sacerdotio fuiſſe initiatum, ſed ipſum ejuſque ſucceſſores tanquam Magiſtros Generales nullis Sacris Ordinibus per integrum Sæculum exſtitiſſe donatos agnoſcant, ita, ut toto hoc tempore regimen totius Congregationis fuerit penes Equites laicos non Sacerdotes, ſic magis probabile videtur, ordinem hunc ab exordio fuiſſe Militarem. Nec ſane hoc ipſum negant hodierni Sodales, qui adhuc titulum* ORDINIS MILITARIS *ſibi arrogant, & Monaſteria ſua* COMMENDARIAS *nominant, prout ex ipſa Epiſtola Magiſtri Generalis ante Conſtitutiones præmiſſa conſtat.*

Et quidem certum eſt primos illos tredecim nobiles Equites à S. Petro de Nolaſco *in Ordinem aſcitos, jam dudum votis Religioſis exſtitiſſe obſtrictos ad ineundam militiam ſacram contra Saracenos, nec unquam Sacros Ordines ambiiſſe, prout Auctor Religioſorum Ordinum Tom. 3. cap. 34. pag. 270. teſtatur, eorum nomina referens, omnéſque natione Gallos aſſerens. Deinde æque certum eſt, quoſdam celebres Hagiographos præſertim Adrianum Bailet in ſuis Sanctorum vitis, omnino negare* ſanctum Petrum de Nolaſco *ad Sacerdotium promotum fuiſſe, vel Sacrum Miſſæ Sacrificium in civitate* MURCIÆ *celebrare potuiſſe, cùm juxta Nobiliores rerum Hiſpanicarum Scriptores, civitas illa in manus Chriſtianorum non pervenerit, ante annum MCCLXVI. longe poſt mortem illius, qui circa annum MCCLVI. ad Cælites tranſlatus fuit. Denique Annales Ordinis perſpicue declarant, regimen totius Congregationis ſemper fuiſſe penes* Equites laicos, *uſque ad annum MCCCVIII., quando, exorto Schiſmate, Sodales Ordinis elegerunt duos Magiſtros Generales, nimirum ex ipſis Equitibus laicis Arnoldum* Roſſignolium, *& ex Sacerdotibus Reverendum Patrem* Raymundum Albertum. *Cùm vero non expediret, ut duo Magiſtri Generales unum eundem Ordinem Religioſum gubernarent, appellatione facta ad Sedem Apoſtolicam ſummus Pontifex* Clemens V. *confirmavit electionem* Arnoldi Roſſignoli, *utpotè factam juxta antiquos Ordinis leges & conſuetudines, quamvis* Raymundi *electio ſecundùm majora vota facta fuerit. Nam, jam ab aliquibus annis plures Sacerdotes in Monaſteriis ſuſcepti erant quàm Equites, adeóque ordinavit ſummus Pontifex ut poſt mortem* Arnoldi, *deinceps Magiſtri Generales ex Sacerdotibus eligerentur. Unde, poſt mortem præfati* Arnoldi *anno MCCCXVII. iterum in Magiſtrum Generalem elegerunt Sacerdotes prædictum Reverendum Patrem* Raymundum, *cujus electionem confirmavit* Joannes XXII. Papa, *atque Anteceſſoris* Clementis V. *ordinationem ratam habuit, nec deinceps de Equitibus laicis in Magiſtros Generales electis aliquid ſcriptum reperimus.*

Equites ergo illi percipientes ſe adeo ubique deſpectos, & ab Ordinis Regimine excluſos, cum conſenſu ſummi Pontificis Ordinem de Mercede *reliquerunt, ad alium noviter erectum ſed verè* Militarem *tranſlati. Poſtquam enim in Concilio Vinnenſi* Milites Templarii *ſunt ſuppreſſi, ſereniſſimus Aragoniæ Rex opima illorum Militum bona* EQUITIBUS DE MANTESA *tradidit, ex quibus exorſus eſt novus ille Ordo Militaris, qui non amplius ſub Regula Auguſtiniana DEO militare voluit, ſed pro norma vitæ Religioſæ elegerunt* Regulam Benedictinam, *retinentes tamen titulum Ordinis* S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. *Sic enim haud incelebris Auctor Arnoldus Vion in ſuo* Ligno vitæ *refert, formulam Profeſſionis Religioſæ ab ipſis Equitibus acceptam ſic exhibens:* Ego N. Miles S. Mariæ de Mercede & Redemptione Captivorum, facio Profeſſionem & promitto obedientiam, paupertatem, Caſtitatem, ſervare, DEO vivere & commedere ſecundùm Regulam S. Benedicti & in Saracenorum poteſtate, ſi neceſſe fuerit ad Redemptionem Chriſti fidelium detentus manebo. *Non tamen deſunt Auctores aſſerentes non omnes* Equites de Mercede *Ordinem de Manteſa ingreſſos fuiſſe ſed plurimos in veteri*

Ordine remanentes diſtinctum corpus & Congregationem conſtituiſſe. Cum verò Annales Ordinis non admittant talem diviſionem ſed agnoſcant omnia Monaſteria, poſt annum MCCCXVII. ab uno Magiſtro Generali ex ſolis Sacerdotibus electo fuiſſe gubernata; ſic veritati conſentaneum videtur, Equites illos antiquos novum Ordinem ingreſſos ſolummodo retinuiſſe titulum de Mercede Redemptionis Captivorum, cùm novus Ordo de Manteſa ad eundem finem fuerit inſtitutus, qui poſtea Sacræ Militiæ de Calatrava adunitus Regulam Benedictinam amplexus eſt.

Utut hæc ſint ſacer & Regalis hic Ordo tam ſub Regimine Equitum, quam Sacerdotum magno ſanctitatis & charitatis Chriſtianæ odore floruit, cujus eximium ornamentum exſtitit S. RAYMUNDUS NONNATUS, Sacræ R. E. Cardinalis & ante ac poſt mortem miraculis clarus, jam dudum Sanctorum Faſtis adſcriptus, cujus proin ſacram memoriam honorat Eccleſia ſub ritu Feſti duplicis ad diem XXXI. Auguſti. Nec ſane minori ſanctitatis & Chriſtianæ charitatis fama floruit S. Petrus Paſchaſius, qui hunc ſacrum Ordinem ingreſſus, & Epiſcopus Giennenſis creatus, dum fideles à Saracenorum dira captivitate redimere conaretur, ac libere Chriſtianam fidem prædicaret, palma Martyrii coronari meruit, Faſtis Sanctorum jam dudum adſcriptus ejuſque ſacra memoria etiam ſub ritu Feſti duplicis celebratur ab Eccleſia ad diem XXIII. Octobris. Taceo hic plures piiſſimos Viros, qui admirandæ charitatis Chriſtianæ fervore excitati, ad redimendos à Captivitate Chriſtianos, non ſolum opes ſuas conſumpſerunt, verum etiam ſeipſos in Captivitatem redigerunt, ſæpius in vincula & carceres conjecti, ſanctiſſimam mortem ſubierunt.

Et quamvis ſacer hic Ordo apud Europæos haud adeo ſit expanſus, attamen apud Hiſpanos poſſidet tres diſtinctas Provincias, opimis & amplis Monaſteriis refertas, & apud Gallos, unam ſatis amplam Provinciam occupat à Cœnobiis ibidem ſitis Acquitanicam appellatam, quæ tandem anno 1668. quodammodo abrupta eſt, quando celeberrimum Cœnobium Pariſienſe ab illa diſjunctam, cùm aliis quibuſdam Monaſteriis diſtinctam ejuſdem Ordinis Congregationem conſtituit, prout Bulla Clementis X. declarat. Poſtquam autem Hiſpani in novum orbem novas Chriſtianas colonias mittere voluerunt, ſic & hujus Sacri Ordinis Sodales plures ad prædicandum Evangelium Occidentalibus illis Indis amandati ſunt, qui ſtrenuam operam convertendis illis Barbaris impendentes, adeo ſunt multiplicati, & pluribus eximiis Cœnobiis donati, quod in ſola America octo ſatis amplas Provincias poſſideant, quæ præter diſtinctos Reverendos Patres Provinciales, à duobus Vicariis Generalibus gubernantur, ſoli Magiſtro Generali Ordinis ſubjectis.

Interim poſt medium ſæculi XVI. Sacer hic Ordo de Mercede, ſub Magiſtro Generali Alphunſo de Monroy, arctam ſalutarium Conſtitutionum Obſervantiam inire cupiens novam reformationem in aliquibus Monaſteriis introducere voluit. Quæ reformatio, ſub cura Piiſſimi Patris Joannis Baptiſtæ de Gonzalez, mirum in modum creſcere cæpit, quod tandem à Magno Ordine diſjuncti Sodales novum Ordinem conſtituere voluerint, à proprio Vicario Generali gubernati; qui appellari ſolent: Patres diſcalceati de Recollectione Ordinis Glorioſiſſimæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Et quamvis hujus novi Ordinis Sodales teſſeram Regum Aragonenſium Scapulari aſſutam portare ſoleant, tanquam ſignum antiqui Ordinis, attamen habitu Carmelitarum diſcalceatorum induti incedunt, niſi quod Mantello longiori utantur. Poſſident autem Piiſſimi hujus reformationis Socii plurima Cœnobia per Hiſpaniam, quæ in duas Provincias dividuntur, atque in Sicilia, eorum Monaſteria unam ſatis amplam Provinciam efficiunt, ſub Patrocinio S. Raymundi Nonnati. Habet quoque Sacer hic Ordo de Mercede, quoſdam Sanctimoniales fæminas, quæ quidem tardè illius Sacras Conſtitutiones ſequi cæperunt, licet per Hiſpaniam varia Monaſteria poſſideant, plerúmque Reformationem de Recollectione ſectantes, & piiſſimam vitam ducentes. Atque hæc ſunt, quæ de Sacro Ordine prænotare voluimus, ad ſalutares illius Conſtitutiones fideliter exhibendas viam præparantes; quamvis enim pro prima vitæ religioſæ norma, Regulam vulgarem S. Auguſtini primævi Sodales ſint amplexi, attamen ſalutares Conſtitutiones jam ab exordio habuerunt, cùm Regula illa Auguſtiniana non ſola ſufficiat ad ordinandam integram Congregationem Religioſam. Has autem Conſtitutiones primitus confecit S. Raymundus de Pennafort, & quidem eadem methodo, qua in condendis Sacri Ordinis Prædicatorum Statutis uſus eſt, nimirum modo Scholaſtico eaſdem dividens in quaſdam diſtinctiones, quæ octo numerantur. Non tamen ſupponere poſſumus has Conſtitutiones ab exordio adeo fuiſſe fuſas, ſed ſucceſſu temporis, ex Statutis in Capitulis Generalibus ſancitis, in hanc molem creſcere cæpiſſe, prout ex ipſarum Conſtitutionum Proœmio diſcimus. Quamvis

vit enim primævæ Conſtitutiones ad dirigendum ſacrum Ordinem ſufficerent, omniaque ſalutaria Statuta quoad diſciplinæ Monaſticæ ſubſtantiam continerent; attamen, multiplicatis Monaſteriis & perſonis, neceſſe erat varia additamenta ſuperaddere, rerum & temporum, immo diverſorum locorum varietate idipſum requirente, quatenus recti Regiminis forma ubique obſervaretur. Dum igitur Piiſſimus Ordinis Magiſter Generalis quinquageſimus tertius Joſephus Linas, *omnes Conſtitutiones diverſis temporibus ſancitas & auctoritate Apoſtolica olim confirmatas in unum corpus congregare voluit & ſummo Pontifici Romano Innocentio XII. præſentari curavit, qui proin eaſdem ratas habuit data ſequente Bulla authentica.*

Bulla INNOCENTII XII. ſummi Pontificis Romani, confirmans CONSTITUTIONES ORDINIS BEATÆ MARIÆ de MERCEDE, anno MDCXCI.

Innocentius XII. Papa *ad perpetuam rei memoriam.*

EX injuncto nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, illa, quæ pro fœliciter gubernandis, & ſalubriter dirigendis Religioſorum virorum, vota ſua altiſſimo in ſanctitate, & juſtitia aſſidue reddere ſatagentium, ac propriæ, alienæque, non ſpirituali tantum, ſed etiam corporali ſaluti ſtudioſa charitate jugiter incumbentium Ordinibus, in Eccleſia DEI pie, ſancteque inſtitutis provide, prudentérque diſpoſita, atque ordinata eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidio, cum id à nobis petitur, libenter roboramus, ſicut ad omnipotentis DEI gloriam, Religionis, & piorum operum incrementum, & fœlicem progreſſum, ac animarum ſalutem in Domino expedire arbitramur. Exponi ſiquidem nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Salvator Gilaberte, Vicarius, & in Romana Curia Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Sacra Theologia Magiſter, quod cum alias ad præſcriptum cujuſdam ordinationis, in poſtremo Capitulo generali dicti Ordinis editæ, pro fœlici, proſperóque ſui ordinis regimine, & gubernio nova conſtitutionum ejuſdem ordinis coordinatio, ſeu compilatio facta fuerit, & ſubinde conſtitutiones hujuſmodi, ſic coordinatæ, & compilatæ ad fœlicis recordationis Alexandrum Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum tranſmiſſæ fuerint, ut ſuo, & hujus ſanctæ Sedis patrocinio munirentur: Ipſe Alexander prædeceſſor eaſdem conſtitutiones ſibi exhibitas, nonnullis ex venerabilibus fratribus noſtris, tunc ſuis, S. R. E. Cardinalibus, quorum pietas, prudentia, rerum uſus, & Sacrorum Canonum peritia ſibi longe perſpecta erat, diſcutiendas commiſit, qui mandatis ejuſdem Alexrandi prædeceſſoris morem gerentes, illas mature, diligentérque examinarunt, & nonnullis ſublatis, nonnullis adjectis, aliiſque, ubi opus fuit, correptis, & emendatis, conſtitutiones ipſas in unum volumen redigi curarunt, tenoris qui ſequitur, videlicet. Noverint univerſi, quod cum die quinta decima Novembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nctogeſimo ſeptimo eſſent legitime vocati, & congregati in hoc curiæ Matritenſis Cœnobio, Regalis, ac Militaris Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum viri omnes, & Perſonæ, ex prædicto ordine deſtinatæ ad novam exequendam coordinationem, compilationem, & texturam Conſtitutionum ejuſdem ordinis, ſtabilitam in ſeptimo decreto ejus generalis Capituli, in Conventu, & Civitate Optenſi, Regni Caſtellæ proxime celebrati die prima Junii, anno ſuperiori milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſexto; in quo videlicet ſancitum fuit, ut ad præfatam novam, perfectiorémque conſtitutionum compilationem, quædam ſpecialis inſtitueretur congregatio virorum ex primis, & præcipuis ejuſdem ordinis, quos nominatim aſſumens, in hunc modum ad prædictam Congregationem deſignavit: nimirum pro Aragoniæ, & Galliæ Provinciis Reverendiſſimum P. M. Fr. Joſephum Linas totius præfati Ordinis Generalem Magiſtrum, dominum Baroniarum de Algar, & Eſcales, & Supremi Senatus fidei cenſorem. Pro Caſtellæ Provincia R. P. M. Fr. Joſephum Gonzalez, tunc temporis Provincialem ejuſdem, à Conſiliis Supremæ Inquiſitionis Senatus, & Academiæ Salmantinæ Veſpertinum Moderatorem. Pro Valentina Provincia R. P. M. Fr. Damianum Stephanum, Diffinitorem Generalem ejuſdem. Pro Vardalia R. P. M. Fr. Marcum de Oſtos, Ex provincialem, & Diffinitorem Generalem ejuſdem Provinciæ, Concionatorem Regium, ac prædicti ſum-

mi fidei cœtus cenſorem. Pro novæ Hiſpaniæ Provinciis R. P. M. Fr. Michaelem Majers, Exprovincialem, & Diffinitorem Generalem Caſtellanæ Provinciæ, Exvicarium Generalem ejuſdem novæ Hiſpaniæ Provinciarum, Regiúmque Concionatorem. Pro Pervanis Provinciis, & Italica R. P. M. Fr. Ferdinandum de Carvajal & Ribera, Exvicarium Generalem earumdem Provinciarum, Concionatorem Regium, ac in Urbe Generalem Procuratorem: in quorum inſuper locum, cum à præfato Capitulo conceſſa fuiſſet facultas prædicto Reverendiſſimo Generali, ut quolibet deficiente, alios per ſe ſolum, & pro libito ſubſtitueret; & ipſe, virtute facultatis hujuſmodi, pro prædictis R. P. M. Fr. Joſepho Gonzalez, & R. P. M. Fr. Ferdinando de Carvajal, legitime poſtmodum impeditis, ob aſſumptionem primi ad Epiſcopatum Mirobrigenſem, & ſecundi ad Archiepiſcopatum Inſularum Sancti Dominici, alios inſtituiſſet viros; pro primo ſcilicet R. P. M. Fr. Petrum Garcia, Provincialem Provinciæ Caſtellæ: & ejus fortaſſe loco, ſi n●●ere, vel aliàs impediretur, uti revera impeditus fuit R. P. M. Fr. Hieronymum de Mendoza, Diffinitorem Generalem ejuſdem Provinciæ, Regiúmque Concionatorem, & pro ſecundo R. P. M. Fr. Jacobum Brizenno, Provincialem Chilenſem, qui tunc aderat in Regali Conventu Matritenſi: Cum in hoc, inquam, omnes prædicti viri eſſent legitime congregati, ut præmiſſum eſt in forma Diffinitorii Generalis, & prædictæ plenitudine facultatis utentes, ad præfatam Conſtitutionum texturam, ſibi à Capitulo Generali conceſſa, denuóque roborata, & confirmata à SS. Domino noſtro Innocentio XI. in ejus Bulla, quæ incipit: *Militantis Eccleſiæ*. Sub datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die quinta decima Maij, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, & ſui Pontificatus undecimo. Cúmque tam prædictus Magiſter Ordinis, quam tota præfata Congregatio in ejuſdem Secretarium, me infra ſubſcriptum Fr. Michaëlem de Ulate, Præſentatum de Numero ex dicta Caſtellæ Provincia legitime conſtituiſſent, initium dederunt prædictæ Congregationis actibus, & Seſſionibus cum ea ſolemnitate, & invocatione Spiritus Sancti, quæ in noſtri Ordinis Generalibus Diffinitoriis de more præmittuntur, & in illis quidem rebus omnibus ſeriò, conſulto, & mature diſcuſſis prædictam Conſtitutionum compilationem ordinarunt in hanc, quæ ſequitur formam. Quare præfatus Martinus Salvator Procurator Generalis nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Conſtitutiones hujuſmodi Apoſtolicæ confirmationes patrocinio communire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſius Martini Salvatoris Procuratoris Generalis votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas Conſtitutiones præinſertas, & in eis contenta quæcumque, authoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti, ac ſolemnitatum quarumcumque in ſimilibus, etiam de neceſſitate obſervandarum, alioſve quoslibet, etiam formales, & ſubſtantiales defectus, ſi qui in præmiſſis principaliter, vel acceſſorie, aut alias quovis modo intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, pœnitus, & omninò ſupplemus, & ſanamus decernentes eaſdem præinſertas, ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore; ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere: ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alióſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dicti Ordinis, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis; ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Ordini pædicto, illiúſque Superioribus, fratribus, & perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibúſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium conceſſis, ac pluries

con-

confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil pœnitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dnntaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die VII. Decembris MDCXCI.

J. F. Card. Albanus.

Loco ✠ annuli piſcatoris.

Joannes Dominicus Thomatus A. C. L. ris.

INCIPIUNT

CONSTITUTIONES FRATRUM SACRI, AC REGALIS ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

PROOEMIUM.

CUM vera Religio ſine legibus non ſubſiſtat, ubi primùm ſacra noſtra Redemptorum familia extitit divinitus revelata ab Immaculata, & Beatiſſima Virgine MARIA, illius dignanter in ſui honorem Cœlitus Inſtitutrice, & Fundatrice piiſſima, ſtatim glorioſus Parens noſter Sanctus Petrus Nolaſcus, quem ex prædicta ipſius revelatione, & præcepto, ejus ſtructorem, Fundatorem, & Patriarcham inſtituerat, de illius ſtatutis cœpit ſedulo cogitare; quæ ut tam congrue, quam rei gravitas poſtulabat, conderentur, una cum Inclito Jacobo I. Aragoniæ Rege (quem non ſecus eadem revelatio effectorem, & Patronum ejus conſtituit) elaboranda commiſit illius ſæculi in Eccleſiaſticis juribus ſapientiori viro, tunc utriuſque à ſacris confeſſionibus, ſancto ſcilicet Raymundo de Pennafort, ut in ore trium ſtaret hoc verbum, atque opem pro conſtructione tanti operis ferret, præfata revelatio utique innotuerat. Is autem manum adamnſim imponens operi, ex illorum authoritate certas vivendi leges, vitæ contemplativæ, & activæ noſtro Ordini, & Inſtituto accommodas efformavit, quas à ſingulari, in altiſſimo Redemptionis famulatu, Parentis noſtri peritia in formam Conſtitutionum concinne ordinatas ipſe ut primus ordinis Magiſter, Fundator, & Legiſlator à ſuæ inſtitutionis initio univerſis ejus fratribus præſentibus, & futuris obſervandas propoſuit; ac poſtea earum confirmationem, ſub Regula Sancti Auguſtini, à Gregorio IX. obtinuit, Anno Domini 1230. Pontificatus ſui 3. à noſtra fundatione 12.

Hæc

Hæc quidem fuit prima noſtri Ordinis Legiſlatio, quæ in ſubſtantialibus non eſt hactenus innovata: nam illæ primitivæ Conſtitutiones, quoad ſubſtantialia ſtatuta, revera ſunt iſtæ, quas uſque modo ordo noſter profeſſus eſt; in accidentalibus tamen varia additamenta (rerum, & temporum varietate ſic exigente) pro meliori ejus regimine receperunt, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatione munita. Primo per Gregorium X. anno Domini 1273. & ſui Pontificatus 2. Deinde per Joannem XXII. anno Domini 1327. & ſui Pontificatus 11. per Martinum V. anno Domini 1419. & ſui Pontificatus 2. & anno Domini 1420. & ſui Pontificatus 3. & per Calixtum III. anno Domini 1457. & ſui Pontificatus 3. per Paulum II. anno Domini 1469. & ſui Pontificatus 6. per Julium III. anno Domini 1556. & ſui Pontificatus 3. per Gregorium XIII. anno Domini 1576. & ſui Pontificatus 4. & per Sixtum V. anno Domini 1589. & ſui Pontificatus 4. per Clementem VIII. anno Domini 1594. & ſui Pontificatus 3. & anno 1600. & ſui Pontificatus 9. & anno Domini 1604. & ſui Pontificatus 13. & per Paulum V. anno Domini 1607. & ſui Pontificatus 3. & anno Domini 1614. & ſui Pontificatus. 10. & anno Domini 1616. Pontificatus 12. per Gregorium XV. anno Domini 1621. & ſui Pontificatus 1. & anno Domini 1622. & ſui Pontificatus 2. per Urbanum VIII. anno Domini 1627. & ſui Pontificatus 5. & anno Domini 1628. & ſui Pontificatus 6. per Alexandrum VII. anno Domini 1662. & ſui Pontificatus anno 8. ac denique per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Innocentium XI. qui ſimul cum robore ſuæ Apoſtolicæ confirmationis, plenam nobis facultatem largitus eſt, ad exequenda noſtri Ordinis antiqua deſideria, eliminandi ab anteacto Conſtitutionum volumine omnes redundantiæ, diminutionis, omiſſionis, confuſionis, incongrúæque diſtributionis defectus, ex inconcinna dictorum ſtatutorum adjectione intertextos: Et ad auferendum, addendum, variandum, & exprimendum omne, quod ad id, & majorem noſtri Inſtituti obſervantiam promovendum viſum fuerit nobis expedire. Ita ſuum diploma Pontificium, quod incipit: *Militantis Eccleſiæ*. Sub datis Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 15. Maij, anno Domini 1687. & ſui Pontificatus 11.

Hac ergo Apoſtolica authoritate ſuffulti, noſtráſque ſacras Conſtitutiones ab omni nævo vindicare cupientes, poſt accuratam ac debitam rei tanti ponderis diſcuſſionem, unanimi conſenſu primo decrevimus, quod, ut in poſterum omnis ambigendi locus erga ante acta ſtatuta de medio tollatur, ſolum ex eis vim Conſtitutionis habeant in futurum, quæ in octo ſequentibus diſtinctionibus continentur; ad has enim integrum noſtrarum Conſtitutionum corpus, juxta propriam ſuarum partium diſcretionem, reducimus; ut ſub una Regula, & profeſſione viventes uniformi obſervantia regulari DEO famulemur. Faxit Deus, ut omnis hic labor impenſus diſciplinæ ſeveritati, & majori ordinis bono proficiat.

DISTINCTIO I.

Licet omnis Religio ſe totam in DEI cultum exhibeat, inde tamen ſacratius in ejus honorem erigitur, unde divinis laudibus mancipatur: Noſter autem ordo; non tantùm ex debito Religionis, hunc DEI cultum à limine aſſumpſit, ſed eo maxime, quod Redemptionis Inſtitutum elicuit. Cùm enim Moyſes juſſu DEI liberaſſet populum, & in alteram Rubri crepidinem tranſtuliſſet, hanc Domini dignationem ejus laude concluſit, dum illud canticum extulit: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt.* Hinc nos igitur digne novo debito in DEI laudibus occupamur, & Chori profitemur officium, ut Redemptionis miſericordiam, quam miſit Dominus populo ſuo, perpetua gratiarum actione decantemus, faciem ejus Pſalmis & Hymnis præoccupantes: ut quod dignatione incœpit, miſeratione promoveat.

CAPUT I.

De Divino Officio.

1. Audito primo ſigno pro ſingolis Horis, quibus ſepties die, noctúque ad Deum convenimus, præparent ſe fratres: & ante finem ſecundi omnes ad Chorum accedant, quaſi in odorem Domini humiliter, & devote currentes: ubi ſecundùm Horæ qualitatem, aut feſtis Divinum Officium reverenter compleant Quod Fratribus Clericis ſacris nondum initiatis, ſi forſan Choro aliquando non interfuerint, privatim perſolvere, præcipimus.

2. Quotidie Miſſa Conventualis in univerſis Ordinis domibus, juxta ritum feſtivitatis, cantetur: cui omnes adeſſe teneantur. Qui verò Clericorum, aut Laicorum frater ei non adſtiterit, privatam inviolabiliter audiat.

3. In

3. In Miſſa Conventuali, præter communia, & particularia ſuffragia, quando ritus permiſſerit, dicatur Oratio pro SS. D. N. Papa, pro fœlici ſtatu Eccleſiæ, pro Rege, & pro Captivis Chriſtianis, quam pariter iu privatis adſcribimus.

4. Univerſim noſtri Ordinis Sacerdotes modeſte, & graviter Sacrum celebrent: ita enim ſuis manibus verbum vitæ contrectent, ut Sacramenti altitudo, religionis pietas, & fides eorum elucescat.

5. Per id tempus ſacris peragendis Sacerdos immoretur, quo nec audientibus prolixitate tædium ingerat, nec devotioni celeritate teporem inducat: Solemnibus videlicet moram ſolemnitati congruam: Privatis verò dimidiam horam ad minus impendat.

6. Ante celebrationem Sacerdos aliquandiu ad tanti Sacramenti altitudinem animum traducat, propriámque vilitatem tota humilitate perpendat: itaque & non aliter andeat de pane illo edere, & de calice bibere. Quo ſumpto ſimiliter ſibi vacans, per ſpatium temporis tanto myſterio conſentaneum, debitas Authori grates reddat.

7. Tam Chori, quam Altaris officium, nedum in eſſentialibus, verum & in cæremoniis, ac ritibus, juxta Romanas Regulas omnimode celebretur: Ubi autem illæ nihil præſcripſerint, rubricæ noſtri ritualis obſerventur.

CAPUT II.

Quo tempore, & Qualitate Horæ ſingula perſolvendæ ſint.

1. NE autem Horarum tempora, & modus incerta, pro libito, maneat, firmiter ſtatuimus, ut Matutinæ in toto Ordine noſtro perpetuò, & inviolabiliter media nocte dicantur. Quo circa ſeveriſſime Magiſtri Generalis, Provincialis, & Prælatorum localium conſcientias oneramus, ſi eas ad aliud tempus transferant, vel transferri permittant, niſi propter caſum ita inevitabilem, ut plus cogere, quam indulgere videatur: qui ſi forte accidat, à die Pentecoſtes incluſive, uſque ad feſtum Sancti Auguſtini dicantur poſt Completorium: reliquis verò temporibus, eodem ſimili caſu occurrente, non niſi Hora noctis nona Matutinas cantari, vel recitari, juxta feſti diverſitatem, ſtrictiſſimè præcipimus. Quod ſi Prælatus contrarium fecerit, ſuſpenſionem ab officio per ſex menſes incurrat. Provincialis autem, aut Viſitator, qui eam non exequatur, voce activa privetur in proximo Provinciali Capitulo.

2. Prima non longe à ſolis ortu dicatur, neque Completorium ab ejuſdem occaſu; Tertia, hora quaſi decima, quam Miſſa Conventualis, & hanc Sexta ſubſequatur. Nonam poſt prandium expleri præcipimus, niſi diebus à Romano præſcriptis, & temporibus noſtri Adventus, & Quadrageſimæ, quibus (exceptis Dominicis) Nona dicta reficimur. Veſperas denique extra Quadrageſimam hora ſecunda, vel tertia poſt meridiem, juxta diverſitatem temporis, certa omnino ſtatione præfigimus. Has autem Horarum metas, ſic eſſe immobiles deſideramus, ut eas Prælatus minime prætermittat.

3. Ex Horis hujuſmodi Primam, Tertiam, Veſperas, & Completorium quotidie modulabimur; reliquas autem recitari concedimus, exceptis Matutinis in nocte Natalis Domini, in tribus Tenebrarum diebus Majoris Hebdomadæ, & feſtis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Revelationis Dominæ noſtræ Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede, & S. P. N. Petri Nolaſco, in quibus ſolemnitatibus Matutinas integre cantari præcipimus: in cæteris verò utriuſque Claſſis ad minus incipiantur cum cantu uſque ad primum Hymnum incluſive: & deinceps cantetur *Te Deum*. Cum Laudibus uſque ad finem, demptis pſalmis, & antiphonis earum. Kalendam quoque ſingulis diebus decantari ſtatuimus. Si quam Horam extra prædictas, decantari ſit in uſu, conſuetudinem non deſtituimus, ſed laudamus, & progredi ſuademus in melius.

4. Modus recitandi, & modulandi Horas Canonicas ſit jugiter devotus, & gravis, cum pauſa, & ſilentio ſolemnitati conſonis: Itaque ſuam medietatem, & finem intercidentibus, ut nulla vocis protractio tædio mentem afficiat, ſed uniformitas deſinentiæ, & devotionem augeat, & profectum. Vox pariter ſit uniſona: Hanc autem omnes ea mentis attentione pro viribus ſemper eliciant; qua Divini Officii penſum Deo gratius, & fructuoſius ſibi reddant.

Caput III.

De Oratione Mentali.

1. Cum Oratio Mentalis ſit totius vitæ ſpiritualis fundamentum, & comes individua, qua duce, de virtute in virtutem gradimur, donec perfectionis verticem conſcendamus, univerſis noſtri Ordinis Fratribus ſtrictè præcipimus, ut bis ad minus, in die mentaliter orent, dimidiam, ſaltem, horam pro qualibet vice, mane videlicet, & Veſpere, illud Propheticum præſeferentes: *Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

2. In hoc ergo almo, & fructuoſo exercitio per tritam Sanctorum viam fratres incedant, habita ratione uniuſcujuſque ſtatus, & indigentiæ, id ſemper præ oculis habentes, frequentiorem cauſam, cur multi in hoc itinere parum, nihilve proficiunt, eſſe indebitum modum, ejus præparationem, inchoationem, exercitationem, & concluſionem conficiendi: quod orationis diſpendium à noſtris Fratribus relegare cupientes, quædam monita, pro dictis ejus partibus debite exercendis, ab illis indeficienter obſervanda, levi ſaltem manu attingere neceſſarium judicavimus.

3. Quocirca præparationis utriuſque diſcrimen animadvertentes, non minori ſtudio remotam, quam proximam intendant. Quoad primam enim (quæ, utpote prævia diſpoſitio ad fructum ex oratione percipiendum, præmitti debet) prava opera, vana colloquia, mundanas cogitationes, inordinatos affectus, & cætera alia, quæ diſtractionibus fomentum præbent, frequenti divinæ præſentiæ exercitio à ſe omnimode avertant. Quoad ſecundam, accedente orationis tempore, conſcientiæ ſtatum agnoſcant, bonum ſpirituale, quo magis indigeot, prævideant, conſiderationes, & affectus ad illud aſſequendum efficaciores præveniant, materiam iis magis idoneam aliquo lectionis genere præparent, totámque illius feriem ad id ipſum providere pro viribus referant: ſicque, & non aliter, ad orationis locum reverenter accedant.

4. Orationem inchoaturi, præmiſſo ſigno crucis, Deum præſentem fide viva concipiant circa ſe exiſtentem, vel intra ſe manentem per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & cordis ſui intimos receſſus penetrantem, opus quod faciunt, agnoſcentem, & ad ipſum adjuvantem. Tunc Deum præſentem adorent, actum contritionis eliciant, & gratiam bene orandi ab eo poſtulent, ac demum ad purificationem intentionis cum debita reſignatione tranſeant, qua ſe totos DEI voluntati committentes, nihil amplius, quam ejus divinum beneplacitum, uberiorémque animæ profectum in hujuſmodi exercitio intendere proteſtentur.

5. In exercitatione ſemper intellectus voluntatis facem præferat, ut in meditatione exardeſcat ignis. Unde à materiæ præparatæ conſiderationibus incipientes, omnes illius cauſas, effectus, & circumſtantias, modo diſcurrendo, modo ponderando percurrant, uſque dum ad aliquem devotum affectum excitentur: tunc enim ita ſinent voluntatem opus ſuum exequi, ut, quanto tempore affectus afficit animum, tanto in eo perſeverent, minime interim ſoliciti, quid meditandum ſuperſit; extincta tamen affectione, vel tepeſcente, ad aliam, vel alias, affectus excitantes, vel diſcurſivas, vel ponderativas conſiderationes redeant. In quibus actibus, aureo voluti circulo, verſentur, ita ut omnia dirigantur ad opus, & uſui virtutum inſerviant.

6. Jam Orationi finem impoſituri tribus actibus eam concludant. Primus ſit gratiarum actio, quæ ex his quæ meditati fuerint, quodam modo oriatur: & maxime de omnibus, quæ in ipſo orationis decurſu à divina benignitate ſuſceperint: quibus tandem pro beneficiis generalibus Creationis, Redemptionis, & reliquis omnibus, tam univerſali Eccleſiæ, quam ſibi præſtitis grates ſuperaddant. Secundus ſit oblatio qua Æterno Patri merita Chriſti, & omnium Sanctorum, ſeque ipſos cum illis, atque omnia ſua opera, cum perfecta reſignatione, in omne DEI beneplacitum offerant. Tertius denique ſit petitio eorum, quæ ad æternam ſalutem pro ſe ſuot neceſſaria: deinde pro univerſali ſtatu totius Eccleſiæ, pro ſupremo illius Paſtore, & Domino, univerſiſque Prælatis, pro Regibus, & Principibus, pro Prælatis, & Redemptoribus noſtri Ordinis, ejuſque Benefactoribus, conſervatione, & augmento, & ſpecialiſſime pro fidelibus Captivis, qui in Sarracenorum poteſtate detineotur, vel ſunt in periculo abjurandæ fidei, & pro Fratrum, Captivorúmque animabus in Purgatorio detentis, adhibitis etiam B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum Interceſſionibus.

7. Hanc

7. Hanc autem orandi formam ſic mane, & veſpere implebimus. Primo enim ante Primam, cum jam Fratres in Choro convenerint, ibi ante omnia flexis genibus Spiritus Sancti gratiam ſuppliciter exorent dicentes Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus, &c. Ora pro nobis Sancta DEI genitrix, &c. Salvos fac ſervos tuos, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiſcum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium, &c. Deus virtutum, cujus eſt totum, quod eſt optimum inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis; & præſta in nobis Religionis augmentum, ut quæ ſunt bona, nutrias, ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cuſtodias. Defende, quæſumus Domine Beata* MARIA *ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam: & toto corde tibi proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* His dictis, ad minus per dimidiam horam, in oratione permaneant, quam ſimiliter habeant poſt completorium, & eadem deprecatione præveniant. In finem verò, facto ſigno à Prælato, Cantor incipiat Antiphonam. *Conceptio tua*, cum Verſu, & Oratione conſuetis prout in Rituali.

8. Præfatis ergo temporibus teneantur omnes Fratres, nullo excepto, nec etiam Magiſtro Generali, ad Orationem Mentalem venire, niſi propter grave impedimentum, & rationabilem cauſam, qua raro indulgendus appareat. Qui autem intereſſet alibi quotidie, etiam iter agentes, bis in die mentaliter orent, & hanc inſtitutionem obſervent, pro temporis opportunitate, & loco, ſecum illud Davidicum conferentes: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.*

CAPUT IV.

De Inclinationibus.

1. INclinationes dicimus, ea ſenſibilia ſigna, quibus Deum, vel ejus Sanctos, aut Sancta, ſeu etiam homines, propter Deum reveremur, aut colimus. Quinque in Ordine noſtro, ſecundùm rerum, & honoris diverſitatem exponimus, quas Capitis, Ad genua, Profundam, Genuflexionem, & Poſtrationem appellamus. Inclinationem capitis ſacris præcipue nominibus JEſu Domini noſtri, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cum magna cordis humilitate, debemus impendere. Tum eiam nominibus Sanctorum, de quibus in die proprio, aut fit memoria, aut officium, capitis inclinationem reddimus. Idem facimus, & in Hymno *Gloria in excelſis.* Ad eos Verſus. *Adoramus te, Gratias agimus tibi, ſuſcipe deprecationem noſtram.* In ſymbolo adverba. *Simul adoratur*, ad. *Humiliate capita veſtra.* Et ad orationem ſequentem, ad benedictionem Sacerdotis in fine Miſſæ, & cum pacem, incenſum, & aquam benedictam ſuſcipimus. Prælatis item tranſeuntibus, vel cum ad eos accedimus, aut recedimus, capita reverenter ſublicimus. Tandem cum in refectorio aliqua nobis per Hebdomadam obedientia ſubjungitur, caput, licet opertum ſimiliter inclinamus.

2. Corpus uſque ad genua demittimus, quoties chorum ingredimur, vel egredimur, converſo ad fratres vultu, quaſi per ſalutationis officium. Ad omnes Horas Officii parvi Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cum ejus Orationem Angelicam præmittimus pro ſingulis, & ad eas Orationes quibus finiuntur, vel fit commemoratio in Miſſa, aut Officio, nec non etiam quoties occurrerit *Gloria Patri* ſimiliter inclinabimur. In Officio autem Majori excipitur primum *Gloria Patri*, in quo pro ſingulis Horis profunda utimur inclinatione. In poſtremis Hymnorum verſibus, & ad illos, *ſit nomen Domini benedictum, & Benedicamus Patrem, & Filium*, ſimúlque ad eam præfationis clauſulam Beatæ Mariæ, *& te in veneratione, &c.* nec non in Prima cum dicimus, *Sancta Maria, & omnes Sancti, &c.* hac ipſa corporis deflexione curvabimur, quam etiam cum ſedemus, ſine erectione, committimus.

3. Profunde quidem inclinamur ad orationes Dominicam, & Angelicam, & Credo, quas ſingulis reſpectivè Horis præmittimus in ſilentio, & quibus Officium, & Completorium tempore Paſchali, diebúſque Dominicis concludimus. Eadem inclinatione devolvimur ad primum *Gloria Patri* in Officio Majori, ut prædiximus, & ad omnes ejus Horarum Orationes, & Primam dumtaxat in Veſperis, & Officio Miſſæ, ad Collectam pro Eccleſia, & quam Prælatus indixerit pro neceſſitate communi, ad omnes preces, & Confeſſionem, dum eas non genuflexi recitamus, & in Refectorio ad Orationem *Retribuere, &c.*

4. Genuflexiones autem uno, vel bino genu in ſequentibus exercemus: Primo ad ingreſſum, vel regreſſû à Choro, Cum Sanctiſſimum Sacramentum adoramus, ad preces, orationes Miſſæ, & Officii tempore Adventus, & Quadrageſimæ, Quatuor Temporibus, & Vigiliis uſque ad *Benedicamus Domino.* Præter quam in diebus quos excipit Cœremoniale noſtrum, ad preces, & Orationes Offic[illegible]

Defunctorum, ad verſus. *Tantum ergo. O ſalutaris hoſtia.* Si Sacramentum ſine velamine pateat, vel proceſſionaliter deferatur, in Hymno. *Vexilla Regis.* Ad verſum. *O Crux.* Ad illos etiam. *Ave Maris Stella. Veni creator Spiritus. Veni Sancte Spiritus.* In Pſalmo Invitatorii ad verba. *Et prodicamus ante Deum.* In Hymno *Te Deum.* Ad verſum *Te ergo quaſumus.* In verbis etiam. *In nomine JEſu omne genu, &c.* Niſi hæc ſint in Introitu Miſſæ, ad illa inſuper. *Chriſtus factus eſt pro nobis, &c.* Et in toto Pſalmo *Miſerere.* Et Oratione *Reſpice quaſumus Domine.* Qua concluditur in triduo Majoris Hebdomadæ. In proceſſionibus Litaniarũ ab initio earum uſque ad verba. *Sancta Maria.* Si autem non fiat proceſſio in tota Litania genuflectimus, ut in Sabbatho Sancto, & Vigilia Penthecoſtes.

5. Genuflexione item utimur in Pſalmis Pœnitentialibus, & præcibus gradualium, in fine Lectionum ad *Tu autem Domine*, in Antiphonis Beatæ Mariæ quibus Hora, vel Officium concluditur, niſi Paſchali tempore, & diebus Dominicis, in Kalenda Nativitatis Domini ad ea verba. *In Bethleem Juda, &c.* uſque ad *Secundùm carnem*, incluſive.

6. Cùm prope altare Sacramenti gradum facimus, ſi lateat, uno genu, utroque verò ſi pateat, humiliter genuflectimus. Crux etiam quæ per medios fratrum choros tranſierit Genuflexione adoratur, ſicut, & feria quinta, poſt incluſum in urna Sacramentum uſque ad mane Sabbathi ſancti eumdem ei reddimus honorem.

7. Genuflectimus inſuper ad hæc omnia Evangeliorum verba. *Et precidentes adoraverunt eum. Verbum caro factum eſt. Et procidens adoravit eum. JEſus autem exclamans, &c. JEſus autem emiſſa voce, &c. Et hæc dicens expiravit. Et inclinato capite, &c.* In adoratione Crucis feria ſexta majoris Hebdomadæ ad ea verba. *Venite adoremus*, ad illa etiam ſymboli. *Et Incarnatus eſt. Ad flectamus genua.* Et ad verſum. *Adjuva nos:* in Miſſa dicto *Sanctus*, uſque ad elevatum, & depoſitum calicem, præterquam in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Vigiliis, & Miſſa Defunctorum, In quibus genuflexionem trahimus uſque ad verba. *Pax Domini* incluſive, à quibus tamen excipimus Vigilias Nativitatis, Aſcenſionis, & Penthecoſtes, & ferias temporum ejuſdem Paſchæ.

8. Cùm ſubditus aliquid recipit à Prælato, genuflectens oſculatur manum ejus, vel Scapularium dicens: *Benedictus Deus in donis ſuis.* Item quando benedictionem ab eo ſuſcipit ad iter agendum, vel ad illum ex eo revertitur, Suſcipiens habitum etiam genuflectit coram Prælato toto tempore, quo ei ſermonem inſtituit: quod & ſervat ad trinam repetitionem verſus. *Suſcipe me Domine, &c.* Et ad lectionem Profeſſionis. Sic etiam ſiſtitur excomunicatus coram abſolvente ſe, & qui in pane, & aqua in medio Refectorii abſtinere præcipitur. Culparum Confeſſionem in Capitulo hac humiliatione incipimus dicentes: *Pater veniam peto*, Generalis autem, & Provincialis, in primo acceſſu ad domos, benedictionem itinerantium, ita pariter humiliati, ſuſcipiunt, ſicut, & reliqui fratres: Sic etiam Cœreos, & Ramos die Purificationis, & Palmarum, cumque cinere, aſpergimur, & tandem ad verſum. *Clementiſſime Deus.* In ſepultura fratrum.

9. Demum fratres noſtri Proſtratione ſuccumbunt cum aliquid canendo, aut legendo in choro erraverint, & tandiu ita permaneant, donec ad ſurgendum à Prælato ſignum accipiant, qui tamen, ſi eis aliquam obedientiam, aut officium injunxerit, proſtratione ſuſcipiant. In Refectorio ſi in miniſterio fratrum offenderint, ſabem proſtratione vindicent, quam omnes ſervitores cum lectore iterum in fine faciant, pro univerſis defectibus miniſtrando, aut legendo commiſſis. Si quis alium ſcandalizaverit, tanto temporis ſpatio ante ipſum poſtratus occumbat, uſque dum ſuſcitetur ab ipſo. Suſcipiens Profeſſionem, aut Habitum poſtquam eo indutus fuerit, ſimiliter procidat, donec orationes ſuper eum dicendæ finiantur. Poſt electionem Magiſtri Generalis, aut Provincialis, dum ſuper utrumque in Eccleſia orationes, & benedictiones effundimus, ipſi eas poſtrati ſuſcipiunt: quibus etiam ad domos noſtras primo accedentibus in eorum benedictione itinerantium univerſi fratres proſtrantur ad Pſalmum. *Ad te levavi*, & reliquas orationes. Tandem, & ad Confeſſionem, dum in Capitulis abſolvimur, & ad Pſalmum. *Miſerere*, in finem ſepulturæ fratrum.

Caput V.

De Officiis, quibus Beatiſſimam Virginem Mariam proſequimur.

1. ETſi totos ad pedes Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Matris, & fundatricis noſtræ nos devotio provolvat, nihil tamen æquum, aut dignum ejus erga noſtrum Ordinem beneficiis reputamus.

mus. Cæterum ei rependere, quantum pro noſtro modulo poſſimus, deſiderantes, primo conſtituimus, ut diebus ferialibus, vigiliis, & feſtis ſimplicibus, quibus jam Eccleſia Officium Parvum Beatæ Mariæ recitandum inſtituit, illud juxta Romanum Ritum ab omnibus in Choro, ſpeciali devotione compleatur: reliquis autem diebus per annum, præter triduum Majoris Hebdomadæ, ſimiliter in Choro ante, vel poſt Horas Canonicas, recitari conſtituimus à fratribus Clericis, & Novitiis cum aſſiſtentia ſui Magiſtri: quibus, & ſi totam Communitatem non jubeamus adjungi: monemus tamen univerſos in Domino, ut vel ſe illis immiſceant, aut ſaltem privatim hoc penſum ſingulis diebus Dominæ noſtræ perſolvant.

2. Sabbatho autem cujuslibet Hebdomadæ, exceptis feſtis duplicibus primæ, & ſecundæ claſſis, ſecundùm antiquam Ordinis conſuetudinem poſt Primam inviolabiliter Miſſa de Beata Virgine, juxta Romanum Ritum, in omnibus Conventibus ſolemniter celebretur; ad quam ſtricte vocamus univerſos fratres, cujuſcumque ſint qualitatis, ne Magiſtro quidem Generali excepto. Eodem die pariter omnes fratres poſt Completorium ad Eccleſiam proceſſionaliter accedant, Cruce cum Acolytis præeunte, & ſequente Sacerdote cum pluviali albo: ibique Antiphonam: *Salve Regina.* coram Beata Virgine concinnant, qua finita, incipiant Cantores Antiphonam. *Conceptio tua.* & eam continuante Choro, eodem ordine procedatur ad ſpecialem ejuſdem Beatæ Mariæ, ibique cum Verſu, & Oratione, juxta antiquam Ordinis conſuetudinem, concludatur. Quod ſi ad proceſſionem iſtam locus apte non ſuppetat, inibi conſiſtentes fratres eamdem Antiphonam proſequantur, & finiant.

3. Uniuſcujuſque menſis opportuniori Dominica fiat in omnibus Conventibus Ordinis proceſſio Scapularii ad Veſperam, in qua imago Beatæ Mariæ Virginis deferatur, in memoriam Revelationis ejuſdem, qua Ordinem noſtrum inſtituit, quibus diebus, ſi habetur concio, omnes Indulgentiæ Scapulario, & huic diei conceſſæ fideliter exponantur.

4. Ad feſtum præterea Beatæ Mariæ Virginis de Mercede, ſub primam Auguſti Dominicam conſtitutum, præter ſolemnitatem ritualem, accedat inſuper concio, & proceſſio, & quæcumque alia ſolemnitas, juxta facultatem Conventus.

5. Adhuc in ejuſdem honorem ſtatuimus, ut juxta priſtinam Ordinis Conſtitutionem, nulla conſtruatur Eccleſia, quæ (ſi fieri poſſit) ejus nomini non conſecretur, & in ea pro Titulari habeatur, alioquin autem Capellam ſaltem ſub ejus titulo, & nomine ſtricte præcipimus erigendam.

6. Ut ſciant fratres ipſam Beatiſſimam Virginem alte ſuis cordibus debere eſſe præfixam, ſibique dicatum totum Ordinem noſtrum & à ſe ipſa ſuum in honorem erectum, & ordinamus, ut Sigilla Majora, tam Ordinis, quam Provinciarum Beatæ Virginis Mariæ Imaginem pro ſtemmate contineant, ſecundùm feſtivitates illius, ita ut quam provincia jam habeat, vel poſthac, virtute præſentis conſtitutionis, infra latiùs ordinandæ denuo ſuſcipiat, illam quoque ut propriam ſive Patronam revereatur, & celebret. Quod ſi dictæ feſtivitates numero provinciarum, & ſigillorum non ſufficiant, aliquis de Sanctis noſtri Ordinis ſub eodem cultu, & celebritate aſſumatur.

7. Denique autem ſtatuimus, ut univerſi fratres imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſemper in cellis habeant, quam ad ingreſſum, & egreſſum ore, corde, & inclinatione ſalutent. Quod ſimiliter faciant, ubicumque per Clauſtra, & Conventum illis occurrat: ſic enim ſervulos, & filios decet: quinimo jure cogimur tam egregiæ Dominæ, & Matris piiſſimæ umbram colere, cujus dignanter umbraculo refovemur.

Caput VI.

De horis Fratrum Laicorum.

1. NE autem fratres Laicos, dum eos vitæ activæ ſubiicimus, à contemplativæ quoque profectibus repellamus, ipſos eiſdem temporibus, quibus ante Primam, & poſt Completorium ad mentalem orationem communiter convenimus, inviolabiliter quoque ad eam accedere conſtituimus.

2. Cæterum, ut & fructus Horarum Canonicarum, quas ſacris initiati, & Clerici Deo ſingulis diebus impendimus, non ſit omnino alienus à Laicis, pro ſuo modulo ab ipſis pariter implendas ſalubriter ordinamus. Matutinas igitur incipiant dicendo, *Pater noſter, Ave Maria, & Credo*, deinde, *Domine labia mea, &c. Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri &c.* & pro Nocturnis, & Laudibus quindecim orationes Dominicas, & totidem re-

recitent ſalutationes Angelicas: ac tandem pro concluſione dicant: *Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter.* In cujus fine adiiciant. *Per Dominum noſtrum, &c. Benedicamus Domino, &c.* Reliquas autem Horas Incboent, per *Pater noſter*, *Ave Maria* (ſuperaddito in Prima *Credo.*) *&c. Deus in adjutorium, &c.* uti ſupra finiant: pro ſingulis vero decies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, cum devota meditatione perſolvant. In fine Completorii præter propriam terminationem illius, totum ſuum Officium concludant, dicentes. *Pater noſter, Ave Maria, & Credo*, ad ſimilitudinem Clericorum.

3. Hæc quidem omnia officio tantum Majori congruere intelligimus: ut autem, & minori, ſeu Parvo Beatæ Mariæ laicorum etiam oratio reſpondeat, cui pariter adſtricti, id in aliqualem cenſum recetant, ipſis ſtricte præcipimus, ut ſingulis diebus Roſarium Beatæ Mariæ recitent: quinque nempe decadas ſalutationum Angelicarum, quas incipiant ab oratione Dominica. Totum autem illud ita ritualiter inchoabunt, & finient, ſicut Matutinas Majores: ut aliquam Officii formam, ritúmque contineat.

4. Denique noſtri Ordinis utriuſque ſexus Tertiarios ſi clauſtraliter vivant, ad hæc omnia eſſe penitus obligatos ſimiliter conſtituitur.

Caput VII.

De Frequentia Sacramentorum.

1. Qui vitam ſpiritualem elegimus, & in perfectionis monte ſacra eſurire paſchata profitemur, ad eam præcipue convenit adſpirare pinguedinem, & ſpiritualem alimoniam, qua mentes noſtras Sacramenta reficiunt. Quo circa univerſis noſtri Ordinis Presbyteris hortamur; ut ſingulis diebus ſacrum celebrent, niſi ægra valetudo, aut urgentiſſima, vel Prælato nota cauſa præpediat. Qui autem celebrationem crebrò prætermittere inventus fuerit, prævia monitione, pæna recluſionis per integrum menſem à Prælato puniatur.

2. Fratres vero non Presbyteri, tam Clerici, quam Laici, & noſtri Ordinis Tertiarii utriuſque ſexus, clauſtraliter viventes, præmiſſa humiliter Sacramentali Confeſſione, ac aliis pietatis exercitiis, perque communem ad minus diſciplinam (in Novitiatibus intelligimus & privatam in Laicis) ad Sacram Euchariſtiam communiter accedant ſingulis diebus Dominicis, proxime non occurrente ante, vel poſt illius aliqua ex ſubſcriptis ſolemnitatibus, in quibus ſacram ejus Communionem illis omnibus ſumere præcipimus; feſtis ſcilicet Domini noſtri JEſu Chriſti, & Beatiſſimæ Matris ejus Fundatricis noſtræ, etiam ſi non ſint de præcepto, utroque feſto Sancti Michaëlis Archangeli, Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, Sanctiſſimi Joſeph, atque parentis noſtri Divi Petri Nolaſco, & Reliquorum Sanctorum Ordinis, ejuſque feſtivitatibus, die inſuper omnium Sanctorum, tam Eccleſiæ, quam Ordinis, ac denique diebus omnibus quibus abſolutionem habemus ad Populum. Hujuſmodi autem Communiones omnes non Presbyteri, cum Novitiis, & Laicis in Conventibus noſtris communiter ſuſcipiant.

Caput VIII.

De Eccleſia, ejuſque Sanctitudine, & cultu.

1. Quoniam Domus Domini domus Orationis vocatur, & eam ideirco deceat ſanctitudo, enixè ſuper hoc miniſtris ejus invigilare præcipimus, ne colloquia habeantur in illa, præſertim temporibus celebrationis Officiorum. Viſitationes verò fœminarum, & alloquia politica quantumvis neceſſaria, & honeſta etiam ad Veſperam prohibemus in Eccleſia, niſi cum expreſſa licentia Prælati. Quando autem cum facultate prædicta, ita fieri decenter expediat, totis tamen viribus interdicimus, ne in locis confeſſionibus deſignatis hujuſmodi miſceantur alloquia, ne tam ſancta ſedilia etiam de decentibus erubeſcant.

2. Denuntiamus autem univerſis Fratribus, ut juxta decretum SS. Domini noſtri Innocentii XI. nunquam in Eccleſia, aut ejus Capellis, Sacriſtia, vel Clauſtris, cibum, aut potum Sæcularibus: quoviſ urgente prætextu, aut perſonæ celſitudine deferant, nec quomodolibet deferri permittant.

3. Quia verò Sacramentum Pœnitentiæ, & ſuſcipientibus ad veniam, & illud recuſantibus ad ædificationem, & exemplum interdum proficere agnoſcimus, nolumus, ut loca pro eo deſignata ſint in Eccleſiæ latibulis, ſed palam, ubi peccatores provocent, & alliciant. Quo circa noſtri Ordinis Confeſſoribus ſtrictiſſime prohibemus, ne quoſlibet, præſertim fœminas, ad hoc Sacramentum per angulos Eccleſiæ, aut loca devia ſuſcipiant.

4. Quan-

4. Quantum ad Eccleſiæ cultum ſit maxime Sacriſta ſolicitus, ut debito ornatu, & honeſtate præfulgeat; eam, & Cappellas frequenter everri faciat. Altaria ſingulis diebus mundentur. Ornamenta omnia, non incompoſite, ſed quaſi DEO Sacra, pie, & devote contrectet. Linea non nimis ſordere patiatur, ſed crebris, juxta uſum, lotionibus niteant, & corporalia per maxime; univerſa quidem ſi ſint lacera, reſarciri curet, nec omnino diſrumpi permittant.

5. Quocirca univerſis Commendatoribus præcipimus ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, ut in fine triennii Ornamenta Sacriſtiæ, novo ſemper augmento, ampliata dimittant: incrementum vero ſub fide Depoſitariorum Capitulo Provinciali, cum reliquis rationibus Conventus, exhibeant. Lucernam ante venerabile Sacramentum ſic Sacriſta perenniter ardere ſatagat, ut ſi ejus extinguatur incuria, gravis culpæ pœnam incurrat.

6. Renovatio Sacramenti verno tempore per omnes hebdomadas privatim, aut ſolemniter celebretur, juxta conſuetudines Conventuum; hyemali verò ultra duas hebdomadas protrahi non liceat.

7. Oleum ſanctum, ſingulis annis, ſuo quoque tempore renovetur, & vas in quo reponitur, decenti ſit materia, & arte dolatum. Ea verò omnia, in quibus venerabile Chriſti corpus aſſervatur, qua parte, ſaltem, aut concavitate tangitur, ſint argentea, & deaurata intrinſecus, ſicut de Calicibus ordinat Rituale, Sacraria autem, ubi ponitur Sacramentum, corporalibus, & ara conſecratis rite, & decenter eſſe inſtructa præcipimus.

8. Quæ omnia, ut obſervatione vigeant, univerſis Commendatoribus injungimus, ut præter communes viſitationes Prælatorum ſuperiorum, ipſi ter in anno viſitent ſolemniter ſacraria, & univerſa vaſa Sacramentalia, eorúmque loca, atque Sanctorum Reliquias, eaque omnia recenſeant, qua munditia, qua reverentia & qua hujuſmodi noſtrorum Statutorum obtemperatione conſiſtant: quæ ornamenta ſint lacera, quæ deficiant, & ea refici, vel innovari faciant. Has autem viſitationes perpetuo fieri conſtituimus ſub prima die menſis Januarii, Maij, & Septembris nulla Eccleſiæ, vel Ordinis ſolemnitate impedita.

9. Juxta priſtinam Ordinis conſuetudinem, & ſtatuta, plura Cimbala in Eccleſiis noſtris poſſumus conſtituere, ut ſit diſcrimen aliquod inter primum, & ſecundum ſignum, quibus ad Chorum, vel Eccleſiam ducimur.

CAPUT IX.

De obitu, & ſepultura Fratrum.

1. DUm Frater infirmus jam mortis diſcrimen contrahit, provideat illi Commendator, tam de Sacramentis nondum receptis, juxta inferius cap. 13. diſt. 3. ordinanda, quam de duobus Fratribus ſpiritu, & doctrina præditis, qui ei perpetuo adhæreant, & adjuvent uſque ad obitum; quem ſi diu mortis inſtantia vexaverit, poterunt alternare laborem.

2. Cum verò jam ægrotus poſtremis affligatur angoribus, per totum Conventum pulſetur crepitaculum, & omnes Fratres ad ejus cellam conveniant, ubi commendatione animæ cum devotione peracta, cantetur toties ſymbolum fidei, quouſque animam exhalaverit.

3. Cùm jam autem fuerit vita defunctus, cantetur Reſponſorium. *Subvenite Sancti DEI.* Et ſtatim poſtea induatur regularibus indumentis, ſicut alii Fratres, niſi prius opus ſit eum lavacro tergere: & ſic habitu, & pallio jam induto, manus coaptentur ante pectus alba vitta devinctæ, & Cruce affixa pollicibus. Deinde ducendus eſt, opportuno tempore, ad Capitulum, vel Sacriſtiam, aut alium commodum, & aſſuetum locum, ubi ſtrato ſuper terram panno, decenter aptabitur, hinc inde, uſque ad horam ſepulturæ, ardentibus cæreis, & vaſe cum aqua benedicta ad pedes appoſito. Hic autem, & ubicunque poſt obitum, quouſque ſepeliatur, extiterit, ſemper ei Fratres Clerici, ſeu Presbyteri à Prælato deſignati adhæreant, & Pſalterium cum devotione recitent, ac debitum reddant pietatis officium.

4. Accedente tempore, quo deferendus ſit ad Eccleſiam; ut, eo præſente, Miſſa celebretur, vel ad locum, ubi ſit ſepulturæ tradendus, omnes Fratres, ſine exceptione, conveniant, ibique ſuffragia à Rituali noſtro præfixa, perſolvant.

5. Diligentiſſime etiam, & pro viribus curent Prælati Ordinis, ut ubicunque Frater noſter extra clauſtra obire contigerit, ſi poſſibile ſit, ad aliquam noſtri Ordinis Eccleſiam deferatur, ubi prædictam ei reddamus pietatem, ut

quos

quos dilectio copulavit in vita, etiam in morte noo ſeparet; alioquin autem, ſi difficile appareat, in Parochia, ſeu viciniori Monaſterio, quaſi ſub depoſito ſepeliatur.

6. Si vero (quod Deus avertat) Frater aliquis proprietarius deceſſerit, vel altero crimine obnoxius, cui Sacri Canones Eccleſiaſticam denegent ſepulturam, is humetur in agro, forma, & caſibus inferius, *diſt. 6. cap.* 8. ordinandis.

7. Commendatoribus denique præcipimus ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, ut pro Defunctis Fratribus librum habeant in ſuis Conventibus, in quo omnium illorum nomina, annus pariter, menſis, & dies obitus diligentiſſime notentur: inſuper, & ſub quo Generali, Provinciali, & Commendatore deceſſerint: & ſi fieri poſſit, qua die profeſſi fuerint. Quod ſi vitæ laudabilis extiterint, aut aliunde quoque viri eminentes, & poſteritati commendabiles, omnia ibi fidelitet conſcribant, ut facile de hoc penu poſſint hiſtoriæ noſtræ, & Patrum exempla deduci. Hunc autem librum viſitationi, abſque ullo penitus diffugio, ſubijcimus.

Caput X.

De Suffragiis Mortuorum.

1. Quam primum deceſſeriot Fratres ooſtri, etiam ſi ſint Novitii, Commendator ejus domus, ubi quiſque obierit, Provincialem, aut Vicatium Provincialem, & omnes Commendatotes Provinciæ, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes, de illius obitu admoneant, quem nihilominns Ptovincialis, aut Vicarius Provincialis confeſtim, ut admonitus univerſis ſuæ ditionis conventibus reonntiet, oe defectu notitiæ ulla ſitmora in ſuffragiis.

2. Pro qnolibet Fratre defuncto domus illa, cui conventualis erat deſignatus, ſine intermiſſione aliqua per tres dies Miſſam Defunctorum, juxta Ritualem Romanum, ſolemniter celebret, quæ ſingulis diebus cum Reſponſorio in Eccleſia concludatur: io iis etiam diſtribnatur integrum Officium Defunctorum, ſub ritu Duplici, ſicut in die depoſitionis Defuncti: cni cantus adhibeatur, prout fuerit in Conventibus aſſuetum. Per novem item dies à deceſſu continuos, finito prandio, & pnlſatis interea cimbalis, Reſponſorium decantetur à Fratribus.

3. Quod attinet ad ſingulos fratres domus, ubi deceſſerit, tres Miſſas pro Conventuali Presbyteris conſtituimus, Clericis verò, & Novitiis, oon impeditis, Pſalterium integrum in Choro, vel Oratorio Novitiatus, cum aſſiſtentia ſui Magiſtri: impediti verò extra Chotnm id compleant: quod quidem commutari ſtricte prohibemus. Converſis autem & Tertiariis utriuſqne ſexus integrum Roſarium Beatæ Mariæ præſcribimus: quibus ulterius addimus, ut per tres dies à deceſſu, ejuſve notitia, Indulgentias à Paulo V. Regularibus ſuas Eccleſias viſitantibus, in eiſque devote orantibus conceſſas, lucrari, & pto dictis fratribus applicare contendat.

4. Hæc eadem ſuffragia per totum Ordinem pro Magiſtris Generalibus, qui in Officio, vel eo functi deceſſerint, pariter, & pro Socio, & Secretario Generali in munere obeuntibus etiamque pro Diffinitoribus, & Electoribus Generalibus, morte in via ad Capitulum Generale præventis, fieti conſtituimus.

5. Ad hæc ipſa quælibet Provincia tenebitur, pto iis, qui ſunt, aut fuetunt Provinciales, atque etiam pro actuali Viſitatote in illis reſpective domibus, ſuæ viſitationi concteditis. Cæterum pro Fratribus noo Conventualibus, etiam Novitiis, ſingulæ domus Provinciæ teneantur ad unam Miſſam ſolemnem, & Vigiliam Defunctorum cum Reſponſorio ad finem. Singulos autem earumdem domorum Preſbyteros ad unam Miſſam privatam adſtringimus; Clericos verò ad Septem pſalmos Pœniteotiales, Converſos, & Tertiarios ad tertiam partem Roſarii, & utriſque præterea prædictam Eccleſiæ noſtræ viſitationem, ut ſuperius, injungimus. Fratribus item ex Otdine noſtro ad Epiſcopalem, Archiepiſcopalem, aut aliam quamlibet dignitatem evectis eadem adhibeantur ſuffragia, quæ vi Conſtitutionis, in Ordine decedeotibus, perſolverentur.

6. Singulis menſibus, ptima ſcilicet die illorum, feſto novem lectionum non impedita, fiat Officium pro Defunctis cum Veſperis, Nocturno, & Laudibus juxta Rituale Romanum: pro quibus ulterius Miſſam, & Anniverſarium ſuperaddimus, de cætero perpetuo, & ſolemnitet per totum Ordinem celebranda.

7. Inſuper prima die, ſimiliter non impedita, quæ Sanctorum Ordinis noſtri feſtum ſubſeqnitur, fiat in toto Ordine ſolemnis commemoratio omnium Defunctorum Fratrum, Sororum, & Benefa-

cto-

ctorum illius, adinſtar ejuſdem ſolemnitatis, qua omnium fidelium Defunctorum memoriam ſecunda Novembris ab univerſa Eccleſia recolitur. Quæ qnidem ſuffragia, Miſſas, atque omnia pietatis officia, quæ Domino hac die totus Ordo dicaverit, pro Defunctis præfatis perpetuo eſſe applicata, conſtituimus.

8. Similiter ſancimus, ut quamprimom SS. D. N. Papæ obitus innotuerit, vel Catholicorum Regum noſtri Sacri Ordinis Patronorum, fiant pro illis ſolemnes exequiæ cum Miſſa, & Officio Duplici Defunctorum; ita ot omnia totius Ordinis bona opera, & ſacrificia, quæ in prædicto exequiarum die ab univerſis Fratribus peragantur, pro ipſis etiam perpetuo cenſeantur applicata. Quam pariter pietatem, & gratitudinis officiom erga Eminentiſſimum Cardinalem noſtri Ordinis Protectorem, eadem firmitate ſtabilimus.

9. Singulis quoque annis, juxta priſtinam Ordinis Conſtitutionem, die vigeſima tertia Julii, Incliti Aragoniæ Regis Jacobi Primi, Patroni, & Fundatoris noſtri piiſſimi memoriam funeris ſolemniter celebrabimus; cui, ejuſque ſucceſſoribus Defunctis concta hujus diei bona opera per Ordinem adhibemus.

10. Ulterius ſingulis annis, præter ſuffragia prædicta, quatuor Anniverſaria ſolemnia cum Miſſa, & Officio duplici in noſtro Ordine fiant. Primum tertia die poſt Purificationem Beatæ Mariæ, pro animabus parentum noſtrorum. Secundum, prima die poſt Octavam Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, pro ſepultis in Eccleſiis, & Cæmeteriis noſtris. Tertium, prima die poſt Octavam S. P. N. Auguſtini pro familiaribus & benefactoribus noſtris; & quartum, prima die poſt feſtum S. Dionyſii, pro animabus fidelium Captivorum in captivitate fideliter obeontium.

11. Qualibet feria ſecunda (extra tempus Paſchale) cantetur poſt Primam Miſſa quotidiana defunctorum, eaque finita, fiat proceſſio, in qua cantentur ſex Reſponſoria pro ipſis ſecundùm antiquam Ordinis conſuetudinem; quod ſi prædictam Miſſam ritus feſti ſolemnis primæ, vel ſecundæ Claſſis impediat, in feriam tertiam, vel quartam, & non longius transferatur.

12. Ut autem noſtris defunctis fratribus perpetuo cenſum aliquem rependamus; firma pietate decernimus, ut ſingulis annis, in omnibus Conventibus Ordinis pro ipſorum animabus certus Miſſarum numerus, ex privatis applicetur nimirum in majoribus Conventibus centum, in mediis quinquaginta, & viginti in infimis. Clerici autem, & converſi fratres fructum Communionum, & bonorum operum Adventus, & Quadrageſimæ ipſis pia largitione diſpertiant. Illi præterea ſemel in menſe unam Vigiliam defunctorum; iſti verò tertiam Roſarii partem recitent. Quæ omnia ſic inviolabiliter omnes reſpective impleant, ut nullo unquam diffugio, vel indulgentia prætereant.

13. Tam communiter, quam privatim Conventus, aut Fratres noſtri nullum Miſſarum numerum accipiant, niſi quem commode, & licite complere valeant. Neque inſuper Conventus noſtri propter Eleëmoſynam de præſenti ſe adſtringant in perpetuum ad aliquem numerum Miſſarum tam ſolemnium, qnàm privatarum, niſi interveniat licentia Provincialis in ſcriptis, & annoalis cenſua pro illis ſit, juxta conſuetudinem, æqualis, & quantum fieri poſſit nulla fraude, vel eventu fallibilis. Commendator autem, qui ſecus fecerit, privationis officii pœnæ ſubjaceat, etiam pænis contentis in conſtitutione quadrageſima quinta Urbani VIII. de celebratione Miſſarum.

14. Diligenter omnes Prælati, ſeu Commendatores invigilent, ut omnium defunctorum Fratrum nomina publicis ſchedulis, ſeu tabellis in Choro, vel Sacriſtia ſint inſcripta, cum adnotatione diei, menſis, & anni, & Conventus ubi deceſſerint. Quæ quidem tabellæ per ſingula triennia renoventur, quas Viſitatorum judicio ſubiicimus, ot per eas ſuffragiorum pro Fratribus celebratio, qoaliter ſit impleta, non lateat.

DISTINCTIO II.

De Redemptione Captivorum.

IIs genus electum, ac regale Sacerdotium inſtruximus, quæ ad ſacrificandum DEO hoſtiam laudis, religionis jure poſtulantur. Eſt autem reliquum, ut huic ordinis tabernaculo ad exemplar, quod in monte Revelationis monſtratum eſt, conformato, legis tabulas, omni ſtudio, curaque dolatas, reponamus, & cum principalius inſtitutum principaliorem locum ſibi vendicet, recta ideo intentionis ſerie primas de Redemptione leges incidemus.

CAPUT I.

De poteſtate Magiſtri Generalis ſuper exercitio Redemptionis.

1. Redemptionis inſtitutum in Ordine eſt quædam cura, & tutoris officium univerſis ejus Fratribus à Beatiſſima Virgine Maria commiſſum his verbis: *Quibus præcipua ſit cura Captivos ab infidelium tyrannide liberandi.* Unde cœleſti jure, & poteſtate collata à puriſſima fundatrice noſtra hanc Redemptionis curam totus Ordo proſequitur.

2. Et licet ſinguli Fratres ex inſtituti viſceribus, & almæ Virginis præcepto ad illius actus voto ſtrictiſſimo teneantur, non eis tamen incumbunt, niſi juxta nutum, & diſpoſitionem Prælatorum, quibus ad Redemptionem ineſt tota Ordinis poteſtas, & regimen: Commendator namque in ſuo Conventu, Provincialis in ſua Provincia, & Magiſter Generalis in toto Ordine, ſuam quiſque reſpective facultatem poſſidet ſuper regimine hujuſmodi, ita tamen ut Magiſter præcipuam, & ſupremam poteſtatem obtineat, cui totus ſubditur Ordo in Redemptionibus exequendis.

3. Hinc ergo noſtra Diſcalceata Familia in iis, quæ ad Redemptionem Captivorum attinent, virtute concordiæ quibuſdam inter utramque familiam Capitulis ſtabilitæ per Gregorium XI. confirmatæ, & per Urbanum VIII. & Innocentium X. declaratæ Magiſtri Generalis directioni, & juriſdictioni ſubiicitur.

4. Unde firmiter ſtatuimos, ut ad ſolum Magiſtrum Generalem pertineat Redemptiones ubique faciendas inſtituere, & tempus earum in Capitolis Provincialibus deſignatum, prout magis expedierit, prorogare, aut contrahere, & pariter ad quod regnum, civitatem, vel oppidum mittendæ ſint, conſtituere.

5. Muneris eſt ejuſdem, quotieſcunque Redemptor, aut Redemptores à Diffinitorio Capituli provincialis deſignati, quavis cauſa, vel ratione defecerint, eos per ſe ſolum extra Capitulum noviter inſtituere. Hac eadem facultate gaudeat erga Procuratores Generales Redemptionis, tam pro toto Ordine, quam Provinciis in Capitulis provincialis electos, ſi eos extra Capitulum deeſſe contigerit.

6. Eidem tamen ſtrictiſſime præcimus ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ut nulla ratione, vel prætextu tranſferre valeat Eleëmoſynas unius Provinciæ in aliam, ſive ad redimendum Captivos illius, aut uberiorem in ea Redemptionem agendam, ſive ad repignorandum, aut debita in aliqua Redemptione contracta ſolvendum.

7. Super hoc autem declaramus Captivorum Eleemoſynas, in Provinciis Indiarum collectas debere ſemper juxta antiquam Ordinis Conſtitutionem, Bullis Apoſtolicis confirmatam, Caſtellæ, Vandaliæque Provinciis applicari, ut una cum earum Eleëmoſynis, nomine ſui, & Provinciarum Indiarum in Caſtellæ, & Vandaliæ Redemptionibus impendantur. Unde ſub præcepto, & excommunicatione præfatis, dicto Magiſtro ſimiliter prohibemus, ne illas in Redemptiones aliarum Provinciarum, quolibet ex præmiſis, aliove quocumque fine diſtrahat.

CAPUT II.

De Fratribus bonorum Redemptionis Exactoribus, & Collectoribus Eleëmoſynarum.

1. Ex merito inſtituti non tantum nos per omnia in Captivos effundimur uſque ad eorum ærumnas, & captivitatem ſuſtinendam, ſed & Eleëmoſynas pro ipſis emendicare profitemur, facti pro pauperis indigentes, ut ait Apoſtolus. Hinc ergo univerſis Fratribus declaramus hujuſmodi laboribus, ex eodem inſtituto, & voto ipſos fore ſemper, & ubique ſubjectos.

2. Sed ut prædictæ Eleëmoſynæ, & bona omnia ad Redemptionem quomodocumque ſpectantia nulla ratione jacturam ſubeant, in qualibet Provincia ſit Procurator Generalis à Diffinitorio intra Provinciale Capitulum eligendus, cujus ſit pro viribus cauſas bonorum Redemptionis in quolibet Senatu, vel Tribunali, peragere.

3. In quolibet item Conventu alium ſpecialem Procuratorem Conventus inſtituat, ad quem pertineat univerſa pro ſuo Conventu Redemptionis bona præfixa diligenter comparare, atque redditus annuos, legata, ceſſiones, res perditas, vulgo *Moſtrencos* exigere, liteſque de illis modeſte, ſed viriliter proſequi, ac cætera omnia perſolvere circa prædicta bona, quæ jure ad ſuum Conventum pertineant.

4. Procuratoribus autem Generalibus, & particularibus ſtrictiſſime præcipimus; ſub pœna privationis ſuorum officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ, ut quandocumque in conventibus, ubi reſident, computa fiant,

fiant,ipſi quoque compareant coram Commendatore, & depoſitariis: quibus, & de cenſibus comparatis de ſtatulitio, de perceptione legatorum, & quorumcunque bonorum ad Redemptionem, & ſuum munus pertinentium, rationem reddant. Similiter, & univerſis Commendatoribus, ac Depoſitariis ſub eiſdem pœnis præcipimus, ut nullatenus ſuorum Conventuum computa aggrediantur, nec rationem dati, & accepti ſuſcipiant, niſi peracta prius, quæ ad Redemptionem pertineat.

5. Cæterum, ut Eleëmoſynæ Captivorum uberius, in dies accreſcant, eadem diſtrictione univerſis Conventuū Prædicatoribus injungimus, ut in omnibus oppidis, & Eccleſiis in territorio, & ditione ſui Conventus incluſis prædicent Redemptionem, ſemel ad minus in anno, & tempore cujuſque loci fructibus opportuno. Poſtquam autem concionem habuerint, hora competenti, cum loci Miniſtris, & aliis viris probatæ authoritatis (quos potius comitate, quam jure privilegiorum cogi optamus) locum omnem circumeant, ac oſtiatim Eleëmoſynas exigant pro Captivis: & ſi aliqua de venturis fructibus offerantur, in libro ad hoc deſtinato memoriæ tradant, congruenti ab ipſis tempore, exigenda.

6. Inter hæc omnia diligenter caveant, ne aliquando ſe muneri prædicandi committant, niſi Indulgentiarum Bullis, Regumque privilegiis inſtructi, nec non licentia Prælati Ordinis ſigillo munita, ac etiam Diœceſani, quibus adjungent ſpecialem procurationem ad colligenda, ſi quæ invenerint bona, reliqua inſtrumenta, quæ videantur opportuna, deferant, ne ab Eccleſiarum Rectoribus, vel quovis alio prædicare, & Eleëmoſynas colligere, impediantur.

7. Concionantes, miſerias, cruciatus, ærumnas fidelium Captivorum apud Barbaros, & præcipue abjurandæ fidei diſcrimina, prudenter, flebiliter & devote populis exponant. Id tamen omnino caveant, ne quemquam verbo lædant, vel alienæ profeſſionis fratribus detrahant, aut ſcandali apicem ſub pœna gravis culpæ quomodolibet inferant, quo pacis vincula rumpant. Indulgentias Romanorum Pontificum Ordini non conceſſas publicare non audeant, ſub pœna excommunicationis majoris, & graviſſimæ culpæ præter alias à jure præfixas. Veritatem in omnibus diligant, & mendacium penitus abhorreant.

8. Quapropter Prælati hujuſmodi prædicationis, & collectionis munera, non niſi fratribus Deum timentibus, & virtute prælitis imponant, qui omnia prædicta, quæ deſideramus, exerceant, & in exigendis Eleëmoſynis, verbis, geſtis, & moribus ſe pios, ſobrios, & honeſtos, exhibeant. Quibus inſuper ſub formali obedientia, & pœna privationis muneris prædicandi, & vocis activæ, & paſſivæ, præcipimus, ut nihil bonorum Redemptionis directe, neque indirecte colore, modo vel prætextu aliquo, tam vero, quam falſo ſibi quomodolibet applicent, aut in alium finem, etiam ſi honeſtum, & pium diſtrahant, niſi quæ pro conductione neceſſaria viſa fuerint.

9. Ut ergo iſtud prædicationis munus ferventius exerceatur; & nulla negligentia tepeſcat, univerſis Prædicatoribus Redemptionis per totum Ordinem declaramus, ſibi non fore computandos ad gradum Præſentaturæ de Pulpito obtinendum annos ſingulos, quibus, ut prædicitur, non prædicaverint, aut collectam Eleëmoſynarum quovis modo non fecerint.

10. Ditiones, & territoria ad collectam Eleëmoſynarum, & exactionem omnium bonorum Redemptionis in Capitulo Provinciali cujuslibet Provinciæ deſignata nullius Procurator, Prædicator, aut Frater confundat, vel prætereat: ſed unuſquiſque in ſuis finibus laboret, ut collectiones cum diſtinctione, & ſine invidiæ fomite fiant: nec meritum unius operarii ex aliena meſſe diteſcat.

11. Solicitè ſtudeant Procuratores, ut in ſingulis urbibus, & earum Parrochiis, in villis, oppidis, & caſtris totius ditionis ſuæ conſtituantur Syndici, vel quos Fratres Redemptionis appellamus, qui diebus feſtis petant Eleëmoſynas, & eas fideliter cuſtodiant. Ad hoc autem eos ſufficienti juris authoritate inſtruant per inſtrumentum publicum: ut in eorum abſentia omnia Redemptionis bona, cum opus fuerit, exigere, & prævenire valeant. In omnibus Eccleſiis, diverſoriis, & locis publicis capſulas, vel cepos affixas ſemper eſſe ſolicitent, quibus fideles pietatis ſuæ largitiones inferant.

12. Caveant Prælati, ne hujuſmodi Eleëmoſynarum collectionem perſonis ſæcularibus, ſub quavis conventione, committant: ſed noſtris duntaxat fratribus præfatis moribus, & honeſtate conſpicuis.

Caput III.

De Adminiſtratione, & Cuſtodia bonorum Redemptionis.

1. NON ſatis adhuc prudenter Redemptionis Eleëmoſynas huic ſæculo æternitatis intulimus, ſi eum à tineis negligentiæ, vel quavis alia humani cordis ærugine non defendimus. Hoc igitur ſtudio univerſis Commendatoribus indiſpenſabiliter, & ſub pœnis inferius infligendis ſtatuimus, ut in quolibet Conventu Arcam ſpecialem, & diverſam à Depoſito Conventus deſtinatam habeant, cui omnia Redemptionis bona fideliter initiciantur, & ſecure conſignata permaneant.

2. Sed ut de cunctis, & ſingulis diſcreta ratio habeatur, tres libros omnino diverſos à prædictis Commendatoribus confici, & in eadem Arca ſervari præcipimus. Primus ſit, ubi expreſſe annotentur patronatus, poſſeſſiones, cenſus aliaque jura perpetua ad Redemptionem pertinentia cum relatione inſtrumentorum, & nominibus eorum, à quibus exigenda ſunt, & temporis tractu mutantur. Secundus contineat pia legata, donationes, ceſſiones, credita pecuniarum, proventutus fructuum ex procuratione, & quæſtura procedentium cum Eleëmoſynis ubilibet minutatim collectis, & quæcumque alia bona adventitia. Tertius ſit quaſi Major, & index univerſalis aliorum, in quem referenda eſt omnis quomodolibet ratio dati, & accepti: id eſt omnes pecuniæ quocumque titulo adeptæ & pariter quomodocumque conſumptæ.

3. Et non ſolum in prædicto Depoſito hujuſmodi libros conſignari præcipimus, ſed etiam privilegia omnia Apoſtolica, & Regia cum univerſis pariter ſcripturis, & inſtrumentis ad bona Redemtionis, & eorum accuratam adminiſtrationem, & collectam pertinentibus: pro quibus, ſi ad lites aliquas extrahantur, ſubſtituatur ſchedula nomine Procuratoris extrahentis, & loci, vel tribunalis, cui præſentari contigerit inſcripta.

4. Hujuſmodi Depoſitum tribus ſit clavibus obſeratum, quarum unam habeat Commendator, ſecundam Procurator Redemptionis, & tertiam dignior Depoſitarius. Illud utique nullatenus recludatur, claudatur, vel reſeratum maneat, niſi ſemper iis tribus clavigeris una concurrentibus, & pariter atteſtantibus quidquid dati, vel accepti præſcribitur, reponitur, aut extrahitur: Si quis autem contrarium fecerit, pœnam privationis officiorum, & utriuſque vocis incurrat.

5. Similiter conſtituimus, ut in quolibet conventu præcipuo, & Capite cujuſcunque Provinciæ aliud ſit Depoſitum generale à Conventuali diſcretum, cui inferantur omnes pecuniæ Redemptionis totius Provinciæ, et fideliter cuſtodiantur. In illo pariter contineatur liber, in quo ſingulæ pecuniarum miſſiones ſpecialiter, & diſtincte pro ſingulis conventibus memorentur: ut de eo, quod quiſque miſſerit, & in Redemptione laboraverit, ratio habeatur in promptu. Circa clauſuram verò, & reſerationem Ipſius ſerventur eadem, quæ de reliquis ſuperius ordinavimus, ſub eiſdem pœnis privationum officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ: ita ut omnia Redemptionis Depoſita tribus ſemper clavibus ſint inviolabiliter obſirmata.

6. In regionibus Peruanis apud Indias pecuniarum collectæ ad Depoſitum Provinciæ Limenſis deferantur, ut inde ſub claſſe Regia ad Depoſitum generale Conventus Hiſpalenſis pro Caſtellæ, & Vandaliæ Provinciis ſecure mittantur. In nova verò Hiſpania theſaurum Depoſiti generalis Provinciæ Guatemalæ, ad Depoſitum generale Provinciæ, & Conventus Mexicani confluere providemus, ut inde utriuſque Depoſiti pecuniæ ad præfatum Hiſpalenſe Depoſitum adſportentur, ad quod etiam, utpote tranſvectioni com modius, quæ in Provincia Inſularum Sancti Dominici colliguntur, recto tramite, deducantur.

7. Quocirca univerſis Indiarum Vicariis Generalibus, & Provincialibus injungimus in id ſolertiſſime incumbere, ut prædicta Redemptionis bona, & ſuarum Provinciarum collectæ navibus bene inſtructis, & validis ad præfatam Hiſpalim Civitatem deveniant, & ejuſdem urbis Commendatori, & Procuratori generali Redemptionis, ac Depoſitario digniori tradantur: qui profecto adhibito authentico teſtimonio ea cuncta ſuſcipient, generalique Depoſito inferent, ut ſuo tempore uſibus Redemptionis duntaxat integre deſerviant.

8. Ulterius ipſi Commendatori, & prædictis aliis duobus Clavigeris ejuſdem Conventus enixe præcipimus, ut poſt ſuſceptam præfatam pecuniam, confeſtim ſub teſtimonialibus litteris rem totam Ordinis Magiſtro denuntient: & ſummas omnes allatæ pecuniæ fideliſſime referant, nec non Provincialibus Caſtellæ, & Vandaliæ, ut eorum neminem theſauri fundum lateat, ex eoque Redemptio ſuo tempore decernatur.

9. Rur-

9. Rurſus etiam præſenti Conſtitutione univerſis per totum Ordinem Fratribus cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterint, tam Prælatis, quam Subditis diſtriƈte præcipimus ſub pœna Excommunicationis majoris, & privationis vocis aƈtivæ, & paſſivæ in perpetuum, ut ſi aliquid quomodocunque ſuſceperint, pro Redemptione Captivorum, intra terminum viginti quatuor horarum ad Depoſitum deferant, & tribus ejus Clavigeris manifeſtent, & tradant: qui pariter ſub eiuſdem pœnis confeſtim, & ſine mora, quæ præfatum terminum excedat hujuſmodi Depoſito ſimul inerant, & in libro ibidem incluſo debita ratione conſcribant.

10. Sub ipſis quoque pœnis, & ulterius virtute formalis obedientiæ, & privationis officiorum, atque inhabilitatis ad illa in perpetuum, univerſis etiam, & eiſdem, ut ſuperius, fratribus præcipimus, ut prædiƈta Redemptionis bona, undecumque obtenta, & nbilibet cuſtodita, in toto, vel in parte. Nulla ratione, vel prætextu vero, vel falſo ad alia etiam Indigentiæ, aut cujuſcumque pietatis impendia transferant, ſeu transferri permittant, niſi ad uſus ipſius effeƈtivæ Redemptionis: Necioſuper, ſub eiſdem pœnis, prætextu qualiſcumque ſecuritatis à pignore interveniente pecunias extrahant, vel mutuent, neque cum bonis conventualibus permiſceant, ſed diſcretim cum fidelitate repoantur, & ſint ſemper in proprio Depoſito, ut jam ſtatutum eſt. Neque demum fruƈtus Redemptionis pie à fidelibus erogati cum fruƈtibus conventus confundantur, ſed ſeorſim pariter, & cum diſtinƈtione ſerventur.

11. De ipſis adhuc fruƈtibus prohibemus, oe poſſiot à Conventibus emi, vel pretio quomodolibet comparari, niſi prius juſta æqualitate taxentur, & pecunia inde proveniens, illico, & ſine mora ſolvatnr, & proprio inferatur Depoſito. Qnod ſi quis Commendator ſecus egerit, vel quicumqne alius, tam Prælatus, quam Viſitator, aut Claviger Depoſiti Redemptionis, quomodocumque fieri permiſſerit, aut ſimulaverit, vel etiam quicumque frater hæc ſciens non denuntiaverit, eiſdem pœnis ſuperius in hac Conſtitutione poſitis ſubjacebit: & quaſi reus, & fraƈtor prædiƈti formalis præcepti puniatur.

12. Si vero Frater aliquis, quacumque conditione, dignitate, officio, vel qualitate munitus, bona Redemptionis, quoad aliquid defraudaſſe conviƈtus fuerit, non ſolum voce aƈtiva, & paſſiva, omnique officio, & dignitate perpetuo maneat privatus, ſed illum, neque Provincialis, neque Magiſter Ordinis valeat ad prædiƈta, vel aliquid eorum reſtituere, neque à reatu, vel pœnis eripere, niſi Deffinitorium Generale duntaxat unanime, & conforme, ac nemine diſcrepante; fraude tamen ſoluta, & reſtitutis ablatis.

13. Quæ omnia in hac Conſtitutione præmiſſa, ſic ab omnibus Prælatis per totum Ordinem obſervari præcipimus, nt ſi aliquomodo contrarium fecerint, vel facientes, permittentes, ſcienteſve, & non denuntiantes in ſua noxa, vel culpa toleraverint, & eos præfatis pœnis emendare noluerint, ipſos Prælatos eidem præcepto, & pœnis ionodatos eſſe decernimus.

14. Provincialibus verò ſolicite ſuper hoc invigilare præcipimus; atque ita diligenter cunƈtorum Fratrum bona Redemptionis traƈtantium fidem, zelum, & munera præſcrutari, & ſic acriter cenſuræ hujus labis intendere, ut ne apicem quidem de illa conviƈtis ignoſcaot: quinimo eos ſive Commedatores, ſive ſubditos, quos negligentes, & huic noſtræ tam ſalubri conſtitutioni adverſantes invenerint, de faƈto privatione ſuorum officiorum atque utriuſque vocis afficiant, aliiſque pœnis pro criminis magnitudine pleƈtant.

15. Inſuper Commendatoribus eodem zelo ſubjungimus, ne animalia, quæ miniſterio Redemptionis inſerviunt, aliqua Conventus opera, quavis ratione diſtrahant: neque vendantur, neque permutentur, niſi prius liceotia in ſcriptis à Provinciali obtenta.

16. Tandem verò, ut apud judicium Capituli Provincialis non lateat, qua fidelitate bona Redemptionis traƈtentur, qua ſeveritate ſerventur prædiƈta, & quo fervore conventus omnes, ac eorum ſuper hoc miniſtri, & colleƈtores in aggregandis, excolendis, & cuſtodiendis Eleëmoſynis elaborent, ſub formali obedientia præcipimus Commendatoribus univerſis, ut deferant ad Capitulum, vel mittant una cum rationibus conventus aliam ſpecialem, & ſeparatam authentice, & à Depoſitariis ſubſcriptam, quæ ſit traſumptum ad literam omnium contentorum in libro Redemptionis, quem majorem diximus à principio triennii, uſque ad finem, tam circa datum, quam acceptum cujuſcunque ſit generis. Commendtatores autem domorum, ubi extant Depoſita generalia, præter ſpecialem rationem prædiƈtam,

ſub eodem teneantur præcepto deferre ad ipſum Capitulum aliam ſimilem ad literam, ab iiſdem pariter authentice deductam ex eo libro majori Depoſiti Generalis, ut collata iſta in Diffinitorio cum reliquis particularibus, & perſpectis omnibus eorum rationibus, & compuris, appareat qualiter inter ſe cohæreant: ut vel fides, ac ſolicitudo omnium Redemptionis miniſtrantium cum laude probetur; vel negligentia, ſeu labes cum ſeveritate puniatur.

Caput IV.

De modo, Opportunitate, & Conditionibus, quibus eſt exequenda Redemptio.

1. Et ſi dilectio neſciat habere modum, ejus tamen operi modum, & formam imponimus, ne pereat aliquando, dum imprudenter aſſumitur. Sic enim quandoque poteſt jacturam pati Redemptio, ſi eam per media bella, pyratas, atque inſida maria improvidè Ordo ſuſcipiat. Hinc ergo Magiſter Ordinis primum cavere debet, ut illa ab ejuſmodi timoribus omnino tuta procedat, ac ſecura, & ulterius, ut infidelium regio, ſeu tractus ſit profectò ſalubris, & nulla contagione laborans, ne dum Captivos reſovere pergimus à morte, vel furibus præcludatur charitatis intentio.

2. His itaque bene, matureque proſpectis, quoniam etiam aliunde nolumus Redemptiones aggredi ſine ſufficiente collecta, idcirco præcipimus, ne Capitulum, aut Magiſter eas pro libito decernant, niſi cum facultates ſuppetant ad congruentem numerum: ne dum exiguos crebro peragimus ſumptus, & expenſæ ſæpius iteratæ potius Captivis noceant, quam proficiant.

3. Per hoc tamen non intendimus caſum illorum excludere, quo ad qualemcunque Redemptionem aliquando properare compellimur, dum nova, inſolita, & ſpeciali acerbitate infidelium, plures certo ſcimus in ingentibus verſari periculis, valdéq; indigere redemptione, & ſolatio. Quod, quia non ſemel contigit, huic etiam neceſſitati deſiderantes occurrere, Magiſtro Generali conſulimus, ut re maturè inſpecta, eligat ubique, quod ſibi melius expedire videatur.

4. Quandocunque autem firmo decreto ſtatuta fuerit Redemptio, ſtatim Procuratores Generales illius, in Regiis curiis reſidentes, omnia inſtrumenta Regalia, quibus opus fuerit ad Redemptionem inſtruendam, rite ſibi expediant: & commeatum vulgo *ſalvo conducto* nuncupatum ab infidelium Principe, in cujus ditione agenda eſt Redemptio, conſeſtim, & diligenter obtinendum curent. Quæ omnia debita forma ſuo tempore tradantur Redemptoribus.

5. Sex antea menſibus, quam proficiſcatur Redemptio, fiat ejus prima publicatio per Procuratores Generales, appenſis publicis tabellis impreſſis in omnibus civitatibus, & oppidis præcipuis regnorum, unde eadem ſit mittenda Redemptio.

6. Subinde conſtituimus, ut duobus menſibus ante Redemptionis egreſſum, in omnibus conventibus provinciæ, aut provinciarum, à quibus expeditur, fiat indeficienter à fratribus ſolemnis publicatio, cum proceſſione per civitatem, aut locum habita prius concione ad populum, in qua (ſicur & in ſchedulis, per loca publica affixis) publicentur indulgentiæ noſtris confratribus conceſſæ, ad dictam proceſſionem, & publicationem perſonaliter aſſiſtentibus, piéque etiam referantur Captivorum labores, & ærumnæ. Hæc autem omnia, ut mature, tempore prædicto, à Commendatoribus compleantur, eos ita opportune de exitu Redemptionis Provinciales admoneant, ut publicatio fiat, veluti prædicitur.

7. Commendatoribus verò præcipimus, ut tempore hujus publicationis, & per totum diem, aut dies, ſi opus fuerit, fratres aliquos deſignent, qui Eleemoſynas pro tam egregio charitatis opere à fidelibus inſtanter, & opportune depoſcant.

8. Infra tempus autem ſex menſium præfatæ publicationis enixe Provincialibus conſtituimus, in id ſolertiſſime incumbere, ut omnes Eleemoſynæ, tam in Depoſitis particularibus Conventuum, quam apud locorum Syndicos, vel ubique diſperſæ inferantur Depoſitis generalibus Provinciarum, ne mora in illis colligendis ſerum, & importunum reddat Redemptionis egreſſum.

9. Cæterum, ut opus, quod à charitate procedit, ab ipſa etiam, quæ non æmulatur, ſummo pietatis fœdere, & ſine contentione fiat, firmiter ſtabilimus, ut in Hiſpania Redemptores Provinciarum Aragoniæ, & Valentiæ, dum ad Redemptionem proficiſcuntur, ab ipſo initio executionis muneris uſque ad finem, nulla alter alteri ſuperioritate præcellat: ſed fraternæ ſocietatis vinculo, quaſi charitatis miniſtri, nullam ſibi quiſque majorem poteſtatem arrogare præſumat: quin potius cuncta Redemptionis opera fraterna æqualitate perficiant.

10. Re-

10. Redemptionum verò, quæ in Provinciis Caſtellæ, & Vandaliæ ſimul hactenus fieri conſueverunt, unionem, aut conſuetudinem non frangimus; imo de cætero eodem ſemper vinculo peragi conſtituimus: ita ſane, ut eadem fraterna æqualitate, & poteſtate, quam in præfatis Redemptoribus ordinavimus, ipſi quoque Redemptores Caſtellæ, & Vandaliæ iu omnibus ſuis actibus utantur; in iis videlicet, quæ ad Redemptionem attinent.

Caput V.

De Redemptoribus, & Inſtitutione illorum

1. FRatres itaque, qui à Diffinitorio Provinciali intra Capitulum, vel extra illud à Magiſtro Generali pro Redemptione agenda deſignantur, ſemper eligantur vita, ætate, ſcientia, moribus, & diſcretione prædìti, & quos non lateat cautela, & zelus ſecundùm ſcientiam: ne vel ab infidelibus poſſint quoad aliquid fraude, vel dolo decipi, aut ab ipſis etiam Captivis figmento periculi, atque ærumnarum, nec alioquin quavis arte deludi.

2. Ex duobus Redemptoribus cujuſlibet Provinciæ unus ſaltem eligatur ſemper gradu Magiſterii, vel præſentaturæ de numero in Sacra Theologia inſignitus, qui, vel ejus Socius, (ſi fieri poſſit) jam de munere ſit expertus, & Redemptionis opus aliquando peregerit.

3. Fratres autem hujuſmodi, non per interpoſitas perſonas, niſi cum neceſſitas urgeat (ut ſtatim conſtituemus) ſed per ſe ipſos ab initio in finem Redemptionem exerceant: quibus enixe ſubjungimus, ut pro viribus Captivorum ſaluti provideant, debitaque illis officia charitatis impendant; non ceſſantes cum Apoſtolo nocte, & die unumquemque monere cum lachrymis: & cum publice non liceat, ne Redemptio patiatur injuriam eos cum eodem Apoſtolo docere per domos, & loca devia, ac nihil ſubtrahere utilium, quominus annuntient eis in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, & qualiter illam cunctis laboribus, preſſuris, & vinculis præferre debeant, & pluſquam vitam diligere.

4. In hoc Redemptionis commercio ſic fide Redemptores ſe gerant in emptionibus, & pactionibus cum infidelibus, ut illis nullam doli ſuſpicionem ingerant: ſed Chriſtianæ, Religioſæque fidelitatis teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſiut, tota ſinceritate contendant. Eam autem miſericordiam cum Captivis exerceant, qua non omnes, ſeu quoſcumque liberare conſtituant, ſed poſtquam caute, & prudenter redemerint neceſſarios, de cætero conſulant charitatis ordini, & quantum fieri poſſit, eos eligant, quos plus fidei diſcrimen, ac preſſuræ vexaverint. Pueros, & adoleſcentes fæminas propter fragilitatem ætatis, & ſexus in libertatem, quam citius vindicare feſtinent, ita ut ſemper major fidei præponatur utilitas, ut in reliquis Regula, & ordo æquitatis ſervetur.

5. Unde Redemptoribus Caſtellæ, & Vandaliæ Provinciarum omnium præcipimus, ut quia Eleëmoſynæ, quas deferunt ex majori parte ſunt ex Provinciis Indiarum omnes earum indigenas, quantum eis liceat, redimere ſtudeant. Quam Regulam univerſis in genere Redemptoribus ex debito æquitatis præſcribimus: quod redemptis prius illis, qui in fidei diſcrimine verſantur, eorum poſtea Regnorum Captivos impenſius nitantur eripere, unde Eleëmoſynæ provenerunt.

6. Quapropter etiam cavere debent, ne pecunias, quas pro Redemptione alicujus determinatæ perſonæ acceperint à parentibus, conſanguineis, vel amicis, in alterius libertatem expendant. Quod ſi Captivum illum, pro quo ſpecialiter fuerant conſignatæ quacumque cauſa redimere non poſſint, eas integras omnino ſervent, & ſuis largitoribus cum fidelitate reddantur.

7. Ipſis ulterius præcipimus, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum, ne titulo augendi Redemptionis Eleëmoſynas, aliove quocunque ſalubriter, atque honeſtiſſime excogitabili, eas per hujuſmodi commercium ulli lucro, vel augmento ſubiiciant, neque ab alio id quovis modo fieri permittant, ſed totum Redemptionis theſaurum pure, & in propria ſpecie pecuniæ ſecum ad infideles deferant, nullaſque merces ex ea comparent, etiam ſi apud illos carius venditæ ingens Redemptioni, & Captivis lucrum importent. Eiſdem inſuper prohibemus, ne perſonas ſæculares, titulo ſervitutis, neceſſitudinis, aut alio quolibet ultro ſecum transfretare ſuſtineant.

8. Verum ſi Redemptoribus ad infidelium oras ſit omnino interclusus aditus, tunc ipſius, ne ſe, & Captivorum bona in jacturam temere proiiciant, per interpoſitas perſonas Redemptionem exercere liceat.

9. Ut Redemptores majori fide, charitate, & commodo omne ſuæ villicationis munus adimpleant, ſub dictis pœnis illis

illis præcipimus, ut ſinguli ſingulos libros habeant, pro ſua quiſque Provincia, vel Regno: in quibus omnia pro Captivorum Redemptione, tam ab Ordine, quam aliunde à ſæcularibus per modum Eleëmoſynæ, ſubſidii, & adjutorii ſuſcepta fideliter præſcribant, dato prius tradentibus teſtimonio acceptæ pecuniæ. Quæcunque neceſſario expenderint etiam in eoſdem libros referant: ut quandocunque opus fuerit rationem dati, & accepti reddere ubique valeant.

10. Inſuper in prædictis libris memoratos eſſe volumus, & ſtatuimus omnes Captivos redemptos, relatis propriis nominibus eorum, ætate, patria, tempore ſervitutis, & Redemptionis pretio. Ad finem autem ſuperaddi ſancimus publicum inſtrumentum omnium eorum, quæ in tota Redemptione ſunt geſta, & fuerint notatu digniora. Quibus ita peractis fratres remeatum inſtruant, & cum Captivis revertantur ad propria, recepto prius à ſingulis juramento fidelitatis, quod pacifice ſibi eos ducentibus obedient, & quo voluerint, ſequentur per duos menſes, ex quo fidelium oris, ad quas diriguntur, appulerint. Cæterum interea omnia in via neceſſaria miniſtrentur eis pia largitione, & conſilio.

11. Injungimus verò ipſis Redemptoribus, ſub pœna prædicta, ne ſuperfluos ſumptus, tam in ſe ipſis, quam in aliis, & tam euntes, quam redeuntes de bonis Redemptionis faciant: ſed ſe gerant in omnibus ſobrie, parce, & humiliter, ut decet miniſtros Chriſti, & diſpenſatores bonorum indigentium.

12. In Redemptionis munere exercendo caveant omnino, ne inſtructiones Regias, & quas Magiſter Generalis illis prudenter ingerat, aliquatenus prætereant: ſed eis ſollicite incumbant.

13. Peractis itaque Redemptionibus, ipſis Redemptoribus præcipimus; ut in duobus immediate Capitulis diſtrictam ſui muneris rationem reddant: ita nimirum, ut ſi Capitulum prius occurrens, fuerit Provinciale, illi, & Generali immediate poſtea gerendo ſemel, & iterum rationem exhibeant; attamen ſi Generale Capitulum prius habeatur, huic eos primo ſubjicimus, & deinde ſpecialiter Provinciali proxime celebrando: ut iis à quibus eſt accepta pecunia, jure reddatur ratio de expenſis illius.

14. Quare Diffinitoribus utriuſque Capituli, & illis omnibus, ad quos hujuſmodi judicium attineat ſub interminatione ultionis æternæ præcipimus, ne illud leviter, ſed toto æquitatis pondere aſſumant: libros eorum exactiſſime evolvant, foliorum notas, & quantitatis ſingulatim relegant, & iterum ad ſummas novo examine ducant: univerſam rationem dati, & accepti, & qualiter ſibi cohæreat, diligentiſſime diſcutiant: neque aliquid ſine cenſura prætereant, aut ſumptus quoslibet & impendia, niſi juſta, & rationabilia, minime verò ſuperflua admittant. Si autem eos quoad aliquid negligentes, aut noxam contraxiſſe fortaſſe reperiant, illos pœnis noſtræ Conſtitutionis, & ſevera ultione, ſine moderamine plectant: Interim tamen donec primam rationem primo Capitulo exhibeant, ut prædicitur, ad nullum promoveantur officium.

Caput VI.

De Opportunitate, & Forma à Redemptoribus ſervanda in executione quarti voti.

1. CUM noſtri voti excellentia, & dignitas, ut impleatur opportune, & utiliter, non parvam prudentiam exigat, illud ſpecialiter ordinare duximus, quo ſit videlicet tempore, & caſibus exequendum. Si enim aliquando contigerit, ut finito jam theſauro, & tota Redemptionis ſtipe conſumpta, parumve ſufficiente, Captivus, aut Captivi aliqui emergant, cujuſcunque ſexus, ætatis, aut conditionis extiterint, de quo, vel de quibus prudenter, & rationabiliter timeatur abnegatio fidei, tunc (exigente jam noſtri Ordinis voto, & viribus Inſtituti, quo nos Beatiſſima Virgo Maria Chriſti exemplo configuravit) unus frater pro illo, ſeu illis alacriter ſe devoveat, & vinculo charitatis tradat, maneatque pro pignore detentus in poteſtate infidelium, ſignatis pretio, & termino ſolutionis ejus.

2. In hoc autem charitatis facinore caveant prudentiſſime Redemptores, ne aliquando leviter eo zelo, aut æmulatione ducantur, quæ non eſt ſecundùm ſcientiam, ut ait Apoſtolus. Cum enim non ad voti litteram, quæ aliquando occidit, ſed ad ejus ſpiritum oporteat intendere, non ultro ſe debent pro quolibet Captivo, aut quavis cauſa tradere, nec pro alienæ Redemptionis debitis, aut pro ætate, ſexu, vel qualitate perſonæ pactionem, & pignus ſtatuere, ſed pro ſolo fidei diſcrimine, & Redemptione animæ, quæ eſt totus finis, & ſcopus charitatis hujuſmodi: quia, etſi pie quoque corpora eruimus, eo per hoc tendimus, ne ferrum pertranſeat animam, & vincula corporis fiant pariter mentis laquens ad captivitatem æternam.

3. Quan-

3. Quando autem aliquis de Redemptoribus ſit vadimonii pignus, & ſui traditionem inſtituit, diligenter ſtudeat, ne unquam pacto, ſeu conditione ſe obliget infidelibus, ut ad ipſos deferatur Captivus de ſecta, & oatione ſua apud Chriſtianos detentus.

4. Sic ergo Redemptione peracta, licet uous Redemptor maneat, non ideo motam alter faciat, ſed quam primum ad regreſſum ſe expediens, eam feſtinanter, non dolens, ſed gaudens de remanſione Socii, ad propria reducat, quibuſdam prius Eleëmoſynis Captivis remaoentibus, pluſque mœrore, & egeſtate laborantibus, juxta uniuſcujuſque indigeotiam, diſtributis.

5. Redemptorem verò relictum apud Barbaros, nolumus eſſe deſidem, ſed operoſum, quaſi apem in ſalute Captivorum procuranda, & cunctis eorum neceſſitatibus ſublevandis. Attendens enim ad petram unde fuit exciſus, ob oculos ſemper habeat, non ſe tantum manſiſſe obſidem propter Redemptionem periclitantis, ſed id ſæpius divina diſpenſatione contingere, ut Captivis ex commercio infidelium non raro languentibus, morum, & fidei ſit Magiſter, & Medicus: ut cum Tobia tribuat illis monita ſalutis ad vitam, cum Joſeph autem erudiat ipſos vitæ puritate, & exemplo, & denique ſecum Ezechielem conſerens, quod perierit requirat, quod abjectum eſt reducat, quod confractum eſt alliget, quod infirmum coofolidet, quod piogue, & forte cuſtodiat.

Caput VII.

De forma dimittendi Redemptores, & deprecatione pro illis.

1. CUM jam tempus acceſſerit, quo dimittenda eſt Redemptio, omoes fratres cum palliis infra caputium congregentur, qui hinc inde per choros ordinati, ducant Prælatum cum Redemptoribus ad gradus ſupremi altaris; ubi in cornu Evangelii parata erit ſedes, quam occupans Prælatus, & Fratribus per choros adſtantibus, vel ſedentibus, Redemptoribus ante Prælatum genuflexis, vel ſi alioquin expedit, prope illum ſedentibus, brevem Sermonem, ac pondere gravem & charitate flueotem, Redemptioniſque muneri peropportunum inſtituat; in quo ſcilicet voti, & promiſſæ fidei ſapienter reddat memores, & quemadmodum ſalutem animarum ſupra ſe ipſos diligere oporteat, non timentes pericula, vel preſſuras, non formidantes ſanguinem, mortem acerbiſſimam, ſed ad hæc omnia perferenda debere eſſe paratos in obſequium fidei, & ſuæ profeſſionis, ac etiam charitatis iotuitu.

2. His, & aliis prudenter Redemptoribus admonitis, priosquam benedictionem itinerantiom Prælatus tribuat, procedat ad faciendam pro eis deprecationem, ut illis Deus propitius adſit in executione ſui muneris, ſupernaque ipſos virtute acingat. Ad quod ſurgentibus fratrum choris, ſtans Prælatus inchoet Antiphonam. *Introibo in domum.* Chorus autem addat pſalmum 115.

Credidi, propter qood locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine! quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomeo Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis popoli ejus: in atriis domus Domini in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri, &c.

Deinde repetatur Antiphona: *Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Qua recitata dicatur *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Beatos qui intelligit ſuper egenum, & pauperem:
℟. In die mala liberabit eum Dominus.
℣. Immola DEO ſacrificium laudis:
℟. Et redde altiſſimo vota tua.
℣. Proptet miſeriam inopum, & gemitum pauperum:
℟. Nuoc exurgam dicit Domioos.
℣. Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam:
℟. Quam plantavit dextera tua.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus *Vota quæſumus Domine ſupplicantis populi Cæleſti pietate proſequere, ut, & quæ agenda ſunt videant, & adimpleuda, quæ viderint, convaleſcant.*

Deus, qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte reſeraſti: vota noſtra, quæ præveniendo adſpiras, etiam adjuvando, proſequere.

Deus, qui nos à fatali vanitate converſos, ad æternæ vocationis accendis amorem, pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perſeveremus, infunde: ut protectionis tuæ muniti præſidiis, quæ te donante promiſimus, impleamus: & noſtræ profeſſionis exequutores effecti ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere, pertingamus.

Deus omnium Sanctorum ſplendor mirabilis, qui Ordinem noſtrum per Beatiſſimam Virginem Mariam divinitus inſtituere dignatus es: quique Sanctis tuis Petro Nolaſco Patri Noſtro, Raymundo Nonnato, ac Beatis Petro Paſchaſio, & Armengaudo inviolabilem in redimendis Captivis dediſti charitatis effectum, præſta quæſumus, ut greſſus noſtri in eorum ſemitis perficiantur: & ejuſdem charitatis donum, quod in illis continuo veneramur obſequia, nobis quoque ſpiritali largitate donetur. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Peractis hujuſmodi precibus, ulterius ad benedictionem itinerantium progrediendo incipiat ipſe Prælatus Antiphonam: *In viam pacis*, & chorus proſequitur cum Cantico. *Benedictus*; quo terminato per *Gloria Patri*, repetitur Antiphona: *In viam pacis, & proſperitatis, dirigat vos omnipotens, & miſericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur vobiſcum in via, ut cum pace, ſalute, & gaudio revertamini ad propria. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos:
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto:
℟. Et de Syon tuere eos.
℣. Eſto eis Domine turris fortitudinis:
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis:
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie:
℟. Proſperum eis iter faciat Deus ſalutarium noſtrorum.
℣. Vias tuas Domine demonſtra eis:
℟. Et ſemitas tuas edoce eos.
℣. Utinam dirigantur viæ eorum:
℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.
℣. Erunt prava indirecta:
℟. Et aſpera in vias planas.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, qui Abraham puerum ſuum, de Ur Chaldæorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis viæ illæſum cuſtodiſti; quæſumus, ut hos famulos tuos cuſtodire digneris. Eſto eis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia, & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus: ut te duce, quo tendunt proſpere perveniant, & demum incolumes ad propria redeant.*

Adeſto quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: ut inter omnes viæ, ac vitæ hujus varietates tuo ſemper protegantur auxilio.

Deus, qui tranſtuliſti patres noſtros per mare Rubrum & tranſvexiſti eos per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes: te ſupplices deprecamur, ut in via, & navi famulos tuos, repulſis adverſitatibus, curſu tranquillo, & portu ſemper optabili tuearis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

3. Finitis orationibus, Redemptores ſurgant dicentes: *Procedamus in pace*, & Chorus reſpondeat: *In nomine Domini. Amen*: Prælatus autem addat eis: *Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus ejus comitetur vobiſcum.* Quo dicto ſuſcipiat eos Prælatus profundeparum inclinatos ad amplexum, & oſculum pacis, illis vale dicens: quod, & ſimiliter faciant omnes fratres: & poſtea deducant eos ad januam conventus, vel Eccleſiæ, unde viam incipiant.

4. Sic itaque Redemptoribus, & toto Redemptionis commeatu dimiſſis, ſingulis diebus ſine intermiſſione uſque ad regreſſū in omnibus provinciæ, aut provinciarum conventibus, cujus, vel quarum nomine fit Redemptio, inſtituenda, & facienda eſt poſt Miſſam conventualem hujuſmodi deprecatio: Antiphona *Aſpice Domine.* Deinde dicatur pſalmus 79.

Qui Regis Iſraël, intende: qui deducis velut ovem Joſeph.

Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare, coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.

Excita potentiam tuam, & veni: ut ſalvos facias nos.

Deus converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Domine Deus virtutum: quouſque iraſceris ſuper orationem ſervi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannaverunt nos.

Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Vineam de Ægypto tranſtuliſti: ejeciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus; plantaſti radices ejus, & implevit terram.

Operuit montes umbra ejus: & arbuſta ejus cedros Dei.

Extendit palmites ſuos uſque ad mare: & uſque ad flumen propagines ejus.

Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

Ex-

Exterminavit eam aper de ſilva: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

Deus virtutum convertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.

Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.

Incenſa igni, & ſuffoſſa: ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ: & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.

Et non diſcedimus à te, vivificabis nos; & nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Gloria Patri, &c.

Quo finito repetitur Antiphona: *Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram. Qui Regis Iſrael, intende: qui deducis velut ovem Ioſeph. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem:

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Oremus pro fratribus noſtris abſentibus:

℟. Salvos fac ſervos tuos Deus meus ſperantes in te.

℣. Miſit Moyſen ſervum ſuum:

℟. Aaron quem elegit ipſum.

℣. Ut audiret gemitus compeditorum:

℟. Ut ſolveret filios interemptorum.

℣. Pro afflictis, & Captivis:

℟. Libera eos Deus Iſrael ex omnibus tribulationibus ſuis.

℣. Egreſſus es in ſalutem populi tui:

℟. In ſalutem cum Chriſto tuo.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix:

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, qui filios Iſrael per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te, ſtella duce, pandiſti; tribue famulis tuis, quæſumus, iter proſperum, tempuſque tranquillum: ut Angelo tuo Sancto comitante, ad eum quo pergunt locum, ac demum ad æternæ ſalutis portam pervenire feliciter valeant.*

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & exaudi clementer, & famulis tuis, quos dono gratiæ tuæ conſtituiſti tui operis miniſtros, da fiduciam tui operis exequendi, & in eorum miniſterio, quod tua pietatis eſt operari.

Deus, qui Beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum illæſum abire feciſti, famulorum tuorum in captivitate poſitorum vincula abſolve, eoſque ipſius meritis illæſos abire concede.

Da fidelibus tuis, quæſumus Domine in tua fide, & ſinceritate conſtantiam: ut in charitate tua firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur.

Protege Domine famulos tuos ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentes, à cunctis hoſtibus, & periculis redde ſecuros. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

CAPUT VIII.

De regreſſu Redemptionis, & quemadmodum ſit ab Ordine ſuſcipienda.

1. Redemptores itaque, abſoluta jam Redemptione, ut præmittitur, & relictis infidelium oris, ita ſuaviter, prudenter, & miſericorditer cum Captivis toto profectionis tempore ſe gerant, ut potius cum Chriſto dilectionis vinculis captivam ducere captivitatem, quam liberam cenſeantur. Ipſis autem in regionibus fidelium conſtitutis, ubicumque Conventus Ordinis occurrat, ſi juxta urbis, vel loci præſtantiam poſſit Redemptio ſuſcipi ſolemniter, & cum proceſſione, & concione ad populum, nullo modo prætermittatur; forma autem erit hæc.

2. Conveniant fratres cum cappis ad Eccleſiam, ibique proceſſionaliter ordinati, & Cruce cum acolytis præcedente, & ſequente Sacerdote cum pluviali albo, & Cruce parva in manibus, accedant ad januam Eccleſiæ, ubi ſimul omnibus conſiſtentibus, Redemptores ingrediantur, & genuflexi ante Sacerdotem, adorent Crucem de manu ejus, & aqua benedicta aſpergantur, & poſtea incipiat Antiphonam *Vivit Dominus.* Cantores autem intonent pſalmum 125. quem alternando chorus proſequatur.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum: & lingua noſtra exultatione

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætentes.

Converte Domine captivitatem noſtram: ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent:

Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua:

Venientes autem venient cum exultatione; portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri, &c.

Hoc finito repetatur Antiphona: *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit vos Angelus ejus, & hinc euntes, & ibi commorantes, & inde huc revertentes, & revocavit vos nobis gaudentes in victoria ſua, & in evaſione, & liberа-*

beratione veſtra. Deinde dicitur: *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem:
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvos fac ſervos tuos:
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Deduxit eos Dominus in viam rectam:
℟. Ut venirent in civitatem habitationis.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Miſerere, quæſumus Domine his famulis tuis: & quidquid in via eis ſubripuit viſus, vel auditus mala rei, aut otioſi Sermonis, totum ineffabili pietate deleas, & abſtergas.*

Actiones noſtras, quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

3. Hac benedictione peracta incipiant Cantores Hymnum. *Te Deum*, & revertantur omnes proceſſionaliter ad Altare Majus: ubi Sacerdos, depoſita ſuper illud Cruce, & finito Hymno, inchoet Antiphonam ſequentem, quam Chorus proſequatur. *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis. Deduxiſti ſicut oves populum tuum in manu Moyſi, & Aron. Tranſtuliſti eos per mare Rubrum, & tranſvexiſti eos per aquam nimiam.* Poſtea Sacerdos adiiciat;

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu:
℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum:
℟. Benedicite Domino.
℣. Dicant, qui redempti ſunt à Domino:
℟. Quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos.
℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata:
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, piiſſima majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus: tuam ſemper clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eoſdem non deſerens; ad præmia futura diſponas. Excita, quæſumus Domine tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum, propenſius exequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant.*

Omnipotens, & miſericors Deus univerſa nobis adverſantia propitiatus exclude: ut mente, & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exequamur.

Deus, qui per glorioſiſſimam filii tui Matrem, ad liberandos Chriſti fideles à poteſtate paganorum, nova Eccleſiam tuam prole amplificare dignatus es, præſta quæſumus, ut quam pie veneramur tanti operis Inſtitutricem, ejus pariter meritis, & interceſſione à peccatis omnibus, & Captivitate dæmonis liberemur.

Deus, qui in tuæ charitatis exemplum, ad fidelium Redemptionem Sanctum Petrum Nolaſcum Patrem noſtrum Eccleſiam tuam nova prole fœcundare divinitus docuiſti, ipſius nobis interceſſione concede: à peccati ſervitute ſolutis, in cœleſti patria perpetua libertate gaudere. Per eundem Chriſtum, &c. ℟. *Amen.*

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus:
℟. Amen.
℣. Et fidelium Captivorum animæ, & omnium fidelium Defunctorum per miſericordiam DEI requieſcant in pace.
℟. Amen.

4. Hiſce concluſis, eodem, vel alio die diſponatur extra Conventum proceſſio ſolemnis, in qua Captivi bini, & bini promiſcue cum fratribus noſtris ordinentur, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede imago ab ipſis, vel à noſtris Fratribus, ſeu Confratribus deferatur. In hac autem proceſſione Fratres cantare debeant Pſalmos: *In convertendo Dominus captivitatem Syon, &c. In exitu Iſrael de Ægypto, &c.* unum poſt alterum ſucceſſive alternantes uſque ad ingreſſum Eccleſiæ, quo tendit proceſſio, in cujus limine ſtatim Cantores incipiant Hymnum: *DEI Mater virgo*, prout in feſto Beatæ Mariæ de Mercede: quo finito cum propriis verſu, & oratione; ſi matutino tempore geratur hic actus, celebretur Miſſa ſolemnis, & propria de eadem B. Virgine Maria de Mercede, quæ in proprio Ordinis extat, cum Gloria, & Credo tamquam pro re gravi, & cum ſecunda oratione pro gratiarum actione, & poſt Evangelium fiat concio ad populum.

5. Si actus verò iſte habeatur poſt meridiem, præmiſſa proceſſione ſola, totus concione concludatur, in qua ſpecialia, ſi qua fuerint Redemptionis geſta, & Captivorum pariter labores, ac preſſuræ, eorumque in fide pericula maxime parvulorum, & adoleſcentium, indulgentiæ inſuper conceſſæ Ordinis confratribus, qui hujuſmodi, & aliis Redemptionis actibus adſtiterint, expendantur.

6. Finita Miſſa, aut concione penes diverſitatem temporis, ut prædicitur,

ſi

ſi hæc fuerint acta in aliena Eccleſia, revertatur proceſſio eodem ordine, & Hymni *Te Deum* modulatione ad domum, & Eccleſiam noſtram: & terminantibus cum verſu, & oratione de B. Virgine de Mercede: ſi autem in domo noſtra contigerint, poſt Miſſam, eiſdem Hymno, verſu, & oratione, concludatur.

7. Poſt hanc verò ſolemnitatem in principali Conventu Provinciæ celebratam, ſtatim Procurator Generalis Redemptionis excudi curet catalogum per totam Provinciam evulgandum, locisque publicis affigendum, in quo ſint ſuo ordine deſcripta nomina, & cognomina eorum omnium, qui à captivitate liberati fuerint, una cum ætate, patria, tempore captivitatis, pretio libertatis, & ſubſidiis pro illis erogatis.

8. Quibus omnibus expeditis, & Captivis per dies aliquot omnibus charitatis operibus recreatis, eos omnes Roſario, & Scapulario cum Ordinis ſigno muniri præcipimus: & unicuique juxta poſſe viaticum dari aliquod, ut ſic cum benedictione dimiſſi ad propria ſine mendicitate valeant remeare cum gaudio. Sed quia loci diſtantia, vel ægra valetudo eos quandoque poſſunt ad petendam Eleemoſynam cogere, ſingulis conferri volumus authenticum de ipſorum Redemptione teſtimonium una cum precibus ad judices Ordinarios, & locorum miniſtros, tam Eccleſiæ, quam ſæculi, ut eos miſericorditer ſuſcipiant, & dimittant, nec profugos, aut vagos reputent.

9. Redemptoribus denique, (qui ſane prædicta omnia explere, vel explenda ſedulo curare debent) cum jam nihil ſuperſit agendum, duobus menſibus excurſis, barbas ſtatim radere conſtituimus.

DISTINCTIO III.

De votis, & Regularis Obſervantiæ diſciplinis.

CUM omnium Ordinum imago, vel typus, non ſolum fines, ſed eorum etiam vota eſſentialia, accidentaliaque ſtatuta referat, ſequitur, ut præſtitutis noſtri Ordinis finibus, de illius votis eſſentialibus, & diſciplinis differamus.

CAPUT I.

De voto Obedientiæ.

1. QUI pie volunt vivere in Chriſto, ejuſque ſectari veſtigia, ſe ipſos abnegare debere docuit Evangelium. Hoc ſane eſt jugum, quod ſuave, & leviſſimum prædicamus. Hic eſt ſummus perfectionis vertex, quo dirigitur tota vitæ regularis intentio, & quo violenti jugi ſecum bello conſcendunt, ut denique cœlum rapiant. Proinde fratres noſtri voto obedientiæ ſe accingunt, ut ad perfectionis apicem tendentes, eo magis inveniant, quo magis libitum propriæ voluntatis amittant.

2. Obedientia itaque eſt prompta, & devota voluntas adimplendi à Superioribus imperata, ſecundùm legem divinam, & Eccleſiaſticam, ac etiam quæ continentur in regula, & conſtitutionibus ordinis, quibus ſemper, aut lata, aut ſtricta obedientia fratres religantur, ut nihil ſit, quod ſine obedientiæ merito gerant. Hæc enim, & prædictum votum, ſic nos Ordini, ejuſque Regulis, & Prælatis ſubiicit, ut pœnitus ſub læthali teneamur implere, quidquid ejus virtute præcipitur.

3. Præceptum verò in Regula, & Conſtitutionibus, aut Prælatorum verbis nullum intelligimus, niſi fuerit circa illa, ad quæ jam aliunde tenemur ratione voti eſſentialia, vel divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis, vel niſi ſub formali obedientia intimemur: Verba autem, quibus illud debent fratres concipere, ſunt frequenter hujuſmodi: *Præcipimus in virtute formalis, aut ſanctæ obedientiæ. In virtute Spiritus Sancti. Sub pœnâ excommunicationis majoris, latæ, vel ferendæ ſententiæ; ſub interminatione divini judicii: ſub obteſtatione mortis æternæ, ſub maledictione, indignatione, aut ira Dei incurrenda*: Et aliæ ſimiles comminationes, & execrationes, quæ ſua gravitate, & terrore formale præceptum, & ejus intentionem denotant: quibus tamen uti non debet Prælatus, niſi materiæ gravitas poſtulaverit.

4. Declaramus autem eam eſſe materiam gravem, & præcepto formali dignam, quæ directè, id eſt expreſſe, vel indirectè, id eſt implicite, ſeu etiam per ſe, vel ex fine, aut circumſtantiis, conducit ad obſervantiam legis divinæ, aut Eccleſiaſticæ, & Votorum eſſentialium ordinis, ac etiam interdum regulæ, & conſtitutionum illius: ne videlicet vita regularis in communi dilabatur, cum ejus obſervantia in communi ſit de ſubſtantia Religionis.

CAPUT II.

De voto Paupertatis.

1. CUM Evangelica paupertas Religioſis maxime ſit neceſſaria, quam Deo voverunt: omnis proprietas Religioſo

prorſus deteſtabilis eſſe debet. Quo circa nullus frater à vera paupertate poteſt, neque debet eſſe exemptus. Unde ſub excommunicationis majoris pœna, præſenti conſtitutione ſancimus, ne quis fratrum profeſſorum aliquid proprium habeat: neque pecunias, neque vaſa aliqua aurea, vel argentea, neque illa expendat, neque conſumat abſque ſui Prælati licentia; neque rurſus quidquam ſine Commendatoris venia vendat, aut emat.

2. Si quid vero ex hujuſmodi bonis alicui fratri donatum fuerit ab amicis, vel conſanguineis, aut quibuſvis aliis perſonis: quacumque ratione id receperit, intra ſpatium viginti quatuor horarum Prælato proprio manifeſtet, ut in communi depoſito cuſtodiatur, & pariter intra dictas horas id abſque licentia non conſumat.

3. Præcipimus autem Prælatis ſub pœna privationis officii, ne à ſibi ſubditis, ex his, quæ in communi depoſito habent, quidquam, vel in minima quantitate, neque ad breviſſimum tempus ſumant, aut mutuo petant.

4. Nullus Religioſus poſſit habere annuos redditus, ſeu cenſus, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ; quod ſi ſecus fiat, ipſis ſtatim privetur qui habuit, & Conventibus, quibus ex vi conſtitutionis pertinent, applicentur.

5. Neque Superioribus liceat bona aliqua ſtabilia tanquam propria regularibus fratribus concedere, etiam ad uſum fructû. Fratres tamen itinerantes pecunias portare poterunt: ita ſane, ut quam primum ingreſſi fuerint proprium Monaſterium, in quo ſui moraturi, intra prædictas horas omnia, & ſingula Commendatori ſuo, vel Prælatò manifeſtent.

6. Attendant autem fratres noſtri, quod ſingulis annis ſemel omnia, quæ in uſu retinent, Commendatoribus ſuis exponant, & realiter exhibeant, eorum diſpoſitioni relinquendo, & ſpecialem licentiam utendi eis accipient à Prælato.

7. Procuratores poterunt ſuum habere marſupium, quatenus ad ſumptus Conventus fuerit neceſſarium. Quicumque verò frater, ſeu Procurator, bona Ordinis quæcumque ſeu pecunias receperit, eorum omnium reddat ſuo Commendatori, atque Conventui rationem. Magiſter autem Generalis, aut Provincialis, omnium quæ receperit, Diffinitorio Capituli pariter rationem ſunt reddituri.

8. Similiter Vicarii Generales Indiarum tenentur reddere rationem omnium, quæ in Miniſterio ſui officii receperint, ita ut nullus in Ordine noſtro remaneat, quin eorum omnium quæ ipſe receperit, computum, & rationem reddat. Qui verò contrarium fecerit, aut contra ſeriem harum conſtitutionum, proprietarius repertus fuerit, ſciat ſe eſſe Socium Judæ, & biennio activa, & paſſiva voce privandum, & pœnis proprietario ex jure taxatis, ſubjacere. Et in eo caſu liberam habeat Commendator poteſtatem auferendi bona, aut pecunias proprietarii, in quibus deliquit, eaque Conventui applicare, ſeu fratribus indigentibus diſtribuere, ut bene Prælato placuerit. Quod ſi quis (quod Deus avertat) proprietarius mortuus fuerit, ſepultura careat Eccleſiaſtica, & extra cœmeterium ad campoa ſepeliatur.

9. Inſuper in cellis fratrum nolumus Prælatos permittere aliqua ſupellectilia ſerica, aurea, argentea, aut alioquin pretioſe elaborata, & contexta, non picturas, laminaſve prophanas, ſeu nobilibus, vel deauratis limbis circumdatas, ſed devotas ſolum, & quæ mentem ad Deum erigant, non inficiant. Nullum item pretioſum ſcrinium, ſeu quod pro majeſtate ſæculi vanitatem ſapiat. Nec plures item ſellas, ſed paucas, & humiles. Non ulla tandem id genus utenſilia, quæ, vel artis elegantia, vel nobilitate materiæ, regularem paupertatem, & honeſtatem, dedeceant.

10. Ne autem dilecta paupertas à fratrum cordibus excidat, pro inventario conficiendo Prælatis ſubjungimus, ut Capitulum inſtituant, in quo eoſdem ad omnem proprietatem ex mentibus relegandam, & juxta voti profeſſionem, ſolam paupertatem affectu, & opere proſequendam graviter, & religioſe præveniant. Ipſis verò fratribus ſub formali præcepto obedientiæ præcipimus, cujuſcumque conditionis, officii, vel qualitatis extiterint, ut ſingulis annis ſub feria quinta majoris hebdomadæ, aut feſto S. Andreæ, ſeu alio forſan die, ſecundùm conſuetudines Provinciarum, inventarium faciant de his omnibus, quæ apud ſe habeant conceſſa ad uſum à Religione vel Prælatis, in quo clare, diſtincte, & manifeſte omnia recenſeant, & exponant de præſenti habita, vel ad eorum uſum quomodolibet pertinentia, & quidquid circa illa, tam ratione voti, quam alicujus juſtitiæ, vel debiti neceſſarium duxerint adnotare. Quæ quidem ita declarari præcipimus, & toto corde Prælato ſubiicere, ſicut in inventario, & reſignatione omnium

um ad uſum conceſſorum facta ob mortis intuitum: ut ſi illa fratrem ſubito præoccupari contingat, pie munitus paupertate decedat.

11. Hoc itaque inventarium accurate ſubſcribant Fratres ipſi, & obſignatum Commendatori tribuant, ut in communi Depoſito ſervetur. Ulterius etiam ordinamus, ut Fratres non tantum ſua bona utenſilia, modo dicto ſignata (ob finem inferius exponendum) Prælatis, & Religioni ſubiiciant, ſed ſimul eis vere, & realiter manifeſtent, à quibus, & novam, illis utendi, facultatem accipiant.

12. Neque ab his actibus excipimus fratres noſtros ad Epiſcopatum, vel ad aliam quamlibet dignitatem aſſumptos: quibus ſimiliter conſtituimus, ut priuſquam Ordinem deſerant, ſimile Inventarium, & Reſignationem faciant de omnibus, quæ ad uſum receperint à Prælatis, & retinent in effectu. De quibus, ſi Prælati conſentiant, aliqua extra Ordinem eos deferre ſecum, fiat cum prævia declaratione, pactione, & obligatione authentica, quam primum ea reddendi ipſi Ordini. Inſtrumentum verò hujuſmodi pactionis apud Conventum filiationis eorum maneat in depoſito ſcripturarum: ut tempore opportuno virtute illius poſſit exigi, quidquid ex prædictis non fuerit ſolutum. Nihilominus tamen, ſi prædictam ſolutionem ad obitum uſque diſtulerint, & illa ultro non expedita deceſſerint, ad bona ſpiritualia, & ſuffragia pro illis, Ordinem non teneri decernimus.

13. Non diſſimilia fratribus ægrotantibus præcipimus, videlicet, ut inſtante ſumptione Viatici, ſi non ſit periculum in mora præfatum Inventarium, & Abdicationem ab omnibus bonis ſibi ad uſum conceſſis ante Viaticum faciant, adſtante indeficienter confeſſario, ab ipſo, de licentia Prælati, aſſignato. In hac autem poſtrema paupertatis alienatione, ita ſe deſtituant univerſis bonis ad uſum, & ſic illa Religioni ſubiiciant, ut veros ſe oſtendant amatores inopiæ. Nihil ſibi omnino retineant, nil ſilentio prætereant, Ordinemve latere præſumant, ſin quid debeant, vel ipſis debeatur, exponant. Nequid quoquo modo prætermittant, quod conſcientiam redigat in anguſtias. Summopere tandem caveant, ne illos ſpes aliqua vitæ decipiat, quominus omnia, tota ſinceritate cordis adimpleant.

14. Finitum itaque Inventarium cum Confeſſario ſubſcribant, quod deinde obſeratum, ſigillatumque Commendatori, & Depoſitariis tradatur, qui foris id pariter ſubſcribentes ad commune depoſitum referant, ubi uſque ad fratris obitum cuſtodiatur: quo ſuperveniente, non quidem clanculum, ſed ſolemniter volumus aperiri à Prælato coram Depoſitariis, & ſuptadicto Confeſſario: qui omnes reſerationem ejus in ipſo Inventario referant, & ſubſcribant, quo poſſit anthentice conſtare de bonis uſualibus Defuncti, & debitis, ſi quæ fuerint: ut de Inventis apud illum cum æquitate ſolvantur, & reſidua juſte diſtribuantur eis, ad quos jure communi, & noſtrarum Conſtitutionum ſine dubio pertineant.

15. Proinde igitur declaramus non poſſe Infirmum fratrem ab invaletudinis initio de his, quæ ad uſum habet, diſponere in beneficium conventus, vel in manibus Prælati, etiam Magiſtri Generalis locare, nec in favorem Ordinis reponere, aut reſervare, atque adeo multo minus alicui perſonæ ſæculari committere, aut concedere: Sed omnia Inventario palam ſcribere, & manifeſtare, ne injuriam faciat patribus, ad ejus utenſilia jus habentibus, ex æquitate, & juſtitia, vel ex noſtrarum Conſtitutionum diſpoſitione. Qui vero ſecus egerit, ex nunc proprietarium declaramus.

16. Ad hoc autem univerſis fratribus, ab ægrotationis exordio, uſum bonorum omnium, ſibi à Superioribus conceſſum interdicimus: niſi ad ea dumtaxat, quæ ad morbum ſublevandum ipſis opus fuerint: ita videlicet, ut ſi aliquid abſolute, vel ſub conditione obitus alicui donaverint, aut valetudinis intuitu ſibi reddendum tribuerint, ſimiliter declaramus in proprietatem incidere. Quocirca univerſis Superioribus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ Obedientiæ præcipimus, ne prædictis ad id licentiam indulgeant.

17. Procuratoribus denique, cujuſcumque domus noſtræ negotia gerentibus, omnino præcipimus, ne aliquando de redditibus, & quibuſcumque aliis bonis pro ſuo munere jam receptis, quidquam pænitus apud ſe retineant, ſed quam primum Commendatori, & depoſitariis manifeſtent, ac tribuant, ut depoſito Conventus inſeratur, ſub pœna gravioris culpæ, ad Superioris arbitrium.

CAPUT III.

De voto Caſtitatis.

1. Sicut regularis vita Paupertate, & Obedientia perficitur, ita Caſtimoniæ voto decoratur: ut ergo diſcant fratres, quantum eos votum Caſtitatis adſtringat,

ſtringat, illud eſſe ſciant novam quandam obligationem, quam ſibi quiſque imponit, ad omnem continentiam, ſub onere ſacrilegii ſervandam. Unde jam eis licebit agooſcere, quantis vinculis poſt votum teneantur ad pudicitiam, quam ſi frangerent, non eorum tantum frangitur Deo facta promiſſio, ſed etiam lex divina, & interdum humana, idcirco ſolertiſſime ſtudeant, ut mentis, & corporis puritatem cuſtodiant, qui in uno crimine tot reatus inveniunt.

2. Ut autem ab omni ſe diabolica fraude tueantur, ſtatuimus in primis, & in Chriſti viſceribus ſuademus, ne ab eorum oculis, & manibus decidant conſilia S. P. N. Auguſtini, quibus in Regula eos ſalubriter ad obſervantiam pudoris inſtituit. Quando enim in via procedunt, ſimul eis ambulare præcipimus: & cum pervenerint, quo tendunt, ſimul inviolabiliter ſtare, ut alter alterum, quem vereatur, teſtem ſemper habentes, ſuam invicem pudicitiam cuſtodiant. In inceſſu, & ſtatione nhil gerant, quod pudorem non ſapiat, aut eorum ſanctitatem dedeceat. Oculos ſemper à ſæculi vanitatibus avertant, & ita demiſſos ferant, ut aliquando non incidant in objecta fœminarum, ubi laqueum inveniant, quas, & ſi videre non prohibeantur, eas tamen appetere, vel ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt. Non dicant, vel exiſtiment ſe habere animos pudicos, ſi habeant oculos impudicos, & libere circumquaque vagantes, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius. Eorum ſemper ſint caſta, & pura alloquia, geſtus non fracti, nec ſoluti: aures non otioſis, noo ſcutilibus, non inhoneſtis intentæ; ſed ſenſus, & omnes eorum actus ita compoſiti, ut interiorem animi puritatem redoleant. Fœminarum conſuetudinem, & familiaritatem maxime vitent; nec etiam inter piiſſimas, nimis de ſe, vel ipſis credendo, vel ſub pietatis colore verſentur; quas proinde caventes non niſi rariſſime, breviterque viſitent; immo tantum cum ſola urgeat neceſſitas, aliter enim reputent non decere, nec ſine magno diſcrimine admitti.

3. Nullus Frater prophana cantica, nec libellos de rebus amatorijs, vel qui petulantiam reſonent, quacumque ratione componat, legat, cantet, neque apud ſe retineat ſub pœna gravioris culpæ. Verbis etiam lubricis, æquivocis, aut vaniſſimis amaſiorum ſabellis nemo utatur; alioquin à Prælato puniatur ex merito. Fœminarum inſuper tripudia, ludos obſcœnos, aliaque feſtiva, & inania ſæculi ſpectacula, velut Babylonis idola, ſeveriſſime vitare præcipimus.

Caput IV.

De voto Redemptionis.

1. Super tria prædicta vota eſſentialia, quæ omnibus Religionibus ſunt communia, quartum ſibi Ordo noſter adhibuit circa Redemptionem Captivorum. Vi cujus ſic ad animarum lucra, & libertatem ſpiritualem, totam dirigit Redemptionem ſenſibilem, ut pro redimendis animabus à periculis abnegandæ fidei, & damnatione perpetua omnes ſuos fratres vinculis, ſanguini, vel etiam morti ſubiiciat.

2. Sed quia hæc Ordinis charitas plus indiget expoſitione, quam legibus; idcirco, ne lateat fratres, quod, qualeque ſit hujuſmodi votum, illud eſſe declaramus promiſſionem quandam voluntariam, & abſolutam redimendi Captivos à vinculis mentis, & corporis, tam auro, vel argento, quam ſui traditione in pignus (ſi neceſſe fuerit) pro ſalute animarum, & fidei abnegandæ periculis.

3. Ex hac ergo declaratione primo intelligimus, omnes fratres noſtros, ita Redemptioni fidelium Captivorum eſſe alligatos, ut non ſolum ad eam exequendam in effectu debeant eſſe perpetuo diſpoſiti, ſi ab Ordine mittantur, ſed etiam ad colligendas Eleëmoſynas, aut quæcunque alia gerenda (ſi ad id à Prælatis eligantur) ſine quibus Redemptionis actus ad effectum duci non poſſit: qui enim ſini ſe obligat, media pariter neceſſaria cogitur adimplere. Sciant autem, ut in his debeant ex toto rigore Prælatis obtemperare, haud iſtis neceſſum eſt, ut formalia utantur præcepto, ſed ſufficit ſimplex, & pura voluntatis expreſſio, cum in materiam incidat, jam aliunde ratione hujus quarti voti obligantem.

4. Declaramus inſuper hoc votum eſſentiale, quia noſtrum Ordinem inſeparabiliter in ſua ſpecie, & ſubſtantia conſtituit, ex vi primævæ inſtitutionis, quam Sanctus Patriarcha noſter Petrus Nolaſcus voti obligationem continere voluit, & expreſſit, à totoque Ordine ſic intelligi: ſicut ita perpetuo profeſſi ſunt Patres noſtri, & opere compleverunt.

5. Nec putare debent illa verba, *ſi neceſſe fuerit*, vuti abſoluti rigorem evacuare, aut aliquam ſpeciem voti conditionati conſtituere, quo aliquod illis præbeatur effugium. Per illa enim, ſicut abſolute vovemus inſtitutum redimendi, & omnes ejus actus neceſſario ſuppoſitos, ante traditionem in pignus, ita pariter ab-

abſolute promittimus in obſequium fidei tradere nosmetipſos pro Captivis, in ejus abnegandæ periculo conſtitutis. Ad hoc quippe implendum nulla eſt interpoſita conditio, quam poſſit expectare votum: ſed eſt protinus exequendum, ubicunque periclitatur fides: & noſtra ſolum traditione redimitur. Unde Fratres prædicta verba, non ut conditionem accipiant, ſed potius, ut expreſſionem & declarationem, quod nempe votum Ordinis, præter Redemptionem abſolutam Captivorum, tendit ulterius etiam abſolute, ad eam perfectiſſimam charitatem, ut Fratres noſtri, per ſui traditionem, fidem, & animas redimant à neceſſitate, & periculo: & hoc ſemper, & ubique ſine ulla conditione perficiant.

6. Ex natura hujus voti iterum declaramus, valde oportere fratres noſtros eſſe jugiter obſequio fidei devinctos, & ſe in ejus actibus exercere, crebroque de illa explicitam profeſſionem facere: ut ſi caſus adveniat, quo tam heroice pro illa ſe devovere, & uſque ad mortem tradere oporteat, nullo mærore tepeant: ſed ſe audaces, & valide obiiciant. Inter infideles inſuper commorantes, dum pignoris tempus impletur, aut Redemptioni incumbunt, ſi de fide poſtulati, vel etiam (ut ſæpius contigit) de ipſius abnegatione pulſati, ſeu pro illa, & munere ſuo carceribus, & ærumnis afflicti foerint, cogitare debent, ad quam ſortem illos Dominus vocare dignatus ſit, ut ſoæ dilectionis, & fidei pugiles conſtituerit.

7. Demum pro Captivis, tam vivis, quàm defunctis orare illis, omni ſtudio, præcipimus: ut quos auro, & argento redimere non poſſunt, ſaltem orationibus eorum vincula ſatagant diſſolvere, & in Purgatorii Cruciatibus adjuvare.

Caput V.

De Silentio.

1. CUM ad obſervantias vitæ regularis properamus, quæ legis divinæ, & votorum ſunt antemurale, & cuſtodia, primo in ſilentium incidimus: quia juxta Prophetam eſt revera cuſtos juſtitiæ, & (ut ait Beatus Jacobus) ita per ſilentium religioſi efficimur, ut qui non frænaverit linguam ſuam, ejus ſit vana Religio.

2. Silentium ergo ſemper habeant Fratres noſtri in Eccleſia, in Choro, Dormitorio, Refectorio, & Clauſtro. Poſt Completorium verò ubique ſilere præcipimus à ſigno, quod hyeme pro ſilentio fiet hora octava; æſtate autem hora nona: quo etiam tempore à prandio, uſque ad Veſperas ſilentium eſſe ſtatuimus.

3. Prædictis autem horis, facto cum cymbalo conventuali ſigno, univerſis fratribus injungimus, ut confeſtim ad proprias cellas ſe recipiant, ubi altius, & profundius non à verbis ſolum, ſed ab aliis ſenſuum loquutionibus, & actibus ſe abſtineant: & ſuper illius diei geſtis cum Deo, & corde loquentes, examen conſcientiæ faciant, de iis omnibus, quæ negligenter, & indebite perpetraverint, ſi qua verò invenerint deploranda, veniam à Domino impetrent. Quibus actis, & non aliter, audeant ſe recipere in requiem.

4. Si fratri in Refectorio res aliqua opus fuerit, eam ſigno, ſeu brevi, & ſubmiſſa voce poſtulet, ne Lectoris verbum, nec pabulum mentis impediat. Infirmi, & decumbentes, vel hoſpites in hoſpitio, non obſtringuntur ſilentio; illis tamen temporibus, ita inter ſe ſint remiſſa, & moderata colloquia, ut nullo ſtrepitu ſilentibus officiant.

5. Fratres itinerantes in menſa ſilentium teneant, vel ſaltem vitent tumultuoſa colloquia. Ille verò, qui major, aut dignior in ordine fuerit, poterit loqui, ſi libeat, & cæteris præſtare ſilentium. Cum Epiſcopis autem, & Magnatibus aliquando convivantes ſilentium reverenter, & religioſe cuſtodiant, quod quidem rumpere non audeant, dum ſibi per eoſdem non liceat. Magiſter, aut ejus locum tenens cunctis fratribus ſecum prandentibus, Provincialis, ejus Vicarius, vel Viſitator duobus tantum, & uni denique Commendator poterit extra Refectorium indulgere ſilentium. Fratres in confeſſione culparum de fractione ſilentii ſe humiliter accuſent: & juxta meritum puniantur Commendatorum arbitrio.

Caput VI.

De Diſciplinis.

1. UT antiqua vitæ regularis obſervantia non excidat, quam hactenus Ordo ſuſtinuit, firmiter ſtabilimus, ut in vigiliis, quæ jejunantur, & per totum Adventum, & Quadrageſimam, in quatuorque Temporibus, ſi fiat officium de feria, fratres noſtri diſciplinas virgarum recipiant; modus verò in illis ſervandus, hic erit: finito Completorio, & recitatis Pater noſter, Ave Maria, & Credo, præparent ſe omnes fratres, ſicut moris eſt, ad ſuſcipiendam diſciplinam, detectis ſcilicet humero, vel ſcapulis: quo facto dicant, *Confiteor Deo,* Præ-

Prælatuſque, aut ejus Vicarius, vel illis abſentibus, Hebdomadarius ſtans in medio dicat: *Miſereatur veſtri, &c.* deinde incipiat Pſalmum; *Miſerere mei*, tenendo manipulum virgarum in manu, quo dorſum fratrum verberare incipat, & ſic proſequatur uſque ad *Gloria Patri*, eos percutiendo in ſingulis verſibus alterne à Choro & ipſo recitandis. Finito Pſalmo ſubjungatur ab omnibus *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, &c.* Prælatus dicat, *Pater noſter*, quo tacite recitato, adiiciat.

℣. Et ne nos inducas in tentationem:

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos Domine.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

2. Dum autem Pſalmus, Verſus, & Oratio recitantur, circumeat Prælatus, vel Vicarius ejus, aut Hebdomadarius ordines fratrum utriuſque Chori, incipiendo à parte ſuperiori, quæ eſt in dextro, & proſequendo ab inferiori parte ſiniſtri, donec Pſalmus, cum Verſibus, & Oratione finiantur. Si autem adeo magnus ſit fratrum numerus, ut unus ſe cito expedire nequeat, Vicarius, vel alter ex antiquioribus incipiat à ſuperiore parte Chori ſiniſtri, donec fratrum ordines ſemel tantum uterque decurrat.

3. Hanc utique antiquam, & Regularem Ordinis obſervantiam, ſic inviolabiliter præfatis diebus exerceri deſideramus, ut Prælatum eam prætermittentem, aut ferentem prætermitti, digniſſime reddamus ab officio ſuſpenſum per ſex menſes. Præter has virgarum diſciplinas à Prælatis infligendas, alias à ſe ipſis recipere volumus fratres noſtros, ut etiam ſe ipſos viriliter caſtigationibus emendent.

4. Singulis itaque ſextis feriis totius anni, atque etiam quartis Tempore Adventus, & Quadrageſimæ peracto Completorio, ſi adhuc dies ſupereſt, pauliſper ſpectata nocte, omnes fratres conveniant in Eccleſia, vel Choro, & ibi communem exerceant diſciplinam, recitantibus inter Prælato, & ejus Vicario, & Conventu alternatim prædictum Pſalmum, ſemel, & iterum, vel ſecundùm domorum conſuetudinem, cum verſibus, & oratione præfixis, ab ipſo Prælato dicendis. Alias autem diſciplinas, quibus ultro, & privatim fratres afficiuntur, ſi prudentet, & cum diſcretione fiant, non ſolum laudabiles reputamus, verum, & ſalubriter ſuademus.

Caput VII.

De Jejuniis.

1. SAnè per inediam corporis alitur vita mentis, quam eo pinguiorem facimus, quo plus ſquallore langueſcimus. Ne ergo fratres noſtri à ſobrietate deficiant: ſic eos in ratione victus inſtruimus. Primo enim à Paſcha uſque ad primam feriam ſecundam excluſive, quæ diem omnium Sanctorum immediate ſubſequitur, & à die Natalis Domini, uſque ad Dominicam Quinquageſimæ incluſive, bis eos refici conſtituimus, exceptis tamen diebus Rogationum, ſextis feriis, vigilia Penthecoſtes, jejuniis quatuor Temporum, & iis, quæ ab Eccleſia, vel Ordine noſtro fuerint inſtituta, vel in Diœceſibus, aut locis, intra præfata tempora obſerventur.

2. A feria verò ſecunda incluſive, quæ diei primæ Novembris, & feſto Omnium Sanctorum proxime ſuccedit, uſque ad Natale Domini excluſive, & pariter à feria ſecunda Quinquageſimæ incluſive, uſque ad Paſcha Reſurrectionis Domini excluſive, continuum teneant jejunium: Et ſervata conſuetudine Eccleſiæ comedendi poſt Veſperas in Quadrageſima, reliquis diebus prandeant nona dicta, exceptis tamen in utroque tempore diebus Dominicis.

3. Præter hæc autem jejunia, aliaque per annum, quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, jejunandum eſt etiam in diebus Rogationum, & omnibus ſextis feriis, excepta illa, in quam feſtum Natalis Domini inciderit. Inſuper, & in Vigiliis feſtorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, tam Ordinis, quam Eccleſiæ: in Vigilia quoque S. P. N. Petri Nolaſco: ac denique diebus illis, quibus conſuetudine aliqua, vel Conſtitutione locorum, aut Diœceſium, fuerint indicta jejunia.

4. Quoad qualitatem victus, in omnibus jejuniis obſervandam ſic enixe diſponimus. Primo enim in Quadrageſima fratres noſtri à Lacticiniis, aliiſque cibis in ea prohibitis abſtineant. Circa alia verò jejunia firmiter ſtabilimus, ut in omnibus, per annum ab Eccleſia conſtitutis, vel in Diœceſibus, aut locis lege aliqua, vel conſuetudine firmatis, in feria ſecunda, & tertia Quinquageſimæ, unde incipit noſtra Quadrageſima, & per totum etiam Adventum Ordinis, atque omnibus

nibus ſextis feriis per annum quadrageſimali cibo reficiantur, præterquam tempore Paſchali, vel ubi piſces commode haberi non poſſunt. Quam tamen exceptionem ad eas Provincias, Regiones, & loca non extendimus, ubi apud ſæculum aliqua de prædictis jejuniis, ſub cibo quadrageſimali lege, vel Conſtitutione ſerventur.

5. Fratres tamen itinerantes omnia jejunia de præcepto Eccleſiæ, aut aliter ſpeciali lege, vel Conſtitutione obligantia, quantum ſit poſſibile, ſemper obſervare præcipimus, nec victum Quadrageſimalem dimittere. In reliquis autem diebus jejunii, præterquam in Adventu Ordinis, bis eos refici ſuſtinemus, modo alimentum quadrageſimale non deſerant.

6. Quando dies ſanctiſſimi Patris noſtri Petri Nolaſco, aut aliud præcipuum feſtum in feriam ſextam inciderit, Prælatum jejunium diſpenſare poſſe concedimus: ſicuti, & cum debilioribus, vel gravi aliquo labore, aut litterarum ſtudio occupatis.

7. Mortificationes publicas, vel voluntarias à Fratribus in Refectorio fieri, modo ſint prudentes, & cum benedictione Prælati, permittimus, & laudamus. Denique feria ſexta majoris Hebdomadæ in pane, & aqua ſemper inviolabiliter jejunabitur.

Caput VIII.

De Collatione.

1. Tempore vel die jejunii, hora congrua ad collationem cymbalo conventuali à Vicario pulſetur. Congregatis autem fratribus Refectorarius campanela Refectorii ſignum faciat, ut intrent. Quibus ingreſſis, lector pauſam legat: & dato ſigno ab eo qui præeſt, dicat lector: *Benedicite*, & hebdomadarius benedicat dicens: *Largiter omnium bonorum benedicat potum ſervorum ſuorum.* Conventus vero reſpondeat, *Amen.* Dum lector legit, poterunt fratres bibere: & finita lectione ſigno Prælati, Vicarii, aut Hebdomadarii, vel Præſidentis, dicat ipſe Prælatus, aut Vicarius, vel eorum abſentia, Hebdomadarius, ad quem ex officio pertinet: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, & Conventus reſpondeat: *Qui fecit Cælum*, & *terram*: ac deinde omnes pariter egrediantur. Qui autem ſero ad hanc obſervantiam veniens introire velit, nullam ſpectet Prælati, aut Præſidentis licentiam.

2. Si verò aliquis collationi non interfuerit, nec biberit cum communitate, & venia Superioris, poſteaque bibere voluerit, poſtulet à majori licentiam, ut collationem, ſeu obſervantiam in ea bibendi, cum benedictione compleat, & merito.

Caput IX.

De Cibo.

1. Hora competenti ante prandium, vel cœnam pulſetur à Vicario ad primum ſignum conventuale cymbalum, quo audito, conveniant omnes fratres ad veſtibulum Refectorii, ſeu locum, qui dicitur *De profundis*, ſuas undequaque ſedes habentem; ubi ſi lavacrum extiterit, debito ordine, manus abluant, ac deinde ſedeant, expectantes cum omni modeſtia, & ſilentio ſecundum ſignum, minime dandum, niſi cibus fuerit paratus: illo autem facto ſurgant omnes, & Prælato, aut eo qui præeſt Pſalmum. *De profundis* incipiente, illum alternis verſibus pro benefactoribus defunctis proſequantur. Quo finito Refectorii nolam in ſignum ingreſſus Refectorarius pulſet, cum vero jam intraverint, Prælatus ſignum faciat, atque Hebdomadarius benedictionem inchoet, dicens: *Benedicite*, & Conventus reſpondeat: *Benedicite*: & proſequantur benedictionem juxta ritum, & formam Eccleſiæ.

2. Nemo fratrum in Conventu exiſtentium, præter ſervitores, lectorem, domuſque cuſtodes, à prima menſa deficiant, niſi prius obtenta licentia; quotquot autem remanſerint, comedant in ſecunda, ita ut tertiam facere non liceat. Incepta prima menſa, nullus Refectorium ingrediatur abſque licentia Prælati, aut qui ejus loco præſidet. Non miniſtretur cibus majoribus, aut miniſtris, qui non apponatur conventui, niſi valetudinariis, quibus aliqua ciborum, & condimenti diverſitas permittitur: vel quibus alias, vi harum conſtitutionum fuerit indultum. Frater non mittat cibum ad Fratrem, excepto Prælato, aut de licentia, & permiſſione illius, cæterum ſibi data, ex utroque latere aſſidenti poterit impertiri.

3. Commendatores Conventuum ſemper in Refectorio comedant, & reficiantur de communi cibo Conventui præparato. Refectorio etiam infirmarii, atque hoſpitum Receptores interſint, niſi aſſiſtentia infirmorum, aut hoſpitum eos extra illud comedere cogat, vel aliunde Prælatus, ex alia ſimili cauſa rationabiliter diſpenſaverit.

4. Nuoquam incipiant comedere Fratres in Refectorio, niſi prævin ſigno Prælati: neque ſurgant à menſa, donec prandium, vel cæna finiatur, pariterque fiat ſignum ab ipſo. Quod ſi Prælatus, aut ejus Vicarius, non adfuerit, dignior ex parte hebdomadæ Sacerdos ſignum faciat. Si ante finem comeſtionis Fratrem aliquem urgeat neceſſitas egrediendi, non id, niſi adepta licentia Superioris, dictive Præſidis, exequatur.

5. Dum Fratres comedunt, ſemper unus lector aliquo ſpirituali, & frugi pabulo mentes eorum reficiat: ne ſolæ fauces ſumant cibum, ſed, & aures eſuriant verbum Dei. Quid autem legendum ſit, Prælatus, aut conſuetudo decernat. Regula tamen S. P. N. Auguſtini omnibus ſextis feriis indeficienter legatur. In omnibus vero lectionibus ita ſit lector aſſiduus, & in pauſis frequens, ut neque eas nimia feſtinatione interiiciat: neque longo ſilentio protrahat, ſed quantum ſufficiat, ut paululum quieſcat halitus. Concluſa refectiooe, ad Prælati ſignum dicat lector: *Tu autem Domine miſerere nobis*: & Fratres reſpondeant: *Deo gratias*: & ad Cymbali pulſationem ſinguli ſurgant à meoſa. Hebdomadarius autem, ſibi interim dato ſigno à Prælato, incipiat gratiarum actiones, quas proſequatur Conveotus, juxta eumdem Eccleſiæ ritum.

6. Temporibus, quibus Fratres bis reficiuotur, carnibus utantur, diebus ſcilicet dominicis, tertiis, & qniotis feriis, in ſextis vero piſcibus, & cibo quadrageſimali veſcanrur, cum exceptionibus tamen ſuperius declaratis; & licet jam in Sabbatis, ex præcepto Eccleſiæ, à carnibus abſtineamus, quia tamen in quibuſdam Provinciis, & Regionibus aliquampiam ſuper hoc, vel omnino cootrariam conſuetudinem novimus, idcirco propter honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris, & Fundatricis noſtræ, in dictis Regionibus, Provinciis, & locis Fratribus noſtris abſolute præcipimus, ut in die Sabbati penitus ab omni eſu carnium abſtineant: aliis denique diebus, ſcilicet feria ſecunda, & quarta pariter à carnibus temperent juxta uſum, & conſuetudinem noſtrarum Provinciarum in Ordine.

7. Nulli Fratri, ubi Conventum habuerimus, liceat extra illum comedere, niſi de licentia Prælati, quam raro concedi volumus. Tempore jejuoii duæ portiooes miniſtrentur Fratribus, juxta qualitatem temporis, & jejunii: quibus inſuper apponatur obſonium, ex leguminibus, oleribus, aut victu ejusmodi confectum. Patimur ſubinde Prælatum eis quidquam aliud adhibere, prout opus eſſe judicaverit, domuſque facultas permiſerit: cui item præcipimus, ut in die natalis Domini, tribuſque ſequentibus, In feſto Epiphaniæ, ac triduo Paſchatis, & Penthecoſtes, atque etiam in S. P. N. Petri Nolaſco, & Beatæ Mariæ de Mercede ſolemnibus, in hujuſmodi celebritatum honorem, portionem duplicem, ultra ſolitam, univerſis fratribus elargiatur, præmittens aliquod edulii genus, quo menſam incipiant, & poſtremo ſuperaddens pulmentum, quo illam finiant. Hæc eadem cibatiorum ratio (uno prædictorum tantummodo ferculorum adempto) in ſolemnitatibus etiam Circumciſionis, Corporis Chriſti, Aſſumptionis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, triumque noſtri Ordinis Sanctorum Raymundi Nonnati, Petri Paſchaſii, & Armengaudi, ab ipſo omnioo ſervetur.

8. Nec ſolis fratribus hanc, præfatis diebus, humanitatem deſideramus, ſed, & pauperibus, ad domus noſtras accedentibus: quibus, non tanrum diebus ſingulis Eleemoſynam (frangendo panem eſurientibus cum Propheta) verum etiam in celebritatibus iſtis largiorem charitatis alimoniam erogari præcipimus.

9. Si Commendatores, ſeu Prælati Conventuum à Refectorio frequenter abfuerint, vel Fratrum quempiam, ſive Præſentatum, ſive Magiſtrum crebrò abeſſe permiſſerit officio, & Commenda priventur.

Caput X.

De Veſtitu.

1. FRatres noſtri veſtes laneas, & omnino albas ſemper, & ubique ferant, in honorem puritatis Beatiſſimæ, & Immaculatæ Virginis Mariæ Matris noſtræ, ac ſignum interni candoris animi, quem in moribus profiteri tenemur. Non lineis, ſed lanea tunica utantur ad carnes, niſi in valetudinis gratiam Prælatus diſpenſaverit. Reliqua verò interiora iodumenta, dummodo etiam ſint ſemper, & omnino, alba eſſe, poterunt linea, lanea, ſeu pellicea. Quibus ſuperindui poſſe concedimus tunicam laneam, uſque ad genua, honeſtatis cauſa, demiſſam.

2. Superior tunica ſit rotunda, & nullatenus pro parte anteriori aperta, & ita longa, ut fluat circa plantas pedum; Scapularium taotiſper ſit breve. Cappa tunicæ æqualis; Caputium ira breve omnibus eſſe præcipimus, ut pro parte an-

te-

teriori medium pectoris parumper, aut bene nihil excedat, & cuſpis ejus à poſteriori vix à cinctorio tranſeat: pars verò, quæ caput operit, ita prædictæ ſit magnitudini congrua, ut facile capiti, vel humeris ſemper compoſita adhæreat, ne ſupra dorſum, & ſcapulas hinc inde, præ magnitudine decidat.

3. Frater autem, qui prophanis quomodolibet indumentis utatur,& tam interius, quam exterius non omnino albis, aut in materia, forma, vel arte ſæculum redolentibus,ſeu prædictæ Conſtitutioni adverſantibus,recluſioni ſex menſium,& pœnæ gravioris culpæ ſubjaceat.

4. Omnes Fratres noſtri extra domum ſcuto, vel ſtemmate Ordinis in Cappa, ſeu Scapulario, ſub pœna gravis culpæ, ſemper inſigniti procedant: tunicam exteriorem ſubter Scapularium præcingant zona nigra ex corio, quam nunquam mutent in laneam, lineam, vel clavatam, neque arte aliqua curioſam: ſed ſit ſimplex, & ita longa, ut juxta Scapularii menſuram pendeat.

5. Chirotecas, & ocreas omni tempore, etiam viatoribus, interdicimus. Lacerna, modo ſit penitus alba, ad injuriam frigoris, & pluviæ propulſandam, equitantibus ſe munire permittimus, ad operiendum caput, etiam itinerantes, ſemper utantur galero nigro, & honeſto; & aliud quodcumque ſæculare operimentum, quamvis, & album, maxime vitent.

6. Commendatoribus inſuper enixe præcipimus, ut omnibus ſuis Fratribus, tam interius, quam exterius, neceſſaria indumenta ſuppeditent. Qui autem ab aliquo poſtulatus, concedere recuſaverit, puniendos veniat in Capitulo Provinciali, ad arbitrium Diffinitorii, & Magiſtri. Ipſis tamen, & univerſis Prælatis localibus ſpecialiter præcipimus, ſub pœna privationis activæ vocis, & paſſivæ in Capitulo, quamvis ſint Præſentati, aut Magiſtri, ut in ſuo triennio habitum novum, & integrum univerſis ſuis conferant Fratribus profeſſis, tam Presbyteris, quam Clericis, & Laicis abſque ullo diſcrimine: neque eos veteri, aliqua ratione, deſtituant. De quo teſtimonium authenticum, ſibi à Conventu exhibitum, deferant inviolabiliter ad Capitulum, quo eos hanc Conſtitutionem compleviſſe probetur. Quibus denique ſimiliter injungimus, ut nihil indumenti ſibi parare audeant ex bonis Conventus, niſi illud etiam communiter Fratribus diſpenſaverint. Sub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ.

Caput XI.

De Lectis.

1. Ne in Lectulis, aut ſtratis, præter naturæ debitum, ſtudeamus refoveri deliciis, univerſis Fratribus conſtituimus, ut nunquam nudi dormiant, ſed tunica, caligis, ac zona præcincti. Neque in dormitoriorum cellis, & ubilibet intra Clauſtra cum duobus linteaminibus jaceant, ſed uno contenti ſint, cum illud habere voluerint. Qui autem in prædictis cellis duo poſtulaverit, aut habere præſumpſerit, uno die pane, & aqua jejunet.

2. Singuli fratres ſingulas habeant cellas in dormitorio, & quilibet in proprio lectulo ſingulariter cubet, ſub pœna gravioris culpæ minimè à Prælato relaxandæ. Tegumentis laneis deſuper utantur, & ſuper culcitras fœno, vel paleis, & ad ſummum lanea refertas, aut ſuper alia viliora, & aſperiora ſtramina recumbant. Cæterum extra Monaſterium jacere poterunt, ſicut eis fuerit ſtratum, ne gravamen inferant hoſpitibus.

3. Nemo, excepto Magiſtro Ordinis, habeat ſpecialem locum ubi jaceat, ſeparatum à cellulis dormitorii, niſi propter rerum cuſtodiam, ut ſunt Commendatores, & Sacriſtæ, quibus extra dormitorium Conventus, eorumque cellarum ordines, in alia peculiari, eo tantum fine pernoctare concedimus. Hujuſmodi verò cuſtodes ſecum habeant honeſtos fratres ad cuſtodienda prædicta. Hoſpitibus autem ſecundum judicium Commendatoris provideatur. Præſenti denique Conſtitutione firmiter prohibemus, ſub pœna gravioris culpæ, minime relaxandæ,ne frater aliquis, ubi Conventum habuerimus, extra illum pernoctare audeat, quavis ratione, vel cauſa.

Caput XII.

De Raſura.

1. Fratres tonſuram, & raſuram capitis in ordine non nitorem, aut cultum, quin potius abjectionem, & quaſi dedecus reputent. Hinc ergo univerſis expedit, ut eam ſibi modeſte adhibeant, non ad placitum oculi,ſed ad contemptus, & humilitatis arbitrium. Raſura itaque ſit deſuper non modica: neque in omnibus corona æqualis: ſed juxta magnitudinem capitis, ſic raſa per circuitum, ut inter ipſa, auriumque ſummitatem tres tantum digitos capilli defluant; Barbæ etiam ita abradantur, ut nihil faciei neque mento promineat,

2. A Paſcha, uſque ad feſtum omnium Sanctorum habeatur raſura quinta decima quaque die: alio verò tempore ſemel in tribus hebdomadis, aut juxta conſuetudioem Proviuciarum: ita tamen, ut propter feſta ſolemnia per dies aliquot eam differri, vel prævenirl liceat. Ad illam autem ita omnes fratres indiſpenſabiliter ſuo ordine accedant, ut uemo tooſorem à commuoi raſura, ut in cella radatur, diſtrahere poſſit.

Caput XIII.

De Infirmis.

1. Nulla ſane ſalubrior regularibus diſciplina, quam manus Domini, cum ab ipſo tangimur, & corripimur. Hæc autem licet de his uou ſit, quæ ultro eliguntur, aut præcipiuntur ab ordine, libeoter tamen excipiatur à fratribus, ut caſtigatiooes hujuſmodi in omni patientia, & longanimitate ſuſtineotes, fructum iode, cum gaudio reportent, & poſſideant. Prælatis verò ante omnia diſtricte præcipimus, ut infirmis fratribus, opportuna, ac debita Sacramentorum collatione provideaot, ſummo ſtudio, operaque niteutes, ut quamprimum inciderint in languorem, vel iotra unius ad ſummum, ſive duplicis diei ſpatium, pœniteotiæ ſuſceptiooe, ad ſecundam poſt naufragium tabulam confugiant: in gravi deinde vitæ diſcrimioe conſtituti, adhibito (ſi non ſit moræ periculum) Medici conſilio, ſacram Viatici refectionem percipiant: ac denique inſtante mortis articulo, priuſquam ſenſibus deſtituantur, ſalutifero Extremæ unctioois præſidio muniri contendant.

2. Cunctis fratribus in Domino commendamus, ut debita infirmis officia charitatis exhibeaot, & maxime Commendatoribus, quibus ita ſpecialiter incumbit loſirmos recreare, ut citius convaleſcaot, juxta Regulam S. P. N. Auguſtini, uode ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ, eiſdem præcipimus, ue quovis titulo, vel prætextu neceſſaria, tam ad victum, quam medicamentum, atque honeſtum etiam lectulum fratribus denegare audeant.

3. In domibus noſtris ſit infirmaria, vel locus ſpecialiter deputatus, ubi jaceant, & comedant fratres ægrotantes, ac debiles: huic autem præfici debet unus frater Presbyter, charitate, & providentia ſolicitus, quem obedienter in omnibus adjuvet alius frater Laicus, aut Clericus. Si verò infirmaria non fuerit, atque infirmos in propriis cellis decumbere oporteat, nihilominus Commendator, ſub eiſdem pœnis, eundem fratrem Presbyterum, & ſocium ſimiliter, ad ægrotantium curam ſemper, & ubique deſignet: ex quibus ille major, hic minor infirmarius ſit, & dicatur, omniaque Infirmorum obſequia ſimul reſpective perficiant. Cæterum ut impenſius ægris fratribus inſervire valeaot, & in nullo miniſterio Ipſis deficere, ſub inflictis pæuis Commendatoribus præcipimus ne dum ægrotis actu miniſtraveriot, ratioue aliqua illos impediant, ſeu quocumque Cooventus munere diſtrahant.

4. Inſuper, ut prædictus infirmarius major poſſit ea, quæ opus fuerint ægrotantibus cuſtodire, ac de illis ſuo tempore providere, locum ſpecialem habeat, ubi univerſa utenſilia, & alia quæcumque pro eorum cura, & recreatione repoſita ſint: cujus quidem loci duæ ſint claves, quarum unam habeat Commendator; alteram verò præfatus infirmarius major.

5. Sed ne ibidem cuſtodita diſpereant, ipſi Commendatori præcipimus ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, oe iude, vel minimam ſupellectilem, aut quidquam aliud extrahat pro hoſpitibus, ſive alio quocunque fine, vel cauſa, ueque id dictus permittat iofirmarius; quod ut firmius ſervetur, ſtatuimus, ut hæc omnia iofirmorum bona infirmarius accurate conſcribat ln libro ſpeciali, quam primum fueriut illi applicita (ut ſuo loco dicetur) aut alioquin quovis modo comparata. Quem utique librum Viſitator in ſua viſitatione iodicet: & ſi prædicta bona graviter invenerit à Commendatore diſſipata, vel ln uſus hoſpitum converſa, illum ipſo facto ab officio abſolvat, atque infirmarium etiam, pro merito permiſſionis reſpective corripiat.

6. Cum infirmorum ſolatium ſint piæ fratrum viſitationes, quibus ad ſufferentiam, illiuſque mercedem erigantur, id circo univerſis Commendatoribus primo ſubjungimus, ut ſingulis diebus indiſpenſabiliter omnes ſuos infirmos viſiteot, & cum ipſis non ſolum Fratris, ſed & Patris, & Paſtoris officium exerceant. Reliquis autem Fratribus in Chriſto conſulimus, ut hoc frequenter charitatis munus obire non deſinant, illud Apoſtoli præſeferentes: *Quis infirmatur, & ego non infirmor.*

7. Ægrotantes poteruot veſci carnibus ſemper, conſilio Medici, & benedictione Prælati, prout eorum exegerit infirmitas. Nulli Religioſo, quantumvis

vis male habenti, cauſa infirmitatis, detur licentia exeundi ad ſæcularium domos, ut ex ea ibidem recreetur. Qua de re conſcientiæ Prælatorum onerantur. Si Commendatorem infirmari contigerit, in cella, ubi bona domus cuſtodiuntur, poterit curari. Fratribus leproſis intra ſepta ſui Conventus, ſeorſim ab aliis, medela adhibeatur, quæ ſi ob domus anguſtiam, aliamve legitimam cauſam inibi exerceri non poſſit, de licentia Magiſtri, ſeu Provincialis ad aliam domum ordinis, ad hoc idoneam, transferantur.

8. Quilibet autem frater, qui in ægritudinem deciderit, per ſe, vel alium à Prælato benedictionem poſtulet, ad ſui curationem. Qui tandem gravi imbecillitatis incommodo, tenuive valetudine non laboraverit, neque ciborum langueat faſtidio, jejunia neutiquam prætermittat, nec ſpecialem quærat victum, ſed communi refectioni ſubjaceat. Fratres valetudinarii, & ſenio jam confecti ſemper, & ubique baculos geſtare poterunt, quos reliquis omnino interdicimus.

Caput XIV.

De Minutione.

1. Minutionem quater in anno fieri poſſe permittimus, juxta textum Canonis de ſtatu Monachorum, cap. *Cum ad Monaſterium*: primam in menſe Septembri; ſecundam poſt Natale Domini; tertiam poſt Paſcha, & quartam circa feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ.

2. Declaramus autem fratres non teneri, prædictis temporibus, aut per annum, uti minutione, niſi de conſilio Medici. Qui vero ſine illo voluerit minutionem facere, nequeat eam eligere, niſi in præfatis anni ſtationibus.

3. Minuti extra Refectorium in infirmaria comedant, triduoque prout debilitas exigat, recreentur. Cauſa verò minutionis poterunt veſci carnibus, ſi expedire viſum fuerit, exceptis diebus ab Eccleſia prohibitis. Hoc autem tempore minutos, choro, & ſilentio non adſtringimus.

Caput XV.

De Capitulo Quotidiano.

1. PRæcipua totius vitæ regularis exercitatio ea eſt, quam in capitulis culparum exequimur, ubi nos ipſos de negligentiis contra Regulam, & Conſtitutiones perpetratis, humiliter accuſamus, & ſalubriter à Prælato correcti, obſervantiores evadimus. Cum itaque ab obſervantia, aut omiſſione hujuſmodi capituli integritas, vel ruina regularis diſciplinæ dependeat, ea propter univerſis Commendatoribus in Chriſti viſceribus, imo ſub ejus ira, & indignatione, & ſub pœna privationis officii, ac utriuſque vocis enixe præcipimus, ut ad minus qualibet feria ſexta, vel opportuniori die cujuslibet hebdomadæ, prædictum capitulum, poſt Completorium celebrent.

2. Congregatis igitur fratribus, & in capitulo, vel choro ordine ſuo ſedentibus, dicat Prælatus: *Benedicite fratres: Dominus ſit vobiſcum*, & omnes pauliſper inclinati reſpondeant, *Amen*. Deinde proponat fratribus, quibus, quantiſque officiorum vinculis teneantur orandi pro SS. D. Papa, & felici ſtatu Eccleſiæ, pro Rege, & Regni proſperitate, pro ſtatu, & Prælatis noſtri Ordinis, pro benefactoribus ejus vivis, atque defunctis, & etiam pro Capitivis, quibus ſpecialiter ex inſtituto adſtringimur, tam in vinculis quam in Purgatorio conſtitutis.

3. Hac itaque monitione præmiſſa, ſurgat Prælatus, & dicat: *Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam*, & chorus reſpondeat, *Amen*: & ſubſcripti, alternis verſibus, Pſalmi recitentur.

PSALMUS 122.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis.
Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.
Quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.
Gloria Patri, &c.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?
Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.
Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem : ſperet Iſrael in domino.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam, &c. *Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Oremus pro domino Papa.

℟. Dominus conſervet eum, vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum ejus.

℣. Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum Papam noſtrum, & ſuper cunctas congregationes illi commiſſas ſpiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.*

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Regi noſtro, cum prole Regia, & dirige eos ſecundum clementiam tuam in viam ſalutis æternæ: ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur, & te donante tibi placita cupiant, & tota virtute perficiant: & Magiſtrum noſtrum Generalem, & Provincialem, Ordinem noſtrum, & nos famulos tuos ab omni adverſitate cuſtodi.

Fidelium Deus omnium conditor, & Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis, & regnas, &c.

4. Hiſce peractis, Prælatus Novitios omnes egredi faciat à Capitulo, ut liberius poſſit proponere, arguere, & increpare, quæ ad honeſtatem, & correptionem fratrum communiter, & particulariter viderit expedire. Qua de re ipſi enixe ſuademus, ne vereatur interdum ſingulorum culpas publicas, & graves ſignanter corripere, neque ut unius crimini, & rubori parcat, totam communitatem vaga ſuſpicione commaculet: & fratribus reum ignorantibus anſam præbeat male in ſe invicem cogitandi: quæ enim jure, vel facto ſunt publica, ſi prudenter oporteat, ipſum reum deſignans publica objurgatione reprehendat.

5. Poſt hæc autem, ut ad judicium de culpis regularibus, & manifeſtis defectibus procedatur, & propria accuſatione innoteſcant, quæ Prælatus ſingula poſſit ſalubriter emendare, dicat ipſe fratribus: *dicite culpas*, quo audito, ſurgant ordine ſuo, incipiendo ab inferioribus primi, & ſecundi chori juxta diſpoſitionem Prælati, qui pront libuerit inchoare, chorum eligere, fratresve ſingulariter vocare poterit. Cum autem frater extiterit ante Prælatum, flectat genua, & dicat. *Pater veniam peto.* Prælatus vero: *Surge Frater*, qui ſurgens, & ſtans parum inclinatus confiteatur culpas, & ſe accuſet de defectibus manifeſtis contra Conſtitutiones, Regulamque commiſſis, dicendo ſic in genere, vel alioquin expreſſius: *Quod in omnibus non obſervo Regulam Beati Auguſtini, nec conſtitutiones Ordinis: non cuſtodiendo ſilentium, nec recitando attente, & devote Horas, & divinum Officium, tarde ſurgendo, & male legendo, & in eſſentialibus non obediendo corde, & opere, nec paupertatem ſpiritus amando, nec honeſte vivendo, nec ferventer Deum diligendo: ideo dico meam culpam, & peto miſericordiam Dei, & veſtram.*

6. Si vero culpa talis ſit, ut nedum verbo, verum etiam opere correctione indigeat, præparet ſe frater ad illam, quam Prælatus, ſeu ille, cui præceperit infligat. Culpas autem de quibus, & quando in hoc Capitulo ſe ipſos poſſint fratres amplius, & ferventius accuſare, vel debeant in cap. 1. diſt. 5. declaramus. Nemo tandem in Capitulo loquatur, niſi culpas dicendo, vel Superiori ad interrogata reſpondendo; neque alio ſtante, & loquente, præſumat ad loquendum aſſurgere.

7. Etiamſi Novitios ab hujuſmodi Capitulis arceamus, non propterea ab hac diſciplina eos prorſus excludimus: quin potius deſiderantes, ut in ejus tyrocinio hac etiam inſtitutione proficiant, illorum Magiſtro præcipimus, ut in Novitiatu ſemel quoque in hebdomada cum ipſis, & reliquis profeſſis Clericis indeficienter ſimile habeat Capitulum, quo ſimul omnes correctionibus, & humilitate ædificet.

8. Finitis verò culpis, proſternant ſe omnes, & dicant: *Confiteor Deo.* Deinde Prælatus ſtans dicat: *Miſereatur veſtri, &c. Abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.* Deinde ſurgant omnes, & Prælatus dicat. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*; & ſic ſolvitur Capitulum, junioribus præcedentibus.

DIS-

DISTINCTIO IV.

De Accedentibus, & quomodolibet recipiendis ad Ordinem.

AD conſignrandan ſpiritualem Ordinis ldæam, ex Inſtitutis, & votis præcedentibus conceptam, jam viva ſaxa deligimus, quæ diſciplinarum tunſione polita, & fraternis charitatis nexiqus aptata, ad faſtigium perfectionis exurgant.

CAPUT I.

De examine Vocationis, & qualitatibus noſtrum Ordinem ingredientium.

1. NON credere omni ſpiritui, ſed unumquemque probare diligenter, an ex DEO ſit, S. Joannes Apoſtolus monuit: cujus ſane documento inſtructi, univerſis Commendatoribus conſtituimus, ut quando aliquis Ordinem noſtrum agreditur, & ejus habitu indui poſtulat, aſſumpto ſecum Magiſtro novitiorum, vocationem ejus uterque caute, & ſubtiliter perſcrutentur: quo ſcilicet ſpiritu, qua mente regularem vitam eligat: quem ſibi finem proponat: num zelo melioris frugis, & ut Deo liberius famuletur, an potius levitate, vel humano aliquo affectu ducatur: vel an ſæculi inopiam, & aliquas ſui ſtatus ærumnas effugiat. Quæ quidem ab eo prudenter extorqueant.

2. Rurſus eum interrogent, quare noſtrum potius ordinem, & inſtitutum præ cæteris eligat: ubi plane ei arduas noſtræ charitatis, & profeſſionis ſemitas exponant: ordinis auſteritates, & vota pure, & ſimpliciter detegant, & quartum præcipue, quo debeat animam ſuam tradere pro Captivis uſque ad ſanguinem, & interitum.

3. Et antequam procedatur ulterius, ſemel, & iterum moneant, ut Sacramentorum frequentia, & ſupplici obſecratione Deum pulſet, quatenus, ſi expediat, hanc ſibi voluntatem firmare dignetur. Eſt enim fidelis, & nulli ſe denegat, humiliter poſtulanti. Iterum vero attendant ſolicite, an hæc impleat, & quid in eo operetur dilatio, quæ in falſa vocatione ſolet frangere motum: in vera tamen urgere ferventius.

4. Sed quia ſunt aliqui defectus ita patentes ad ſenſum, ut ob præſtantiam, & decentiam ſtatus, protinus eos debeamus avertere, nolumus, iiſdem laborantes, de vocatione, aliiſve defectibus agitari, nec aliquod ulterius de ipſis examen fieri, ſed ſolo primo ſenſuum judicio depelli, ac omni ſpectatione vacuos illico, à Commendatore dimitti.

5. Unde cunctis ſequentibus Ingreſſum noſtri Ordinis denegamus: cæcis videlicet, vel altero carentibus oculo, aut valde oculorum lumine laborantibus, claudis, gibboſis, graviter deformibus, caduco morbo, ſeu alio habituali, patenti, & æque gravi languentibus, ſpadonibus etiam, & habentibus membrum aliquod principale mutilatum, ſtolidos demum, & fatuos ab ingreſſu Ordinis interdicimus: præcipientes Commendatoribus, ſub pœna privationis officii, & vocis utriuſque, ne alicui de prædictis habitum concedere audeant, niſi aliunde appareat aliqua notabilis Religionis utilitas, quæ honeſte vincat deformitatem, aut morbum, ſimulque cum eo diſpenſetur ſcriptis à Provinciali vel Generali Magiſtro.

6. Cum itaque poſtulator habitus ab omnibus hujuſmodi defectibus, & maculis immunis apparuerit, ſatiſque de vera vocatione fuerit comprobatus, ſtatim mittatur ad examinatores, pro hujuſmodi negotio à Provinciali deputatos, ut eum non ſemel, ſed iterum, & tertio de arte bene legendi latine, de mentis acumine, ingenii dexteritate, & quam ſit in grammatica ſufficiens, omni æquitate cenſeant: qui ſi illum ita deficientem ingenio, & latinitate reperiant, ut non eam ſufficientiam calleat litterarum, quam ad ſacros ordines poſtulat Concilium Tridentinum, ipſum omnino reprobent. Si autem habilem invenerint, juſto judicio ſuſcipiant. Quam utique cenſuram non ſoli Prælato deferant, ſed etiam Capitulo Conventus veraciter exponant: quocirca eorum conſcientias ſtrictiſſime oneramus. Cum Proceribus autem, & viris perilluſtribus, aut magnæ fortunæ bonis, ſeu arte aliqua inſigni pollentibus, unde commodum ingens Religioni proveniat, poterunt diſpenſare Magiſter, vel Provincialis in ſcriptis, & non aliter, de exacta grammaticæ ſufficientia, ita ut ſit ſatis non dubium ſpecimen proficiendi tempore, quod ſuperſit ad ſacros Ordines ſuſcipiendos.

7. Admiſſa à Conventu hujuſmodi approbatione examinatorum, eligatur ab eodem per ſuffragia ſecreta unus Frater Idoneus, prudentia, & fidelitate commendabilis, qui, ſub nomine informantis, procedat ad informationem de moribus, & omnibus aliis conditionibus, quas juxta decreta Pontificum, & Conſtitutiones noſtras habere debet, quicunque accedit ad ordinem. Pro quo mune-

re fideliter obeundo, præ pœnas graviſſimas, quibus infra conſtringitur, jurare ulterius volumus præfatum informantem in manibus Prælati, ſe id peracturum ſecundum Deum, & propriam conſcientiam.

8. Huic ergo ſic jure & fidelitate munito Prælatus cum Conventu præbeat commiſſionem cum interrogatorio à ſe, & duobus aliis de Capitulo ſubſcriptam, & pariter ſignatam, ac omni juris authoritate publice roboratam: ipſe vero informans non ſtatim procedat ad inquiſitionem publicam, ſed honori conſulens, ac decori parentum, & conſanguineorum, prius cum diſcretione, ac ſilentio cuncta interroganda ſcrutetur, in quibus ſi aliquod impedimentum ſufficiendi, & timorata perſonarum attentione, ſibi revelatum fuerit, ab omni ſtatim inquiſitione recedat; ſin autem nihil invenerit receptioni contrarium publicam informationem aggrediatur ante, vel poſt ipſam receptionem, juxta diverſitatem perſonarum, ut ſtatim dicetur. Quam rite, & debite quovis tempore factam, ac demum clauſam, & ſignatam Prælato tribuat: & ipſe congregato Capitulo referari, & legi faciat, ut de illa cenſeatur, an ſit bene, vel male confecta: & habilitas poſtulantis ad ingreſſum agnoſcatur.

9. De majoribus ſexdecim annis ſemper fiat informatio authentica ante receptionem, niſi periculum ſit in mora: in quo caſu juxta ſpecialem diſpoſitionem, aut moderationem ſuper hoc Clementis VIII. ſufficere volumus prævium juramentū, Commendatori præſtitum à pulſante, quod nullis impedimentis, ex eo ſingulariter interrogatis, ſit inhabilis ad noſtrum Ordinem ingrediendum, modo ante profeſſionem fiat plenaria informatio de illis.

10. Quod utique juramentum, quandocunque fieri contingat, ſemper annotari præcipimus in libro receptionum Conventus, & à Commendatore ſubſcribi, & pariter à jurante, cum duobus teſtibus, per illum in ſua receptione relatis, & ſubſcribendis. Circa minores autem ſexdecim annis, licet ſit melius ſemper de illis ante receptionem inquirere, nullam tamen præciſe informationem præviam, & juridicam, aut juramentum exigimus, niſi inquiſitionem ſecretam. Cæterum probationis tempore illam fieri authentice, & profeſſionem antecedere præcipimus. Qualitates autem, vel impedimenta, quæ juxta omnia jura, & reſpective pro ſingulis recipiendis, profeſſuriſve examinanda ſunt ab informante, ita in ſequentibus ordinamus.

11. Primo enim inquirat de moribus, & anteacta vita, de patria, & legitimitate parentum. Quocirca ſtrictiſſime conſtituimus, ut Decretum ex motu proprio Sanctiſſimi Domini Sixti V. exequatur, quod nullus ex ſacrilego, aut inceſtuoſo concubitu uſque ad tertium conſanguinitatis, aut affinitatis gradum procreatus ad habitum in aliqua Religione admittatur, (ſub profeſſionis nullitate ſibi exprimenda) niſi ſolummodò in fratrem converſum, aut Laicum, omni ſeclusa ſpe aſcendendi ad altiorem gradum in Ordine; alios vero illegitimos, ſpurios, vel naturales, etiam alias legitimatos pariter ab ordine prohibemus, niſi prius de illorum vita, & moribus, ac de univerſis aliis requiſitis ad Ordinem fiat accurata diſcuſſio: & alioquin receptio illorum, ex fide dignis teſtimoniis, univerſæ Religionis commodo, & utilitati appareat profutura. Qua de re in Generali, ſeu Provinciali Capitulo, matura deliberatione habita, unanimi Diffinitorii Provincialis, vel Generalis conſenſu ad habitum approbentur.

12. Nihilominus tamen ſic recepti, ad gradus, honores, & dignitates Ordinis perpetuo ſint inhabiles, niſi à ſancta Sede Apoſtolica indulgeantur. Poterit autem Diffinitorium Provinciale, aut Generale in Capitulis congregatum, cognita tamen prius, & expreſſa in diſpenſatione, ſpecie illegitimitatis, cum iis etiam ad præfatos honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, præterquam ad Magiſtratum Ordinis, & Provincialatum. Quam diſpenſationem, & ejus cauſam authentice in librum Ordinis referendam eſſe decernimus. Circa fratres vero alterius ordinis, an, & quando debeant ad noſtrum admitti, cap. 3. ſequenti ſpecialiter declarabimus.

13. Deinde ſalubriter in Domino conſtituimus, ne quis ad habitum, quacunque ratione, vel cauſa admittatur, qui originem ducat ex genere Maurorum, Sarracenorum, Hæbreorum, vel etiam Hæreticorum, aut aliorum quomodolibet à fide noſtra aberrantium, & propter quam directe, vel indirecte fuerint à ſancta Inquiſitione puniti. Quod autem ſic accipimus, ut Maurorum illuſtrium, aut Hæreticorum ſobolem eo uſque vitemus, donec generationum tractu, vel aliter, hæc labes, & nota deleta ſit, & habitus fidei firmatus: ita videlicet, ut apud vulgus nullam infamiam, aut notam vilitatis, ſeu deſpectionis patiantur, neque eorum affinitates caveant, vel abhorreant aliæ ſtirpes ingenuæ. Reliquis autem, ſupra quartam generationem, ingreſ-

greſſum ad Ordinem intercludimus, ſi quomodolibet innotuerit, & non ſit penitus abolita eorum infamia, vel labes.

14. Ulterius ab Ordine noſtro prohibemus omnes criminoſos, vel furto, latrocinio, homicidio, vel quocumque alio ſimili, aut majori crimine, ejuſve publica punitione jure, vel facto infames. Item ſi ſint conjugati, & à juribus matrimonii canonice non ſoluti; ſi ſint, vel fuerint ſervi, ſi tenentur ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum, ſi in reddendis rationibus ita fuerint obnoxii, ut hujuſmodi cauſæ lis, vel moleſtia eis jam illata fuerit, vel quam inferri timeatur.

15. Illum inſuper, qui ratione objecti muneris, & officii ſit in republica infamis: qui occulta aliqua infirmitate gravi contagioſa, aut incurabili laboret: qui ſit lunaticus, vel ebrius: qui ſemel à noſtro Noviciatu, vel alterius Ordinis fuerit expulſus, vel alias de jure ab ingreſſu Ordinis quomodolibet ſit prohibitus, nullo modo ad habitum noſtrum recipiendum eſſe firmiter conſtituimus.

16. Si quis autem informans de ſupradictis omnibus conditionibus, & requiſitis examen non fecerit, vel aliquid in eo negligentet, aut malitioſe prætermiſerit, ſive contra illa quidquam Prælatus aliquis attentaverit, quocumque tempore id innotuerit, illos voce activa, ac paſſiva, omnibuſque officiis, dignitatibus, & honoribus perpetuo privatos, & ad hæc in poſterum inhabiles declaramus.

17. Comperto igitur pulſantem nullo de præfatis impedimentis, vel aliis hucuſque præmiſſis ineptum eſſe ad habitum, præcipimus Commendatori, ut ſi ille futurus ſit laicus, nequeat ipſum induere, niſi prævia licentia in ſcriptis Magiſtri, vel Provincialis, ſub pœna privationis officii; ſi vero Clericus, ſervetur conſuetudo Provinciarum. Quando autem Magiſter, aut Provincialis per ſe ipſos aliquem ad Ordinem admittere & induere conſtituerint, nunquam id per ſe ſolos abſolute faciant, niſi de conſenſu, & ſuffragiis ejuſdem Conventus, ubi prædictum pulſantem induendum eſſe decreverit.

18. Sed ut in re tanti momenti omnis adhibeatur æquitatis induſtria, præcipimus Prælatis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes, ut neminem proponere poſſint Conventui, quin per ſuffragia admittatur ad habitum, & niſi pridie Capitulum ſingulatim moneri, & citari fecerit omnes Fratres, habentes ad hoc ſuffragium. Sequenti vero die capitulariter congregabuntur ſono cymbali conventualis poſt Veſperas, aut Matutinas, vel quando fratres adeſſe domi frequenter conſueverint, & non aliter. Ex quibus duas ad minus tertias partes habentium ſuffragium debere Capitulo intereſſe, firmiſſime conſtituimus; ſi autem Prælatus aliquis ſecus fecerit, puniatur ad arbitrium Provincialis, aut Generalis Capituli. Tunc autem ſi major ſuffragantium pars de admiſſione conſenſerit, manebit poſtulans ad habitum approbatus; ſin autem, omnino repulſus: & nullatenus Conventui amplius proponatur.

19. Quocirca declaramus, omnes Presbyteros, & Clericos noſtri Ordinis jam ſacris initiatos, ſuffragium habere in præfatis Capitulis receptionis ad habitum, & profeſſionem emittendam. Tertiarii denique utriuſque ſexus non admittantur ad Ordinem, neque induantur habitu niſi de expreſſa in ſcriptis licentia Provincialis, aut Magiſtri, & prævia informatione de moribus, & vita, facta, & approbata à Prælato Ordinario, & ſui Conventus Capitulo.

Caput II.

De Forma Interrogandi Teſtes ad Informationes prædictas.

1. Cum informans, juxta prædicta proceſſerit ad interrogationem teſtium, iſtos debet eligere de antiquioribus populi, unde Novitius, vel ſuſcipiendus ad habitum ortum duxerit, ab ipſiſque juramentum exigere, quod in omnibus, de quibus fuerint interrogati, ſine aliqua ſubreptione, & obreptione, vel affectu veritatem oſtendent. Quos pariter moneat vi juramenti adſtringi ad occultos etiam, ignominioſoſque defectus illius, de quo interrogandi ſunt, ſub pœna perjurii aperiendos. Hac monitione & juramento præmiſſis, ſic unumquemque interrogabit.

2. Primo: ut dicat, quam ætatem habet, & an ſit conſanguineus N. Novitii, vel poſtulantis habitum in Conventu N. an inimicitiam, aut ſimultatem exerceat cum ipſo, vel parentibus ejus, & avis, tam paternis, quam maternis? an eum comprehendat aliqua juris exceptio, qua prohibeatur, ut teſtimonium reddat de prædicto?

3. Secundo: an agnoſcat præfatum N. Novitium, aut poſtulantem habitum in Conventu N. & ſibi noti ſint parentes ejus, & avi paterni, & materni? an ſci-

at prædictum N. filium eſſe legitimum ipſorum, & ut talem vulgo reputatum, & habitum? Quod ſi reſpondeat eſſe illegitimum, ulterius de ſpecie illegitimitatis interroget, an ſciat eſſe naturalem, vel ſpurium,& de avis, uſque ad tertium gradum?

4. Tertio: an ſciat, & noverit præfatum N. non eſſe de genere Judæorum, Maurorum, Hæreticorum, aut à Sancta Inquiſitione punitorum cauſa Fidei directe, vel in directe, & tam remote, quà proxime, vel in quocunque gradu ducar genus à prædictis, vel ab aliis quomodocunque judiciali nota, punitione publica, jure, vel facto ſeu abjecti muneris turpitudine infamibus, qui ut tales dedecore, ignominia, & fœdæ ſobolis macula ſint vulgo notati?

5. Quarto: an noverit prædictum N. ad ingreſſum Ordinis eſſe liberum, & neque ſervum, neque originem trahentem à ſervis, neque ligatum vinculo matrimonii, neque tali illius ſponſione, quæ Religionem ingredi prohibeat? an parentes habeat, gravi, vel extrema inopia laborantes?

6. Quinto: an ſciat præfatum N. eſſe virtutis ſtudioſum, & pravis moribus non corruptum, neque crimen aliquod perpetraſſe, ut furtum, homicidium, aut aliud ſimile, jure, vel facto publicum?

7. Sexto: an ſciat prædictum N. non contraxiſſe debita, quæ diſſolvere nequeat, nec implicatum eſſe ratiociniis, quorum cauſa lis aliqua, vel contentio ipſi poſſit inferri, aut illata ſit, vel quam pariter in Ordinem derivandam fore timeatur.

8. Septimo tandem; an illi ſit notum præfatum N. bona frui valetudine, nullamque habere infirmitatem occultam, aut contagioſam. Quibus omnibus ab informante ſuſceptis, & pariter ratificatis à teſtibus, atque ab iis, & informante ſubſcriptis, reliquiſque de jure ſervatis, claudenda eſt informatio, & Capitulo domus præſentanda, ut prædicitur.

CAPUT III.

De non Recipiendis Fratribus alienæ Profeſſionis.

1. UT autem de fratribus alienæ profeſſionis, ad noſtrum Ordinem ſuſcipiendis ſpecialiter, & expreſſius maneat declaratum, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus de prædictis, cujuſcunque qualitatis aut conditionis extiterit (exceptis Nobilibus Militaribus) poſſit ad noſtrum Ordinem admitti. Quocirca taxatur Magiſtri Generalis, ac etiam noſtri Procuratoris Generalis in urbe poteſtas, ne unquam ad tranſitum hujuſmodi fratrum valeant præſtare conſenſum, ſub nullitate receptionis, ac etiam profeſſionis ipſo facto. Sicut eadem ratione, & ut quiſque in ſua vocatione contineatur, præfatis Magiſtro Generali, & urbis Procuratori reſtringitur eadem poteſtas præbendi conſenſum, ſuper tranſitum noſtrorum Diſcalceatorum ad noſtræ obſervantiæ familiam.

2. Si autem aliquis de prædictis alia via legitima receptus fuerit, infra decem annos à ſui receptione, in Commendatorem nullatenus aſſumatur, neque in Ordine noſtro aliquam adminiſtrationem exerceat.

3. Quod ſi quis mendicantium, aut quicunque alius de fratribus ante dictis ad Ordinem noſtrum, ſeu familiam fuerit translatus, & profeſſionem emiſerit regularem, transferri nequeat deinceps à noſtro Ordine ad alium, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, ſpeciaiem, & expreſſam mentione faciente de ſtatuto, & ordinatione factis à Martino V. ut conſtat ex ejus Bulla plumbea, & originali, quæ extat Salmanticæ: in qua pariter decernitur, irritum eſſe, & inane quidquid ſecus ſcienter, vel ignoranter à quocunque quavis authoritate fieri contingat.

CAPUT IV.

De Poteſtate, & Forma tradendi habitum.

1. CUM initiare ad Ordinem, & illius habitum tradere, ſit actus poteſtativus, proinde, ne defectu facultatis ſit aliquando irritus, vel inanis, præſenti Conſtitutione declaramus ad habitum conferendum habere canonicam poteſtatem: primo, & immediate Commendatorem domus, ad quam poſtulator acceſſit, & ubi Capitulariter eſt admiſſus, Magiſter autem Generalis, & Provincialis eorumque Viſitatores in actuali viſitatione, tanquam poteſtate ſuperiores, ſimili facultate fruuntur, prævia tamen approbatione Conventus, Vicarium verò Commendatoris ab hoc actu ſecludimus, quem nihilominus Præſidentibus in capite concedimus; verumtamen laicis, vel tertiariis conferendi nec Præſidenti in capite, imo neque Commendatori jus aliquod permittimus, niſi de licentia Magiſtri Generalis, vel Provincialis in ſcriptis.

2. Admiſſo igitur poſtulante, admo-

monendus eſt à Magiſtro Novitiorum, ut habitum omnino humilem, & interiora indumenta penitus alba, & tunicas laneas ſibi præparari faciat, cum lectulo inſuper, menſula, lucerna, aliiſque paucis, & modeſtiſſimis utenſilibus pro cellula. Quibus jam paratis, & præſtituta die, qua ille induendus eſt novo homine, & mutandus in virum alterum, ſuadendus eſt ab eodem Magiſtro, ut ſacra Confeſſione, & Communione ſe muniat ad remiſſionem omnium peccatorum, quam pro eo die SS. Paulus V. indulſit, à Deo impetrandam. Accedente vero hora traditionis habitus, prædictus Magiſter eum in omnibus ab ipſo agendis, & Prælato reſpondendis ſolicite inſtruat: totum inſuper, & integrum habitum prope apponendum curet. Quibus, vel aliis etiam pro ſuo munere conſtitutis, & congregato capitulariter Conventu, ſono campanæ in Choro, vel Eccleſia, ſeu alibi, & jam ſedente Prælato, intrat ipſe Magiſter Novitiorum, ſecum ducens induendum nondum raſum, quem ad Prælati pedes genuflexum ſtatuit. Cum autem ab eo interrogatur: *Quid petis?* etiam ille parum profunde inclinatus reſpondeat. *Miſericordiam Dei, & veſtram:* Deinde manens genuflexus ſermonem, & verba Prælati audiat devote, & attente.

3. Is vero ferventer, & graviter arduam illi viam, quam ingreditur, exponat: quam ſit difficilis, quam laborioſa, quam ærumnarum ſentibus, & mortificationum tribulis conſita, quam nihil propriæ voluntatis includat: non delicias, non requiem, ſed famen, ſitim, vigilias, perpetuam inopiam. Verum licet initio ſit amara, ſit tamen uſu, & conſuetudine, ac Domini ſubſidio in medio ſuavior, & tandem in fine felicior, dum laborantibus in ea bravium æternæ beatitudinis præparatur.

4. His, & aliis à Prælato expoſitis, interroget induendum: an velit perſeverare in vocatione ſua, vel plus amare ſæculum, quam Ordinem eligere: Quo reſpondente: *Volo amplecti DEI famulatum, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ Filium inſtitut.* Dicat ſtatim Prælatus. *Dominus, qui incepit, ipſe perficiat.* & Conventus reſpondeat. *Amen.* Deinde inſurgit Prælatus, & exuit eum ſæculari habitu (pallio videlicet) & interea dicit: *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus ſuis*; Conventus vero reſpondeat. *Amen.* Deinde Prælatus ſumens habitum Religionis in manibus dicat: *Ego authoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & authoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, & quæ eſt mihi ab Ordine commiſſa, trado tibi habitum Novitiorum Ordinis noſtri, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & reſpondeat Conventus. *Amen.* Quando autem induit Scapularium dicat: *Induat te Deus novo homine, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, ſanctitate, & veritate.* & Chorus reſpondeat. *Amen.* Poſt hæc ſe proſternente Novitio, Cantor incipiat Hymnum.

VEni, Creator Spiritus
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus
Altiſſimi Donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis unctio.
Tu ſeptiformis munere
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promiſſum Patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amoren cordibus;
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus, da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Te que utriuſque Spiritum
Credamns omni tempore.
Deo Patri ſit gloria.
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſæculorum ſæcula. Amen.

Quo finito dicat Prælatus.

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.*

Prætende, Domine, famulo tuo ſæculo renuntianti dexteram tuam Cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere digneris, cui in tuo ſancto nomine Habitum Sacræ Religionis imponimus: ut te largiente, & devotus in Eccleſia perſiſtere, & vitam perci-*

 pere

pere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

5. Tandem aqua benedicta aſpergatur, & ad oſculum pacis deferatur à Magiſtro, atque ultimum locum habeat, tempuſque probationis ei deſignetur à Prælato, juxta decretum Concilii Tridentini, ſeſſione 23. quod eſt integer annus: ut & ipſe auſteritates Ordinis, & Fratres mores ejus experiantur, & probent: de jure enim Novitius Monaſterium ingreditur probaturus, & probandus à Fratribus.

Si autem pluribus habitum conferri contigerit, mutanda ſunt in verbis, & orationibus ſupradictis, quæ rationabiliter mutari debeant. Veſtes Novitiorum ſæculares, uſque ad tempus eorum profeſſioni præfixum, ſub fideli cuſtodia ſerventur. Receptio Novitii ſcribi debet ſtatim in libro ſpeciali, receptionibus tantum deſtinato, relatis anno, menſe, die, & hora: eodem, & Magiſtro Novitiorum ſubſcribentibus, cum duobus aliis Fratribus: qui quidem liber in depoſitum Conventus includatur, ſolertiſſime ſervandus ne pereat.

Caput V.

De Inſtructione Novitiorum.

1. UT utilius nihil in Ordine, quam Novitiorum inſtructio, ita nihil, aut pondere gravius, aut opere difficilius. Eſt enim Novitiatus quædam virgultorum novella plantatio, unde ad hortum Domini fructus eliguntur: & ſurculi de ſtipitibus ſæculi avulſi, ac in domo Domini plantati, inſeruntur in bonam olivam, non ſine magno labore, ac induſtria.

2. Hæc autem ſedulo conſiderantes, & quantum in Domino poſſumus, bono Ordinis frugi providere cupientes, inviolabiliter conſtituimus, ut in qualibet provincia, ab ejus Diffinitorii provincialis Capitulo, Domus, ſeu Conventus potiores, & aptiores eligantur, in quibus ſancte, & pie Novitii Noſtri omnem Ordinis diſciplinam ediſcant, & regulariter inſtruantur à ſuis Magiſtris: ita ut in aliis Conventibus probationis annum nequeant traducere.

3. Cæterum ſi in aliqua domo, ad Novitiatum non deſignata, & aſſumpta aliquis recipiatur ad Ordinem, Commendator ejus quam primum illum transferat ad quemlibet ex Conventibus, ad approbationem electis, juxta Provincialis arbitrium: quod quidem à Commendatore fieri præcipimus infra unum menſem à receptione, ſub pæna privationis officii.

4. Domus autem Novitiorum in hujuſmodi Conventibus ſit locus ſegregatus à profeſſorum convictu: ita ſane, quod licet fratres Clerici ſint etiam intra Novitiatum, uſque ad Sacerdotium, cum ipſis tamen nolumus Novitios habere commercium: ſed ſicut hujuſmodi Clericos, & Novitios ab omnibus aliis fratribus ſpeciali clauſura locis ſeparamus, ita ipſos à ſe invicem propriis dormitoriis intra Novitiatum dividimus, quantum facultas Conventus, & loci amplitudo permiſerit. Ad hoc autem utriuſque dormitorii cellulæ ſint numero ſufficientes, ne binos in eadem convivere ſit neceſſe, aut lectulos in aliqua duplicari: ſed ſingulæ ſingulos habeant, ut profundius ſilentio, & ſolitudini ſtudeant, vel gerant ſpiritualia liberius.

5. In Novitiatu etiam, præter alia comunia commoda, locus deputetur, ſpiritualibus collationibus habendis, cæremoniis, & rubricis addiſcendis, regularibus pariter diſciplinis, & culparum capitulis exercendis idoneus: inſuper, & Oratorium, in quo nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde, & nomen accepit.

6. Novitiatus ſemper ſit clauſus, ejuſque clavem ſolus habeat Magiſter Novitiorum, aut Socius: illique ſoli, vel Prælato liceat alicui concedere ingreſſum. Si verò ingrediens loqui cum Novitio voluerit, Magiſtro præſente, & non aliter alloquatur.

7. Quoad Magiſtrum Novitiorum pariter, ut ſupra decernimus, ut in ſingulis præfatis domibus, ab eodem Capituli Diffinitorio inſtituatur, vir quidem Religioſus, virtute, prudentia, Doctrina, moribus, & matura ætate præditus, qui Commendatori ſit ſubditus in omnibus. Si autem extra Capitulum vacaverit, ad Provincialem pertineat Magiſtri Novitiorum electio.

8. Hic ergo Magiſter ſtatim, ac Novitii in locum Novitiatus introducti fuerint, eis prudenter ſuadeat, ut per generalem omnium peccatorum Confeſſionem, totius anteactæ vitæ conſcientiam diluant. Præſtantiam illis Religioſæ vocationis aperiat, & Dei vocantis miſericordiam, qua eos dignatus eſt à ſæculi laqueis, & vanitatibus eripere, pio ſermone non ſileat. Illos Regula, & Conſtitutionibus informet, & ad præfatam votorum obſervantiam inducat: præcipue vero ad ardentiſſimam noſtri Inſtituti, & quarti voti charitatem, ut paulatim eos conformes faciat Imagini Filii Dei, & exemplum dilectionis ejus ipſo-

rum

rum cordibus ingerat. Obedientiam eis laudet, Paupertatem extollat, Pudicitiam puris verbis inſinuet, & Pietatem erga proximum, Deo dilectiſſimam referat, ut ſingulis votorum virtutibus eorum mens, & animus ferveat.

9. Inter hæc omnia cathechiſmum Doctrinæ Chriſtianæ, & diſciplinæ ſæpius eis in doctrina ſana, & patienter exponat: humilitatem cordis eos habere doceat, & frequenter pure, & lachrymabiliter cum integritate, & pudore confiteri: Cœleſtem panem eſurire, & ante ſumptionem in oratione, & peccatorum aſſidua deploratione ſe exercere, ut ad Euchariſtiam, diebus, diſt. 1. cap. 7. conſtitutis, accedant. Confeſſiones eorum ſolus audiat Magiſter. Si tamen Prælatus aliter expedire judicaverit, ad alios confeſſarios virtute, zelo, & prudentia probatos ducere poterit. Sique Novitius juſta de cauſa petierit alium confeſſarium, Superior teneatur illum dare.

10. Ulterius debent inſtrui Novitii ad orationem mentis, & oris, quotidie agendam, ad quam Magiſter typum, ordinem, & tempus præſcribat: eoſque pariter inſtruat ad conſcientiam ſæpius in die diſcutiendam; libros Myſticæ Theologiæ devotos, & ſpirituales apud ſe retinere, & crebo legere doceat, ut in eis ſcientiam Sanctorum ediſcant. Meditandi, & contemplandi modos, & diſcrimina differat, & cuique alterum eorum ſtatuat, prout gradus perfectionis, & neceſſitatis poſtulaverit. Vitas etiam Patrum, & Sanctorum Ordinis, lectitandi conſuetudinem ingerat. De quibus inſuper omnibus in loco ad eam deſtinato cum Magiſtro, vel Socio quotidie per dimidiam ad minus horam collationem ſpiritualem indiſpenſabiliter habeant.

11. Quantum ad Orationem vocalem, maxime incumbat, ut Horas Canonicas in Choro attente, & devote perſolvant: & quidquid recitent tam intra, quam extra Chorum, non ſola voce, & ſpiritu, ſed etiam mente pariter pſallant. Regulis Divini Officii, cæremoniis, & ritibus juxta Romanum, & uſum Ordinis noſtri, eos diligenter imbuat. Pro quibus, & reliquis ex Regula, & Conſtitutionibus pertractandis, ſingulis diebus tempus ſpeciale præſtituat, ab omnibus aliis occupationibus exemptum. Integrum horarum penſum eos quotidie implere aſſuefaciat, ut cum profeſſi fuerint, propenſius illud exerceant. Novitios Laicos Miniſterium rei ſacræ ſpecialiter edoceat, & univerſim omnes ad hoc munus comiter, & devote exequendum, juxta Rubricam, & Cæremonialis Ordinis apices, ſolertiſſime inſtruat.

12. Ad devotionem, cultum, & pietatem erga Beatiſſimam Virginem Mariam invitet illos ſæpiſſime, & ſic ad ejus dilectionem provocet, eamque, velut ſignaculum, ipſorum cordibus infigat, ut nihil ſit in ore, nihil in mente, vel opere, quod Mariam non reſonet: nihil eis ſine Maria ſapiat: nihil cum Maria diſpliceat: & cuncta in ejus nomine aggrediantur, & gerant. Qui ejus officio parvo in Choro non interfuerit, id privatim inviolabiliter compleat. Poſt cænam autem tam Novitii, quam Profeſſi quinque Roſarii decadas, cum Litania Lauretana devotiſſime in Oratorio recitent. Quibus peractis examen conſcientiæ faciant per aliquam morulam, ad arbitrium Magiſtri, poſteaque ſibi ipſis, & dormitorio benedicant, antequam ad quietem ſe recipiant.

13. Singulis ſextis feriis, vel alia ejuſdem hebdomadæ, culpas dicant Magiſtro, capitulariter congregati. Quos autem ille aperte negligentes, aut lapſos in aliqua regulari culpa deprehenderit verbo, & opere corrigat; non quidem acerbe, vel acriter, ſed ſuaviter, & mite: ut eos ad meliorem frugem, potius benignitate, quam ſeveritate inducat. Quomodo in Capitulo, vel ubicunque objurgati fuerint, à Superiore veniam captare debeant, inſtituat, aliquando etiam ſine cauſa, tam Novitios, quam Profeſſos nonnulla mortificatione prudenter exerceat, vel interdum ad punitionem præparari jubeat: ut animi promptitudinem ab obediendum agnoſcat.

14. Novitius ſe ſemper in ſua Cella contineat, nec ad aliam tranſeat ſine licentia Magiſtri. Nullibi oculos ſublimes habeat, ſed demiſſos. Sibi aliquid danti, & auferenti, aut etiam improperanti, vel laudanti, ſe devote, & humiliter inclinet. Proſpera, & adverſa unanimiter, & æqua fronte ſuſcipiat. De re nulla cum alio contendere audeat: nec ſe, vel alium proterve defendere. Si Fratri ſuo ſcandalum ingerat, proſternat ſe ad pedes ejus, donec illum ſurgere jubeat.

15. Cum Sæcularibus, nullo modo Magiſter eos colloqui permittat, & cum parentibus rariſſime, & à ſe prius obtenta licentia; cum Fratribus Conventus nullam conſuetudinem habeant, nec ad breviſſimum ſermonem, aut moram ipſis adhære-

reant, ſed juxta illos, ſubmiſſis oculis, ſilentes tranſeant, nullam penitus reſpondendo, aut interrogando, præbentes occaſionem ad eloquia. Multo magis eorum celias ingredi caveant, etiam vocati, niſi à Prælato dumtaxat.

16. A domo Novitiorum ſemper bini egrediantur, & non aliter. Profeſſos, quantum fieri poſſit, idem ſervare intendimus. Epiſtolas neque ſcribant, neque mittant, ſive recipiant ſine licentia Magiſtri, qui eas primo legat. Similiter neque in Refectorio, ſeu extra, cuiquam aliquid largiantur, aut mittant, neque ſibi ab aliis obiata (niſi à ſolo Prælato) ſuſcipiant, ſine venia ipſius Magiſtri: qui propterea quidquid opus fuerit, providere ſolicitet ſecundùm poſſibilitatem conventus.

17. Diſciplinas ſingulatiter frequentes ſuſcipiant, prout devotionis fervor, & ſpiritualis neceſſitas exigat: verumtamen non eas imprudenter aſſumant, ſed cum diſcretione, & conſilio Magiſtri. Præter conventuales, & à Conſtitutione præfixas, in vigiliis communionis totus Novitiatus communem diſciplinam accipiat, ad quam omnes Magiſter prævio ſermone accingat, aliiſque diſpoſitionibus, & exercitiis præparari ſtudeat, ut digne ad Cœleſtem menſam accedant.

18. Omnibus Novitiis aſſignetur à Prælato, qui eos plano, & vulgari cantu inſtruat, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes: & præter hanc artem ad nullam aliam ſcientiam, ſeu Philoſophiam, ac Theologiam, eos quomodocunque diſtrahi permittimus, niſi peracto integro anno: in quo de rebus Ordinis, divino officio rite, & debite recitando, & perite cantando, & de conſtitutionibus, & regula ſatis, ſuperque fuerint edocti. Qua de re omnem diſpenſandi facultatem Provinciali, atque etiam Magiſtro Generali detrahimus.

19. Novitios, tam Clericos, quam Laicos ſic Novitiatus clauſura contineat, ut à receptione, uſque ad emiſſam profeſſionem nemo inde exeat; quocunque quæſito colore, vel prætextu ad fratrum cuilibet miniſtrandum, tam tranſeunter, quam permanenter, cujuſque gradus, & conditionis extiterit, etiam ſi fuerit Prælatus: neque commune aliquod officium Conventus ſingulatim extra Novitiatum exerceant, ſed bini, & bini duntaxat, aut plures. Nulla rurſus eis copia fiat à Monaſterio egrediendi, niſi ad aliquem communem actum comitante eos ſemper Prælato, aut Magiſtro.

20. Si vero aliquis Novitius clauſuram frangat, & ſepta Monaſterii, etiam per brevem moram, & habitu non dimiſſo, prætereat, quacumque mente id faciat, etiam ſi animo redeundi non admittatur denuo, niſi facti vehementer pæniteat, & iterum incepto probationis anno, à tempore, & hora ſui reditus, & novæ receptionis ad Ordinem. Quæ omnia annotari debent in libro receptorum, prout ſic geſta fuerint, ut ſciatur, quod uſque dum vergat eadem hora poſt annum à regreſſu, profiteri non poteſt.

21. Sed quoniam ſemper ſæculum expugnare Novitios bello ſuo duriſſimo non dubitamus, idcirco pro illis ſobrie Magiſter invigilet, ne de omnibus ſibi traditis perdat quemquam. Unde ſi mæſtum aliquem, tædiove affectum depræhenderit, prudenter, & bonis artibus à pravis ſuis cogitationibus avertat. Injungat illi ferventius orare, jejunare parcius, confiteri, & communicare frequentius: his enim telis diabolus deterretur, & vincitur. Cum autem ſic illum monuerit, forte lucrabitur collabentem; ſi tamen ab eo deſpectus perierit, ſciat ſanquinem ejus de manu ſua requirendum eſſe.

CAPUT VI.

De admiſſione Novitiorum ad Profeſſionem.

1. CUM dicat Apoſtolus: *Omnia probate; & quod bonum eſt tenete.* Proinde non omnes, aut quoſcunque Novitios, eo ſolum quod Novitiatum impleverint, ad profeſſionem ſuſcipimus, ſed eos tantum: quos integer probationis annus, & morum integritas idoneos ad Ordinem oſtenderint, nec informatio authentica indignos allunde prodiderit.

2. Sed ne in re tam gravi, defectu declarationis, aut qualibet alia cauſa, male fiat admiſſio, conſentaneum inculcare duximus, quæ ad legitimam Profeſſionem jure communi, & noſtro requiramus. Primo enim nullum ad profeſſionem admittimus, niſi completo anno decimo ſexto ætatis ſuæ & uno integro probationis: quem quidem annum etiamſi Novitius intraverit ante decimum quintú ætatis ſuæ, declaramus canonice non incipere uſque ad ejus finem: quo perfecte à puncto in punctum elapſo, fieri debet profeſſio; & ſi aliter attentetur, ſit Invalida, & irrita, juxta ſanctiones Concilii Tridentini. Quæ omnia conſtare debent clare per teſtimonia de jure legitima.

3. In-

3. Inſuper antiquis noſtris Conſtitutionibus inhærendo, irritam, & inanem declaramus profeſſionem eorum, quos ad eam Prælatus admiſerit inconſulto Conventu, & abſque majoris partis ſui Capituli conſenſu. Qui autem Prælatus ſine illo, aut prædictis conditionibus Concilii Tridentini quemquam ad profeſſionem auſus fuerit admittere, officiis, & dignitatibus, ac voce activa, & paſſiva maneat perpetuo privatus.

4. Similiter juxta motum proprium Sixti V. ab Alexandro VII. in Conſtitutionibus noſtri Ordinis confirmatum, inaniter, & irrite ipſo facto profiteri ſtatuimus, eos omnes, qui ex ſacrilegio, aut inceſtuoſo concubitu, uſque ad tertium conſanguinitatis, vel affinitatis gradum fuerint progeniti. Poterunt tamen ii, de licentia Magiſtri Generalis, aut Provincialis, juxta motum ejuſdem Sixti V. ad profeſſionem converſorum admitti: ſi alioquin bona indole, & morum honeſtate ſint prædíti, nec eos aliud juris, ſeu noſtræ Conſtitutionis impedimentum afficiat. Prælatus vero qui hujuſmodi natalium defectus habentes ad profeſſionem, vel etiam receptionem ſcienter admiſerit, vel informans in informationibus ſimulaverit, graviſſimis pœnis à Sixto V. inflictis, & in ſuperiori capite jam declaratis, ſeveriſſime plectendos eſſe denunciamus.

5. Sub eadem inſuper nullitate profeſſionem noſtram interdicimus univerſis alienæ profeſſionis fratribus, niſi de Nobilibus Ordinum Militarium extiterint, juxta decreta SS. Pontificum Urbani VIII. & Alexandri VII. ac noſtri pariter Ordinis inſtituta, ſuperius quoque in cap. 3. hujus Diſtinctionis ordinata. Quicumque autem prædictis in hoc capite conditionibus, aut defectibus laborantes, ad profeſſionem noſtram acceſſerint, & obreptitie, id eſt affectata falſitate, vel tacita veritate, illam emiſerint, quocunque tempore id appareat, protinus ab Ordine noſtro expellantur, ut inaniter ipſo facto profeſſi.

6. Prælatis verò præcipimus, ſub excommunicationis ſententia, ipſo facto incurrenda, ut quando vocatur Novitius ad profeſſionem ſuſcipiendam, proteſtentur illi non eſſe mentem eorum Conventus, nec Ordinis conſentire ad ipſam, ſi contagioſam, occultam, aut incurabilem aliquam infirmitatem, ſervitutem, conjugium, alienæ pecuniæ obligationem, ſeu genus ab Hebræis ſupra quartam etiam generationem, vel Mauris, ſive à ſancta Inquiſitione directe, vel indirecte, fidei cauſa, punitis, aut ab aliis quomodocunque nota dedecoris inuſtis celaverit: dum tamen labes, macula, & infamia omnino extincta non ſit.

7. Rurſus declaramus, profeſſionem in Ordine noſtro debere ſemper fieri ſolemniter in manus Prælati.

8. Si ab Ordine noſtro Novitius aliquis repellendus ſit, Prælatus, expoſita prius Capitulo cauſa expulſionis, de conſilio ipſius, tonſuram radat, & habitu illum exuat, dicens: *Ego authoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & authoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli ab Ordine mihi tradita, exuo te habitu Novitiorum noſtri Ordinis, & ab illius obſervantia te abſolvo: & reſtituo te in priorem ſtatum ſacularem, in quantum ego poſſum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* ℟. *Amen.*

9. Veruntamen Prælato conſulimus, ne ſit ubique facilis in expellendis Novitiis, ne nimis pium ſe præbeat in ipſis retinendis: Qui autem frigeſcente vocatione, voluerit repetere ſæculum, non ſtatim dimittatur, donec eum, aliquo interjecto tempore, pii fratres exhortentur: ut ſi fuerit forte levitate aliqua, vel diabolica fraude deceptus, ad perſeverantiam excitetur. Si tamen admonitus renuerit, ſuo relinquatur arbitrio: & ſi nondum fuerit ſui juris, benigne parentibus, aut tutoribus tradatur.

10. Cùm vèro in ſua vocatione perſeveraverit, intra duos menſes profeſſioni proximos, proponendus eſt à Prælato Capitulo, ut per ſuffragia ſecreta probetur, aut reprobetur ad illam. Prius tamen procedendum eſt ad informationem, & teſtimonium, quod de illius (etiam laici) habilitate, & aptitudine reddere debet coram Capitulo Magiſter Novitiorum: cui præcipimus in virtute obedientiæ, ut quos expertus fuerit in Novitio defectus, profeſſionis merito refragantes abſque ullo ſtudio, animique affectione patefaciat: an illum, videlicet, durum, & protervum in obediendo notaverit: an ſuperbum, rixoſum, inquietum, & ſeminatorem diſcordiarum: an ſtupidum, rudem, hebetem, an corporis habitudine, vel indolis pravitate obſervantiis regularibus averſum, vel incommodum, an turpi vitio, à natura, ſeu inveterata conſuetudine ſubjectum, ob aliumve quemcunque notabilem defectum profeſſione indignum. Qui autem his, & ſimilibus, ſeu corporis, ſeu animi morbis de more laboraverit, nullatenus ad ſuffragia admittatur, ſed confeſtim de conſilio Capituli reiiciatur à Prælato. Quod ſi undequaque dignus ap-

appateat ſtatim per ſectetos calculos ad apptobationem, vel teprobationem ptocedatur, ubi fratres juxta teſtimonlum Maglſtri Novitiotum, & ptoptium, quod fecerint de Novitio judicium, eum omni æquitate repellant, vel ſuſcipiant.

11. Demum hujuſmodi Novitiis, jam ad profeſſionem admiſſis denunciamus, quod, ſi intra duos ptæfatos menſes, & non antea quidquam de ſuls bonis habitis, vel habendia diſponere voluerint, libere] id faciant, præmiſſa licentia Otdinarii, juxta diſpoſitionem Concilil Tridentini.

Caput VIII.

De Profeſſione, ejuſque Solemnitatis forma.

1. CUM jam dies advenerit, qoo Novitius profiteri debeat (ſive id ſit in Eccleſia poſt Offertorium, ſive in Choro, aut Capitulo) conſtituatut à Magiſtro genibus flexis ante Prælatum, cui ſub excommunicationis ſententia præcipimus, ut priuſquam ab eo Novitius Ptofeſſionem, & Vota ſuſcipiat, ſingulotum ſubſtantiam, & vincula ei graviter exponat: quid nempe illum obliget votum Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, & præcipue quartum ſpeciale noſtti Ordinis ex viſcetibus, primævaque inſtitutione ipſius emanans: vi cujus Fratres noſtri abſolute ptomittunt tedimere Captivos, & ulterius, & æque abſolute ſe tradere in pignus, & quæcunque vitæ diſctimina pro peticlitantibus in fide, quos jam atgento, vel auro tediinete non potuetint.

2. Poſt hæc debet illi proponete omnia incommoda, & aſperitates Otdinis, quodque eas obſervare debet, ptout in Conſtitutionibus continentut. Quibus ſic expoſitis, interroget profeſſurum, an ipſis bene perpenſis, eligat potius manere in Religione, quam ſæculum teverti? quo aſſeverante, ſutgat Prælatus dicens: *Dominus qui incepit, ipſe perficiat*, & Fratres teſpondeant. *Amen.* Poſtea veto illum exuat Caputio, Cappa, & Scapulario, ſub his verbis: *Exuat te Deus veteri homine cum omnibus actibus ſuis*; & Chotus reſpondeat. *Amen.*

℣. Oſtende nobis Domine miſericotdiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Domine JEſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus veſtimentorum, quod Sancti Patres, ad Innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis, & regnas, &c.*

Deinde aſpergatur aqua benedicta. Tunc flexis genibus, Novitius tet dicat hunc verſum. *Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & vivam: & non confundas me ab expectatione mea:* Et ter reſpondeat Conventus. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Gloria Patri, &c.* Poſtea induat eum Prælatus veſtibus benedictis dicens: *Ego authoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & authoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, & authoritate ab Ordine mihi commiſſa do tibi habitum Profeſſorum Ordinis noſtri, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et quando incipit induere dicat. *Induat te Deus novo homine, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, ſanctitate, & veritate.* Tunc ptoſternatur Novitius, & Prælatus dicat.

Oremus. *Deus miſericors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, ſine quo nihil ſanctum inchoatur, nihilque boni perficitur, adſint noſtris precibus aures pietatis tuæ: & hunc famulum tuum, cui in tuo ſancto nomine habitum noſtræ Religionis ſanctæ impoſuimus, à mundi impedimento, & à ſæculari deſiderio defende: & concede ei, ut in hoc ſancto propoſito devotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum capta, ad electorum valeat pervenire conſortium. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Deinde dicatut Pſalmus. 133.

Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare Ftattes in unum.

Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron.

Quod deſcendit in otam veſtimenti ejus: ſicut ros Hetmon, qui deſcendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum.

Glotia Patri, & Filio, &c.

Quo finito Prælatus incipiat Litanias, & Conventus reſpondeat, ut ſequitut.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kytie eleyſon.
Chriſte audi nos.
Chtiſte exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus.	Miſerete nobis.
Fili Redemptot mundi Deus.	Miſerere. &c.
Spiritus Sancte Deus.	Miſerere.
Sancta Trinitas unus Deus.	Miſerere.
Sancta Maria.	Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix.	ora.
Sancta Virgo Virginum.	ora.
Sancte Michaël.	ora.
Sancte Gabriël.	ora.
Sancte Raphaël.	ora.

Om-

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli. orate pro nobis.

Omnes Sancti Beatorum ſpirituum ordines. orate.

Sancte Joannes Baptiſta. ora.

Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ. orate.

Sancte Petre. ora.

Sancte Paule. ora.

Sancte Andrea. ora.

Sancte Jacobe. ora.

Sancte Joannes. ora.

Sancte Thomas. ora.

Sancte Jacobe. ora.

Sancte Philippe. ora.

Sancte Bartholomæe. ora.

Sancte Matthæe. ora.

Sancte Simon. ora.

Sancte Thadæe. ora.

Sancte Mathia. ora.

Sancte Barnaba. ora.

Sancte Luca. ora.

Sancte Marce. ora.

Omnes ſancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ. orate.

Omnes ſancti Diſcipuli Domini. orate.

Omnes ſancti Innocentes. orate.

Sancte Stephane. ora.

Sancte Laurenti. ora.

Sancte Vincenti. ora.

Sancte Petre Paſchaſi. ora.

Sancte Petre Armengaude. ora.

Sancti Fabiane, & Sebaſtiane. orate.

Sancti Joannes, & Paule. orate.

Sancti Coſma, & Damiane. orate.

Sancti Gervaſi, & Protaſi. orate.

Omnes Sancti Martyres. orate.

Sancte Sylveſter. ora.

Sancte Gregori. ora.

Sancte Ambroſi. ora.

Sancte Auguſtine. ora.

Sancte Hieronyme. ora.

Sancte Martine. ora.

Sancte Nicolae. ora.

Omnes ſancti Pontifices, & Confeſſores. orate.

Omnes Sancti Doctores. orate.

Sancte Pater noſter Petre. ora.

Sancte Antoni. ora.

Sancte Benedicte. ora.

Sancte Bernarde. ora.

Sancte Dominice. ora.

Sancte Franciſce. ora.

Sancte Pater Raymunde. ora.

Omnes ſancti Sacerdotes, & Levitæ. orate.

Omnes ſancti Monachi, & Heremitæ. orate.

Sancta Maria Magdalena. ora.

Sancta Agatha. ora.

Sancta Lucia. ora.

Sancta Agnes. ora.

Sancta Cæcilia. ora.

Sancta Catharina. ora.

Sancte Anaſtaſia. ora.

Omnes ſanctæ Virgines, & Viduæ. orate.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. Intercedite pro nobis.

Propitius eſto. Parce nobis Domine.

A damnatione perpetua. Libera nos Dom.

Ut regularibus diſciplinis nos inſtruere digneris. Te rogamus audi nos.

Ut præſentem Fratrem conſervare, & viſitare digneris. Te rogam.

Ut ſtatum noſtrum roborare digneris. Te rogam.

Ut nos in tuo ſancto ſervitio conſervare digneris. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Fili Dei. Te rogam.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Dona nobis pacem.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleyſon.

Chriſte eleyſon.

Kyrie eleyſon.

PATER NOSTER.

Et ne nos inducas in tentationem:

Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℟. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Syon tuere eum.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, qui non mortem peccatoris, ſed pœnitentiam, & emendationem vitæ ſemper requiris, ſuppliciter te deprecamur, ut huic famulo tuo, ſæcularibus actibus renuntianti, largæ pietatis tuæ gratiam infundere digneris, quatenus Caſtris tuis inſertus, ita ſibi militando ſtadium vitæ præſentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat. Per Chriſtum, &c.*

Oremus. *Deus, qui renuntiantibus ſæculo manſionem præparas in cœlo, dilata hujus ſanctæ Congregationis temporale habitaculum, cœleſtibus bonis, & præſta, ut fraterna teneantur compagine charitatis, unanimes continentiam præceptam cuſtodiant: ſobrii, ſimplices, & quieti profeſſionis donum in Ordine, tua ſibi datum fuiſſe gratia, cognoſcant: concordet eorum vita cum nomine, ut profeſſio ſentiatur in opere. Per Dominum noſtrum, &c.*

Oremus. *Deus, qui nos à ſaculi vanitate converſos, ad æternæ vocationis accendis amorem, pectoribus noſtris purificandis illabere: & gratiam nobis, qua in te perſeveremus, infunde, ut protectionis tuæ muniti præſidiis, quæ, te donante promiſimus, impleamus: & noſtræ profeſſionis executores effecti, ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere, pertingamus. Per Chriſtum, &c.*

3. Deinde ſurgat Novitius, & profeſſionem à ſe, vel ab alio conſcriptam publice faciat, & legat in hac forma.

℟. *Ego Frater N. Filius, ex legitimo matrimonio N. & N. in loco (urbe, vel oppido) N. natus, & procreatus, facio profeſſionem: & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem obſervare Deo, & Beatiſſimæ, ac Immaculatæ Virgini Mariæ, atque Beato parenti noſtro Divo Petro Nolaſco, & tibi N. Commendatori hujus domus N. Regalis Ordinis ipſius Immaculatæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, vice Reverendiſſimi P. N. Magiſtri Generalis, & ſucceſſorum ejus, ſecundum Regulam S. P. N. Auguſtini, & Conſtitutiones prædicti Ordinis, prout in eis continetur: eroque obediens tibi, & ſucceſſoribus tuis, uſque ad mortem & in Sarracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad Redemptionem Chriſti fidelium) detentus manebo.*

4. Exinde vero proſequatur in hæc verba: *Quam Profeſſionem ſponte, & libenter emitto, peracto jam integro probationis anno, & præmiſſis omnibus requiſitis juxta Concilii Tridentini decreta, & prædicti Ordinis Conſtitutiones. Quæ omnia rite, & legitime in me præceſſerunt, & debite facta ſunt: In cujus rei teſtimonium hanc Canonicæ Profeſſionis atteſtationem feci, & manu propria ſubſcripſi.* Hic autem memoret Conventum, ubi profitetur, & annum Domini, diem, menſem, & horam, ac etiam annum fundationis, & Revelationis Ordinis ab immaculata, & fundatrice noſtra, & poſtea ſe ſubſcribat. Quæ omnia conteſtari debent Prælatus, & alii duo fratres pariter ſubſcribentes, liber autem profeſſionum ſemper in depoſito Conventus diligentiſſime cuſtodiatur.

5. His rite peractis, dicat Prælatus:

℣. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A Templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.*

Deinde donet ei communem ſocietatem, profeſſi manus ſuis claudens, & dicens: *Omnes quamvis per gratiam Baptiſmi fratres ſimus in Chriſto, & unum Patrem habeamus in Cœlo, ſi ejus præceptis prout poſſumus, obſequimur, procul dubio tunc maxime unimur, quando orationibus & beneficiis invicem nos metipſos copulamus. Quemadmodum, & in primitiva Eccleſia, quibus cor unum erat, & anima una: quorum vita amore plures accenſi, poſſeſſiones, & facultates rerum vendentes, congregatis cum Matre JEſu in unum, pretia deferebant gaudentes: quæ accepta Apoſtoli tradebant omnibus, prout opus erat. Sicque iſte, ut proficiat in Domino, ipſo inſpirante, & eorum exemplo commonitus noſtris optat jungi conſortiis. Idcirco damus ei communem ſocietatem vivendi nobiſcum, quantum à Domino poſſumus promereri, & noſtrum eſt elargiri: quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromiſſa percipere. Per Chriſtum, &c.*

6. Tandem vero ipſe Prælatus, cum reliquo Conventu ſuſcipiat illum ad oſculum, & amplexum pacis, tanquam fratrem ſibi jam cohærentem: quem iterum ad pedes ipſius redeuntem non nihil admoneat, ut gratias Deo referat pro tanto munere adepto, & ei deſignet poſtremum locum inter profeſſos ſui ſtatus.

CAPUT VIII.

De Regimine Profeſſorum, eorumque promotione ad Sacros Ordines.

1. POſt profeſſionem itaque, ne fratrum adoleſcentia ſine recto, & ſevero moderamine defluat: nec eis ſub propria cella proprium nutum, & libitum relinquamus, ea propter ſtatuimus, ut profeſſi noſtri debeant eſſe ſub poteſtate Magiſtri Novitiorum, donec ad Præsbyteratum aſcendant, ut illos eo tempore Noviciatus contineat cum dormitorio, & cellulis, quantum fieri poſſit, à Novitiorum convictu ſeparatis. Inde autem non egrediantur, niſi de licentia Magiſtri, vel Socii, qui eorum vitam dirigere, & cum Novitiis virtute, & timore Domini, regularibuſque diſciplinis inſtruere debent. In Choro ad omnes Horas eos non ſedere permittimus, ſed ſtantes pariter cum Novitiis recitare, vel cantare.

2. Laicorum etiam educationi providentes, pariter conſtituimus; ut profeſſi laici, per ſeptem annos à profeſſione, ſubjaceant Magiſtro Novitiorum, qui ſimiliter, quantum potuerit, eorum curam ſuſtineat, & regularibus imbuat diſciplinis, ac præſertim chatechiſmum catholicum quam frequenter ipſis, ut rudioribus, & illiteratis, aperiat.

3. Strictiſſime autem Prælatis præcipimus, ut neminem ad Sacros Ordines promoveant, niſi decurſis à profeſſione tribus annis, & non aliter: licentiam vero ad Ordines ſuſcipiendos, nullum poſſe Prælatum præbere declaramus, niſi Provincialem in ſua Provincia, & pro toto Ordine Magiſtrum Generalem: Quibus

bus iterum in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus, ne cuiquam ex fratribus noſtris tribuant licentiam, vel eos permittant ad Sacros Ordines promoveri, niſi juxta formam Concilii Tridentini, & cognita prius eorum ſufficientia, debita ætate, morum honeſtate, ac litterarum peritia à ſe, vel examinatoribus comprobata: quibus ſub eodem præcepto ſubjungimus, ut in hoc examine ſe fideliter, & exacte gerant. Ipſique, vel Prælatus, à quibus examinatus fuerit ordinandus, referant, capitulo Conventus; quam circa eos habilitatem, aut inhabilitatem compererint. Capitulum vero (ex illis tantummodo congregatum, qui ſacris ſunt initiati, eademque ſolemnitate, & conditionibus, quas pro recipiendis ad Ordinem, & profeſſionem ordinavimus) procedat ad approbationem, per ſuffragia ſecreta, quam utique omni æquitate faciant, juxta ſufficientiam, ſibi à Prælato vel examinatoribus declaratam, & juxta mores & dignitatem vitæ, quam in ordinando fuerint experti: Quorum, ſi major pars ordinando faveat, maneat approbatus, ſin autem, repulſus, donec de ſuis ſe defectibus corrigat, & reddat habilem ordinibus. De his quidem omnibus Commendator, per litteras teſtimoniales, certiorem faciat Magiſtrum, vel Provincialem, ut rite, & canonice ſuas litteras dimiſſoriales expediat.

4. Obtenta igitur jam licentia, ſtrictiſſime præcipimus Commendatori, ut, qui ſacris Ordinibus initiandus ſit, per decem dies continuos non patiatur egredi de Conventu, nec cella, niſi ad actus conventuales, & ſpiritualia communitatis exercitia, quibus ulterius alia ſuperaddat, ut ſe ad novum ſtatum condigne diſponat, ut indulgentiarum beneficia, quæ Paulus V. per dictorum ſe dierum ſpatium præparantibus indulſit, aſſequatur.

5. Fratres Clerici, qui ſine licentia Magiſtri Generalis, aut Provincialis, eorumve loca tenentium, ſeu falſatis, vel ſuppoſitis eorum litteris, ſive etiam quibuſcunque aliis ſubreptitie ſuffulti, Sacros Ordines ſuſceperint, careant ſpe diſpenſationis in Ordine noſtro ad illorum exercitium: & habitu exuti à Magiſtro Generali, vel Provinciali, de conſilio duorum Prælatorum, mittantur ad triremes per tres annos; de quarum tamen pœna Magiſter in Capitulo Generali cum ejus Diffinitoribus ex juſtis ſolum, & rationabilibus cauſis poterit diſpenſare.

6. Si frater Laicus ſtatum clericalem, & conſequenter minores, & ſacros Ordines ſuſcipere intendat; nullo modo ad id indulgeri, nec facultatem à Provinciali, quacunque ratione obtinere valeat, niſi conſulta prius ſacra regularium Congregatione, & cum illius expreſſa approbatione, ſub pœna excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, nec non officiorum, & dignitatum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, aliave in poſterum obtinenda. In quo etiam taxatur poteſtas Magiſtri Generalis, ſub eiſdem pœnis.

7. Quod ſi frater aliquis Laicus abſque prædictis licentia, & approbatione, ſacris Ordinibus initiari auſus fuerit, confeſtim damnetur ad triremes per ſexennium. Quarum pœnam ſic revera infligimus, ut Prælatos omnes eam non exequentes à Divinis in utroque foro ſuſpendamus.

Caput IX.

De Monialibus.

1. Cum omnibus utriuſque ſexus, Deum in Ordine noſtro colentibus, debitores ſimus, non nulla Monialibus noſtris conferre ſtatuta decrevimus, ut de illis etiam, quantum poſſumus, provideamus. Eas igitur omnes, quæ ſubſunt noſtro Ordini, ipſius Magiſtro Generali, & Provinciali ſubiicimus: quibus ſit cura, ut illæ Regulam S. P. N. Auguſtini, ſine offenſione cuſtodiant, nec non antiqua documenta, & Conſtitutiones ſanctimonialium noſtri Ordinis, cum modificationibus, aut reformationibus Conſtitutionum particularium cujuſcunque Provinciæ, vel Conventus; in reliquis autem ad omnium illarum regimen, & directionem pertinentibus, Canones Eccleſiæ ſedulo obſervare præcipimus.

2. Rorſus declarando ſancimus, ut ſolum ad Magiſtrum Ordinis, vel Provincialem, ſeu utriuſque Locumtenentes privative licentiam ad ingreſſum, & profeſſionem noſtrarum Monialium, in ſcriptis ſemper expediendam, conferre pertineat. Quocirca diligenter caveant, ne, quæ ad Chorum admitti poſtulant, ingreſſum aſſequantur, niſi perite noverint latine legere, ut debite Horas, & Divinum Officium perſolvere ſufficiant. Iidem quoque conditionibus aliis de jure communi, & ſuarum Conſtitutionum particularium requiſitis diligenter invigilent; quibus rite cognitis, & examinatis, per ſe, vel alios à ſe deſignatos, illas ad habitum, & profeſſionem ſuſcipiant.

3. Cum, & viſitationes facere ad eos conſequenter pertineat; ſimiliter con-

ſtituimus, ut per ſe quoque, aut Viſitatores idoneos, earum Monaſteria ſemel in triennio viſitent. Ulterius & electionibus Commendatriciom præſideant, vel alios Ordinis fratres delegent, induſtria, zelo, & prudentia præditos, qui totam electionem peragant, & concludant, ſecundum decreta Concilii Tridentini Seſſ. 25. cap. 6. & 7.

4. Inſuper ordinamus, ut in Diffinitorio Capituli Provincialis cujuslibet Provinciæ, eligantur Confeſſarii pro ſingulis ſanctimonialium domibus, Ordini ſubjectis; viri quidem provectæ ætatis, & ſenſuum potius canitie, vel maturitate pollentes, litteris etiam, & prudentia decori: quibus cavere præcipimus, ne aliquando clauſuram Monialium ingrediantur, niſi dum caſus urgeat à jure permiſſus: quo tamen eveniente, nunquam ſolos eos ingredi patimur, ſed cum uno Socio, viro ſimiliter probato, qui ab eorum latere nunquam recedat, ſed ſemper alter ab altero videatur.

5. Præter hos autem, nemo ex aliis Ordinis Fratribus, cujuſcunque conditionis exiſtat, prædictam clauſuram ingredi præſumat; quin facultatem à Magiſtro Generali, vel Provinciali in ſcriptis obtineat; quos enixe monemus, ne in ea elargienda nimis faciles ſe præbeant, & proclives; ſed in caſibus duntaxat à jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus præfatis, ſub pœnis, & Cenſuris contentis.

6. In Conventibus denuo erigendis nullam Monialium ſuffragium habere volumus pro electione Commendatricis, niſi elapſis ab eorum conſtructione duodecim annis, interea tamen pertineat electio ad Magiſtrum Generalem, vel Provincialem, quibus inerit poteſtas eam faciendi de Monialibus ipſius Conventus, vel alterius noſtri Ordinis, prout magis expedire judicaverint. Quæ quidem electio de triennio in triennium eſt ſemper agenda.

7. Etiamſi Moniales noſtræ Inſtitutum, & Votum Redemptionis opere adimplere non valeant; quia tamen mens, & animus ſunt ſatis ad meritum, & ferventis cordis oratio aliquando vincula contrivit, idcirco univerſis noſtri Ordinis Monialibus conſtituimus, ut orationibus, & ſpiritualibus exercitiis ſpecialiter orent pro Captivis, & Redemptionis eorum, maxime dum in Redemptionis actu verſantur: Pro quibus à dimiſſione illius, uſque ad regreſſum eandem deprecationem in Choro facere præcipimus, prout ſuperius, Diſt. 2. Cap. 7. ordinatum eſt.

8. Quocirca eiſdem ſeveriſſime præcipimus, ut in ſuis Eccleſiis Capſellam, arculamve habeant, in quam fideles pro redimendis Captivis Eleemoſynas inferant. Tandem in id ita incumbant, ut Sacriſta, ſeu alia perſona, ſingulis diebus, præfatam Eleemoſynam exigat.

Caput X.

De Suſceptione, & Regimine Tertiariorum.

1. Monialibus utcunque directis, expedit etiam, ut Tertiarios non prætermittamus: de quorum pietate bonum in Chriſto odorem ab ipſo Religionis limine plerumque ſuſcepimus. Ut illis ergo, cujuſcunque ſexus extiterint, non ſine delectu, & Conſilio Ordinis pateat ingreſſus, enixe præcipimus Commendatoribus, & Prælatis localibus, ne unquam Tertiarium aliquem, vel Tertiariam inſtituat, niſi prævia in ſcriptis Magiſtri Generalis, vel Provincialis facultate.

2. Circa Tertiarias autem non clauſtraliter viventes nullam omnino licentiam à prædictis Magiſtru, & Provinciali diſpenſari volumus, niſi prius fide digno teſtimonio eis conſtet de morum integritate, & rei familiaris copia, quæ victui ſufficere poſſit, cum reliquis qualitatibus ad id de jure requiſitis.

3. Sub dictis ergo conditionibus, & non aliter præfatus Magiſter, aut Provincialis licentiam tribuant Prælato locali, ut poſſit ejuſmodi fœminas induere. Huic autem ſtricte præcipimus, ut tam in iſtis, quam aliis, cujuſcunque ſexus, Tertiariis induendis, ſervet omnino Breve Apoſtolicum SS. D. N. Innocentii XI. Ordini noſtro expeditum, quod incipit *Nuper pro parte*. Datum Romæ die 30. Septembris, annu 1680. ubi ſtatuitur, non licere Superioribus localibus Ordinis delegare authoritatem conferendi habitum prædictis Tertiariis, ſed hoc pertinere ad ipſos privative: poſſe tamen ſemel indutos per ſe ipſos regere, & inſtruere: vel, ſi malint, aliquem Fratrem Ordinis deſignare, virum probum, & ſpectabilem, qui eos inſtruat in iis, quæ obſervare debeant.

4. Omnibus verò Tertiariis utriuſque ſexus, tam intra, quam extra clauſtra degentibus ſalubriter conſtituimus, ut primo Regulam S. P. N. Auguſtini præ manibus habeant, & prout congruat ſtatui, inviolabiliter obſervent. Ulterius etiam

etiam conſtituimus, quod Conſtitutiones, pro ipſorum modulo, & conditione contextas, ad obſervantiam ducant; & ſuper omnia ſic Prælatis obediant, ut juxta ſuum propoſitum, aut ſimplicem votorum profeſſionem, pie, & laudabiliter vivere cenſeantur, & dignam retributionem promereantur à Domino. De his ergo debet eos impenſe præmonere director illorum, & plus, minuſve hujuſmodi regularis diſciplinæ obſervantias, & obligationem commendare, ſecundum eorum diſtinctionem, & vitæ, ab ipſis propoſitæ differentiam.

5. Univerſis tamen pium munus, pro Captivis orandi, ſubjungat: quia illorum Redemptio eſt ſpecialis finis Ordinis noſtri, cujus habitum, ſeu profeſſionem, qui quomodocunque ſuſceperit, eorum ſubſidio reſpective ſe conſecrat: ut pro illis redimendis, quantum poſſit, & ſe adſtrinxerit, elaboret: aut ſaltem pretium orationis impendat.

6. Præterea director Tertiariis omnibus, clauſtraliter viventibus, declaret, eos, in hujuſmodi pietatis præmium, cunctis potiri gratiis, indulgentiis, peccatorumque remiſſionibus, Fratribus profeſſis noſtri Ordinis indultis, abſque ullo penitus diſcrimine, juxta formam & tenorem Bullæ in eorum favorem à Sanctiſſimo Innocentio XI. ſpecialiter expeditæ. Quæ incipit *Cum ſicut*, ſub datis Romæ, die 8. Auguſti 1681. Clauſtraliter vero non viventibus indulta ediſſerat, & gratias ipſiſmet ab eodem Innocentio XI. conceſſas, juxta Bullæ ſeriem *Nuper pro parte* incipientis, ſub datis ibidem die 22. ejuſdem menſis, & anni.

CAPUT XI.

De confratribus Scapularii noſtri Ordinis, deque inſtitutione, & ſodalitatibus eorum.

1. QUamquam ab antiquis temporibus, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, uſus ſemper in Ordine viguerit, præfatam confraternitatem erigendi, ipſique alias extra Ordinem aggregandi, dudum tamen SS. Clemens X. in ſua Bulla, quæ incipit: *Inſuper eminenti*, ſub datis Romæ 7. Idus Septembris, anno Incarnationis Domini 1668. ſui Pontificatus 2. de integro facultatem indulſit, tam Magiſtro Generali noſtræ obſervantiæ, quam Vicario Generali ejuſdem Excalceatæ, eorumque reſpective Procuratoribus Generalibus in perpetuum, ut utriuſque ſexus confraternitates, tam ſub invocatione Beatæ Mariæ de Mercede, quam alia quavis nuncupatione, ubique locorum erigere, & inſtituere valeant; illaſque ſic erectas, & inſtitutas illius Archiconfraternitatibus aggregare, ipſiſque communicare omnes ejus gratias, privilegia, & indulta, ſervata tamen forma à SS. Clemente VIII. ſuper hujuſmodi erectionibus, & aggregationibus conſtituta.

2. Ex his autem, ubicunque erigenda ſit confraternitas noſtri habitus, ſub invocatione Beatæ Mariæ de Mercede, tam in Eccleſiis Ordinis, quam extraneis, ſemper id fiat conſenſu, authoritate, & litteris Magiſtri Generalis Ordinis, vel ejuſdem Procuratoris Generalis in urbe: qui quidem conſenſus, & litteræ in capite libri ipſius confraternitatis intexantur.

3. Ut igitur confraternitatibus erigendis forma à Clemente VIII. præſcripta ſervetur, prædictus primo Magiſter, aut Procurator ſatagere debet, ut ante omnia facultas ex Ordinario loci, ubi confraternitas ſit inſtituenda, compareter: cujus litteris teſtimonialibus ſibi liquido conſtet de approbatione illius, & ejus chriſtianæ pietatis, & ſtatutorum, quibus ſe exercere intendit. Secundo cavere debet, ne inibi, alibive locorum, ad tria milliaria circumjacentium, alia prius noſtra confraternitas erecta ſit, licet ſuper hac diſtantia, ob juſtam cauſam, ab Ordinario loci approbatam, diſpenſare, & in loco viciniori novam inſtitutionem facere poſſit. Tertio ei tantum confraternitati, quam erigit, privilegia, indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & indulta communicare debet, quæ Ordini noſtro, ſeu archiconfraternitati in ſpecie ſunt conceſſa, non tamen, quæ per extenſionem, vel communicationem indulta. Neque inſuper hanc communicationem faciat ſub generali forma, & ad inſtar, ſed expreſſe, & in ſpecie ſingula privilegia, & ſpirituales gratias referendo, prout ſpecialiter continentur in Bulla SS. Innocentii XI. quæ incipit: *Exponi nobis*, ſub datis Romæ die 23. Decembris anno Domini 1678. & ſui Pontificatus 3. aut in aliis, quæ nunc, aut pro tempore emanaverint.

4. Ad inſtitutionem autem hujuſmodi confraternitatis in Eccleſiis noſtris ſemper à quibuſdam diſcretis fratribus, una cum futuris ſodalibus, aliqua prius condantur inſtituta, ſeu leges, quibus recto ordine, juxta finem ejus, & pietatis officia dirigatur: inter quæ id minime prætermittendum, quod ſcilicet Prælatus domus, vel frater alius ab ipſo deſigna-

tus

tus ſodalium congregationibus interſit, tamquam eorum director, & voto gaudens deciſſivo in omnibus.

5. Et ne, quod in noſtri Ordinis beneficium à Summis Pontificibus conceſſum fuit, ipſi aliquando noceat, ordinamus, ut Magiſter confraternitatem noſtram in alienis Eccleſiis, præſertim Regularium, non inſtituat, niſi ſub hac expreſſa conditione, quod ſi noſter Ordo domum in eodem loco, temporis decurſu, fundaverit, inſtitutio confraternitatis in aliena Eccleſia facta eo ipſo penitus expiret, & nullius reddatur valoris: quin potius Magiſter novam tunc erectionem in Eccleſia noſtra, ſervatis ſervandis, facere poſſit. Hæc autem omnia ſic firmare ſtudeat, ut tam Superiores exterarum Eccleſiarum, in quibus inſtituenda ſuerit confraternitas, quam ipſi confratres, juramento promittant ſe nunquam directe, neque indirecte, nec per ſe, neque per alios impedimento fore, quo minus nos, ſi occurrat occaſio, novum ibi Monaſterium adquirere valeamus: imo expreſſe proteſtentur ſe ad id, quantum opus fuerit, ex nunc pro tunc ſuum præbere conſenſum.

6. Cæterum, quia, & erectio noſtræ ſodalitatis, & Scapularii, & aggregatio alterius ad illam, ſemper debet cedere in beneficium Redemptionis, ut in illam utraque juxta mentem, & verba præfati Clementis X. ſedulo incumbat, id circo tam ſodalibus noſtræ confraternitatis de Mercede, quam alterius iſti aggregatæ ſtatuimus, ut primo ſodalem aliquem deſignent, qui diebus feſtis petat Eleëmoſynam pro Captivis in Eccleſiis, ad prædictas confraternitates reſpective pertinentibus: ſecundo, ut ſingulis diebus omnes ſodales utriuſque ſexus ter orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam recitent pro patientia, & fortitudine Captivis fidelibus impetranda: tertio, ut confratres noſtri jejunent Sabbatis, omnibuſque vigiliis feſtorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ, præcipue Revelationis, & Apparitionis ejus ad noſtri Ordinis fundationem.

7. Qui ergo confrater eſſe voluerit, rite, & recte ſuſceptus, & bonorum omnium ſpiritualium, quæ noſtræ ſodalitati Scapularii, ex diſpenſatione Apoſtolica, ſunt conceſſa, fieri particeps, in libro confraternitatis conſcribi debet, & Scapularium ab aliquo Superiori Ordinis, vel ab eo poteſtatem habente benedictum, una cum Scuto ſuſcipere, juxta formam ſequenti capite tradendam, illudque jugiter defferre; quamquam, eo amiſſo, uſuve conſumpto, poſſit aliud non benedictum aſſumere. Poteſtas autem ad benedictionem Scapularii præſtandam ſit privative penes omnes Ordinis Prælatos; hoc tamen ſervato diſcrimine, quod Magiſter poteſt illud pro tota Eccleſia benedicere, Provincialis pro tota Provincia, & uterque pariter benedictionem, & traditionem ejus delegare: Prælatus vero Laicus non ad benedictionem, ſed ad traditionem duntaxat illius ſuam facultatem ſubdelegare valet.

8. Inſuper, ut ſodales actu conſequantur indulgentias, & gratias noſtræ confraternitati conceſſas, debent opere implere omnia pietatis opera, quæ pro ſingulis aſſequendis conſtituta ſunt à Summis Pontificibus.

Caput XII.

De ſuſcipientibus ex devotione Scapularium, & recipiendis ad beneficia Ordinis, & forma in utriſque ſervanda.

1. Si aliquis ex devotione Habitum noſtrum, vel Scapularium, cum ordinis ſigno, geſtare voluerit, prius illud benedicatur à Prælato, vel ab eo poteſtatem habente, qui ſimul induat poſtulantem, & utrumque fiat, ut ſequitur:

Benedictio Scapularii.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam:
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Domine JEſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuæ abundantiam, ut hunc Habitum, quem Sancti Patres ad innocentiæ, & ſanctitatis indicium ferre ſanxerunt, ita bene✠dicere digneris, ut qui eo uſus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis, & regnas, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

2. Deinde aſpergat Habitum aqua benedicta, & eo poſtulantem induat, dicens: *Ego authoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & mihi ab Ordine commiſſa, do tibi Habitum Religionis Noſtræ, propter devotionem, quam geris ad Sacratiſſimam, & Immaculatam Matrem Dei Mariam, & Ordinem, ejus ſub nomine fundatum, cum quo in præſenti gratiam Spiritus Sancti adipiſci valeas, & in futuro ſæculo gloriam æternam, quæ premium eſt electorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Poſtea dicatur Hymnus. Veni Creator Spiritus. Diſtinct. 4. cap. 4.

℣. Emi-

℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Adeſto Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum (vel famulam tuam) bene✠dicere digneris, cui in tuo ſancto nomine Habitum Sacræ Religionis noſtræ imponimus, quem ex devotione cupit portare, dum vitam duxerit in humanis: ut te largiente, & devotus (vel devota) in Eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

3. Si quis verò deſiderat fraternitatem noſtram, & beneficiorum Ordinis noſtri, participem fieri, conſtituatur flexis genibus ante Prælatum, qui ſtans dicat: *Ad te levavi, &c. & Gloria Patri, &c.* ut in Diſt. 3.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Prætende Domine famulo tuo (vel famulæ) dexteram cœleſtis auxilii tui, ut te toto corde perquirat, & quod digne poſtulat, aſſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Et Ego authoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli, & poteſtate mihi ab Ordine commiſſa, do tibi participationem in omnibus bonis, quæ Dominus dederit fieri per fratres noſtros, ſive ſint Miſſæ, orationes, jejunia, vigiliæ, diſciplinæ, prædicationes, vel alii labores, maximè Redemptionis Captivorum, ad quam noſter Ordo dicatus eſt, ſive alia quæcunque bona: ad quæ omnia, & ſingula te recipimus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Similis forma in benedicendo, tradendoque Habitu, confratres fieri volentibus obſervetur.

DISTINCTIO V.

De Culpis, & Transgreſſionibus regularibus, earumque pœnis.

SIcut Dominus primo plantavit Paradiſum, deinde verò hominem, à ſe conditum, in eo poſuit, qui operaretur, & cuſtodiret illum, & tertio randem pœna mortis deterruit, ſi legem, ſibi datam, frangeret, nec juxta loci ſanctitudinem viveret; ita nos pariter ab initio in primis tribus diſtinctionibus Paradiſum Religionis noſtræ in tota ſubſtantia, & integritate plantavimus: in quarta vero fratres poſuimus, qui operentur & cuſtodiant diſciplinam ejus: nunc autem, cum ad quintam accedimus, eam de tranſgreſſionibus, & pœnis, uſque ad exilium, & repulſam ab hoc Paradiſo inſtituimus.

CAPUT I.

De Culpis Regularibus, & Pœnis earum in genere.

1. AUdito hic nomine culpæ, caveant fratres, ne per illud culpam eſſentialem, aut theologicam ſemper intelligant, quæ mortaliter, aut venialiter lædat: nomen enim culpæ in præſenti, ſi conſideretur, ut pura tranſgreſſio ſimplicis conſtitutionis, aut Regulæ, ſolum uſurpari debet pro culpa legali, quatenus reſpicit pœnam legis, cui nos omes, etiam ſine vera culpa ſubiicimur. Alia verò tranſgredi poſſumus, quæ ex qualitatibus, vel materia ad culpam eſſentialem pertineant.

2. Culpas autem hujuſmodi in quatuor genera dividimus, videlicet in levem, gravem, graviorem, & graviſſimam. Illam quidem levem appellamus, quæ vel ex levi, aut veniali malitia committitur, vel eſt tantum pura regularis trangreſſio, ex ſola inadvertentia, aut fragilitate, & abſque ulla ſpeciali malitia procedens. Reliquas vero, vel dicimus graves, ex ſolo majori pondere materiæ, à Regula tantum, ſeu Conſtitutionibus ſimpliciter ordinatæ, etiam ſi abſit malitia, & vera ratio culpæ: vel eas graviores, aut graviſſimas nuncupamus ratione adjuncti præcepti, contemptus, ſeu gravis malitiæ, ſecundum magis, & minus, ex lege Divina, vel Eccleſiaſtica provenientis.

3. Et licet ad hæc quatuor genera culparum omnis tranſgreſſio Regulæ, conſtitutionum, votorum, & quorumcunque præceptorum reducatur; eo quod materia ſit ſemper ex ſe, vel circumſtantiis levis, gravis, gravior, aut graviſſima; non omnes tamen, ſed aliquas tantum ſub dictis generibus immediate conſtituimus: non ſolum quia eas diligentius vitari intendimus, ſed eo maxime, ut Prælati, ad earum ſimilitudinem, pro reliquis pœnas inferant, ubi non fuerint à lege taxatæ: & cùm opus fuerit, eas prohibere ſub pœna gravis, gravioris, aut graviſſimæ culpæ, menſuram in exemplis habeant, unde pœnas prudenter, & prohibitiones ediſcant.

4. Tandem, ut circa pœnas culparum inferius deſignandas, & univerſim omnes alias, quæ ſunt in noſtris Conſti-

tutionibus diſperſæ, aut à Prælatis imponendæ, recta ratio habeatur, & tam jure, quam prudentia delinquentibus inferantur, decernimus, & declaramus, quod nullis pœnis in Conſtitutionibus, ſeu alibi inflictis (niſi ſi pœna excomunicationis latæ ſententiæ) ſit aliquis in Ordine obnoxius, uſque dum Prælati declaratio ſuperveniat.

Caput II.

De Levi Culpa.

1. Cum de parvis tranſgreſſionibus agimus, quas vel nulla aut levis malitia perpetrat non omnes quidem ad cenſuram ducimus, ſed quas ſpecialiter regularis obſervantia, commendat, & magis vitari intendimus. Unde levis culpa eſt, ſi quis mox, ut ſignum factum fuerit, non ſtatim, relictis omnibus, ad Chorum devote, & feſtinanter, Deum laudaturus ſe conferat. Si quis in Choro legendo, cantandove offenderit, & non ſtatim, coram omnibus humiliter ſe proſtravetit. Si quis Divino Officio non intentus vagis oculis, & motu incompoſito aliquam mentis levitatem oſtenderit. Si quis in Eccleſia, Refectorio, aut dormitorio ſilentium fregerit, vel ſtrepitum aliquem concitaverit, ſeu ibidem riſerit, ſive aliis fratribus cauſam ridendi præbuerit. Si quis lectiones, vel alia, quæ in Choro legere, aut cantare debuit, non ſatis ea præviderit.

2. Item levis culpa eſt, ſi quis Eleëmoſynas Redemptionis exigendo, ſive inter ſæculares quomodocunque verſando, otioſa loquutus fuerit, vel commiſerit. Si quis in vigilia Natalis Domini non interfuerit mature Capitulo: ut, prænuntiatis Redemptionis noſtræ exordiis, Deo Redemptori noſtro mente, & corpore gratias referat. Si qnis dormitando in Chnro ſe non ſobtium, ac devotum inſinuet.

3. Inſuper levem culpam dicimus, ſi quis Altaris, vel Eccleſiæ Ornamenta, ſeu libros non reverenter, & accurate tractaverit. Si de conceſſis ad uſum alicui fratri nonnulla parva, ſine Prælati licentia, acceperit. Si quidquam utenſilium fregerit, vel amiſerit. Si quid cibi, vel potus effuderit, aut de hujuſmodi quidpiam ſine benedictione ſumpſerit. Si quis horam, qua in Conventum debet venire, protraxerit. Si communi refectioni aliquandn non adfuerit. Si commune mandatum leviter impoſitum prætetierit.

4. Denique levem culpam incurrit, qui veſtes ſuas, aut libros loco ſtatuto non depoſuerit ordinate, vel eis negligenter uſus fuerit. Si qnis leve mendacium dixerit. Si quis litteras ſcribat, vel recipiat ſine ſpeciali licentia Prælati. Si quis de victu, aut veſtitu quærimoniam fecerit.

5. De his ergo, aliiſque ſimilibus Fratres ſe in Capitulo accuſent: & illis, humiliter veniam poſtulantibus, injungatur à Prælato aliquis Pſalmus in pœnam, quem flexis genibus recitent; vel quod terram, aut pedes Fratrum humiliter deoſculentur. Qui autem de illis non ſe accuſaverit, majorem pœnam ſubeat, juxta Superioris arbitrium. Sciant tamen omnes, qui hanc humilitatem impleverint, lucrum indulgentiarum aſſequi à Paulo V. Apoſtolica dignatione diſpenſatum.

Caput III.

De gravi Culpa.

1. Gravis culpa eſt, ſi quis ultra modum cum aliquo in judicio contenderit. Si frater cum fratre intra, vel extra Monaſterium lites habuerit. Si quis alicui fratri aliquam non gravem contumeliam objecerit. Si quis in alium fratrem ſe verbis inordinatis invexerit. Si quis jejunia ordinis ſine juſta cauſa violaverit. Si quis ad cnmmunes diſciplinas non convenerit. Si quis ab Oratione mentali ſemel, atque iterum abſuerit. Si quis ad Capitulum quotidianum non acceſſerit. Si quis ſilentium non teneie in conſuetudinem duxerit.

2. Rurſus gravem culpam ſtatuimus, ſi quis ſibi conceſſa, vel donata ſuſcipiat, ſine Prælati licentia. Si quis rem parvi momenti ſibi collatam celeverit. Si quis oculos ad vana ſæculi immodeſte direxerit. Si quis indumenta, vel aliud æqualis, ſeu majoris ponderis ex conceſſis ad uſum alicui fratri propria authoritate ſibi applicare præſumpſerit.

3. Inſuper gravis culpa eſt, ſi quis aliquid cum juramento, ſine neceſſitate negaverit, vel protulerit. Si quis immodeſtum ſermonem, vaniloquium, aut ſcurrilia dixerit: vel (qund gravius eſt) in uſu habuerit. Si quis aliquid dixerit, vel egerit, quo fratres juſte, non tamen graviter offendantur. Si quis leve mendacium de induſtria profudiſſe repertus fuerit. Si quis in officio, cui præpoſitus eſt, negligenter ſe geſſerit, ut ſunt Commendatores, Procuratores, Clavigeri, aut alii quicunque, qui munus ſibi impoſi-

poſitum, levi expleant ſolicitudine. Si quis fratri præteritam culpam (levem ſcilicet, vel gravem) pro qua jam ſatisfecerit, exprobraverit. Si quis cum fœmina, vel ſuſpecta, vel in loco ſuſpecto loquutus fuerit.

4. Ulterius, ut gravis culpæ reum puniri ſtatuimus, ſi quis cum licentia Prælati egreſſus à monaſterio, ultra terminum aſſignatum moram fecerit. Si quis de via veniens, eadem hora benedictionem à Prælato non ſuſceperit. Si quis interiorem laneam tunicam ſine diſpenſatione Prælati, ſi veſtes inſuper laneas, & omnino albas, etiam iter faciens, non induerit. Si quis in ipſo itinere, vel ubicunque extra domum, ſignum ordinis, vel ſcutum non geſtaverit. Si quis cum fugitivis, & apoſtatis, quandiu pœnitent, conſuetudinem, & familiaritatem habuerit. Si quis, ubi Conventus Ordinis adeſt, extra illum pernoctare auſus fuerit.

5. Amplius gravis culpa ſit, & ſeveriſſime vindicanda, ſi quis publicè pilam, publicè vel privatim talos, ludi folia, aut alia ſortiludia de jure prohibita ſeu quoſcunque prophanos ludos exercuiſſe repertus fuerit.

6. Adhuc culpam gravem dicimus, ſi quis moleſtiam, injuriam, aut quodcunque aliud damnum, ſibi à fratribus illatum, parentibus, cognatis, vel amicis, quaſi pro ſolatio, aperuerit. Si quis petitiones, & literas, quæ pro negotiis Conventuum mittuntur ad Superiores, ſubſcripſerit, niſi prius in Capitulo pleno legantur, ibique publice ſubſcribantur ab omnibus. Si quis aliquam de his gravibus, aut levibus culpis in ſe, vel alio protervè defenderit.

7. Pro his ergo, & ſimilibus culpis, qui veniam ſine proclamatione exoraverit, correctione ſuſcepta, vel etiam diſciplina adhibita, ſi juxta qualitatem culpæ Prælato placuerit, tres dies in pane, & aqua jejunet. Proclamatus autem, & in confeſſione obduratus, ſi ſit aliunde convictus, juxta duritiam ſui cordis diſtrictius à Prælato punitur.

Caput IV.

De graviori Culpa.

1. AD graviorem culpam ſequentia crimina ducimus: primo enim ſi quis peccatum lethale commiſerit. Si quis latro domeſticus, vel ebrius depræhenſus fuerit. Si quis in Patres, Majores, aut ſtirpem alicujus fratris turpe quidquam, vel indecorum objecerit, vel eadem in judicium Ordinis deferat, quæ teſtimonio noſtrorum fratrum probare nequiverit. Si quis de bonis ſibi collatis, ſive ad uſum permiſſis, quidquam in materia gravi Prælato celaverit. Si quis jejunia ab Eccleſia, locis, ſeu Diœceſibus inſtituta temere violaverit. Si quis literas cujuſcunque, ad ſe non directas reſerare, legere, aut abſcondere audeat; niſi fuerit Prælatus illius, ad quem diriguntur. Si quis in Curia ſæculari pro cauſa aliena teſtimonium cum juramento perhibeat, ſine licentia Prælati: & potiſſime, ſi pretio, odio, vel amore id præſtiterit. Si quis præceptum obedientiæ à Prælato, vel Conſtitutionibus impoſitum præterierit. Si quis votum Caſtitatis temeraverit.

2. Ad hanc etiam culpam trahimus. Si quis per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem ſuo Prælato fuerit inobediens, vel cum eo proterviter contendere auſu temerario præſumpſerit. Si quis graviter percuſſor extiterit. Si quis pro declinanda obedientia ſibi, vel alteri injungenda ſeu poſita, vel pro conventualitate aſſequenda, ſeu mutanda, vel pro impetrando officio, dignitate, aut gradu, ſive pro aliis quibuſcunque, à Prælatis Ordinis obtinendis, per ſe, vel alium favores extra ordinem procuravetit.

3. Id genus præterea ſunt: ſi Prælatus infirmis fratribus, quæ Medicus præceperit, & eorum valetudini fuerint neceſſaria, non opportune providerit. Si quis ſine voce, vel munere ad Capitulum Generale, vel Provinciale acceſſerit, ſine ſpeciali licentia in ſcriptis à Magiſtro, vel Provinciali, reſpective, conceſſa. Si quis ſcribens ad Capitulum de his, quæ ad ſtatum Ordinis, aut alicujus domus munera conveniat, vera non ſcripſiſſe convictus fuerit. Si Commendator rationem reddens in Capitulo de domo ſibi credita, Diffinitorium falſa narratione deceperit. Si quis aditum fœminis ad clauſuram patefecerit, eaſve deduxerit, aut intrare permiſerit. Si quis ſine licentia Prælati à Monaſterio egrediatur.

4. Item culpa gravior eſt: ſi quis bona ordinis, ad curam ſibi tradita diſſipaverit. Si quis à ſtatutis, ordinationibus, & correctionibus Ordinis, vel Commendatorum obedientia, ad alium Judicem appellaverit: vel etiam ſi Prælatos legitimos, & ordinarios recuſatione depullerit. Si quis, extra viam juris, exemptionem ab Ordinis obedientia,

tia, vel correctione procuraverit. Si quis fratrem, vel ordinem noſtrum in aliquo, apud alias quaſcunque perſonas diffamaverit. Si quis arma offenſiva habuerit, vel portaverit. Si quis in ſententiam excommunicationis rite latam ſcienter inciderit.

5. Qui ergo hujuſmodi culpas commiſerit, ſi de his proclamatus ſponte confiteatur, & veniam obſecrans, immanitatem ſui ſceleris lachrymabiliter planxerit, vapulet, juxta qualitatem ſuæ reſipiſcentiæ, & criminis: & per duos menſes incarceratus feriis omnibus ſextis, in Refectorio ſuper nudam terram jejunium panis, & aquæ ſuſtineat; aliis vero diebus, ſicut cæteri fratres reficiatur. Quod ſi inconfeſſus, & renuens legitime convincatur, prædicta ſeverius augeatur pœna, juxta diſcretionem Prælati.

6. Si autem pœna carceris minuatur, & Prælatus ei communem ſocietatem indulgeat, nihilominus prædictam abſtinentiam eodem modo indeficienter compleat, donec præfati duo menſes finiantur: & ſit interea omnium noviſſimus in Conventu: ut qui ob culpam perpetratam non erubuit membrum fieri diaboli, ad tempus (ut reſipiſcat) à conſortio ovium Chriſti maneat ſegregatus: per quod in eam humilitatem deveniat, ut quatenus ſejungitur à ſocietate fratrum, ita Angelorum conſortio ſe agnoſcat indignum. Ipſe verò quandiu in hac pœnitentia verſetur, nullo fungatur officio, niſi tranſactis prædictis duobus menſibus, neque in aliquo vocem habeat, niſi in accuſatione ſui; illis vero elapſis, & peracta hujuſmodi pœnitentia, ad priſtinum ſtatum reducatur.

7. Quoniam autem, præter dicta crimina, ſunt alia nonnulla ſub genere gravioris culpæ deſignanda, quæ ob ſpecialem ſui malitiam, ſpeciales quoque pœnas exigunt, ultra ſuperius declaratas; idcirco ſequentia addere conſtituimus. Si quis enim geſta noſtri Ordinis, punitiones, aut alia, quæ prudenter decet ſignari ſilentio, in medium proferat, & aperiat, graviorem culpam commiſiſſe declaramus: & præter communem pœnam, de cætero hujuſmodi proditorem Ordinis ab univerſis ejus Conciliis, & electionibus perpetuo depellimus. Si quis fratrem à carcere extraxerit: aut inſtrumentum porrigat, quo illum, & vincula incarceratus fregerit, ejuſdem culpæ reum facimus, eiſdemque pœnis obnoxium, quas merebatur extractus. Si quis ulterius conſpirator extiterit, quoad vixerit, ad aliquam adminiſtrationem temporalem noſtri Ordinis ſit ineptus. Si quis ſigillis provinciarum, aut Ordinis utatur, & cum illis litteras Magiſtri, aut Provincialium confingat, omni voce activa, & paſſiva ſit perpetuo privatus: nec illi ad honores ulterius litteræ faveant, quas temetare præſumpſit. Si quis denique uſurariam artem, ſeu mercaturam, vel negotiationem aliquando inſtituerit, præter excommunicationem ſuſpenſionem, & alias pœnas à jure inflictas, graviorem culpam, cum pœnis ejuſdem incurrere declaramus, & aliis inſuper ad arbitrium Prælati, pro criminis qualitate ſubiicimus.

CAPUT V.

De graviſſima Culpa.

1. ANte omnia graviſſima culpa eſt incorrigibilitas illius, qui nec culpas veretur admittere, nec pœnas recuſat ferre, vel ex earum ſæpius repetita inflictione, prudenti judicio cognoſcitur non proficere. Item graviſſima culpa eſt, ſi quis manus in Prælatum injecerit. Si quis diabolica temeritate fœminas ad malum, & turpem finem in clauſuram induxerit, vel ibi cum aliqua turpiter egiſſe, auxiliove fuiſſe, deprehenſus fuerit. Si quis ſecreta, & conſilia, quæ in Capitulis verſantur, ſæcularibus, aut aliis quibuſcunque detexerit, unde damnum, ſeu infamia, aut Ordinis diviſio proveniat. Si quis collector Eleemoſynarum Redemptionis indulgentias Romanorum Pontificum, ab Ordine non obtentas, populis prædicare præſumpſerit.

2. Frater autem qui ſcelera prædicta commiſerit, vel alia quæcunque à Prælatis (quando fuerit opus) ſub hoc genere conſtituta, detrudatur in carcerem, tempore ſex menſium, ferreis vinculis macerandus, vel diutius, juxta meritum criminis, & Prælatorum prudentiam: unde omnibus quartis, & ſextis feriis ſub eiſdem vinculis extractus, ad conventuale prandium ducatur, ut coram fratribus in medio Refectorii jejunet in pane, & aqua, & dignam flagellationem ſuſcipiat. Si fuerit Clericus, totum illius caput, ad inſtar laici, tondatur: & ſic maneat toto tempore, quo pœniteat. Si verò fuerit Præsbyter, & ratione aliqua, pœna vinculorum, & carceris ex parte ipſi dimittatur, ſit tamen à celebratione, & ſacrorum Ordinum exercitio ſuſpenſus omni tempore, pro ſuo luendo crimine, in hac noſtra Conſtitutione præfixo. Excarceratus autem, cujuslibet ille conditionis extiterit, per duos menſes caputio, & Scapulario intra Monaſterium exutus

utus

utus incedat. Clericis vero, & Laicis addimus, ut præfatis duobus menſibus ſint in Conventu noviſſimi.

3. Sed quia in his etiam, ſicut in gravioribus, ultra relata crimina, ſunt alia ſceleratiora, quæ ob ſui magnitudinem, graviores pœnas, à jure taxatas habent, vel præfatis exigunt ab ordine ſeveriores, hac de cauſa decernimus, graviſſimam eſſe culpam, ſi quis Bullas, ſeu inſtrumenta Pontificum confingere attentaverit, aut illis confictis uſus fuerit. Si quis etiam falſam pecuniam excuſſerit, vel in uſum populi iniqua fraude diſperſerit. Et ut plura id genus ſcelera uno verbo amplectamur, culpam graviſſimam dicimus omne illud crimen, quod apud ſæculum pœnam capitis promeretur, nec non & illud, quod jure communi, aut noſtrarum conſtitutionum triremibus dignum ſit.

4. Illis igitur, qui talia perpetraverint, debitè prius, & rite convictis, & ante omnia præfatis macerationibus jam correptis, pœnam ipſarum triremium aſſignamus, pro tempore à Prælatis decernendo, juxta gradum, & qualitatem criminis: quam Magiſter, aut Provincialis cum duobus Diffinitoribus, aut Prælatis judicialiter inferat, non quidem per expulſionem ab ordine, ſed per habitus expoliationem. Sic autem damnatus, elapſo jam tempore pœnitentiæ, tenetur ad ordinem regredi, & ſuis Prælatis præſentari: quem & iſti ſimiliter tenentur ſuſcipere, & conventualitatem aſſignate: ut inter fratres, habitu communi indutus, cõmuni conſortio perfruatur. Volumus tamen, ut inter ipſos ſit inſuper antiquitate poſterior, & perpetua infamiæ irregularitate obſtrictus, quam ex ſuo delicto, vel pœna contraxerit, & ita quidem irremiſſibiliter, ut ſola authoritate Apoſtolica valeat relaxari.

5. Qui autem ita damnandus ſit ad triremes, ſi ante diffinitivam ſententiam earum jam expleverit incarcerationem, & alias pœnas culpis graviſſimis ſuperius deſignatas, nihilominus in carcere detineatur, donec illa fuerit lata à Prælato eadem forma, ut ſuperius.

Caput VI.

De Crimine Apoſtatæ, & fugitivi.

1. DE ſceleratis hujuſmodi, & aliis ſequentibus ſpecialiter providere decrevimus, ut ſpecialem immanitatem criminum oſtendamus, & quam ſevere vindicari debeant, cum eſſentialem profeſſionem, & totam ejus ſubſtantiam proſtituant. Quicunque igitur ſuæ vocationis oblitus, in Apoſtaſiam inciderit, aut habitum temere dimiſerit, vel eo etiam retento, ab Ordine fugam arripuerit, ipſo facto ſciat ſe eſſe excommunicatum: qualem ex nunc ipſum declaramus.

2. Præter hanc, inſuper pœnas graviſſimæ culpæ, ſuperius illatas ipſis ſuperaddimus, cum diſtinctione tamen exequendas, juxta diverſitatem criminum, & circumſtantias eorum. Cæterum qui temere habitum dimiſerit, præter omnia prædicta, ſit etiam in Conventu noviſſimus, & propriam antiquitatem non obtineat, donec per Magiſtrum Ordinis, aut Provincialem cum eo fuerit diſpenſatum, modo diſpenſatio non fiat, niſi duobus poſt annis à regreſſu ad Ordinem, & detracto inviolabiliter toto tempore Apoſtaſiæ, quo profugus, & alienus ab Ordine permanſerit.

3. Quod ſi ſecundo apoſtataverit, vel aufugerit, dicta pœna duplicetur: & pariter idipſum fiat pro ſingulis vicibus, quibus talia commiſerit. Si vero in ſe reverſus ad Religionem ſua ſponte redierit, & humiliter ad pedes Prælatorum veniam exoraverit, illum tanquam Prodigum ad domum patris revertentem, benigne ſuſcipiant, & mitius cum illo ſe gerant, nec cum omni acerbitate prædictis pœnis ſubiiciant, ſed eas juxta humilitatem, lachrymas, pœnitudinem, & labis etiam magnitudinem temperent.

4. Ut ergo huic ordinis malo, & ipſis ejus deſertoribus, quantum liceat, conſulamus, præcipimus omnibus Prælatis, ut Apoſtatas, & fugitivos noſtri Ordinis, ſi quos noverint evagari, diligenter inquirant, & perſequantur per ſe, & per fratres ſibi ſubditos, & ubique captos ad Ordinem reducant. Quem autem Prælatus comprehenderit, vinctum in carcere ſui Conventus detineat, aut in alium intra Ordinem tutius ſervandum transferri faciat: & interea certiorem de illo Provincialem reddat, ut conventum ipſi deſignet, ubi juxta decreta SS. Urbani VIII. pœnitentiam facere, & pœnas ſolvere debeat.

5. Cùm autem Apoſtata ex aliena Provincia fuerit, id Generali Magiſtro, & Provinciali, cujus ille ſit ſubditus, denunciet, ut ad eundem pænitentiæ finem de aſſignatione Conventus, & illius in eum conductione provideant. Si vero Prælati aliter Apoſtatas, & fugitivos ſuſceperint, vel eos, ut prædicitur, ſibi notos exacta ſolicitudine non requirant, graviſſimas ſe noverint pænas ipſo facto in-

incurrere authoritate SS. Urbani VIII. à S. Congregatione Concilii Tridentini ſeveriſſime latas, tam privationis officiorum actualium, quam vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitationis ad illa, & cum reſervatione ad Sanctiſſimum.

6. Si quis inſuper cum fœmina fugam ceperit, aut ſecum bona Ordinis direpta, vel expilata detulerit, puniatur ſicut ille, qui bis ordinis deſertor extiterit.

7. Qui verò ſepta monaſterii frangens, & ab illo in effectu recedens veram Apoſtaſiam, vel fugam inceperit, & paulo poſt revertatur, licet brevitas temporis, nec veram tollat Apoſtaſiam, aut fugam, vel excommunicationis incurſum, atque adeo abſolvendum eſſe ab illa cenſeamus; nolumus tamen, ut ita graviter puniatur, ac cæteri, nec pœnis graviſſimæ culpæ ſubjaceat, ſed tantum gravioris, quas adhuc attemperare poterit Prælatus, juxta temporis morulam, & revertentis humilitatem, & lachrymas.

8. Ne ergo hæc, & alia crimina, ob proceſſus defectum, vel Prælati ſilentium impunita maneant, omnibus Prælatis, etiam Magiſtro Generali diſtricte præcipimus, ut contra hujuſmodi criminoſos, ac etiam proprietarios, incorrigibiles, & quoſcunque alios graviorem, & graviſſimam culpam committentes proceſſus, & cauſas diligentiſſime inſtruant, & perficiant, uſque ad diffinitivam ſententiam, juxta formam regularibus præſcriptam: finitas autem cuſtodiri, & ſervari provideant in archivo communi cujuslibet Provinciæ, uſque ad obitum delinquentis. Quod non tantum eo fine inſtituimus, ut prædicta crimina rite, & recte ſecundum jura puniatur de facto, ſed etiam ut poſt eorum punitionem, ſi caſtigatus nova crimina adiiciat, vel in jam correcta relabatur, conſtare poſſit de illius incorrigibilitate, ſi ulterius procedendum ſit ad expulſionem: vel an gravius plectendus ex occaſione relapſus. Poſt obitum verò delinquentis omnes dicti proceſſus comburantur.

9. Quocirca volumus, ut nec Provincialis, nec Magiſter Ordinis tales criminoſos poſſint à delicto abſolvere, eorumve proceſſus, & cauſas ſuſpendere, ſed illas ad diffinitivam uſque ſententiam ducere, & duci facere rite, & debite concludendas, ad præfatos fines, proceſſuumque cuſtodiam. Quod ſi Generalis, vel Provincialis huic ordinationi non pareant, in proxime ſequenti Capitulo corrigantur.

10. Qui juxta regularium formam, juridice fuerint convicti de triplici Apoſtaſia, & fuga, cum jam in prima, & ſecunda præceſſerit debita correctio, confeſtim pro tertia fuga, vel Apoſtaſia triremium ſententiam ſubeant per tres annos.

11. Fratribus autem præcipimus, ut cum Apoſtatis, & fugitivis, dum in domibus noſtris pœnitent, nullam familiaritatem inſtituant.

12. Tandem qui ſemel Apoſtatavenit, de cætero ad nullum officium, vel adminiſtrationem temporalem, aut ſpiritualem admittatur, niſi per Provincialem, aut Magiſtrum, poſt quatuor annos à regreſſu ad Ordinem, cum eo fuerit diſpenſatum.

Caput VII.

De Crimine Proprietatis.

1. UT proprietatis iniquitas, quæ eſt omnium malorum radix, & origo ex fratrum cordibus deleatur, & hæc Evangelicæ dilectione paupertatis incaleant, Commendatoribus univerſis, ſub pœna privationis officii per ſex menſes ſtatuimus, ut die jam ſuperius in hac noſtra Conſtitutione præfixo, ad inventarium de conceſſis ad uſum Prælato reſignandum, congregato Capitulo, fratres ſuos de perfecta rerum temporalium abdicatione ferventer admoneant, illiſque pariter inſtigant, vel denunicient excommunicationis ſententiam, jure hujus noſtræ Conſtitutionis illatam, aliaſque de jure pœnas adverſus hanc execrabilem proprietatis malitiam, & cordis cupiditatem incuſſas: quam eiſdem, & eſſe ſacrilegium, & veram furti fæditatem includere prudenter exponat.

2. Si quis autem de proprietate convictus fuerit, præter gravioris culpæ pœnas, & excommunicationis majoris ſententiam, illi ſuperius impoſitas, juxta decreta Concilii Tridentini, eum per biennium voce activa, & paſſiva privatum declaramus. Pecunias vero, aut alia quæcunque bona illius, qui de proprietatis crimine convictus fuerit, Commendator apprehendat, ſtatimque moneat Magiſtrum, & Provincialem, ut de illia prudenter, & cum æquitate provideant, attento jure domus, vel cujuſcunque alterius, ad quem ex æquo pertineant.

3. Fratres inſuper, qui per ſe, vel alium mercaturam, aut uſuram inſtituit, ſeu etiam ille, qui bona, & res Conventus, aut Ordinis furtive, & quomodolibet inju-

juſte alienaverit, tamquam vere proprietarium præſenti Conſtitutione declaramus, & pœnis ejuſdem criminis ſubiicimus.

4. Qui autem proprietarius (quod Deus arceat) è vita deceſſerit, tamquam Judæ ſocius ſepultura Eccleſiaſtica privatus in campo ſepeliatur.

Caput VIII.

De Appellationibus, & Recuſationibus fruſtratoriis.

1. CUM naturæ humanæ conditio prona, & facilis ſit ad malum: & plures ſui ſtatus, & profeſſionis immemores litigia, & diſcordias, occaſione appellandi, anxie perquirant: ut ſub quærimoniarum, ſupplicationum, & appellationum velamento evagandi anſam arripiant, & ſub ſanctitatis prætextu bona Ordinis in deteſtabiles uſus conſumant, in noſtræ Religionis jacturam, & Divinæ Majeſtatis offenſam, præſenti Conſtitutione io virtute Spiritus Sancti, & ſub excommunicationis ſententia præcipimus, ne quis in Capitulo, vel extra in aliquo loco, quacunque dignitate in Ordine, ſtatu, vel conditione ſit præditus, audeat à ſtatutis, ordinationibus, correctionibus, vel obedientia Magiſtri Generalis, Provincialis, Diffinitoris, aut cujuſcunque Prælati alium Judicem (ſalva ſemper authoritate Apoſtolica) appellare, vel per viam ſupplicatioois, aut cujuſvis quærimoniæ, eorum judicio uoo acquieſcere.

2. Tranſgreſſor verò hujus diſpoſitionis, ut pœoam gravioris culpæ, abſque ſpe relaxationis incurrat, cooſtituimus: quam ſi fortè ſuſtioere renuerit, ex nunc pro tuoc ipſo facto excomunicatum declaramus. Rurſus etiam illum in carcerem contrudi præcipimus, inhabilemque ad omnem adminiſtratiooem ſpiritualem, vel corporalem manere in perpetuum. Qoa de pœna ſolus per ſe Magiſter, vel Proviucialis cum Diffinitorio, & prævia correctione, ac validis pœoitentiæ gemitibus, diſpenſare poſſit.

3. Quod ſi in eam veſaniam, audaciamque devenerit, ut ad prophana ſæculi tribunalia confugiat, & ad illa quovis prætextu, aut quæſito colore cauſas Ordinis, & earum appellatioues deferat, quicunque ille fuerit, & quavis conditione, vel gradu inſignitus, ſe noverit incurſum in excomunicationis ſententiam à SS. Clemente VIII. in hujuſmodi audaces ſeveriſſime latam, ſolique Romano Pontifici, citra mortis articulum, reſervatam, nec non in privationem perpetuam utriuſque vocis, officiorum, & dignitatum, ac etiam iohabilitatem ad illa, ipſo facto, & abſque declaratione aliqua. Quas pœnas non diſſimiliter participant omnes illi, qui directe, aut indirecte favent, & conſulunt præfato recurſui.

4. Similiter etiam præcipimus, ut nemo ex noſtris fratribus, iu ſuis cauſis judicialibus Prælatos Ordinis legitimos, & Ordiuarios recuſare valeat, niſi juſta adſit, & graviſſima ratio, quam recuſator probare teneatur: nec illa valotem habeat, priuſquam eſſe rationalem cenſeatur per duos Patres ab eo videlicet eligendos, qui Prælati recuſati Superior fuerit immediatus. Probatio autem à recuſante fiat intra terminum, à prædictis Patribus ſibi deſignatum. Interea vero dum intra illum de juſta recuſatione agitur, Prælati recuſati cauſas, quæ apud illos verſantur omnioo ſuſpendant. Si autem recuſator in probatione defecerit, voce activa, & paſſiva maneat per decennium privatus: & biennio ſub pœna recluſionis, & gravioris culpæ de ſua levitate, & temeritate pœniteat.

Caput IX.

De Impetrantibus Favores, & litteras depræcatorias pro captandis honoribus.

1. CUM in electionibus ad officia, & collationibus dignitatum Ordinis ſummopere cavere debeamus, oe hæc eadem per favores extraneos, aut Potentum depræcationes, & litteras extorqueantur à fratribus, unde vel Ordo, ejuſque regimen obturbetur, ſeu deprimatur æquitas, vel Prælati in arcto poſiti pendeaut, à favoribuſve autem amoventes, depræcantium iu ſe, vel Ordinem indignationem concitent; idcirco ſub formalis obedientiæ præcepto ſtatuimus, & ordinamus, ut nemo ex noſtri ordinis fratribus ab aliqua perſona extra illum, quacunq; dignitate, gradu, vel emiuentia præcellat, neque à communitate aliqua populi, vel urbis, ſeu quolibet alio Senatu, Congregatione vel Cætu per ſe, vel alium, aut alios, preces, vel litteras depræcatorias, convinatorias, monitorias, commendatitias, aut quaſcunque alias ad Magiſtrum Generalem, Provincialem, Capitulum, vel ejus Diffinitores, ſeu etiam ad Ordinem quovis modo directas, pro dignitate aliqua, officio, gradu, prælatura, adminiſtratione, beneficio, aut alio quocunque honore obtinendo, quomodolibet impetret, vel impetrare cootendat.

2. Si quis autem aliquid de prædictis, tam in genere, quam io ſpecie hac

via

via procuraverit, vel etiam obtinuerit; nec non qui dictis favoribus, aut eorum quoquo modo impetrationem participaverit, ac etiam qui illis ſponte obiatis, & minime conquiſitis uſus fuerit, prærer pœnam gravioris culpæ, privatus maneat voce activa, & paſſiva, ac omnibus honoribus, gradibus, & officiis obtentis, & cum perpetua inhabilitate ad illa: quas pænas ipſo facto incurrendas declaramus. Univerſis vero Prælatis præcipimus, ne illas unquam aliqua ratione modificent, nec præfatis litteris, aut favoribus quomolibet acquieſcant.

3. Quod ſi frater aliquis, extra prædicta, pro quavis alia gratia, ut conventualitate, ſtudio, impunitate culpæ, aut ſimilibus præfatos favores applicuerit, unde Prælatorum regimen, & regularis vitæ ſemita diſturbetur, gravioris culpæ pænis ſine relaxatione, etiam à Magiſtro, ſubjaceat.

Caput X.

De Culpa, & pœnis Incorrigibilium.

1. Qualiter hujuſmodi ſcelerati probari, & agnoſci debeant, ſatis jure communi, & præcipue decretis Sacræ Congregationis Concilii authoritate SS. Urbani VIII. editis luculenter inſtruimus: ut non ſolum de illis diſciplina regularis ritè, & canonicè vindictam ſumat, ſed etiam, ut vel eos ad tempus juſto judicio à communi ſocietate ſeparet, quo pæniteant, vel à ſe perpetuo repellat, ut gregem Domini non inficiant.

2. Cum ergo aliquis ex ſuæ protervitæ, & iodurationis merito ſit repellendus ab Ordine, id minime fiat, niſi vere, juxta juris communis diſpoſitionem cenſeatur incorrigibilis, & penes dicta decreta Sacræ Congregationis Concilii per unum annum in jejunio, & pænitentia in carcere probetur: Quo elapſo, ſi non melioris frugis evaſerit: quin potius in eadem, aut nova, vel ſimilia ſcelera dilabatur: tunc quaſi putre membrum à Religionis corpore præcidatur, ne in illud morbus accreſcat. Fiat autem judicio ſolius Magiſtri Ordinis, de conſenſu, & aſſenſu ſex Patrum de gravioribus Religionis, quos juxta conceſſionem Alexandri VII. fore decernimus in ſingulis Provinciis totius Ordinis quatuor Diffinitores Provinciales, & duos Diffinitores Generales, vel iſtorum defectu duos Electores Generales ejuſdem Provinciæ: ita videlicet, ut in quacunque Provincia Generalis extiterit, in ipſa cum prædictis Patribus, & Diffinitoribus, ſeu Electoribus illius, de quocunque fratre Ordinis poſſit ferre ſententiam.

3. Probatio autem de his omnibus ſic ritè, & canonicè fiat: Si quis enim in caſibus inferius præſignandis deliquerit, conficiendus eſt legitime proceſſus ad formam regularibus conſtitutam, & per ſententiam puniendus. Quod ſi ſecundo in idem, vel aliud ſimile, aut gravius delictum inciderit, facto denuo proceſſu per novam ſententiam corripiatur, & pariter moneatur, ut ab hujuſmodi criminibus reſipiſcat ſub pænis incorrigibili debitis. Si tertio tandem deliquerit in prædictis, inſtructo iterum alio proceſſu, & ſententia lata, ad pœnas incorrigibili deſignatas condemnabitur, & potiſſime ad carcerem per unum annum.

4. Ut ergo ſcelera pateant, de quorum repetito lapſu, & tandem de incorrigibilitate reus convinci debeat, denuoque repelli, ſequentia maxime deſignamus: videlicet apoſtaſiam, vel fugam: expilationem, & diſſipationem bonorum Redemptionis, & Ordinis: frequentes cum aliis fratribus contentiones, & rixas, cum gravi percuſſione violenta: & præcipue ſi hæc eadem, conſpiratio inſuper, vel ſeditio in Prælatos exerceantur: partialitates, & diviſiones in conventibus quaſi more coſtrorum agere, vel fovere: clauſuræ violationem: carnis lapſum cum quolibet complice patratum: falſam accuſationem, ſeu teſtimonium falſum: Litterarum Apoſtolicarum, vel etiam Superiorum Ordinis confectionem: rapinam, & furtum: Ebrietatem: ingreſſum ad monaſteria Monialium: veneficium: vel alia id genus flagitia, & enormia ſcelera ſæpius iterata, & correctionibus non emendata.

5. Statim igitur ac pro iſtis rite, & debite fuerit frater expulſus, debet Magiſter Ordinis ſententiam in eum latam notam facere. Diæceſano loci, & eum pariter habitu clericali indutum illius juri, & obedientiæ ſubjicere: ipſum autem expulſum de ſequentibus admonebit: Per expulſionem non relaxari illius vota Ordini noſtro eſſentialia, & ab ipſo in profeſſione emiſſa, ſed ſuſpendi duntaxat in his videlicet, quæ ſtatus expulſorum non patitur; in illis vero, quæ non repugnat, adſtringi omnino ad eorum obſervantiam: ſecundum, ſi fuerit Sacris initiatus, manere ſuſpenſum ab omni Ordinum exercicitio; obligari tamen ad recitationem officii Divini: tertium teneri in conſcientia ſe ſe corrigere, & convertere in bonam frugem, ut dignus fiat, qui ad miſericordiam, & ordinis conſortium denuo ſuſcipiatur.

6. Ipſis

6. Ipſis tamen Prælatis in Chriſti viſceribus ſuademus, ut antequam graviſſimum, & extremum expulſionis remedium experiantur, memores ſint paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam ex officio, & Chriſti imitatione profitentur, nihilque intentatum relinquant, quo animas fratrum ſibi creditas, lucrari, & à profundo malorum eripere omni ſtudio, & dilectione contendant: ne, ſi ob hanc negligentiam in vitiorum barathrum decidant, & aliquando pereant, ex illorum manu Dominus iſtorum ſanguinem exigat.

7. Ut autem à litibus caveamus, quas ex hujuſmodi expulſionibus oriri fortè contigerit, præſenti Conſtitutione ſancimus, ut literis, ſive expulſionis ſententiæ iſta clauſula interſeratur: *Omnia nihilominus jura, actiones, & ſucceſſiones, tam ex jure communi, quam ex privilegiis, ſeu ſtatutis Ordinis, occaſione tuæ profeſſionis ipſi ordini in genere, aut alicui Provinciæ, congregationi, ſeu conventui ipſius in ſpecie qualitercunque pertinentia eiſdem reſervamus, & in nulla penitus derogamus.*

Caput XI.

De abſolutione Apoſtatæ, vel cujuslibet excommunicati.

1. CUM abſolvendus fuerit Apoſtata, vel alius quicunque excommunicatus ab hujus cenſuræ vinculo; ſe humiliter, flexis genibus, Prælato ſiſtat, vel ei cui vicem delegaverit; habeatque nudum dorſum, & ſcapularium ſuper caput, & faciem: Prælatus vero, aut abſolvens teneat virgas, ſeu aliud flagelli genus in manu, quo illum verberare debet: & dum ipſe cum conventu Pſalmum *Miſerere mei* alternis verſibus recitat, ad finem cujuſque verſus nudam ſcapulam verberet: in concluſione vero Pſalmi dicatur *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem:
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Præſta quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviavit, reſtitue: ut peccatorum commiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius.*

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut quem delictorum, & excommunicationis catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

2. Poſt orationes autem hujuſmodi, recipiat juramentum à prædicto fratre, quod erit obediens præceptis Eccleſiæ, & Ordini, ejuſque Superioribus univerſis. Deinde dicat: *Confiteor Deo, &c.* Abſolvens autem adiiciat *Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. Et ego authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & authoritate, qua fungor, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo teneris, propter apoſtaſiam, vel violentam manuum injectionem, vel propter contumaciam* (ſemper exprimendo cauſam) *& ab omnibus tranſgreſſionibus, exceſſibus, ſeu omiſſionibus Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum, quantum ego poſſum, & quod non poſſum, ſuppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex JEſus Chriſtus. Et reſtituo te ſocietati fratrum noſtrorum, & communioni, & unitati fidelium Chriſti. Et diſpenſo tecum in omni irregularitate, quam incurriſti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et poſtea injungat Prælatus pœnitentiam, ut ſibi viſum fuerit. Quod ſi excommunicatio non ſit ob delictum publicum, omnia prædicta fiant omnino ſecretè.

Caput XII.

De incarceratione Criminoſi.

1. CUM pœna carceris ſit frequens in Conſtitutionibus noſtris, & quanto ea ſit ſeverior, tanto majori ſtudio charitatis indigeat, propterea fratribus declaramus eam non eſſe ita dirè infligendam, ut excludat miſerationis, & lenitatis officium.

2. Ad hoc ergo in qualibet Provincia, communibus expenſis, per ejus Provincialem à conventibus exigendis, conſtituantur carceres, cum omni genere vinculorum, in quibus ſcelerati fratres detineantur vincti, & compediti, aut tantum incluſi, juxta meritum criminis. Qualitas autem loci plus ad ſecuritatem, quam immanitatem accedat. Sit etiam ſufficienti lumine conſpicuus, ut diurno tempore incarceratus recitare valeat Divinum Officium, & libros ſpirituales legere, quorum uſu, & conſuetudine ſalubriter, & fructuoſe, tempus inſumat. Quapropter Prælatis injungimus, ut ſemper incarcerato, ſi Horis Canonicis fuerit adſtrictus, Breviarium apponi faciant, cum aliquibus de prædictis libris ſpiritualibus, aut Sanctorum vitas continentibus: & illum moneat, ut & in iis legendis verſetur, & Divini Officii penſum non deſinat.

3. Ulterius ipſis præcipimus, ut ſemel ad minus in hebdomada illum adeant, & viſitent, ac omni, qua potuerint, conſolatione permulceant: mentem ejus erigant ad pœnitentiæ fructum, & labores, ac pœnas inflictas toleranter, grate, & fructuoſe ferendas. Quod ſi per ſe exequi non valeant, fratrem aliquem ex gravioribus adhibeant, qui ſit potens charitate, & conſilio, & loco ſui prædictas viſitationes impleat.

4. In neceſſariis ad vitam ſit etiam diligens Prælatus, ut ei nihil deficiat, neque potus, aut cibi patiatur inopiam: neque in iis, aut aliis nimis ærumnoſe tractetur. Lectulus ſit ei ſtratus non majori cura, quam ſuæ congruit pænitentiæ, vel crimini: ſed ut miſerationem decet, & exigit fraterna dilectio.

5. Præcipue vero eidem Prælato ſubjungimus, ut debito intentus charitatis officio, ſtatutis temporibus Pœnitentiæ Sacramentum ab incarcerato ſuſcipiendum curet. Quoad Miſſam vero audiendam diebus feſtis ſimiliter ordinamus, ut ubi ſecurè, & tuto id valeat impleri, aut decenter in ipſo carcere fieri, hunc illi fructum nulla ratione prohibeat.

Caput XIII.

De Modificatione Pænarum.

1. Quamvis equidem multa ſint, quæ in ſuperioribus culpis, exceſſibus, ſeu criminibus, aut aliis etiam in hac noſtra Conſtitutione diſperſis, obſervari canonice jubeat ſublimis authoritas, Ordinis quoque ſtatuta diſtrictius exequenda præcipiant, tamen quia defectus præſentium temporum, & languentem humanæ conditionis ſtatum conſideramus, quibus non ſolum mentes, ſed etiam corpora deficiunt, fragilitate humana, & fomite prævalentibus, ea propter Salvatoris noſtri exemplo inhærentes, qui ſemper miſericorditer agit, & figmento noſtro compatitur, præſenti Conſtitutione ordinamus, ut ad pœnas contra prædictas culpas, & crimina expreſſas, tam declarandas, quam modificandas, mitigandas, commutandas, & relaxandas poteſtatem habeat, Magiſter in toto Ordine, Provincialis in ſua Provincia, & Commendator in Commenda: quibus ex jure noſtrarum Conſtitutionum conceditur hæc facultas, ubicunque ab ipſis, vel à jure reſtricta non fuerit.

2. Hanc autem ſic intelligimus, ut, ubi pœna minime relaxanda, vel ſine ſpe relaxationis, aut aliis verbis ſimilibus denunciatur, poteſtas Magiſtri, aut Diffinitorii Generalis, & Provincialis excludenda non veniant, niſi prohibeatur expreſſe: cum tantum per illa inferiorum Prælatorum poteſtatem reſtringere cenſeamus. Ipſos tamen, quibus hæc inſit diſpenſandi, vel relaxandi facultas, monemus in Domino, ut nunquam facile, & pro ſolo libito, ſed rationabiliter, & juſta ſemper ex cauſa diſpenſent, aut modificent, & impleta prius majori parte pœnitentiæ, ipſi delinquenti aſſignatæ, ſignîſque doloris, & manifeſtæ correctionis præcedentibus.

3. Quoniam autem, & ſi culpas omnes æqua lance ſtudeamus appendere, & eas pœnis æqualibus vindicare, nunquam tamen unius eſſe ponderis invenimus: nec etiam ſi pares ſint, parem pœnam exigunt ob diſcrimina perſonarum, quas juſtitia diſtributiva reſpicere oportet: ideo Prælatorum diſcretioni ſubjungimus, ut ſi in prædictis quatuor generibus culparum, aliiſve ſpecialibus criminibus reatus fiat gravior, aut levior ratione circumſtantiæ, quæ malitiam ejus nimis augeat, vel minuat, hanc ſemper tanquam primam inter rationabiles cauſas præſeferant: ut vel pœnam legis in ſuo rigore exequantur, vel augeant aliquando, aut etiam modificatione, vel relaxatione demulceant.

4. Si verò differentia ſit in perſonis, tanto rationabilius poterit commutari pœna, quanto reus inſignior, & excellentior extiterit: non ſolum quia in iſtis levis pœna eo redditur gravior, quo fuerit conditio nobilior, & jam ex hac parte major, & minor in ipſa pœnæ diverſitate coæquantur: ſed etiam quia Regularibus expedit, ut vel hæc Ordinis fulcra non vilibus omnino pœnis dehoneſtata corruant, vel ut eorum flagitia non prodantur ex toto, ſed quantum liceat, abſcondantur à parvulis: ne ſuo exemplo plus ſcandalo noceant, quam exactæ caſtigationis ſtrepitu proficiant. Talibus ergo, cum deliquerint, pœnam dehoneſtantem in alias, eorum præcellentiæ conſonas, commutari conſulimus.

DISTINCTIO VI.

De exercitio, & Profeſſione Litterarum.

Supra montem Chriſtum jam molle Religionis erecta, litterarum lucernam accendimus, quas ex inſtituti debito amplecti compellimur, non ſolum quia cum reliquis proximorum ſaluti, & inſtituendis populis mancipemur, verum etiam quod ob ſpeciale Profeſſionis vinculum

lum cum paganis, & gentibus, fideique deſertoribus, & in ea ſæpe nutantibus, frequentiſſime verſamur: inter quos oportet fratres noſtros, juxta Apoſtolum, amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, argoere, nec non, & illis rationem reddere, cum de rebus fidei ſæpenumero poſtulantur.

C.A P U T I.

De ſtudiis eorumque Profeſſoribus in communi.

1. UT ergo, juxta præmiſſa, noſtri Ordinis profeſſionem impleamus, & nolla ſit in eo domus, ubi aliquapiam litterarum diſciplina oon vigeat, præſenti Conſtitutione decernimus, ut in ſingulis Provinciarum Capitulis deſignentur à Diffinitorio omnia ſtudiorum genera, quæ ſingulis domibus, ſecundum earum poſſibilitatem, expediant: ita ut in magnis, & præcipuis conſtituatur doctrina Scholaſticæ, Expoſitivæ, & Moralis Theologiæ, ac Philoſophiæ, prout opportune conveniat: In parvulis autem collationes ad minus, & conferentiæ Theologiæ Moralis, & Expoſitivæ inviolabiliter habeantur.

2. Præcipue verò in qualibet Provincia, unam ſaltem domum præfixam eſſe ſtatuimus, quæ ſit, & gaudeat juribus Collegii pro ſtudiis duntaxat Sacræ Theologiæ, ubi ſub uno Rectore, & ſtudiorum Regente Lectores, & fratres ſtodentes expeditius, quam alibi ſacræ diſciplinæ dent operam, & uberiorem capiant ex ea proventum.

3. In prædictis Domibus, & Collegiis, pro ſacra Theologia deſignatis conſtituantur duo Lectores matutini, & tertius veſpertinus cum uno Magiſtro ſtudentium: quartus autem non addatur, niſi forſan pro legendis Artibus, obi hæc ſtudia liceat quoque conſtitui. Quibus ſuperaddimus unum fratrem Regentem, qui curam ſtudiorum ſuſtineat, eaque moderetur, quemadmodum ſtabilitur inferius.

4. In nulla domo ſtudia prædicta, tam Artium, quam Theologiæ permittimus, niſi ſufficiens auditorum numerus ſuppetat, quem in utroque, ad minus, ſenariom ex fratribus Ordinis poſtulamus.

5. Provincialis, ad quem attinet prædictos fratres ad Artes, ſeu Theologiam addiſcendas eligere, vel etiam Magiſter, ſi id aliquando ex cauſa legitima ſibi aſſumpſerit, nullo modo eos ad ſtudia præfata deputet, niſi prius per teſtimonium, ab Examinatoribus Conventus exhibitum, ſibi manifeſte de illorum ſufficientia, & capacitate liqueat. Quos enim in Grammatica non ſufficienter informatos invenerit, nullo modo ad Artes mittat: nec ſimiliter quos in Artibus non ſatis inſtructos deprehenderit, auditores Theologiæ conſtituat: ſed illos eo transferat, ubi ſufficientet reddantur hujuſmodi facultatibus, à quibus eos omnino reiiciat, donec ad illas reſpectivè probentur idonei.

6. Ut aotem diſciplina in præfatis aoditoribus nulla diſtractione frigeat, Commendatoribus ſtatuimus, ut nulli eorum in diebus lectionis licentiam à domo egrediendi concedant, etiam cum ſuis Lectoribus, niſi ad Concluſiones publicas. Neo ſimiliter prædictis diebus ad communes recreationes eos procedere permittant; nec ipſis lectionem quacunqoe ratione prohibeant.

7. Inſuper conſtituimus, ut nullus frater mittatur ad Collegium pro audienda Theologia, niſi per unum annum in alia domo auditor illius extiterit. Cum autem eligendus ſit, fiat ſemper prævio examine, & oppoſitione publica coram Prælato Superiori, exponendo ſcilicet per dimidiam horam quæſtionem, vel materiam aliquam de Artibus, ſibi ante viginti quatuor horas, & non amplius ſortitam: & ulterius per dimidiam reſpondendo argumentis in illam objectis à ſuis oppoſitoribus, vel eorum defectu ab his, quos Prælatus ſuperior deſignaverit: qui illum, ſi approbatus manſerit, poterit ad Collegium mittere.

8. Præfato denique Prælato conſtituimus, ut nulla ratione, vel cauſa Novitium aliquem ad ſtudium Artium, vel Theologiæ ſuſcipiat, niſi jam unum annum in novitiatu expleverit, ut ſuperius, diſt. 4. cap. 3. ſancimus.

C A P U T II.

De Studiorum Regente.

1. CUM ſtudiorum pondos, & eorum recta ratio ab uno directore, & eo quidem ſolicito pendere debeat, & præcipua cura moderari, ut literarius ager ſub eo cultore floreat: ea propter conſiderantes frequentiſſime Commendatores ſui Conventus regimine nimis implicatos, ac diſtentos, nec, quantum expedit, curis pariter ſtudiorum intendere poſſe, præſenti Conſtitutione ſtatuimus, ut

ut in ſingulis Collegiis, ac domibus, ad diſciplinas Sacræ Theologiæ deſignatis, & non alibi, unus frater ſpeciatim eligatur à Diffinitorio Capituli Provincialis cujuſque Provinciæ, qui nomine Regentis in præmiſſis domibus, & collegiis ſit omnibus ſtudiis, tam Theologiæ, quam Artium præpoſitus; cujus officium uno ſolo triennio concludatur, à Capitulo ſcilicet, in Capitulum. Quod ſi extra Capitulum vacare contigerit, ejus electio ad Provincialem ejuſdem Provinciæ pertineat.

2. Et quoniam hujuſmodi officium in debita authoritate conſtituere intendimus, ad ejus electionem virum ſemper exigimus, qui ſit Magiſter, vel Præſentatus in literis florens, & aſſiduus, ac de illarum fruge zelator, nec non, & ab aliis curis, & occupationibus expeditus. Si autem inter prædictos non facile ſuppetat, eligatur de Lectoribus jubilatis, alioquin fiat Regens Collegii, aut domus ſtudiorum antiquiſſimus in Lectura Lector inter omnes ejuſdem Collegii, vel Domus.

3. Munus Regentis debet eſſe præcipue ſtudiis ſibi commiſſis invigilare, eaque omni ſolicitudine promovere: ita ut quæcunque illis noceant, prudenter avertat; quæ verò profutura ſint ad meliorem frugem, pro viribus curare non deſinat. Debet etiam præ oculis habere, quæ ſcripta ſunt in Conſtitutionibus noſtris, & ea, quæ in dies emanaverint à Capitulis Generalibus, & Provincialibus, à Magiſtro Generali, à Provinciali, à Viſitatoribus ad rectam ſtudiorum rationem, & dare operam, ut ea diligenter ſerventur.

4. Ad ejus inſuper ſolicitudinem accedit, quod Lectores quicunque ſuo muneri officioſe intendant: quod lectionibus dictandis ſint horis ſibi competentibus aſſidui: quod conferentiis quotidianis, & concluſionibus, tam menſilibus, quam hebdomadalibus, quotieſcunque in noſtris domibus exerceantur, aſſideant: & ad illas extra Ordinem confluant, iiſque debitam viciſſitudinem reddant. Illos autem, quos in his, aliiſve negligentes offenderit, poterit ad lectiones, conferentias & concluſiones vocare, & ſimul admonere prudenter, ut munera ſua in omnibus legitime compleant. Quod ſi non acquieverint monitioni, rem Commendatori deferat, aut etiam Superioribus Prælatis, prout magis expedire judicaverit.

5. De cætero autem Regentibus facultatem impertimus, ut ſtudentium omnium in litterarum uſu, & exercitatione defectus corripere, & objurgare valeant; ac ipſis etiam pœnitentias, vel abſtinentias aliquas infligere: quas tamen ſi in Refectorio fieri oporteat, Prælato notas faciat: cui ſane conſulimus, ut ſemper Regentis partibus faveat, quo magis ejus magiſterium authoritate fulciat. Quod ſi venia danda ſit delinquenti, eam, conſulto Regente, largiatur.

6. Cùm habendæ ſint concluſiones publicæ, quæ typis mandari debeant, nullus Lector id audeat exequi, niſi prius eas Regenti ſubiiciat, ut recenſeat, approbet, & ſubſcribat: in quibus, ſi novitas à D. Thomæ doctrina, & ſenſu devias invenerit, omnino prohibeat, & deleat, nec ratione aliqua, ſub pœna privationis à munere, defendi permittat.

7. Conferentiis, ſeu collationibus Theologiæ, vel Artium ſingulis diebus non feriatis inviolabiliter aſſiſtat. In ipſis, & concluſionibus publicis argumenta diſtribuat, eaque, ſi neceſſe fuerit, reſolvat, & ipſo loquente omnes ſileant. Ad lectionem, in conferentiis dicendam, fratrem ſtudentem eligat, ſervata tamen in his omnibus authoritate Prælati, cui præſenti ſemper æquum ducimus hæc munia cum omni comitate differri, & eo ſolum annuente Regentem ſuſcipere, & exequi.

8. Si Commendator in diſciplina litterarum promovenda fuerit negligens, & earum fructum quovis modo impediat, id Regens protinus Provinciali, aut Viſitatori aperiat, vel etiam deferat ad Provinciale Capitulum, ut damno adhibeant medelam.

9. Ulterius ad Regentem pertinet, ut determinatas horas auditoribus, tam vere, quam hyeme juxta Provinciarum conſuetudinem, ad ſtudendum præfigat: & pro antelucanis unus ſit ex illis excubitor, qui reliquos à ſomno excitet, & ipſis, omnibuſque Lectoribus lumen accendat, prout fuerit in domibus conſuetum. Ad hoc autem diligenter ſtudeat, ut illis tribuatur oleum, & reliqua neceſſaria pro ſtudio, ut atramentum, pennæ, papyrus, & alia ſimilia: de quibus ſic illis Prælatus large provideat, ut nunquam ſtudia ex præmiſſorum penuria tepeſcant. Similiter curet Regens de bona aulæ diſpoſitione, ita, ut feneſtræ ad pluviam propulſandam ſint bene munitæ, nec vento facile pateant.

10. Recreationes autem, quando ſint ſtudentibus indulgendæ, fiant ſemper opportuno tempore, & de licentia Prælati,

lati, quam ſolus ab eo poſtulabit Regens. Quocirca declaramus, quod licet omnis res literaria, ejuſque acta ordinare ad Regentem pertineat, cæterum in præcipuis, & his, quæ poſſunt concurrere cum aliis conventualibus actis, aut eorum opportuna tempora invertere, ſemper Prælatus conſulendus eſt à Regente, ut inter ipſos res literaria cum aliis Conventus oneribus temperetur,& ita pro ſingulis eligatur tempus, ut ſe invicem non impediant, aut importune fiant. In abſentia Regentis antiquior, primuſque Lector munus ejus ſuſcipiat. Ubi verò lectura tantum Artium ſit conſtituta, curam, & regimen ſtudiorum Lectori ſubjungimus.

11. Regens denique, ſi non fuerit Magiſter, ejus gratia fruatur quantum ad menſuram refectionis, & victus, eique neceſſarium oleum ad ſtudium præbeatur. Pro ſe autem, præter unam Miſſam omnibus Sacerdotibus ſemel in hebdomada conceſſam, alias duas celebrare poterit.

Caput III.

De Lectoribus Creandis, & oppoſitione ad Lecturas.

1. Quia ex recta inſtitutione Lectorum pendet maxime proventus, & utilitas literarum, præſenti Conſtitutione decernimus, ut nullus ad oppoſitionem Lecturæ, tam Artium, quam Theologiæ admittatur, niſi decurſis in integra Philoſophia tribus annis completis, prout inferius declaratur, ac quatuor integris pariter in Theologiæ diſciplina peractis, & niſi concluſiones utriuſque facultatis publice defenderit, ſecundum conſuetudinem Provinciarum, à Capitulo Provinciali, approbatam.

2. Oppoſitiones autem pro qualibet Lectura obtinenda ita inviolabiliter præmittimus ante inſtitutionem Lectoris, ut tam in Artibus, quam in Theologia non poſſit aliquis in Lectorem eligi, niſi facta oppoſitione in concurſu generali, & publico à Provinciali, vel Magiſtro, ſeu ab ipſis poteſtatem habente, convocato: & niſi duo graduati de Numero ad minus præſentes extiterint.

3. Modus verò oppoſitionis ita ſit: ut quiſve videlicet ex oppoſitoribus ante viginti quatuor horas, & non amplius, materiam lectionis eligat, & pro libito ſuſcipiat ex tribus punctis, vel capitulis, per ſortem ſibi ex Ariſtotele, vel Magiſtro ſententiarum, juxta qualitatem lecturæ, propoſitis. Quo tempore elapſo, confeſtim in arenam deſcendat, & per unam horam publice coram Provinciali, aut etiam Magiſtro, vel eorum poteſtatem habente, & reliquo concurſu punctum, materiam, vel caput ſibi ſortitum exponat, & per aliam horam argumentis oppoſitorum ſatisfaciat.

4. Hoc itaque examine peracto, Provincialis, vel Magiſter, vel quicunque alius oppoſitionem celebrans, convocatis omnibus graduatis de Numero, ac etiam Lectoribus Jubilatis, qui Conventui, Collegiove adſuerint, & ejus ſimiliter Prælato, cum ipſis ineat conſilium circa ſufficientiam oppoſitorum: quibus auditis per ſe decernat eos, qui in primo, aut ſecundo gradu manere debeant approbati ad Lecturam, pro qua decertaverint: ita, ut ipſe Provincialis, vel Magiſter, aut alius ab ipſis poteſtatem habens ad eas, quæ tunc,vel pro tempore vacaverint, poſſit de ipſis,& non aliis eligere, quem maluerit, ſervata tamen qualitate, & gradu approbationis, juxta gradum, & qualitatem lecturæ, vel loci. Secretarius vero approbatos, & reprobatos in Provinciæ libro conſcribat, ut qui valeant Lectores eligi, publice conſtet.

5. Si quis verò ſine aliqua ex prædictis ſolemnitatibus creatus fuerit Lector, ex nunc declaramus lecturam ejus nullius eſſe roboris, & valoris: & annos, quibus legerit, ad gradus obtinendos, non debere computari pro merito.

6. Declaramus adhuc prædictum examen, ſeu oppoſitionem debere in eadem materia fieri, ex cujus genere fuerit Lectura providenda: ita, ut non ſufficiat approbatio ad Lecturam Artium, ut quis cenſeatur approbatus ad Lecturam Theologiæ, aut è converſo.

Caput IV.

De Officio, & Munere Lectoris.

1. Sic inſtitutis Lectoribus à Provinciali, vel Magiſtro, decernimus, & ſtatuimus, Lectores Artium teneri per tres annos completos continuo legere,& interpretari omnes libros Ariſtotelis in hac lectura, juxta conſuetudinem, comprehenſos: ita ſcilicet, ut in omnibus annis legat per ordinem Summulas, & Logicam, cum Iſagoge Porfirii, & libris Prædicamentorum, deinde octo libros Phyſicorum cum reliquis de Generatione, & Corruptione, de Anima, Mundo, Cœlo, & Metheoris.

2. Curſum vero incipiant à die Exaltationis Sanctæ Crucis, uſque ad feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ: à quo die,

die, uſque ad initium alterius curriculi, intermiſſionem concedimus, ut auditores hoc tempore, cum Lectoris auxilio, præterita reminiſci, & inter ſe conferre valeant. Quocirca conferentias, his etiam feriis quotidie Lector cum illis exerceat. Formam legendi ſic eſſe decernimus, ut in quolibet die lectivo, accepta prius à diſcipulis lectione præcedenti, mane, & veſpere legant per unam horam, & per dimidiam, quæ legerint, exponant. Hora autem conſueta, & à Commendatore, & Regente præſtituta, conferentias, diebus ſingulis, ſine diſpenſatione habeant: & concluſiones ſemel in hebdomada, cum totius Scholæ aſſiſtentia, minime prætereant. In quolibet verò curriculo unum, ad minus, ex auditoribus magis idoneum, ad publicum actum accingant, & defendant, & ad publicos, extra Ordinem etiam, indeficienter conveniant.

3. Lectores autem Theologiæ, & mane, & veſpere ſemper unam horam in legendo, & exponendo lectionem inſumant. Conferentiis quotidie habendis, & in aliqua ex eorum materiis, alterne verſandis, omnes interſint. Sabbatinas diſputationes in ſingulis ſeptimanis habeant, eiſque indiſpenſabili alternatione præſideant. In quolibet etiam curriculo, publicum actum inſtruant, & defendant: nec ab extraneis unquam abeſſe, & in illis arguere prætermittant, quotieſcunque ipſis ſervanda ratio viciſſitudinis obtingat. Curſum Theologiæ incipiant à prima die poſt feſtum S. Lucæ, & uſque ad Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis ſine ulla intermiſſione legant: ita tamen, ut materiam ſemper inviolabiliter compleant.

4. In doctrina, ſtylo, & electione materiæ ſemper debet Lector ſe conformare diſcipulorum neceſſitati, & ingenio: ita ut eos magis utilibus, & intelligibilibus imbuat. A ſuperfluis, inanibus omnino abſtineat. Sciat utique in antiquis eſſe ſapientiam, ac proinde vocum novitatibus non adhæreat, nec opiniones à communi ſenſu devias ſectetur. Longos tractatus nunquam inſtituat, ſed eos ita clare, & breviter abſolvat, ut in ſingulis curriculis materiam perfectè finire valeat.

5. Univerſis Lectoribus enixe præcipimus, ut, juxta antiqua Ordinis decreta, ſæpius in Capitulis generalibus iterata, ſemper in omnibus, & per omnia Doctrinam D. Thomæ, ſecundum ſenſum, & expoſitionem Thomiſtarum, ita doceant, ut ſi in aliquo ab ea receſſerint, ipſo facto Provincialis eos lectura deſtituat. Maxime tamen ſtudeant, ut circa myſterium Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſemper illud in eam partem, & ſenſum ſuſcipiant, & exponant, unde nitorem ejus, & immunitatem ab omni labe dicimus, & profitemur.

6. Statuimus etiam, ut in qualibet domo totius Ordinis, vel etiam Collegio, ubi vigeat diſciplina Theologiæ, duo Lectores matutini ſemper legant materias Theologiæ Scholaſticæ, tertius vero Theologiæ Moralis, ſcholaſtico tamen more, Tractatum, vel materiam, ſub curſus reprobatione inſtruat.

7. Lectores tam Artium, quam Theologiæ ſemper in Aula, vel loco publico legant. Quod ſi ſecus fecerint, curricula eorum, & annos non approbamus ad meritum.

8. Ut autem omnis Lector, dum actui lectionis incumbit, inopia temporis non laboret, decernimus, ut toto Lecturæ tempore ſit omnino liber ab aſſiſtentia Chori, præterquam diebus feſtis, & ſolemnitatibus à lectione feriatis, ad Miſſam Majorem, & Veſperas, & ad omnes Matutinas cantandas, ad Miſſam Beatæ Virginis in Sabbato, ad Orationem mentalem veſpere, & mane, & denique ad Capitulum quotidianum, & non ultra. Pro ſe Miſſam unam celebrare poteſt, præter aſſignatam reliquis à Conſtitutione. Oleum pro ſtudio cuicunque Lectori à Conventu tribuatur. Locus eorum ad invicem in actibus, & functionibus literariis ſit penes antiquitatem lecturæ.

9. De cætero conſtituimus, ut juxta Decretum Capituli Optenſis à SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum, qui, decurſis omnibus lecturæ curriculis, jam pro Magiſterio meritum adimpleverint, gaudeant titulo Lectoris Jubilati, & omnibus immunitatibus, quas Præſentatis de Numero, & Juſtitia concedimus, excepto ſuffragio in Capitulo Provinciali: ſitque locus eorum noviſſimus inter illos, tam de Lectura, quam Pulpito, ita ut præcedant omnes Præſentatos de gratia: ſervatis tamen apud ipſos Jubilatos ordine, & antiquitate Lecturæ.

10. Lectores, qui ad Provinciam Italiæ mittantur à Magiſtro cum facultate legendi, aut deſignati fuerint in aliqua illius Provinciæ Lectura, omnino declaramus habiles, ut rite probatis eorum annis, & lecturæ curriculis in prædicta Italiæ Provincia peractis, gradus obtinere valeant in propriis.

CA-

CAPUT V.

De Magiſtro Studentium.

1. UBertatem literarii fructus deſiderantes, ne is defectu culturæ languefcat, hac de cauſa decernimus, ut in qualibet domo, vel Collegio, ad diſciplinam Theologiæ deſignato, præter tres Lectores prædictos, alius conſtituatur, qui ſit Magiſter ſtudentium: ad quod munus nullatenus aſſumatur, niſi jam per triennium lecturam Artium laudabiliter impleverit, & ulterius in oppoſitionibus generalibus pro lectura Theologiæ per unam horam lectionis, alteramque argumentorum legitime decertaverit, ſimulque approbatos fuerit, & ut talis in Provinciæ libro ſuſceptus.

2. Hujus autem ſit munus indiſpenſabile, omnibus Theologiæ conferentiis aſſiſtere, & alternatim cum ſingulis Theologiæ Lectoribus, eorum materiis, & opinionibus præſidere, quorum ſenſui, & judicio in illis defendendis acquieſcere, & conſentire debeat. In conclufionibus vero Sabbati, & extra Ordinem, eamdem vicem præſidendi, & arguendi cum prædictis Lectoribus ſortiatur. Horis ſtudio deſignatis diligenter viſitet auditores: & ſi quos negligentes invenerit, Regente non adſtante, puniat, aut puniri faciat.

3. Præterea omnibus diebus feriatis, intra curriculum, dubium, vel quæſtionem literalem Sacræ Scripturæ eodem more, & forma, qua ſolet caſus conſcientiæ, proponat: ad quam omnes de Schola confluant, & pro libitu Magiſtri ſtudentium reſpondeat objectis unus de ſtudentibus, ab eo deſignatus, cui præſideat ipſe, & tandem reſolvat dubium.

4. Qui ſic ergo in hoc munere fuerit plauſibiliter operoſos omnes annos pro gradibus promerendis comparet, tamquam ſi revera eos legendo peregiſſet, modo præcedat informatio legitima de illis, prout de reliquis Lectoribus fieri conſtituimus. Præter hoc autem, jus habeat ad primam lecturam, quæ proxime vacaverit in Conventu, aut Collegio, ubi munus iſtud obierit: eiſdemque gratiis, & exemptionibus gaudeat, quibus cæteri Lectores actuales Theologiæ.

5. Et licet pro ſtudiis Artium Magiſter ſtudentium ſemper fuerit hactenus ſolitus inſtitui; de cætero præcipimus, ut tantum deſignetur in domibus, Artium ſtudio deſtinatis, abſque ulla prorſus à Choro, & Altari exemptione.

CAPUT VI.

De Magiſtris, & Præſentatis.

1. IN qualibet Provincia non plures, quam duodecim Magiſtros Theologiæ ſuſcipimus, neque amplius, quam viginti quatuor Præſentatos de Lectura. His autem gradibus, quos de Numero dicimos nemiem inſigniri liceat, niſi qui exacte, & legitime omnia illorum merita, & requiſita compleverit, prout in his conſtitutionibus ordinantur.

2. Quocirca præſenti Conſtitutione enixe obſervari præcipimus Decretum Capituli generalis, Optenſis à SS. D. N. Innocentio XI. confirmatum, quod nullus ad gradum Præſentaturæ de Lectura promoveri valeat, niſi decurſis, integreque peractis octo annis Lecturæ actualis, incluſis pariter, quos forſan egerit in Magiſterio ſtudentium, ita ut jam per triennium unam ad minus Artium lecturam expleverit, reliquis autem Theologiam ſacram ad octavum uſque docuerit, aut Magiſter ſtudentium extiterit. Similiter etiam, quod nullus ad Magiſterium aſſumatur, niſi, ultra prædictos octo annos, alios ſeptem in ſacræ Theologiæ lectura conſumpſerit.

3. Lectorem autem illum, qui de licentia Ordinis in Univerſitate approbata oppoſitionem fecerit, & in ea Cathedram obtinuerit, ibique prædictos annos quindecim, tam in Artium lectura, quam Theologiæ ex toto, vel parte, peregerit, nulla ratione excludimus: imo gratis admittimus, & approbamus idoneum ad gradus Præſentaturæ, & Magiſterii obtinendos, perinde ac ſi prædictos annos intra Ordinem compleviſſet.

4. Pari modo conſtituimus, præmiſſos annos debere eſſe completos, ſingulisque materiis, & curriculis reſpondentes: ita ut unus annus non poſſit completi duos curſus tam Theologiæ, quam Artium. Quod ſi aliter eveniat, eos neutiquam ad ſuſceptionem graduum pro merito computamus.

5. Ut ergo omnium annorum lecturæ cujuslibet legitima ratio habeatur, eorum probationes, & informationes immediate fieri conſtituimus in actu viſitationis ab ipſis Provincialibus, vel Viſitatoribus: ita ſcilicet, ut primo fiant privatim in ſcrutinio ſecreto, & deinde publice per teſtimonia ſanioris partis conventus. Quod ſi ad iſtas authentice conficiendas Provinciali, aut Viſitatori tempus in viſitatione deficiat, ille tantum, & non

non Viſitator relinquat, aut mittat commiſſionem Religioſo ſibi probato, & idoneo, qui eas, ut prædicitur, perficiat.

6. Illæ vero ita legitime factæ, debent præſentari Diffinitorio Capituli Provincialis, & ibidem examinari, & pariter cum ſecreta informatione conferri, quam Provincialis, aut Viſitator in viſitatione ſuſceperit, ut ex iſta, & Illis fiat à Diffinitorio judicium, cujus eſt privativè informationes prædictas examinare intra Capitulum, easque approbare, aut repellere.

7. Ipſas inſuper fieri decernimus de triennio in triennium, in ſingulisque Capitulis præſentari. Quod ſi hæc præſentatio ultra unum Capitulum protrahatur, maneat irrita, annique Lecturæ non computentur ad proviſionem graduum. Statuimos præterea non quamlibet informationum hujuſmodi approbationem à Diffinitorio Capituli factam ſufficere, ut quis maneat expoſitus, aut jure promotus ad gradum aliquem obtinendum. Illam ergo tantum eſſe volumus declarationem ad expoſitionem gradus ſine diſpenſatione requiſitam.

8. Unde cum ex Decreto Pauli V. hujuſmodi expoſitio, ſeu præſentatio ſemper fieri debeat in vacante determinata per Diffinitorium Provinciale, intra Capitulum Provinciale congregatum, ad quod privative attinet, & ex hoc neceſſario ſequatur, gradus extra Capitulum vacantes uſque ad aliud proxime futurum manere ſuſpenſos, idcirco, ne præ his dilationibus quidquam incommodi Provincia ſuſtineat, conſulto, & deliberate ſtatuimus, ut prædicto Diffinitorio liceat intra Capitulum hanc facultatem exponendi, ſeu præſentandi ad gradus quemcunque ex approbatis à ſe ipſo, Magiſtro Generali cedere, ut ex ipſis extra Capitulum Provinciale exponat, quem maluerit.

9. Ex eodem Pauli V. Decreto ad Magiſtrum Generalem loco, & vice Capituli Generalis quoslibet, ſupradicto modo expoſitos, ad gradus promovere, eosdemque in ipſis confirmare privative pertinet. Qua etiam facultate gaudere volumus Priorem Barchinonæ, aut alium, qui tempore vacationis Magiſtratus, in Vicarium Generalem totius Ordinis ſucceſſerit.

10. Ordinamus ulterius, ut prædicta requiſita ex parte promovendi ad gradus Præſentaturæ, vel Magiſterii minime ſuppleri valeant per alia merita, & exercitia, vel obſequia Religioni præſtita, cujuſvis ea qualitatis extiterint. Quod ſi quis in poſterum præfatis abſque requiſitis, & conditionibus tales gradus ſuſceperit, eos irritos, nulliuſque roboris declaramus.

11. Nec gradum ejus, qui etiam per longum tempus à Provincia diſceſſerit (niſi forſan maneat adoptatus in alia) mox quaſi vacantem cuiquam providere, vel eum quovismodo in numerum ſubrogare liceat. Si quis tamen gradum ita ſuſceperit, nullitati, & privationi vocis activæ, & paſſivæ illum de facto ſubiicimus.

12. Præter dicta vero duodecim Magiſteria de Numero, & Lectura, & viginti quatuor Præſentaturas, etiam de Numero, & Cathedra, alias item ſex Præſentaturas pro Prædicatoribus admittimus, quas dicimus *de Pulpito*, de quibus inferius, Cap. de Prædicatoribus eſt dicendum. Extra præfatos autem gradus, quos fratribus ex æquo, & pro ſuo munere laborantibus impertimur, ſi quis gradum aliquem per Breve Sedis Apoſtolicæ, obtinere voluerit, nunquam id intendat, niſi de licentia Magiſtri, nec ea obtenta gradum aſſequi valeat, quin prius ejus narratio in Diffinitorio Provinciali examinetur, & ibidem de ſubreptione, & obreptione fuerit ab omnibus abſoluta, omnique vitio pura judicetur.

13. Deinde verò, ut quis ad collationem, & confirmationem prædictorum graduũ de gratia perveniat, firmiter conſtituimus, ut juxta prædictam Bullam Innocentii XI. ſæpius relatam, neceſſario, & inviolabiliter ſufficientiæ illius rigoroſum, & prævium fiat exameo: exponendo ſcilicet per unam horam punctum aliquod, ſeu quæſtionem Theologiæ Scholaſticæ, moralis, ſeu expoſitivæ, ante horas viginti quatuor à ſe pro libito electam, ex tribus ſibi ſorte propoſitis ex Magiſtro Sententiarum, aut ſacris Bibliis, & per aliam horam oppoſitis argumentis ſatisfaciat. Quæ omnia fieri debent ſolemniter in concurſu publico coram Provinciali: qui deinde cum duobus ſaltem Magiſtris de Numero, & totidem Præſentatis de Numero, & Cathedra ad approbationem Promovendi, per ſecreta ſuffragia procedat: & juxta majorem eorum partem admittatur, vel reprobetur.

14. Eos tamen ab hoc examine excipimus, qui jam alias ex merito Lecturæ fuerint approbati à Capitulo Provinciali ad prædictos gradus, vel ſaltem jam præfatum exameo ſubjerint in publicis

licis oppoſitionibus ad Lecturam Theologiæ, & ad illam pariter manſerint approbati.

15. Omnes Magiſtri, & Præſentati, quos de Numero, ſeu Lectura prædiximus, vocem habeant in omnibus actibus, & electionibus Capituli Provincialis, præterquam in ejus Diffinitorio, niſi alioquin ibi ea gaudeant ex munere. Magiſtris tribuatur Socius; qui ad commune Conventus ſervitium non deputetur: & per eundem è domo egredi volentes, licentiam à Commendatore petant. Ultra communem, duas pro ſe Miſſas in hebdomada celebrare poterunt. Supra comunis refectionis menſuram, ejus medietatem illis ubique ſuperaddimus. Ipſos item ab omni officio altaris abſolvimus, niſi in feſtis, & ſolemnitatibus præcipuis: neque in tabula hebdomadæ ad aliquod munus deſignari poſſint.

16. Quantum verò ad reſidentiam in Choro iiſdem Magiſtris denontiamus, eos vi gradus, ſpecialiter eſſe ad ſtudium Sacræ Theologiæ Scholaſticæ, moralis, myſticæ, vel expoſitivæ deſtinatos: juxta quas, tum ſcribendo, tum concionando, tum confeſſiones audiendo debent populos inſtituere, ad quorum profectum ſunt verè facti, & appellati Magiſtri. Quapropter dum hujuſmodi laboribus ſpecialiter actu, & aſſidue pro ſuo munere intenderint, eos, quantum ad Chorum, eiſdem Lectorum actualium gaudere immunitatibus declaramus. Præſentati vero, ultra comunem Miſſam, alteram pro ſe celebrare valeant in hebdomada, & eos pariter ab officio altaris abſolvimus. In reliquis autem ſervetur omnibus Graduatis, tam de Lectura, quam Pulpito rationabilis conſuetudo Provinciarum, à Capitulis Generalibus approbata, & præter illam, & præfata, nulla ipſis alia privilegia permittimus.

17. Super quibus inſuper declaramus, Magiſtros, & Præſentatos de Gratia, modo dicto creandos, in bis quoque reſpective privilegiis, & immunitatibus contineri: ita tamen, ut quantum ad locum, Præſentati de Gratia ſint poſteriores Præſentatis omnibus de Lectura, & Pulpito, quos dicimus de Juſtitia. Circa Magiſtros autem pariter ex Gratia Inſtitutos obſervari præcipimus Decretum Capituli Generalis Optenſis à SS. Innocentio XI. confirmatum, videlicet in hac forma: quod nullus ad ſeriem Magiſtrorum de Numero aſcendat; quinimo, nec Præſentatis de Lectura locum auferat, ſed illis ſint ubique poſteriores: & immediate ſedeant ante Præſentatos de Pulpito. Excipimus tamen illos, qui ex Præſentatura de Cathedra, & Numero ſint ad Magiſterium aſſumpti, quos ad Ordinem etiam Magiſtrorum de Lectura referri decernimus, ita, ut locum poſt eos omnes immediate ſemper obtineat.

Caput VII.

De Forma graduandi Magiſtros & Præſentatos.

1. CUM ex conceſſione SS. Alexandri VII. Magiſter Ordinis per ſe, vel aliom à ſe ſubrogatum, facultatem habeat promovendi ſuos fratres ad gradus Doctoris, & Baccalaurei, ſicut in qualibet Univerſitate approbata, ideo conſtituimus, ut ipſe pro confirmatione, ſeu collatione Magiſterii, deſignet aliquem (ſi per ſe non ferat) ex Magiſtris jam confirmatis, & graduatis, in Promotorem ad talem gradum, ſub forma Conſtitutionis iſtius conſerendum, à quo promovendus in Magiſtrum, gradum Doctoris Theologiæ ſolemniter recipiat, intra quatuor menſes à receptione confirmationis illius; ſecus enim maneat Magiſterio privatus. Præſentatus autem ſive à Magiſtro, ſive à Provinciali, ad id jam pridem per ſe facultatem habentibus à Conſtitutione noſtra ad gradum Baccalaurei, eadem ſolemnitate promoveatur: ante promotionem verò ſuffragium non habeat in Capitulo Provinciali. Quam Conſtitutionem etiam ad Præſentatos de Pulpito extendimos, nec non ad Magiſtros, & Præſentatos de Gratia. Forma autem graduandi Magiſtrum eſt hujuſmodi.

Forma Graduandi Magiſtrum.

PRomotor habeat annulum, & pileum nigrum paratum, ac ſedens expectet promovendum, qoi flexis ad pedes Promotoris genibus, interrogatur ab eo: Quid petis? Et reſpondeat humiliter: Peto promoveri ad gradom Doctoratus, & Magiſterii Sacræ Theologiæ. Promotor: Promittis tenere, ſervare, docere, & defendere doctrinam ſacram, & catholicam, juxta determinationem Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ? Promovendus: Promitto, & ſpondeo in hac forma.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia otitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum Filium DEI unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per

quem omnia ſacta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: & homo ſactus. Crucifixus etiam pro nobis: ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die, ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos, & mortuos; cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum: & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet, Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto: nec eam unquam, niſi juxta nnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ legis, à JEſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia, ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illa quoque gratiam conferre: ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato Originali, & Juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo diffinita, & declarata fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, & proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtanrialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & divinitate Domini noſtri JEſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem Eccleſia Catholica tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter, & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici Beati Petri, Apoſtolorum Principis, ſucceſſori, ac JEſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue à ſacroſancta Synodo Tridentina tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Item juro, quod, quatenus per ſanctam Sedem Apoſtolicam licebit, tenebo, tuebor, defendam, prædicabo, atque docebo animam Beatiſſimæ Virginis Mariæ in primo inſtanti ſuæ creationis, & infuſionis in corpus, prævenieute Spiritus Sancti gratia, intuitu meritorum JEſu Chriſti Redemptoris, à peccato originali reſervatam, & immunem fuiſſe: & in hoc ſenſu feſtum Conceptionis ejus ab Eccleſia celebrari.

Promotor Dicat.

QUoniam ſapientiam vocavi amicam, & amator factus formæ illius quæſiiſti eam tibi ſponſam aſſumere, ecce Deus dat tibi ſponſam, ut ſemper tecum ſit, & cor tuum poſſideat. In ſignum ergo accipe annulum in manu tua. Accipe inquam, annulum ſignum fœderis, & ingenuitatis verum. Et ego authoritate Apoſtolica, per literas noſtri Reverendiſſimi Patris Generalis mihi commiſſa, Inſtituo, creo, & facio te Doctorem, & Magiſtrum in Sacra Theologia: doque

tibi

tibi poteſtatem, & facultatem publice legendi, docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi Sacram Theologiam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Deinde ſurgat, & faciat promovendum ſedere in ſua ſella dicens: Promoveo te ad gradum Magiſterii Sacræ Theologiæ, annumerans te conſortio Doctorum, & Magiſtrorum dictæ facultatis. Ita collocet, & ſedere te faciat Dominus cum principibus, ut ſolium gloriæ teneas.

Deinde imponit pileum, ſeu birretum capiti ejus dicens: Accipe pileum, ſeu birretum nigrum cum floſculo candido in ſignum Magiſterii. Sic ornet te Deus corona gloriæ.

Deinde elevet, & dans ei oſculum dicat: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni: creſcere te faciat Dominus in millibus, & benedicat tibi in ſæcula ſæculorum. Amen.

Forma graduandi Baccalaureum.

PRomovendus flexis genibus ante Magiſtrum Generalem, vel Provincialem ſuum, faciat profeſſionem Fidei ut ſupra. Qua finita dicat Promotor: Ego authoritate Apoſtolica, mihi commiſſa, promoveo te ad gradum Baccalaurei Sacræ Theologiæ tanquam benemeritum, & valde condignum.

CAPUT VIII.

De Prædicatoribus.

1. UT autem munus prædicationis in Religione fulgeat, & ſimul fratres habiles inſtituantur ad hujuſmodi exercitium, idcirco decernimus, ut nemo ad illud aſſumatur, niſi per duos ſaltem annos Sacram Theologiam audierit, ac Diaconatus Ordine initiatus exiſtat. Cum vero eligendus ſit à Provinciali (ad quem attinet) ſemper id fiat, præmiſſo rigoroſo examine, coram ipſo, & Examinatoribus Conventus, cui Provincialis adfuerit: & in ſenſibus ſacræ Scripturæ, fideique myſteriis exacte probetur inſtructus. Sine hoc verò examine nullus audeat munus prædicationis exercere, neque ſine licentiis Superiorum, juxta Concilii Tridentini decretum.

2. In quolibet Conventu duos Prædicatores conventuales ad minus, & non amplius, qui huic labori cum merito, & jure ad præmium, infra deſignatum, incumbant. Quod ſi plures inſtituantur, nominationes poſteriorum inanes omnino reddimus, quantum ad jura merendi. Illis ergo præcipua ſit cura prædicare per loca ditionis ſuæ, ad poſcendas, & colligendas Eleëmoſynas pro Captivis, cum literis tamen patentibus ſuorum Provincialium: In quo labore per duodecim annos exerceri debeant: ita ut illis non reputentur ad gradum, nec ſuppleri valeant aliis meritis, niſi vere, & integre hujuſcemodi officium perquam diligenter expleverint, modo, & forma hic, & ſuperius Diſtinct. 2. præſcriptis. Præter hoc inſuper eos teneri volumus, ut conciones Conventus, juxta ordinem, & diſpoſitionem Commendatoris habeant, & conſcientiæ caſum alternè proponant, & reſolvant quotidie, ab initio Adventus Ordinis, uſque ad Dominicam Trinitatis.

3. Qui verò actu in hoc prædicationis munere laboraverint, gaudeant exemptionibus ab officio Chori, & Altaris exercendo, à Matutinis media nocte dicendis, & Prima. Inſuper Miſſam unam pro ſe celebrare poſſint, ultra conceſſam cæteris: & tandem completis duodecim annis prædicationis, immunes etiam ab officio Hebdomadæ declaramus; non tamen à reſidentia Chori, quam eos de cætero integre ſectari præcipimus.

4. Cùm pro his, qui præfatæ prædicationis officium compleverint, ſex Præſentaturas jam pridem Ordo inſtituerit in qualibet Provincia, eas neminem poſſe obtinere decernimus; niſi peractis, ut jam præmiſſum eſt, duodecim annis in prædicationis exercitio, præviaque informatione de illis ab ipſo Provinciali, ſeu Viſitatore facta, ſub eiſdem forma, & tempore, annorumque nullitate, in Capitulo præſentanda, quæ ſuperius de lecturæ informationis decernuntur. Diffinitorium vero Capituli jus habeat privativum eas approbandi, ac etiam exponendi Prædicatores ad prædictos gradus, & hanc quoque facultatem cedendi Magiſtro, ſicut in gradibus de Lectura ſancivimus.

5. Ipſis verò Prædicatoribus jam graduatis, eaſdem immunitates, indulta, & Privilegia concedimus, quibus gaudent omnes Præſentati de Lectura, vocemque ſimiliter activam & paſſivam in Capitulo Provinciali, & in electione Diffinitorum Provincialium, & Diffinitorum, & Electorum Generalium, & cæteris actibus Capituli, præterquam in ejus Diffinitorio, niſi ad illud aliunde pertineant.

CAPUT IX.

De Confeſſionibus, & Confeſſariis.

1. PER Profeſſionem literarum eo maxime ducimur, ut diſcamus ſcientiam Sanctorum, myſticamque Theologiam, qua

qua in Pœnitentiæ foro ductores animarum efficimur, & lepram à lepra diſcernimus. Unde eam in Confeſſariis noſtris ſufficientiam deſiderantes, quæ decet miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, firmiter ſtabilimus, ut nullus frater in Ordine noſtro Confeſſiones audiat ſæcularium, neque fratrum alterius Ordinis, niſi prius à Magiſtro, vel Provinciali fuerit approbatus: quibus enixe conſtituimus, ut ad munus hujuſmodi eos tantum fratres eligant, qui literis, vita, & ſanctitate fuerint commendabiles. Præter has autem licentias ab Ordine, nullus frater Confeſſiones ſæcularium audire præſumat, niſi etiam illam obtineat à Diœceſano, vel ejus Vicario, vel ab alio, qui ejuſmodi Confeſſiones audiendi jure poſſit facultatem, vel curam animarum injungere. Caveant autem dicti Confeſſarii, ne aliquid à pœnitentibus exigant imo neque ſuſcipiant, illud Evangelii adimplentes: *Gratis accepiſtis, gratis date.*

2. Quilibet Commendator in ſua Commenda idoneos fratres aſſignet, & ſatis ſibi probatos, qui aliorum fratrum confeſſiones audiant. Omnes tamen conventuales teneantur ſuis Commendatoribus ad minus ſemel in anno confiteri, & ab ipſo Communionem ſuſcipere in Miſſa ſolemni feriæ quintæ, Majoris hebdomadæ.

3. Fratres autem, ſive conventuales, ſive hoſpites in Conventu commorantes, nullis aliis Confeſſariis confiteantur, niſi tantum illis, quos pro Conventu Prælatus deſignaverit. Extra Conventum vero, ubicunque noſtrorum Confeſſariorum copiam non habuerint, confiteri poterunt extraneis Confeſſariis, à ſuis reſpective Superioribus approbatis.

CAPUT X.

De totius Ordinis, Provinciarumque Hiſtoriographis.

1. AGnoſcentes utilitatem hiſtoriæ, quæ antiquorum Patrum exemplis præſentium ſæpe mores effractos inſtituit, propterea ordinamus, ut in Capitulo Generali, quoties opus fuerit, eligatur, vel confirmetur unus Hiſtoriographus, pro toto Ordine, qui omnes res ejus, & geſta, vitaſque præcipue venerabilium Patrum, præcellentiumque virorum memoriæ tradat, atque inceptam ſemper Hiſtoriam novis voluminibus, & tractatibus adaugeat. Similiter in qualibet Provincia alius etiam in ejus Capitulis Provincialibus nominetur, qui totius Provinciæ res fideliter referat, & digerat, unde & generalis Hiſtoriographus totius Ordinis hiſtoriam concinnare valeat.

2. Volumus autem, ut, qui nominati fuerint ad officium hujuſmodi, ſint ad illud genio, naturæque facilitate proclives, ſacris etiam, & humanis litteris præſtantes. Ante collationem muneris æquum erit, ut à Provinciali, aliiſque viris præmiſſarum rerum experimentum fiat, ut cum diſcretione eligatur, qui propoſito, & intentioni utilior videatur, & commodior.

3. Dum ergo generalis Chronographus hoc in opere laboraverit, fratrem Amanuenſem ſemper apud ſe habeat, ab omni Conventus onere liberum. Oleum etiam, papyrus, & cætera ſuo muneri neceſſaria ei à Prælato tribuantur. Si non fuerit Magiſter, gaudeat quoad victum menſura, & portione Magiſtri: Si autem Magiſter exiſtat, eadem victus ratio deſignetur ei, quam Patribus Provinciæ præfiximus.

4. Expenſæ verò, quibus pro ſcriptis prælo mandandis indigeat, illi inviolabiliter concedantur ab Ordine, juxta Magiſtri Generalis diſpoſitionem, cui enixe ſuademus, ut totis viribus, omnia, quæ ſuper hoc fuerint elaborata, ſemper typis committi contendat. Duas inſuper Miſſas, præter Indultam cæteris, generali Chronographo perpetuo concedimus in ſingulis ſeptimanis.

5. Hiſtoriographus autem Provinciæ, ſi propriam, & ſpecialem hiſtoriam Provinciæ ordinare, ac cudere conſtituat, id fiat expenſis Provinciæ, niſi eas aliunde ipſe, vel Prælati provideant. Quod ſi non faciat, mittat ſingulis annis ad Magiſtrum Ordinis univerſa, quæ digna relatu invenerit, & elaboraverit, ut generalibus chronicis inſerantur.

6. Immunitates, quibus gaudere debet, ſint una Miſſa, præter communem in ſingulis ſeptimanis, oleum, papyrus, reliquaque ad ſcribendum, neceſſaria, & tandem portio Magiſtri quoad victum.

CAPUT XI.

De Bibliothecario.

1. CUM Bibliotheca ſit communis diſciplina fratrum, & officina literarum, unde quiſque, præter inopiam, de omnibus edoceri valeat, eam, quantum fieri poſſit, omnibus facultatibus præcipimus eſſe inſtructam, maxime verò in domibus ſtudiorum. Pro cuſtodia autem, & cultura illius

lius fratrem unum pervigilem, & libris omnino deditum conſtituat Prælatus, cui omnis Bibliotheca, & librorum numerus tradatur: de quibus, cum poſtulatus fuerit, rationem reddere debet. Ad hoc vero fiat duplex inventarium, quorum alterum in Conventus depoſitum includatur, alterum vero apud ipſum maneat Bibliotecarium: ita ut in fine utriuſque, & quotieſcunque librorum mutatio fiat in qualitate, vel numero, ſubſcribat ſemper Prælatus cum Depoſitariis, & Bibliothecario.

2. Huic ergo fratri ſubjungimus, ut librorum ſpecies ſic diſcretis componat ordinibus, ut ſecundum diverſitates facultatum ſint ad invicem ſeparati. Qui pertineant ad unam ſcientiam, & facultatem ſimul in uno, vel pluribus pluteis per ſuas cellas, & ordines componat, titulo facultatis deſuper addito, & ſignatis voluminibus, propriis numeris, ut per eos facile inveniantur in tabula.

3. Præterea ſtudere debet, ut pro nitore, & munditia librorum feneſtræ contra pluviam, & ventum præcludantur: ut locus everratur frequenter, & è voluminibus pulvis, & tineæ ſæpe numero excutiantur. Clavis Bibliothecæ ſervetur ſemper apud ipſum: ſitque perpetuo paratus, ad illam aperiendam ſtudere volentibus, & ibi interim aſſiſtendum per ſe, vel fidelem ſocium ſibi creditum, & à Prælato deſignatum. Nec quiſquam alius ſpecialem clavem obtineat præter Bibliothecarium.

4. Ipſe ulterius in id maxime incumbat, ut non ſolum libri non pereant, ſed potius, ut in dies accreſcant. Omnium illorum ita debet eſſe conſcius, ut præcipuos, ſaltem in aliqua facultate, ſemper comparari curet: quod quidem, commutatis, aut venditis libris duplicatis fieri poterit. Cæterum cùm id agi oporteat, nunquam exequatur pro libito, niſi cum aſſenſu Commendatoris, & Provincialis in ſcriptis.

5. Sed, ut omnis noſtri Ordinis Bibliotheca fideliter conſervetur, librique ulla negligentia decreſcere, vel diſperdi nequeant, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ Obedientiæ, ſub pœna excommunicationis majoris, ipſo facto incurrenda, ut nullus frater cujuslibet qualitatis, aut conditionis extiterit, poſſit, nec audeat librum, aut libros quoſcunque, vel quolibet excogitabili prætextu, ſeu cauſa ex Bibliotheca extrahere: nec ad hoc valeant Prælati facultatem concedere, ſub eiſdem pœna, & præcepto.

6. Qui verò frater libros ſibi ad uſum conceſſos communi Bibliothecæ tradere voluerit, poterit libere ex ipſis duntaxat aliquem, ſeu quoslibet velit, pro ſuo ſtudio deducere. In conventibus autem exiguis, ubi pauci fuerint libri, eos Prælatus in ſua cella cuſtodiat: de quibus poterit tradere, quos frater aliquis ad ſtudium poſtulet: relicta tamen memoria in chirographo, ut eos debito tempore reddat.

7. Ut denique Bibliothecarius præmiſſa omnia diligentius expleat, illumque ſui muneris nunquam tædeat, ordinamus, ut omni tempore, quod illud obierit, ſi non fuerit Præſentatus, gaudeat omnibus gratiis, immunitatibus, & exemptionibus Præſentati, præter vocem, & locum. Si verò Præſentatus exiſtat, omnia pariter privilegia illi concedimus, quibus Magiſtri fruuntur, excepto loco duntaxat.

DISTINCTIO VII.

De electionibus ad Officia, & poteſtatibus Electorum.

ORdinis vineam eſſentialibus jam diſciplinis inſtitutam, fratribuſque, quaſi vitibus, plantatis, pœnarum vallo munitam, & literarum torculari inſtructam nunc tradimus Religioſis agricolis, quos in Prælatos aſſumimus, ut apte adhibita regiminis cultura, fructum ejus Domino referant tempore opportuno.

CAPUT I.

De Capitulo Generali ejuſque tempore, & convocatione.

1. MAgiſtri Generalis Officium in Ordine noſtro, non amplius, quam ſex annorum ſpatio concluditur; ita, ut nunquam illud perpetuari liceat: ſicut Decreto Gregorii VIII. & Motu proprio Sixti V. præcipitur. Neque rurſus, qui vicem ſuæ alternationis, interius declarandæ, per ſexennium expleverit, eadem iterum urgente, non poſſit denuò in Magiſtrum Generalem aſſumi, ſed expectari debet ſequens ipſius Magiſtratus viciſſitudo.

2. Sex autem annos prædictos mobiles, & Eccleſiaſticos intelligimus: videlicet à Sabbato in Sabbatum ante Dominicam Pentecoſtes, vel à Sabbato in Sabbatum ante tertiam Dominicam Octobris, quæ non eodem menſe, vel die contingunt. Unde ſi Capitulum Generale præcedens celebratum fuerit Sabbato ante Dominicam Pentecoſtes, hoc eodem

Sabbato, ſex poſt annis, ſubſeqoens Capitulum habendum ſit abs dubio. Sin vero, ob vacationem Magiſtratus, ante ſexennium expletum (ut infra conſtitoltur) præcedens Capitulum ſit Sabbato ante Dominicam tertiam Octobris, ſequens in ipſum recidat poſt ſexennium. Quod ſi ob eamdem cauſam Capitulum habeatur Sabbato ante Pentecoſtem, Capitulom immediate ſuccedens, pariter poſt ſex annos finiator in ipſo.

3. Et quamvis aliquando (ut inferius etiam ordinatur) ad Sabbatum ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris transferatur, non propterea futurum proxime Capitulum (extra caſum, quo hæc translatio octo dierum ſtatuitur) à prædictis Sabbatis ante Dominicam Pentecoſtes, aut etiam Octobris amoveatur, ſed in ipſam redire præcipimus.

4. Ad hoc aotem Capitulum Generale (exceptis caſibus vacationis Magiſtratus, inferius aſſignandis) omnes ejus vocales præſentis Conſtitutionis jure convocamus, ita, ut vi illius omnes cenſeantur convocati ad unum ex prædictis Sabbatis, eo præciſe, quod expleatur ſexennium: atque adeo teneantur accedere ad domum pro eo celebrando, in proxime ſuperiori Capitulo deſignatam: nihilominus Magiſter Generalis poterit ſuas literas convocatorias ad eos opportuno tempore mittere, juxta conſuetudinem Religionis. Quod quidem præſtare tenebitur Vicarius Generalis Ordinis, qui in ejus locum, Magiſtratu qualibet ratione vacante, ſucceſſerit, in ſuis ſemper literis, cauſam vacationis declarando. Cæterum ſi Magiſter juſte ſit impeditus, & nequeat ad celebrationem Capituli Generalis accedere, Præſes quem in illo nominaverit (quem dicimus in eo caſu Vicarium Magiſtri) nullam habeat poteſtatem convocandi; ſed per ſe id faciat Magiſter Generalis, tempure ſuperius declarato.

5. Quocunque autem, ſive Magiſtro, ſive Vicario Generali Ordinis convocante, ſive etiam jure tantum Conſtitutionia convocatione facta, & ſuppoſita, ut præmiſſum eſt, omnes vocales ad præfatum Generale Capitulum venire tenentur, loco, & die, qui præſtituti fuerint, inſpectis. Si qui vero noluerint, aut fuerint impediti legitime, jus eligendi maneat apud illos, qui præſentes extiterint.

6. A die convocationis ad celebrationem Capituli, oſque ad ejus concluſionem in quolibet Ordinis Monaſterio fiat quotidie ſupplex ad Deum depræcatio, pro felici ejus eventu, & proſpero vocalium itinere. Poſt Nonam itaque, vel Miſſam dicat Conventus Pſalmum: *Ad te levavi animam meam*, ut ſupra Diſt. 3. cap. 15. quo peracto, Cantor incipiat, *Veni Sancte Spiritus, &c.* deinde, *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur:
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.*

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: ut inter omnes viæ, ac vitæ hujus varietates tuo ſemper protegamur auxilio. Per Chriſtum, &c.

CAPUT II.

De Præſide Capituli Generalis, & caſibus, in quibus ejus celebratio mutatur.

1. VIvente Magiſtro Generali, ſui muneris eſt præſidere Generali Capitulo, ſi per ſalutem, & expeditionem liceat. Quod ſi morbo, vel alia juſta cauſa ita fuerit impeditus, ot ipſe per ſe Capitulo adeſſe non valeat, tunc Præſidem ad illud mittere poſſe decernimus: fratrem utique noſtri Ordinis idoneum, & prudentem tantoque muneri exequendo litteris, & autboritate non diſparem. Hunc autem Magiſter ſub nomine ſui Vicarii, & non Vicarii Generalis, litteris opportunis ſigillo ſuo roboratis, ad hunc tantum effectum præſidendi, conſtituat, cum ea poteſtate, quam declarabimus inferius.

2. Qooniam aotem, præter hunc caſum, poteſt Magiſter Ordinis morte, promotione, renuntiatione, aliſve cauſia ab officio decedere, conſequens etiam eſt, ut ad novam ejus electionem, in alios Præſides incidamus, & diverſis temporibus eveniat celebratio Capituli, provideréque debeamus ſingulis.

3. Cum itaque futuris temporibua Magiſtratus Ordinis per obitum, aut renuntiationem, vel alias quoviſmodo vacare contigerit, ſi id ante qoatuor menſes proximos feſto Pentecoſtes eveniat, Capitulum Generale in Vigilia hujus Paſchatis celebretur. Si autem prædictus obitus Magiſtri, vel alia vacatio (ot præmit-

mittitur)ſuecedat, intra tempus dictorum quatuor menſiom ante præfatum Paſcha, tune celebratio Capituli Generalis ad Sabbatum aote Domioicam tertiam Octobris ejuſdem anni differatur: quam ſcilicet ooo uſualem, ſed Eccleſiaſticam iotelligimus.

4. Similiter ſi prædicta vacatio Magiſtratus aeciderit ante quatuor menſes proximos dicto Sabbato tertiæ Dominicæ Octobris, Capitulum Generale in eo Sabbato dictæ Dominicæ tertiæ celebretur. Si autem intra tempus ipſorum quatuor menſium ante dictam Dominicam tertiam Octobris obveniat, tune ad Sabbatum, ſeu vigiliam Pentecoſtes aoni immediate ſequentis transferatur: ita ut celebratio Capitulorum generalium, & electio Magiſtri ſemper in Sabbato, & oon alia die inſtituatur, aut fiat.

5. Unde in honc finem, & pro majori declaratione hujus noſtræ Conſtitutionis ſtatuimus, ut, ſi à vacatione Magiſtratus uſque ad vigiliam Pentecoſtes plus quatuor menſibus intercedat, ita ut ante dictam vigiliam iſti quatuor menſes expleantur, præfata vigilia habebitur Capitulum. Similiter ſi quatuor prædicti menſes finiantur ante Sabbatum Dominicæ tertiæ Octobris, oon aliod Sabbatum expectabit electio, ſed fiet io ipſo.

6. Attamen ſi à vacatione Magiſtratus uſque ad vigiliam Pentecoſtes, vel ab ipſa vacatione, uſque ad Sabbatum tertiæ Dominicæ Octobris ita pene quatuor prædicti menſes interveniant, ut ſtatim vigilia, aut Sabbatum compleantur, videlicet iotra ſequentem hebdomadam, & ante Dominicam Trinitatis, vel quartam Octobris, tunc celebratio Capituli Generalis tranſeat reſpective ad hæc Sabbata ante Dominicam Trioitatis, vel quartam Octobris, & noo ultra: ne propter paociſſimos dies ita longe Magiſtri prorogetur electio.

7. Interea verò dooec Magiſter eligatur, cum ad Priorem Barchinooæ, vel ejus defectu, ad alios inferius ſuo Ordine declarandos, ſucceſſio in Religionis gubernio pertioeat, quicunqoe tamen ille fuerit, ſuccedit etiam cum omnimoda facultate convocandi, & præſidendi Capitulo Generali, uſque ad ipſam electionem incluſive, & non amplius: ſicut accidit etiam in præſidentia ipſius Magiſtri.

8. Declaramos autem, ut omnis tollatur ambiguitas, qood, quotieſcunque vacaverit Magiſtratus Ordinis intra quatuor ultimos ſexennii menſes, etiamſi paucissimi dies deficiant, Capitulum Generale celebretur Sabbato, quo ſexennium concluditur, ita, ut Vicariatus Generalis amplius durare non valeat, quam illis præciſe diebus, aut intervallo, qood deeſt, uſque ad concluſionem ſexennii, & dictam eelebrationem Capituli: quod à præfixo tempore divelli nequeat, oec Vicariatus ultra ſexennium procedere.

9. Poſt electionem vero ſtatim, ac noviter electus fuerit canonice declaratus, ac in vere Magiſtrum à Capitulo ſuſceptus, ſi præſens ſit, jam de cætero tranſit in illum Præſidentiæ munus in univerſis Diffioitoriis, & actibus, tam publicis, quam privatis ipſius Capituli. Si vero abfuerit, idem Præſes electionis omnibus præſatis actibus præſideat: modo decreta à Diffinitorio facta à Magiſtro electo poſtea confirmentur.

10. Quod ſi, dorante Capitulo, præ aliqua invaletudine, Magiſter electus nequeat præeſſe actibus, & Diffinitoriis Capituli, cujus eſt ipſe caput, & pars præcipua, tunc illi fas erit aliquem de vocalibus ad hanc Præſidentiam eligere, & in illom transferre omnem ſuæ vocis authoritatem, pro ſingulis in Diffinitorio, & reliquis actibus decernendis. Cum tamen eligatur, fiat authenticè, ita ut de ſingulis actibus, electionibus, & decretis Diffinitorii, vel Capituli eſſe rite, & canonice facta, & oon tamqoam à corpore, aut Diffinitorio acephalo proceſſiſſe in libro Ordinis, & obique cooſtare valeat.

11. Si autem caſus adveoiat, quod ob extemporalem obitum Generalis electi ante abſolutionem Capituli, nova electio Magiſtri fieri debeat in ipſo Capitulo, juxta inferius ordinanda, tunc huic electioni ſemper præſideat Prior Barchinonenſis, tanquam re vera Vicarius Generalis in hac etiam, & ſi breviſſima vacatione à Conſtitutionibus poſtulatus: cui, ſi fuerit abſens, aut alioquio impeditus, ſuo Ordine ſuccedant, quos iofra præſenti Cooſtitutione deceroimus.

Caput III.

De Eligentibus, & Eligendis in Capitulo Generali.

1. CUM Magiſter Generalis, quia prima io Ordioe dignitas, jus habeat præſidendi Generali Capitulo, idcirco primum locum, & vocem ſemper obtineat in electione Magiſtri, univerſiſque actibus totius Capituli, electiooem præcedentibus: In omnibus inſuper præfatam electionem conſequentibus vocem ſortiatur. Id ipſum quoque concedimus in Vi-

ca-

carium Generalem Ordinis, vel Capituli Præſidem, illi ſuccedentem.

2. Rurſus eos, qui in ordine noſtro munus Magiſtri Generalis obierint, ita præſenti Conſtitutione ad præfatum Generale Capitulum convocamus, ut abſolute ad illud accedere valeant, & vocem electivam, & deciſivam habeant in omnibus, ſicut quilibet ex Diffinitoribus, & Electoribus Capituli, locumque Magiſtro Generali, & Præſidi immediatum, ante omnes Provinciales.

3. In qualibet Provincia quinque ſint vocales, qui votum, & ſuffragium habeant in Capitulo Generali: Provincialis, & quatuor ſibi Socii, poſt ejus electionem in Capitulo Provinciali canonice electi: quorum duos Diffinitorum, alios vero Electorum Generalium titulo gaudere conſtituimus. Ex his autem omnibus primum locum habeant Provinciales, deinde Diffinitores Generales, quos ſubſequantur Electores, juxta antiquitatem Provinciarum.

4. Vocales inſuper, quos Electores Generales dicimus, tantum habeant vocem, & ſuffragium in actibus pleni Capituli, ſcilicet in qualificatione vocalium ante electionem, & in ipſa electione Magiſtri, & deſignatione domus Capitularis, non autem in aliis Congregationibus, quas Diffinitorium, ad differentiam Capituli nuncupamus.

5. Prior autem Barchinonenſis, etiam ſi non ſit Vicarius Generalis, neque præſideat Capitulo, vocem habeat, non ſolum in electionibus illius, ſed etiam in Diffinitoriis ſubſequentibus: & locum Provinciales, Vicarioſque Provinciales immediatum, vocem tamen in omnibus ante illos omnes obtineat.

6. Deinde qui in Romana Curia ſtrenue, & cum approbatione communi in officio Procuratoris Generalis ſe geſſerint per quinquennium, ſeu Magiſtri, ſeu ſolius Præſentaturæ gradu perfulgeant, vocem habent in Capitulo Generali proxime celebrando duntaxat: & non tantum in electionibus pleni Capituli, verum etiam in omnibus ejus Diffinitoriis, uſque ad abſolutionem, & finem ipſius, ex Decreto Capituli Generalis Optenſis à SS. D. N. Innocentio XI. confirmato.

7. Cùm temporibus opportunis, & caſibus à Conſtitutione noſtra prævisis, & ordinatis poſſit in defectu alicujus de prædictis Electoribus, aut Diffinitoribus, novus alius vera, & canonica electione à Diffinitorio Provinciali ſubſtitui: ſuper hoc ipſo declaramus, juxta decreta prædicti Capituli Generalis Optenſis, hanc ſubſtitutionem ſolum eſſe intelligendam, & poſſe fieri, cum aliquod ex prædictis ſuffragiis certo, & determinate vacare contigerit in effectu; non autem ob ſolam contingentiam, vel caſum, quo forte in itinere, aut in ipſo Capitulo quovis modo impediri poſſit, aut deficere. Quod, ut immutabiliter impleatur, & non ita late via pateat multiplicandi ſuffragia, nec pluribus, quam par eſt, temere, & ſine cauſa determinata adire Capitulum liceat, præſenti Conſtitutione præcipimus nullum Electorum, aut vocalem, in locum alterius ſubrogatum, poſſe de cætero admitti in Generali Capitulo ad aliquem ejus actum, niſi exhibito ſemper, & realiter præſentato authentico teſtimonio, in ipſa ſui creatione à Diffinitorio Provinciali concedendo, prout inferius in hac ipſa Diſt. cap. 22. ordinatur: quo evidenter conſtet de defectu determinato, & legitimo impedimento illius, qui ad talem vocem habendam, in Capitulo Generali electus fuerit in ſuæ Provinciæ Provinciali Capitulo.

8. Quantum vero ad eligendos, & qui vocem paſſivam habeant in Congregatione Generali, ſtatuimus primo, ad Magiſtratum Generalem non quoſcunque de ordine eſſe ſemper habiles, ſed inter ejus Provincias, & regna ſequentem ſervandam fore alternativam: ita videlicet, ut ſemel ſit ex tota Corona Aragoniæ, Galliæ, Italiæ, Regnique Navarræ: ſemel vero ex tota Corona Caſtellæ, & Portugalliæ, incluſis Provinciis Vandaliæ & Indiarum Occidentalium, ac etiam Orientalium Congregatione, ſeu domibus.

9. Quod quidem intelligendum eſt de filiis dictarum Provinciarum, ſeu Congregationum, aut domorum, qui in eiſdem vere profeſſionem emiſerint, nec ſola adoptione ſint filii. Hujuſmodi enim nullatenus tali alternativa gaudere poſſe decernimus, niſi tantum in concurrentia earum Provinciarum, congregationum, aut domorum, ubi primam, & veram filiationem Ordinis habuerint.

10. Hæc ergo, quæ de Electoribus, & eligendis ordinavimus ſic eſſe firma deſideramus, & ſic ſtabiles eorum voces, ut tam activa, quam paſſiva privari, aut deſtitui non valeant à Vicario Generali Ordinis toto tempore vacationis Magiſtratus, ut amplius declarabitur inferius. Quod ſi ratione alicujus delicti, vel ob alias cauſas aliquis de prædictis eo tempore appareat activè, vel paſſive inhabilis,

&

& ſuffragandi actione ex jure communi, vel harum Conſtitutionum carere videatur, res deferatur ad Capitulum Generale ibique accurate diſcuſſa decidatur.

11. Si autem Magiſter Generalis electus mortem obierit ante abſolutionem ejuſdem Capituli, ubi creatus extitit non ideo judicamus expletam, & evacuatam alternativam ſuæ partis, & Provinciarum: quinimo, ſecundum eandem, nova fieri debet electio Magiſtri ex perſonis ejuſdem partis, & Provinciarum. Unde in hoc caſu nullam vacationem Magiſtratus contingere declaramus, ita, ut ordo expectare debeat Officium Vicarii Generalis per menſes quatuor, aut amplius.

12. Ex dictis ergo Provinciis, quæ juxta Ordinem præfatæ alternativæ actualem ſortem, & concurſum habeant in Capitulo Generali unus frater de univerſa earum ditione, vel ambitu eligendus eſt à Capitularibus, ſive præſens, ſive abſens ſit à Capitulo. In quo nihil aliud conſiderare debent, niſi quod ætate ſit maturus, & ſenſibus, doctrina, & religione præclarus, morum ſuavitate acceptabilis, diſcipiinæ regularis amator, & in arte gubernandi jam probatus, diligens, zelator, & prudens.

13. Poſt celebratam electionem Magiſtri, eligantur etiam in eodem Capitulo per Diffinitorium Generale, Vicarii Generales Indiarum, & Procurator Generalis Urbis, & quos oporteat conſtitui pro rebus totius Ordinis in Curiis Regum, juxta modum, & formam inferius in hac diſt. cap. 9. & 10. deſignandam. In eodem denique pleno Capitulo eligatur domus, pro celebratione Capituli Generalis, proxime ſuccedentis, cum alternatione, & qualitatibus in hujus Diſt. cap. 11. ſtatuendis.

Caput IV.

De electione Magiſtri Generalis & forma in illa ſervanda.

1. Inſtructo Capitulo, Vocales omnes, quos jam in vigilia electionis, vel Sabbati ſupponimus domum Capitularem ingreſſos, juxta inferius cap. 8. ordinanda, in ipſam ſono campanæ conveniant, communiterque procedant ad obedientiam Præſidi exhibendam, quos ille benigne ſuſcipiat: & opportuno tempore Vicarium Capituli, ſub hoc nomine inſtituat, qui juriſdictionem ordinariam habeat ſupra omnes Capitulares, & alios fratres ad Capitulum concurrentes. Talis autem Vicarius eligendus eſt ex Vocalibus illius Provinciæ, in qua celebratur Capitulum Generale, vir quidem induſtrius, providus, & pacificus.

2. Eadem autem die, & vigilia, ſub veſperum congregentur capitulariter prædicti Vocales à Præſide juxta morem, & factis commemoratione, & precibus pro SS. D. N. Papa, pro felici ſtatu, & incrementis Eccleſiæ, pro Regibus Catholicis, pro benefactoribus Ordinis, & fidelibus Captivis vivis, atque defunctis, prout ſuperius diſt. 3. cap. 17. de Capitulo quotidiano ordinatur, electionis Præſes Patribus electoribus brevem, & piam orationem faciat, qua & de fine convocationis differat, & ad electionem Magiſtri Generalis, ſecundum Deum, & canonice peragendam hortetur, ac ſimul de meritis eligendi, & qua debeat præſtare virtute, prudentia, doctrina, & zelo obſervantiæ Regularis, eos ferventer admoneat.

3. Hac vero oratione peracta, ad examen Vocalium, & legitimas eorum voces canonice diſcutiendas procedat. Et primo per formalem obedientiam, & excommunicationis majoris pœnam, ter illis præcipiat, ut ſi quis aliquem Vocalium legitimo impedimento, vel cenſura Eccleſiaſtica innodatum in Capitulo adeſſe cognoverit, ratione cujus in electione ſuffragari non liceat, confeſtim prodat, & nullatenus latere ſuſtineat. Quod ſi aliquis reperiatur, vel cenſura Eccleſiaſtica, vel alio impedimento juris, noſtrarumve Conſtitutionum inhabilis, idque ſufficienter probetur, facta de eo accurata diſcuſſione à Capitulo Generali, ab ipſo decidatur & declaretur. Et è Capitulo protinus ejiciatur: ita, ut in hac prima Congregatione, aut Seſſione ſic maneant Vocales de ſuæ vocis legitimitate juſto examine comprobati, ut ad futuram, die ſequenti, electiooem ſub certo numero ſtatuantur.

4. Sequenti die primo diluculo, & ad auroram omnes Vocales, legitima voce ad electionem ſuſcepti, in Capitularem locum conveniant, ibique à Vicario Conventus includantur. Quibus locum electionis ingreſſis, celebretur in eo Miſſa de Spiritu Sancto: (quam etiam io toto Ordine eademque die, & hora cantari præcipimus) & poſt illam concio literalis ad Electores, latino Sermone, habeatur, hortando eos ad rectam, & bono communi utilem electionem. Qua finita, flexis genibus concinnatur Hymnus: *Veni Creator Spiritus*, & eo cantato, ſurgat Præſes, & dicat: *Emitte Spiritum tuum, &c.*

Oremus. *DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum, &c.* Et ſic ulterius ad ſequentia procedatur.

5. Magiſter Generalis ſeu qui ejus defectu præſideat, ſimiliter ut pridie, ſub formali præcepto, & pœna excommunicationis moneat excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, vel alioquin ſuffragium, & vocem legitimam nnn habentes (ſi qui ſint in præfato conclavi, aut quis adeſſe cognoverit) ut illico recedant, vel prodantur, cum de jure intereſſe non valeant: quocirca illis proteſtari debet non eſſe de mente ipſius aliquem illorum admittere. Si autem occulte ſe ingeſſerint, nolumus eorum voces, ſive ſuffragia approbare, aut per eos electioni canonicæ derogare, ſeu quovis modo inferri præjudicium.

6. His itaque præmiſſis, omnes Electores adjurari debent à Præſide ſingulatim per Deum, & ejus Sancta Evangelia, ſuis manibus tacta, in hanc formam: *Juras, quod ſecundum Deum, & propriam conſcientiam, ac in animæ tuæ periculum eliges in Magiſtrum Ordinis fratrem, quem revera regulari obſervantiæ, & publicæ utilitati judicaveris meliorem, & magis idoneum regimini?* Elector vero dicit: *Juro.* Quo juramento peracto, omnes etiam ſingulatim accedunt ad menſam, in qua erit coram Præſide vas aliquod præparatum: & ſecreto in illud ſchedulas iniiciant: quas quidem, tam in hac, quam in qualibet electione canonice facienda, non teneantur Electores à Secretario Capituli petere, ſed ipſi eas intra, vel extra Capitulum, ad proprium nutum valeant conſcribere, prout maluerint. Si autem intra Capitulum aliquis elector ita lanqueat, ut nequeat electioni aſſiſtere, Capitulum nominet duos Vocales, qui ad cellam ejus adeuntes accipiant ab eo ſuffragium clauſum, & ſignatum, illudque ad Capitulum deferant, & eodem ſecreto in vaſe reponant.

7. Poſtquam omnes vota, ſeu ſuffragia in vas præfatum immiſerint, tunc Præſes Capituli cum duobus Diffinitoribus, ex toto Capitulo dignioribus, coram Secretario, vota, ſingulas ſeu ſchedulas ſcrutentur, & computent, an Vocalium numero coæquentur. Tunc autem, ſi major pars medietate eligentium in aliquo fratre convenerit, ſcrutinium, & electio publicetur ut canonica à prædicto Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præſtabit in ſcriptis.

8. Hic autem Secretarius, vel Notarius Capituli ſemper debet eligi ex fratribus noſtri Ordinis; & nullatenus ſæcularis, præſtito prius ſecreti, & fidelitatis juramento: cujus quidem muneris eſt fidem reddere, & authentice litteris conſignare univerſa electionis acta, & quæcunque gerantur, & decernantur in Capitulo.

9. Si vero major pars eligentium (ut prædicitur) in uno fratre non conveniat, ſecundo, & tertio, ſi fuerit opus, ad nova ſuffragia, & ſcrutinia procedatur, donec major pars medietate eligentium in unum conveniat, & electio fiat canonica. Quod ſi intra duos dies non elegerint, præcipimus in virtute obedientiæ Commendatori domus, vel ejus Vicario, ut panis, & aqua tantum Electoribus miniſtretur, donec Magiſtrum Generalem eligant ex ſe ipſis, aut aliis abſentibus noſtri Ordinis, juxta alternativas ſuperiori capite declaratas.

10. Ut autem in electionibus, quæ à majori parte Capituli fiunt, omnis incertitudo validitatis evitetur, decernimus, quod ſi eligatur Religioſus extra gremium Capituli, ſufficiat pro majori parte numerus ſuffragiorum excedens partem alteram in uno, ut ex quadraginta uno, vel quadraginta, viginti unum, & ſi eligatur Religioſus de gremio Capituli, tunc ad certitudinem validitatis, neceſſarium ſit aliud ſuffragium, ut ex quadraginta viginti duo.

11. Si autem in aliqua ſchedula inveniant ſcrutatores ſubſcriptionem aliquam, vel ſignum, quibus perſona eligentis innoteſcat: vel ſi nihil in ea ſit ſcriptum, aut ſuffragium inepte tribuatur, non ideo præjudicium patiatur electio, ſi alioquin ſuffragiorum numero facta ſit, ut prædicitur: ſed talis ſchedula ſubſcripta, ſignata, vel alba, ſeu in favorem inepti repoſita, ſeparetur, & pro ſuffragio caſſato, vel potius depoſito, reputetur; & ſolum habeatur ratio reliquarum, ad ſcrutandum numerum, canonicæ electioni ſufficientem, juxta majorem partem eligentium.

12. Cum autem inter ſcrutandum aliqua forte, vel plures inveniantur ſchedulæ ſupra numerum Vocalium, ſcrutinium inane reputamus: atque adeo, relicto priori, ut penitus caſſato, ad aliud procedatur. Denique vero, cum jam legitima evadat electio, omnes ſchedulæ coram toto Capitulo protinus comburantur.

13. His itaque peractis, & publicata electione per Secretarium Capituli, ſta-

ſtatim, antequam novus Magiſter obedientiam ſuſcipiat à Capitulo, debet coram Præſide, & Electoribus, Secretarioque prædicto per Deum, & Crucem, & ejus Sancta Evangelia ſuis manibus tacta juramentum facere de ſequentibus: Præſes interroget: *Juras, quod ſecundum Deum, & propriam conſcientiam, & Conſtitutiones noſtri Ordinis, ipſum reges, & moderaberis, omni odio, & amore poſtpoſitis?* Electus verò reſpondeat. *Juro.* Præſes iterum: *Juras, quod ordinis inſtituta, & Conſtitutiones ejus ſervabis, ac ſervare facies, & ea pariter exequeris, quæ pro pace Provinciarum Ordinis, à tuis prædeceſſoribus approbata, & ſervata fuerint?* Reſpondeat Electus: *Juro.* Præſes adhuc: *Juras, quod fideliter, & omni ſtudio exequeris, quæ ad Redemptionem Captivorum pertinent, nec in aliquo, juxta Conſtitutiones hujuſmodi, prædicta Redemptionis bona quovis colore, vel prætextu in proprios, vel alios uſus converte, aut converti permittes?* Reſpondeat electus: *Juro.* Præſes autem: *Juras, quod omnia bona Ordinis tibi credenda fideliter attrectabis, & de illis, & quibuſcunque aliis ad ordinem pertinentibus, & tuæ diſpenſationi committendis ſemper in Capitulo exactam rationem reddes?* Electus verò: *Juro.* Præſes tandem: *Juras, quod obſervabis capita concordiæ initæ cum noſtra familia diſcalceata, circa miniſterium Redemptionis, prout in ea continentur?* Electus reſpondeat: *Juro.*

14. Hæc eſt forma juramenti perpetuo, & inviolabiliter à Magiſtro Generali electo præſtandi: qui ſi omnia, vel prædictorum quidquam jurare recuſaverit, Electio ſit nulla: nec ipſe, pro Magiſtro Generali ſuſcipiatur. Si vero juraverit, omnes confeſtim ad illum accedant, & genuflexi humiliter ei obedientiam exhibeant: quo facto, incipiatur Hymnus: *Te Deum laudamus*, & procedatur ad Eccleſiam, locorum ordine ſervato prout in Capitulo: cujus tamen Præſidi Magiſter electus adhærebit à dextera: & ubi acceſſerit ad Altare, ibi proſternatur, & Præſes electionis dicat:

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Concede quæſumus Omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen animarum elegimus, dono tuæ gratiæ proſequaris, ut, te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus.*

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. *Per Chriſtum, &c.* Quibus ita finitis, ducitur Magiſter electus ad Chorum, ibique in ſede ſua ſe commendat Orationibus fratrum, & populo publicatur electio.

15. Tandem ergo, de conſenſu Magiſtri electi, & Capituli, conſtituantur Procurator, vel Procuratores, qui prædictam electionem Pontifici Maximo exhibeant, ut illam approbare, & confirmare dignetur, quippe cui Ordo noſter eſt immediate ſubjectus. Si quis vero hujuſmodi electioni rite, & recte (ut præmittitur) factæ auſus fuerit contradicere, vel ab ea quomodolibet appellare, illum præſenti Conſtitutione excommunicamus, & ſuffragiis, tam in vita, quam in morte, & officiis in Ordine noſtro perpetuo privamus.

16. Magiſter Generalis, qui præfato modo canonice electus fuerit, ſuum ſtatim officium exercere incipiat ſub titulo Generalis electi, ſitque Caput, & Prælatus Generaliſſimus in toto Ordine: cui omnes Provinciales, atque eorum Provinciæ, cum omnibus, & ſingulis totius Ordinis fratribus, obtemperare teneantur. Poſtquam vero à Sede Apoſtolica fuerit confirmatus, palam id notum faciat, & denunciet ſuis Provinciis, ac deinceps abſolute nomine, & titulo Magiſtri Generalis utatur.

Caput V.

De Officio, & Poteſtate Magiſtri Generalis.

1. Generalis Magiſter univerſalem habeat poteſtatem in toto Ordine: illam videlicet, quæ ſupremis Prælatis cujuſlibet Ordinis eſt de jure communi, vel privilegiis conceſſa, & in poſterum concedenda ad omnia, quæ ex peculiari ſtatuto noſtri Ordinis non ſunt illi prohibita, & ad curam, ſeu adminiſtrationem totius Ordinis, tam ſpiritualiter, quam temporaliter, exercendam. Unde per ſe ſolum in omnibus, & ſingulis eam poteſtatem habeat in toto Ordine, quam Provincialis in ſua Provincia; & Commendator, ſeu Prælatus quiſque localis in ſua Commenda, vel domo: eam inſuper, quæ ad rationem ſui officii ex jure communi, aut Privilegio, ex noſtriſve Conſtitutionibus expectare poteſt. Verumtamen inferiorum Prælatorum miniſterio non ſe immiſceat, niſi ob eorumdem defectum, vel cum prudentia, & rationabilis cauſa id poſtulaverit. Semper tamen inferiores illi parere teneantur.

2. Cùm igitur ipſi incumbat, tanquam Generali Paſtori, & Antiſtiti Ordinem viſitare, & proprias oves cognoſcere, propterea ipſius conſcientiæ conſulendo præcipimus in Domino, ut in utroque triennio totum Ordinem, & omnia illius monaſteria per ſe, vel idoneos fratres (ſi ipſe non valeat) omni ſtudio viſitare non deſinat. In ſua autem viſitatione ſe omnibus juſtum, & mitem exhibeat, ac regularis obſervantiæ amatorem: nunc verbo, nunc baculo, vel ferrea etiam virga corripiens, ſi neceſſe fuerit: ita ut omnes ſibi ſubditos, quantum ſit poſſibile in bonam frugem, & ſeveram Ordinis diſciplinam inducat.

3. Omnimodam autem poteſtatem habet modificandi rationabiliter, & ex cauſa, ut ſuperius præmittitur, pœnas à noſtra Conſtitutione inflictas, exceptis tamen caſibus ab ea præfixis.

4. Ipſius inſuper eſt poteſtatis gradus Ordinis confirmare, ac reliqua per ſe exequi, quæ olim agebantur in Capitulo Generali intermedio, juxta Pauli V. & Urbani VIII. Decreta, quibus quidem inſiſtens præfatum generale Capitulum intermedium de cætero celebrari omnino prohibemus.

5. Ad eum etiam privative pertinet, adoptiones, & filiationes fratrum unius Provinciæ in aliam conſtituere. Si quæ autem Commendæ vacaverint in Provincia, ubi reperitur, poteſt eas pro libito conferre, dum tamen Provincialis ejuſdem Provinciæ Commendatorem prius non elegerit. Unde inter ipſos ſuper hoc in prædicto caſu, præventionis jura conſtituimus. Similiter in Provincia, cui Magiſtrum adeſſe contigerit, ſi Diffinitorium Provinciæ habendum ſit, illud convocare poteſt, & ei pariter præſidere, atque habere ſuffragium. In electione Prioris Barchinonenſis, ſi electionis tempore in ea domo fuerit inventus, non diſſimilem poteſtatem habere decernimus, ut convocet, & præſideat, pariterque vocem habeat.

6. Ad Magiſtrum quoque privative attinet, ſententiam expulſionis ferre juridice in criminoſos incorrigibiles, ea forma, quam ſuperius declaravimus.

7. Item Magiſter Generalis debet apud ſe habere duo ſigilla, videlicet Magnum, & parvum: in quorum primo ſit inciſa imago Revelationis Ordinis, cum ejoſdem ſcuto, & ſtemmatibus, iſtoque Verſiculo per limbum: *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo.* In ſecundo autem ſint tantum prædicta Religionis ſtemmata: quod ut vere minori utatur in rebus minoribus; illo vero in majoribus tantum, quæ pro rei majeſtate ſic poſtulant. Ad perpetuamque rei memoriam ſubiicimus, ut in fine omnium literarum ſuarum, ſeu ſcripturarum teſtimonialium, anno Domini apponat etiam annum fundationis Ordinis his verbis: *A deſcenſu vero, & apparitione Beatiſſimæ, & Immaculatæ Virginis Mariæ ad fundationem noſtri Ordinis, anno N.* Quod pariter ab univerſis aliis Prælatis obſervari præcipimus, ut antiqua Ordinis conſuetudo ab ipſius limine inducta non pereat: tantæque Matris dignationi iſtud, vel leviſſimum obſequium deferamus.

8. Magiſter Generalis poteſt ulterius præſidere Capitulis Generalibus, & Provincialibus per ſe ipſum Vicarium ad id ab eo ſpecialiter deputatum: & vocem quidem habeat, tam ipſe, quam ejus Vicarius in omnibus electionibus, Ordinationibus, & Diffinitoriis, uſque ad abſolutionem utriuſque Capituli.

9. Properante jam tempore electionis Provincialis, poterit ipſe Magiſter convocare ad celebrationem Capituli Provincialis, mittendo immediate ſuas literas ipſi Provinciali, qui illas continuo manifeſtet capitulariter Conventui, ubi adeſſe contigerit: ipſas vero deinde mittat illico ad omnes alios Conventus, ut cunctis vocalibus innoteſcant.

10. Ulterius in concurrentia Capitulorum Provincialium, poteſt Magiſter quodlibet eorum anteponere, vel poſtponere per tres menſes à complemento triennii; ut uni, & alteri intereſſe poſſit; dummodo nullum à die Sabbati diſtrahat. Quod etiam præſtare valeat, quamvis non ſit concurrentia Capitulorũ, ſed unicum duntaxat celebrandum, ſi alioquin ſibi viſum fuerit expedire. Ultra tamen dictos tres menſes non poſſit Magiſter Generalis Capitula Provincialia anteponere, nec poſtponere.

11. Adhuc ad Magiſtrum pertinebit, ut vere Ordinis Patrem, ſi præſens fuerit electionibus, Electores dirigere, eos modeſte, pie, & religioſe monendo, hortando, & inſtruendo, atque etiam vage ſuadendo ad eligendum perſonam digniorem, & magis idoneam; ipſius utcunque virtutes regimini neceſſarias Capitulo differendo. Si autem non interfuerit, id ipſum per litteras ad Capitulum, ſeu Electores miſſas eadem charitate, quæ nunquam agit perperam, præſtare licebit.

12. Quod

12. Quod ſi Electores, in Provinciali Capitulo congregati, intra tres dies, à primo incluſive, ad electionem deſignato, de perſona eligenda non ſit facta, juxta Sacros Canones, Conſtitutiones, & decreta Ordinis, atque adeo ſit jure caſſanda, tunc jus eligendi Provincialem devolvitur in Magiſtrum, qui illum confeſtim eligere teneatur.

13. Magiſter Generalis debet etiam confirmare electionem Vicarii Generalis noſtræ Recollectionis (ſi fuerit canonica) intra dies quindecim à primo præſentationis ejuſdem: & Patres prædictæ Familiæ intra tres menſes à die electionis, tenentur præſentare illam Magiſtro Generali, pro ejus confirmatione obtinenda,& concordia inter utramque Familiam à Gregorio XV. confirmata.

14. Similiter debet electiones Provincialium, rite factas confirmare, vel defectum earum oſtendere: atque etiam Prioris Barchinonenſis, ſi ſit quoque canonice celebrata: in qua tamen, ſi conventuales de perſona eligenda non convenerint intra menſem, jus eligendi devolverit in Generalem Magiſtrum: qui Vicarios Provinciales, in quibuſdam caſibus, inferius cap. 12. hujus Diſt. exprimendis, creare poſſit, ſicuti, & in Provincia, quæ, ob Provincialis deceſſum, regitur per Vicarium Provincialem, ab eo relictum, deſignare Vicarium Generalem: quem, pro nulla, extra hunc caſum, Provincia nominare valeat. Hinc tamen excipimus Hiſpaniæ, & Galliæ, Italiæque Provincias: dicto namque Magiſtro in Hiſpania reſidenti poteſtatem facimus, ut pro Gallia, & Italia Vicarios Generales inſtituat, dum vero in Gallia commoretur, vel Italia eandem facultatem habeat ad eligendum Vicarium Generalem pro Hiſpania.

15. Licet jure Conſtitutionis priſtinæ, Magiſter Generalis de aliquibus diſpenſare poſſit cum fratribus, illis interdum concedendo nonnullas exemptiones, gratias, & immunitates, nihilominus tamen, quia plura, & ingentia damna ex hac liberalitate provenire compertum eſt, eam in poſterum prædicto Magiſtro interdicimus, eique ſolum permittimus declarare fratres aliquos illis immunitatibus, & exemptionibus gaudere, quæ ſolent appellari Reales, & quibus ratione officii, gradus, vel antiquitatis quadraginta annorum in Ordine gaudere poſſunt, juxta Conſtitutiones hujuſmodi, & decreta Pontificum, ſeu Capitulorum Generalium.

16. Pro expenſis autem ſui muneris, & pro veſtuariis, aliiſque ſumptibus Ordinis, ſingulæ Provinciæ teneantur, ſingulis annis, præfato Magiſtro perſolvere eam pecuniarum quantitatem, quæ pro earum diverſitate, & facultate fuerit à conſuetudine ſtabilita, cum approbatione Generalis Capituli. Ita tamen, ut ſive plus, ſive minus, nulla Provincia, vel etiam congregatio, ſeu vice Provincia excludatur à ſolutione prædicta.

17. Sciat autem Magiſter Generalis, quod circa hujuſmodi Religionis bona meram ei tantum adminiſtrationis poteſtatem concedimus intra Ordinem ſuper iis, quæ ad bonum Ordinis ſpectant: eaque ideo, ut communia, non verò ut privata reſpiciat: nullaque inſuper ratione, aut prætextu bona Provincialibus, Commendatoribus, aut quibuſcunque fratribus ad uſum conceſſa, ſibi quomodolibet determinet, vel aſſumat. Immo reddituum omnium Oppidi de Algar, & quarumcunque contributionum, tam pro veſtuariis prædictis, quam alioquin ſibi conceſſarum, in Capitulo Generali proxime futuro, vel ſi ante illud deſerat officium, Provinciali, & Diffinitorio Provinciæ, ubi repertus fuerit, rationem reddere teneatur; ita ut animalia, quæ officio deſerviunt, cum pecuniis, aliiſque rebus ad illud pertinentibus, & his, quæ poſt redditam rationem ſupervenerint, novo Magiſtro electo reſignet pro uſibus ſui muneris, vel dicto Provinciali, & Diffinitorio tradat, qui ea Magiſtro eligendo cuſtodiant.

18. Super omnia vero ipſius intereſt pro viribus laborare, ut in omnibus Redemptio Captivorum ferventer exerceatur à fratribus, ejuſque eleëmoſynæ omni ſtudio colligantur, fideliterque ſerventur, ita videlicet, ut ſuis temporibus, ſic omnes integre fidelium liberationi proficiant, quod nulla ratione, aut prætextu cujuſcunque privilegii, aliquam, vel minimam partem, aliis quibuſcunque uſibus applicet, ſeu applicari permittat.

19. Qua de re, omnem ignorantiam propellere deſiderantes, ipſi Magiſtro, & univerſis Prælatis Ordinis, ejuſque fratribus ſtrictiſſime, & ſub excommunicationis ſententia, ipſo facto incurrenda, præcipimus, ut enixe obſervent, & obſervari faciant decretum, & ſtatutum editum in Capitulo Generali Barchinonæ anno 1520. ob aliquorumque ignorantiam, aut dubia ſæpe in ſuccedentibus confirmatum, & expreſſe declaratum, prout nunc expreſſe reproducimus, & declaramus, circa renuntiationem ſeu po-

tius non admiſſionem cujuſdam tunc recentis Bullæ SS. Leonis X. de anno 1516. & ejuſdem confirmationis à Clemente VII. de anno 1525. quantum ad uſum bonorum Redemptionis indifferentium: ita ut quæcunque ab ipſis conceſſa facultas prædicto Magiſtro, vel Ordini circa diſtractionem alicujus partis illorum nunquam cenſeatur admiſſa: imo quam primum, & ſæpius, ut prædicitur, ab ipſis Magiſtro, & ordine renuntiata, neque tunc in ejus præſentatione, aut aliquando ſuſcepta, ſicut eam, ut talem nunc iterum declaramus: & juxta primam Conſtitutionem noſtram nullatenus à prædictis pœnis, & omnibus aliis ſuperius diſt. 2. cap. 3. latis. Ubi cuncta, circa prædictas Eleëmoſynas, non alio diſtrahendas, prohibita, juxta præſentem declarationem, & decreta ſuperius memorata eſſe, & fuiſſe ſemper intelligenda denunciamus.

20. Pro his ergo Magiſter debet impenſius omnia, quantum liceat, impedimenta ſuperare, ut Capitulo Generali, ac etiam Provincialibus ſemper interſit, ubi prædictis maxime, & aliis quæ ad bonum Ordinis attinent, ad oculum valeat providere: ne gregibus ſibi traditis, propter ſui abſentiam in Capitulis minus diligenter à reliquis eorum paſtoribus conſulatur.

21. Ulterius Provinciis magis deſolatis, vel minus ſibi ſufficientibus debet eſſe favorabilior, in concedendis fratribus idoneis, & utilibus, ſive ad legendum, ſive ad prædicandum, ſive ad alia Ordinis obeunda negotia, juxta utilitatem Ordinis, aut fratrum transferendorum, vel etiam Provinciæ à qua, vel ad quam translatio hujuſmodi fuerit facienda. Numquam tamen, ſub hujus facultatis prætextu, fratrem aliquem traducat de vocalibus unius Provinciæ in aliam intra duos menſes ante Capitulum Provinciale illius, à qua dimittitur; quod nec alio tempore faciet, niſi rationabiliter urgeat. Contentiones quoque (ſi quæ fuerint inter Provincias) debet prudenter dirimere, & à mutuis eas injuriis, & vexationibus præſervare.

22. Magiſtri Generales, poſt impletum officium, manent ipſo facto Magiſtri de Numero in qualibet totius Ordinis Provincia, ubi reperiantur. In omnibus Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus, eorumque Diffinitoriis, extra, vel intra Capitulum celebrandis vocem habent deciſivam, & electivam in omnibus. Honorem Paternitatis Reverendiſſimæ non amittunt. Poſt Prælatum Conventus locum ſemper obtinent immediatum. Ubicunque voluerint, conventualitatem poſſunt eligere, de licentia Magiſtri: & ibidem Socium, penitus ab omni Conventus onere liberum, illis dari præcipimus. In reliquis gaudent omnibus privilegiis, & exemptionibus quibuſcunque aliis à Conſtitutione conceſſis: ita ut, juxta ſupremam dignitatem præteritam amplior eis honor deferatur in ſingulis.

Caput VI.

De Succeſſione in Vicarium Generalem Ordinis, vacante Sede Magiſtri, & de poteſtate illius.

1. Ut hæc ſucceſſio clarius in ſingulis eventibus ſtatuatur, primo, & ante omnia decernimus, Magiſtrum Generalem poſſe ubique, & quovis tempore renuntiare Magiſtratum per ſe, vel Procuratorem, coram tamen Provinciali, & Electoribus, ac Diffinitoribus Generalibus ejus Provinciæ, cui adeſſe contigerit. Qua renuntiatione facta, & authentico teſtimonio, per Secretarium Ordinis atteſtata, ex tunc protinus Sedem Magiſtri vacare, & ad illum, qui jure harum Conſtitutionum ſit Vicarius Generalis in Ordine, totum ejus regimen devolvi perpetuo ſtabilimus. Cum autem Magiſtrum Generalem ad aliquam Eccleſiam, ſeu Epiſcopatum eveniat promoveri, non ſtatim Sedes Magiſtri vacua cenſeatur, nec ſucceſſorem ad officium Vicarii Generalis vocatum illud poſſe confeſtim aſſumere, quouſque de præconizatione in Conſiſtorio Romano, & confirmatione à Sanctiſſimo authentico liqueat teſtimonio.

2. Adhuc Sedes Magiſtri vacare poteſt, vel per deceſſum, privationem, aliaſve cauſas, de jure præmiſſas. Quacunque autem eveniente, ſic ſucceſſionem ejus conſtituimus. Cum Prior noſtri Conventus Barchinonenſis, ſive ſit confirmatus, ſive non confirmatus, ſemper debeat eſſe Caput, & Vicarius Generalis totius Ordinis, quoties Magiſtro viduetur, & Sedes vere vacaverit, idcirco decernimus, ut quacunque ex prædictis cauſis, vacare contigerit, Commendator domus, ubi evenerit (ſi tamen Provincialis ejus Provinciæ non adſit, cui præſenti actionem iſtam deferimus) nuntium ſpecialem authoritate, & induſtria præſtantem inſtituat, cum authentico teſtimonio, à Secretario deficientis Magiſtri recepto, de veritate, & cauſa vacantis: & illum primo mittat ad præfatum Priorem Barchinonenſem, ut illud ipſi, ſuoque Conventui notum faciat, ac nomine totius Ordinis in ſucceſſionem Inducat.

3. Quod

3. Quod ſi tunc temporis non ſit Prior electus in prædicto Conventu, univerſis ejus fratribus denuntiamus, ut intra ſpatium viginti quatuor horarum, à puncto notificationis, Priorem de more conſtituant. Quod ſi ſecus fecerint, vel Prior inventus, aut electus aliunde fuerit impeditus, ſuccedat Provincialis, aut Vicarius Provincialis, in Capite Provinciæ Capitularis ad proximum Generale Capitulum deſignatæ. His vero deficientibus, ſuccedat Commendator domus, pro eodem proxime celebrando Capitulo Generali præfixæ. Qui ſi etiam fuerit impeditus tranſeat ſucceſſio ad digniorem Diffinitorem Generalem ejuſdem Provinciæ Capitularis: & his quoque impedimento conſtrictis ad digniorem Electorem Generalem ipſius.

4. In his autem omnibus rite, ac de jure implendis, ita nuntius præfatus ſit prudens, & induſtrius, ut ex ſingulis ante dictis, quæ in præfato Priore, aut aliis poſt illum vocatis, ſucceſſionem impediant, authenticum teſtimonium ſemper accipiat, prout de jure opus fuerit: & illud ſecum deferens tranſeat de uno in alium, donec perveniat ad expeditum, & habilem, cui vacationem Sedis, & ipſius ſucceſſionem in illa notam authentice faciat, ac ſigilla conferat Magiſtratus.

5. Is vero, quicunque fuerit, convocatis illico fratribus illius domus, ubi reperiatur, & in Capitulo congregatis, prædictam vacationem Sedis, ſuique in ea ſucceſſionem, cum omnibus teſtimoniis, hanc, & illam rite adſtipulantibus, manifeſtet: & tunc ab omnibus ſolemniter obedientiam accipiat, coram tali nuncio: qui etiam de his poſtremis actibus fide dignam atteſtationem recipiet, in qua, & aliis ſuperioribus ſemper notabit diligenter annum, menſem, diem, & horam poſſeſſionis Officii Vicarii Generalis, & notificationis ejuſdem: ita ut poſſit omnibus conſtare juridice de legitimitate ſucceſſionis.

6. Sed cum hos omnes, ſui Vicariatus tempore, poſſibile ſit deficere, aut impediri canonice, ac proinde nova ſucceſſione ſit opus; propterea ſtatuimus ut, ſi Prior Barchinonenſis ut Vicarius Generalis, & aliqua cauſa ex prædictis deficiat, ſimili modo, ut ſuperius, notum faciat authentice per nuntium, ſi accidat extra Barchinonam; alioquin intra illam à Secretario præcedentis Capituli Generalis intimetur præfato Conventui, ut fratres ejus intra periodum viginti quatuor horarum, ab inſtanti vacationis, vel ejus notitiæ novum Priorem eligant, qui pariter ſuccedat in Vicarium Generalem Ordinis. Quod ſi non fecerint, aut electus ſit etiam (ut præmittitur) impeditus: tunc, ſumpto per nuntium, aut Secretarium prædictum authentico teſtimonio totius rei geſtæ, tranſeat ipſe, vel nuntius ad Provincialem, ſeu Vicarium Provincialem Provinciæ Capitularis, aut alium ſucceſſive vocatum (ut prædicitur) ipſique notam faciat ſucceſſionem.

7. Si vero Vicarius Generalis deficiens non ſit Prior Barchinonenſis, ſed alius de vocatis poſt illum, tunc pertineat prædicta ſucceſſio ad primum ex omnibus prædictis, qui tunc temporis non fuerit impeditus: ita videlicet, ut à Provinciali revertatur, & ſecundo quærat Priorem Barchinonenſem, ſi jam ejus impedimentum ceſſaverit, ratione cujus tranſivit ad Provincialem. Quod ſi ita non ſit, vel Prior non eligatur intra ſpatium præfatum, iterum revertatur ad ſucceſſorem Provincialis, aut alios, ſuo ordine vocatos, ut ſupra: de quibus omnibus eadem, & eodem ordine obſervanda intelligimus, ſi quiſquam eorum ſit Vicarius Generalis, & deficiat.

8. Sic ſucceſſione Magiſtratus in Vicarium Generalem, pro tempore vacationis legitime inducta, quam primum talis Vicarius literas ſuas patentes, tam obedientiæ, quam convocationis ad Capitulum Generale celebrandum, tranſmittat ad omnes Provincias, ad quas opportune pervenire valeant ante prædictum Capitulum: & hoc primum eſſe volumus ſuæ poteſtatis indicium.

9. Prior itaque Barchinonenſis, aut ejus defectu, quicunque alius de prædictis, ad hanc ſucceſſionem aſſumptus, dum Officio Vicarii Generalis fungitur, ita ſit revera totius Ordinis Caput, ut ſupremam, & eandem in omnibus habeat poteſtatem, & vices, quæ inerant ipſi Magiſtro: ac proinde gaudeat facultate, & authoritate ſufficienti, tanquam ſupremum Caput univerſi Ordinis, ad confirmationem graduum conferendam, ſicut ipſe Magiſter, & prout Superiori diſt. cap. 6. amplius declaratur.

10. Illi tamen nullatenus liceat, aliquem ex vocalibus Capituli Generalis proxime celebrandi mutare, vel privare, aut novos eligere: neque etiam nominare Vicarium Provincialem. Quod ſi tempore ſui Vicariatus, Provincialem, aut ejus Vicarium deficere contigerit, ſuccedat abſolute in Vicarium Provincialem quem inferius, c. 20. de illius ſucceſſione in Vicarium ordinabimus. Unde ad hoc

ipſi

ipſi Electores, quos Magiſter Generalis, quomodocunque deficiens reliquerit, permaneant immutabiliter in ordine: ita ut ſit in eodem ſtatu uſque ad electionem futuram, ſicut fuerat ante vacationem Sedis.

11. Inſuper ſi tempore ſui Vicariatus aliquod Capitulum Provinciale obtigerit celebrandum, nec illud celebrare poterit, nec ab alio quovis modo celebrari, etiam ſi compleatur triennium: ſed prorogari omnino conſtituimus in aliam Dominicam in *Cantate* proxime futuram poſt Generale Capitulum: ita ut Provincialatus ad quadriennium in hoc caſu producatur: nec utique in Electoribus Capituli Generalis aliqua mutatio contingat, ut inferius amplius de omnibus Provinciis, & Indiarum præcipue declarabitur in hac diſt.

12. Prior autem Barchinonenſis, vel ejus defectu, quicunque in Vicarium Generalem ſucceſſerit, ſi quando hujuſmodi Officium ſuſcipit, fuerit ſolum Præſentatus, ipſo facto tranſeat in Magiſtrum, dummodo annos Lecturæ pro Magiſterio adimpleverit. Si vero fuerit jam Magiſter de Numero, maneat poſt officium cum exemptionibus, & gratiis exprovincialibus debitis, cum præcedentia ad reliquos Magiſtros ſuæ Provinciæ, & immediate ſedeat poſt omnes exprovinciales, qui ſunt, vel pro tempore fuerint.

Caput VII.

De Vicario Magiſtri, & ejus poteſtate.

1. NON ſolum in vacatione Sedis Magiſtri in Vicarium Generalem totius Ordinis incidimus, ſed interdum etiam, propter infirmitatem, aut aliud rationabile impedimentum ipſius Magiſtri, ad alios Vicarios, ab eo ſpecialiter nominandos, oportet ipſi facultatem concedere, quos & in poteſtate debeamus inſtruere.

2. Statuimus ergo Magiſtrum, ſi ita impeditus ſit, ut Capitulo Generali, vel Provinciali intereſſe nequeat, unum poſſe idoneum, & prudentem noſtri Ordinis fratrem, ſub titulo Vicarii Magiſtri ad Capitulum mittere, cum literis opportunis, ſuo ſigillo roboratis. Cum autem fuerit in Capitulo, & illud jam ſit congregatum ſono cimbali, ut aſſolet, in vigilia ipſius prædictas literas præſentare tenetur: quarum virtute, accepta à Vocalibus obedientia, ex tunc eandem habeat poteſtatem in ipſo Capitulo Generali, vel Provinciali, quam ipſe Magiſter, ſi præſens adeſſet, atque eadem illi obedientia, & honor à Commendatoribus, & univerſis fratribus Capituli deferantur, quæ ipſi Magiſtro exhiberentur: & quidquid per ipſum Vicarium, & Diffinitorium Generalis, vel Provincialis Capituli, ipſo durante, diffinitum, aut ordinatum fuerit, roboris obtineat firmitatem. In utroque autem Capitulo ſemper ut vere Caput, & Præſes illius primam habeat vocem in omnibus: quam primum, verò Præſidentia ejus expiraverit, eo quod ſuccedat in munus Magiſter Electus, immediate poſt ipſum ſedeat, in ſinguliſque ſequentibus Diffinitoriis, & Capituli actibus vocem habeat: iiſque peractis poteſtas prædicti Vicarii protinus ipſo facto ceſſabit.

3. Declaramus tamen, quod prædicti Vicarii, ſeu etiam Provinciales, qui in abſentia Magiſtri Capitulo Provinciali præſident, non gaudeant jure devolutionis, quantum ad electionem Provincialis, quam in caſibus infra dicendis ſoli Magiſtro concedimus: ſed eis evenientibus, tantummodo poſſit Vicarium Provincialem ſubrogare, donec delata devolutione ad Magiſtrum, Ipſe Provincialem in Provincia conſtituat. In reliquis autem electionibus ejuſdem Capituli, & Diffinitorii Provincialis, ſi devolutiones eveniant, quas alibi etiam Magiſtro præſidenti committimus, eas quoque prædictis Vicariis, aut cuilibet alteri præſidenti concedimus, ſi videlicet Electores poſt tria ſcrutinia de diſcordia præmoniti, adhuc in quarto diſſideant: ne Capitulum moram patiatur, vel maneat imperfectum.

Caput VIII.

De Diffinitorio Capituli Generalis, & quibus ſuffragiis, ordine, & poteſtate conſtituatur.

1. IN Diffinitorio Generali primam ſemper vocem, & locum habeat Magiſter Generalis electus, tanquam ejus Caput, & Præſes noviter conſtitutus. Etiam vocem habeat Generalis Abſolutus, ſeu alius quiſquam ex Ordine electionis Præſul: qui Generali electo immediatus aſſideat. Salva Magiſtratus antiquitate, ſequantur, & vocem obtineant, qui jam in Ordine Generales extiterint: deinde Provinciales, aut Vicarii Provinciales ſecundum ordinem ſuarum Provinciarum. Prior autem Barchinonenſis locum teneat poſt dictos Provinciales, Vicarioſve Provinciales immediatum; vocem attamen ante illos omnes primam habebit. Poſtea ſuccedat Procurator Generalis in Urbe, & tandem Diffinitores Generales, prout ſua-

ſuarum Provinciarum antiquitas poſtulaverit. Etiam in Diffinitorio Secretarium Generalem includimus, ſine voce tamen, ſi alioquin illa non gaudeat, ut de omnibus Diffinitionibus, Decretis, & electionibus fidem faciat.

2. Omnes itaque prædicti ſunt, ex quibus componitur Diffinitorium Generale, & vocem tam electivam, quam deciſivam habent in omnibus ejus actibus, & ſtatutis. Locum autem, & ordinem, quem eis deſignamus etiam extra Diffinitorium in actibus pleni Capituli, vel conventualibus, & domeſticis obſervare præcipimus.

3. Hujus autem Diffinitorii poteſtas, cum ſit ſuprema, & altior in ordine, vim habet legiſlativam, tam directivè, quam coactivè ſuper omnes ejus fratres, & Prælatos: ita ut ab ejus correctionibus, & cenſura nullus penitus ſit immunis. Unde in omnibus, & ſingulis, quæ pro toto noſtro Ordine fuerint conſtituenda, deſtituenda, mutanda, addenda, vel diminuenda, laudanda, approbanda, declaranda, & confirmanda, nec non punienda, aut moderanda, diſpenſanda, vel pariter indulgenda, ita ſe habeat Diffinitorium præd.ctum, ut illa omnia ordinet, conſtituat, vel deſtituat, mutet, addat, ſeu minuat, laudet, approbet, & confirmet, puniat etiam, ſeu moderetur, diſpenſet, vel indulgeat, & firmiter quæcunque decernat: iis tamen exceptis, de quibus Conſtitutiones extiterint à Sede Apoſtolica confirmatæ: quas nihilominus declarare poterit. Et quidquid per hanc Congregationem, ſeu Diffinitorium fuerit generaliter conſtitutum, ordinatum, & declaratum univerſe in toto noſtro Ordine obſervetur, & inſuper vim Conſtitutionis habeat, ſi per tria continua Capitula Generali ſtatuatur.

4. Tandem verò, ut quæ in Diffinitorio ſunt agenda, & decernenda, Deo ſemper auſpice fiant, ſtatuimus, ut quoties habendum ſit, ante omnia invocetur gratia Spiritus Sancti, & dicatur Antiphona: *Veni Sancte Spiritus, &c.* Cum alia de Beata Virgine, ut moris eſt, cum verſibus, & orationibus conſuetis.

Caput IX.

De Electione, Officio, & Poteſtate utriuſque Vicarii Generalis Indiarum.

1. Conſtituto Diffinitorio Generali, prima electio, quæ ab illo aſſumitur, eſt circa Vicarios Generales Indiarum: hæc enim celebratur per ſuffragia ſecreta prædicti Diffinitorii; quam tamen poterit reſignare Magiſtro, & in illum ſe compromittere, ut intra, vel extra Capitulum, & quoties vacatio contingat, prædictos Vicarios nominet; & ut etiam à Diffinitorio, vel à ſe nominatos ex juſta cauſa, jureque ſervato deſtituat. Eorum regiminis metam quinquennium eſſe ſtatuimus, niſi ob moram ſucceſſoris, ut prorogetur, neceſſe ſit, ſicut ordinatur inferius.

2. Quomodocunque autem fiat electio, ſemper debent eſſe præfati Vicarii ex Caſtellæ, Vandaliæque Provinciis: quarum ſcilicet, non adoptione, ſed vera Profeſſione ſint filii, etiamſi alterius nationis exiſtant. Eorum quidem unus eligatur, ut viſitet, & exerceat poteſtatem ſibi traditam in Pervanis Provinciis; alter veto in iis, quas Ordo habet in Nova-Hiſpania; & Guatemala cum Inſulis, & Locis illi adiacentibus, & unitis.

3. Quod tamen ita faciat, ut uterque Vicarius per vices ſuas eligatur alterne ex præfatis Caſtellæ, Vandaliæque Provinciis: ita videlicet, ut, ſi Vicarius Generalis Pervanus, ſit ſemel ex Provincia Caſtellæ, in ſequenti vice idem Vicarius Generalis eligendus ſit ex Provincia Vandaliæ: & nullo modo duo Vicarii Generales Pervani, aut Novæ-Hiſpaniæ ſibi immediate ex eadem Provincia ſuccedant.

4. Quam primum ergo ad quamlibet ſuarum Provinciarum quiſque de prædictis Vicariis perveniat, in qualibet earum domo poterit publicare litteras ſui muneris, quarum virtute fratres omnes, quibus notificatæ fuerint illum ſuſcipere, & tamquam legitimo Prælato obedire teneantur: ſed ut omnibus, & ſingulis Provinciis ſui regiminis præfatæ litteræ pateant unum tranſumptum authenticum ad eas tranſmittat, quo pariter à ſingulis agnoſcatur, & ſuſcipiatur, ut verus Paſtor, & Viſitator earum.

5. Sed ne ſuper poteſtate hujuſmodi Vicariorum aliqua dubitandi rimula relinquatur, eam in omnibus eſſe generaliter ordinariam, Magiſtro tamen ſubditam declaramus; à quo poterit limitari, ſi expediat, ſicut in multis ab his noſtris Conſtitutionibus cohibetur.

6. Ad eos maxime pertinere decernimus viſitare, & reformare prædictas Indiarum Provincias, & cum opus fuerit ad debitam obſervantiam reducere, juxta Regulam, & Conſtitutiones Ordinis noſtri, corripientes, & punientes exceſſus, tranſgreſſiones, & crimina fratrum.

7. Ipſos etiam poteſtate inſtruimus con-

convocandi Capitula Provincialia, ſecundum ſtatuta Conſtitutionum hujuſmodi, eorumque electiones confirmandi, irritaſque faciendi, in præfatis Provinciis, cum ita de jure, ſecundum formam hic ſtatim conſtituendam, fieri oporteat. Præcipimus tamen illis ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, perpetuæque privationis vocis activæ, & paſſivæ ne unquam faciant, aut permittant ſe eligi in Provinciales earundem Provinciarum, neque, ſi eligantur, conſentiant. Quod ſi contrarium fiat, talem electionem ex nunc pro tunc ducimus inanem. Electus vero contra Conſtitutionem iſtam à Magiſtro, vel Diffinitorio Capituli Generalis corripiatur, nullatenuſque recedat impunis, ſed debitis pœnis cum ſeveritate correctus.

8. Etiam ſi, ut præmiſſum eſt, hujuſmodi Vicariorum officium quinquennio concludamus, ipſos tamen nolumus illud dimittere, quouſque ſucceſſor accedat. Quare ſubditis eorum univerſis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna privationis à voce activa, & paſſiva præcipimus, ut ab illorum obedientia, ſub prætextu jam adimpleti muneris, aut quinquennii non audeant quovis modo deflectere, donec alius in officio ſucceſſerit. Nullus ex prædictis Vicariis Generalibus, de Provinciis ſibi creditis recedat, quouſque ſucceſſori ſuo exactam rationem de omnibus illis, officioque reddiderit: qui vero à ſuis Provinciis, & officio diſceſſiſſe, non reddita prius ſucceſſori præfata ratione, repertus fuerit, voce activa, & paſſiva, privatus maneat. Ratio autem, reſidentiaque prædicta ad Magiſtrum Generalem deferatur: & uſque dum ab iſto declaretur immunis, illum ad omne Religionis officium inhabilem declaramus.

9. Ipſis iterum enixe præcipimus, ut in nulla penitus Provincia, ex ſibi ſubjectis, quacunque ratione, vel cauſa nominare poſſint, mittere, aut conſtituere Commiſſarium Generalem, aut quocunque alio nomine delegatum: ſed earum regimen ſuis Provincialibus relinquat. Quod ſi caſus, & cauſa gravis accidat, quæ ſuam præſentiam, & viſitationem poſcat, aut tempus eas viſitandi pro munere immineat, nec ad eas accedere valeant, poterunt pro illis nominare, vel mittere Viſitatorem, aut Viſitatores, qui in omnibus ſe gerant, & obſervent univerſa, quæ infra diſt. ſequenti cap. *Alibi*, de Viſitatoribus ſtabilitur. Si vero contra præſentem Conſtitutionem aliqua (ut præmittitur) nominatio contingat, nullius fore roboris declaramus.

10. Quocirca obſervari conſtituimus ſanctionem jam alias memorati Capituli Generalis Optenſis à Sanctiſſimo Innocentio XI. confirmatam, qua præcipitur, ut inſtante ratione, vel cauſa, quibus neceſſe ſit, in præfatis Indiarum Provinciis, Viſitatorem (ut prædicitur) inſtitui, non poſſint præfati Vicarii Generales illum eligere, niſi virum authoritate, & matura diſcretione præditum, atque gradu ſaltem Præſentaturæ inſignitum. Nec item valeant hujuſmodi officium, aut quodlibet aliud, ſive dignitatem, vel adminiſtrationem, & honorem, ſuis conferre Sociis, aut aliis quibuſque fratribus alienigenis, etiamſi in dictis Provinciis jam adoptione gaudeant, niſi peracto, & impleto integro quinquennio à die adoptionis illorum.

11. Cum autem per ſe, vel alium Provinciam aliquam viſitaverint, non poſſunt ad ſe revocare fratres Doctrinarios ad viſitationem extra ſuam Doctrinam: nec ipſi ita vocati tenentur adire: ſed in eiſdem doctrinis debent prædictam viſitationem ſuſcipere, & rationem præfatis Vicariis Generalibus, aut eorum Viſitatoribus reddere: neque ab ipſis privari poterunt, & à doctrinis amoveri tam extra, quam intra Viſitationem, niſi prævia juſtiſſima cauſa, & ea prius acta juridice. Caveat tamen Vicarius Generalis, ne unquam Doctrinarius à ſua doctrina recedat, uſque dum ſucceſſor accedat.

12. Quamvis hujuſmodi Vicarii Generales poſſint confirmare (ut præmittitur) & annullare Capitula Provincialia, & Provincialium electiones, quæ veniunt de jure caſſanda, minime tamen poterunt ad hanc declarationem in judicio procedere, nec ſimiliter in aliis caſibus ſuſpendere, vel privare Provinciales, niſi per ſe tantum, & non per Viſitatorem, & quidem prævia cauſa legitima de jure acta, & concluſa in ipſa Provincia Provincialis privandi, aut ſuſpendendi, ſive ab electione exturbandi. Quæ omnia ſic rite implenda, & actuanda præcipimus, ut videlicet privatio, & annullatio electionis dictorum Provincialium ſemper fiat de conſenſu, & aſſenſu quatuor Prælatorum, ſeu Diffinitorum ejus Provinciæ, ubi dictos Vicarios Generales adeſſe contigerit; ſuſpenſio vero de duorum duntaxat aſſenſu, & non aliter.

13. Sententiam autem ſub hac forma, à prædictis Vicariis, & Prælatis, ſeu Diffinitoribus latam, plenum effectum ſortiri decernimus, qualibet appellatione poſtpoſita. Et ne Provincia maneat orbata Præſule, continuo cum eiſdem Diffinitoribus, vel Prælatis, ac de illorum aſſen-

aſſenſu, & conſeoſu, eademque forma, qua Proviocialem ſuſpenderit, autdepoſuerit, vel ejus electionem annollaverit, Vicarium Provincialem, pro eo ſubſtituat.

14. Cum autem electio Provincialis poſt triduum ob aurora Sabbati adhuc diſcordiam patitur, ita ut Electores non conveniant, vel ſi cooveniant,non ſit electio canonica, tunc ad ſolum Magiſtrum, ut reliquas omoes in toto Ordine ſimiles, devolvendam eſſe decernimus. Ipſis tamen Vicariis, nec noo Præſidentibus loco illorum concedlmus, ut interea per ſe ſolos Vicarium Proviocialem ſubſtituant (ne Provincia maneat ſine Præſule) & cum eo reliqua Capituli acta perſolvant. Si vero in electionibus reliquorum officiorum, quæ fiunt in Diffinitorio, & Capitulo caſus devolutionis eveniant,quos alibi Magiſtro Præſidenti abſolute ſubiicimus, ipſis quoque Vicariis Generalibus, ſeu eorum loco Præſidentibus quomodolibet ſioe reſtrictione poſt quatuor ſcrutinia committimus, ot io hac diſt. ſuperius declaravimus.

15. Obeunte Ptovinciali abſque nominatione Vicarii Provincialis, non liceat omnino prædictis Vicariis Geoeralibus Vicarium Provincialem eligere, ſed ſuccedat Commendator domus Capitularis, ubi ſtatuta eſt proxima celebratio Provincialis Capituli, & ſuo ordine Diſſinitores Provinciæ, aut poſt eos dignior Provinciæ Magiſter, dummodo prædictos nullum impedimentum obſtringat.

16. Vicarii Generales Indiarum habent ſimiliter ſuffragium in omoibus electionibus, & Diffinitoriis Capituli Provincialis, qootieſcunqoe à Generall Magiſtro præſidendi Capitulis, vel Præſidem nominandi facultatem accepetint. Illis autem ſtrictiſſime ſubjungimus, ot ad præfata Capitula non alia ſuffragia,aut Vocales admittant, niſi à Conſtitutionibus noſtris præſcripta, & prout inferius in hac diſt. declarabitor.

17. Cùm autem prædicta authoritate ſuffultus non valeat alicui Proviociall Capitolo intereſſe, ac neceſſe fuerit Præſidem ioſtitui, illum ſemper eligat graduatum, virum equidem ab omni ambitu, & aliorum partibus alienum: ne vel ad ſe totam electionem alliciat, vel partes alterius agens, Proviociam, & Capitulum dividat, & coocordiam ubique deſiderabilem frangat, qui mittltur Zelator ejuſdem. Is eandem vocem in Capitulo, quam Vicarius Generalis, ſi adeſſet, obtineat.

18. Et ne ſuperfluis ſumptibos, & contributionibus, graventur dictæ Provinciæ Pervanæ, & Novæ Hiſpaoiæ, ſtatuimus, ut inpoſterum pro veſtuariis Magiſtri Generalis mlnime fiant contributiones ibi fieri ſolitæ; ſed tam pro dictis veſtuariis, quam pro ſumptibus Procuratoris Generalis in Urbe, & negotiis ab eo gerendis, præſenti conſtitutione deſignamus medietatem illarum contributionum, qoæ in dictis Provinciis fiunt, & fieri conſueverunt; pro veſtuariis Vicariorum Generaliom: ita ut tales exactiones, ſeu contributiones ln duas partes æquales dividantur, qoarom una mittatur Magiſtro Generall; altera vero Vicariis Generalibus, pro ſui officii ſumptibos deputetur.

19. Quibus denuo enixe præcipimus ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac privationis utriuſque vocis perpetuo ſubeundæ, ut peractis ſuis officiis, præfatam rationem reddaot Magiſtro, & deinde proximo genetali Capitulo de omnibus prædictis contributionibus, ac aliis qoibuſcunque bonis, quæ toto ſui regimiois tempore, tam titulo, & ratione præmiſſis, quam quolibet officii jure receperint.

20. Ipſis tandem interdicimus, ne ſuos Secretarium, & Socium ordinem ſedendi frangere, & locum inter fratres ſibi non debitum patiantur aſſumere. Et ne quidem de cætero pendeat à ſola comitate, vel libito, perpetuo obſervari præcipimus, quod ſi Socius, aut Secretarius cujuslibet Vicarii Generalis Indiarum fuerit Graduatus ſuæ propriæ Provinciæ, præſideat omnibus Magiſtris de Numero, ſitqoe Exprovincialibus lmmediatus. Si vero in ſua Provincia Graduatus non fuerit, locum obtineat immediatum ante omnes Præſentatos de Numero, toto videlicet tempore, quo uterque præfatis muneribus reſpective gaudeant, & ſolum in Proviociis, obi illa exerceant, & non ultra.

Caput X.

De Electione, & Officio Procuratoris Generalis in Romana Curia.

1. POST electionem utriuſque Vicarii Genetalis Indiarum procedat Diffinitorium ad electionem, ſeu homioationem Procuratoris Generalis in Urbe, ſecundum formam ſuperiori Capite declaratam, per ſuffragia ſcilicet prædicti Diffinitorii, aut nominationem ab eo traditam, & compromiſſam Magiſtro. Hanc autem legi alternationis Provinciarum non obſtringimus: ſed undecunque ſit Generalis, poteſt dictus Procurator ex totius Ordinis fratribus inſtitui, prout melius ad ejus negotia judicatum fuerit expedire.

2. Hujus munus eſt cauſas omnes, negotiaque peragere, quæ habuerit Ordo apud Romanam Curiam, atque ea totis viribus promovere: cui pariter juriſdictionem, & facultatem concedimus ad comprehendendum, puniendum, & corripiendum omnes eos fratres, qui ſine licentia in ſcriptis à Magiſtro conceſſa, reperti fuerint in Romana Curia: quam adire nemini licere patimur ſine prædicta licentia: neque eam à Magiſtro concedi, niſi cogat juſta, & urgentiſſima cauſa.

3. Hujuſmodi Procurator Urbis vir utique debet eſſe præſtantiſſimus literis, & prudentia decorus, morum ſuavitate, ſenſu, & virtute præditus, atque in rebus attrectandis induſtrius. Huic Ordo noſter provideat de ſufficientibus expenſis ad victum, & omnibus pariter, quibus munus ejus indigeat. Non poſſit Generalis Magiſter eum abſolvere, revocare, aut ſuſpendere, niſi propter delicta, quibus, ipſo facto, juſtam de jure mereatur à dicta Procuratione repulſam. Si vero poſt factam nominatioem, tale Procuratoris Officium per mortem, renuntiationem, privationem, vel alia legitima cauſa vacaverit, jus eum noviter eligendi penes Magiſtrum Ordinis maneat.

4. Is, qui per quinquennium ſtrenue, & laudabiliter in hoc munere Procuratoris ſe geſſerit, vocem ſemper habeat, tam electivam, quam deciſivam in omnibus Diſnitoriis, Actis, & Electionibus proxime duntaxat futuri Capituli Generalis. Et ſi præterea, ante expletum prædictum quinquennium ſit, aut fiat Præſentatus, maneat poſt illud cum gradu Magiſtri, & cum præcedentia ad omnes, qui in ſua Provincia ad talem gradum fuerint promoti poſt finem prædicti quinquennii: modo habeat aliunde omnia requiſita, juxta Conſtitutiones Ordinis, & Decreta Apoſtolica ad Magiſterium de Juſtitia obtinendum. Quod ſi prædictis qualitatibus fuerit deſtitutus, locum habeat immediatum omnibus Magiſtris de Numero. Et ſi denique ante finitum etiam præfatum quinquennium factus ſit Magiſter de Numero, maneat poſt procurationem cum gratiis, exemptionibus, & loco eorum, qui fuerint Provinciales, ſine præcedentia tamen ad omnes, qui tunc, vel poſtea Exprovinciales extiterint.

5. Etiamſi prædictum Procuratorem Generalem per totum Ordinem conſtituamus in Urbe, per hoc tamen non tollimus, quod ſi Generalis extiterit ex Provinciis ſub alternativa Coronæ Caſtellæ collocatis, aut vice verſa Aragoniæ, omnes, aut ſingulæ Provinciæ alternativæ contrariæ poſſint pro ſe alterum Procuratorem in Diffinitorio Provinciali intra, vel extra Capitulum eligere, & propriis expenſis mittere: dum tamen in rebus obedientiæ, & regularis diſciplinæ ſit ſubditus Commendatori Romæ noſtri Ordinis, Vicarioque Generali Italiæ, obſervatis in omnibus noſtri præfati Ordinis Conſtitutionibus, & Statutis.

6. Præter Procuratorem Generalem in Curia Romana, eadem forma eligantur, & deſignentur Procuratores Generales totius Ordinis, quibus de facto ſit opus in Regum Curiis, tam pro rebus ipſius Ordinis, quam pro Redemptione generatim. Et quia extra Capitulum id ipſum contingere poteſt, ita ut in aliqua Regum Curia oporteat, pro prædictis rebus totius Ordinis, & Redemptionis aliquem Procuratorem Generalem noviter inſtitui, vel jam inſtitutum removeri, aut privari, & in ejus locum alium ſubrogari, hæc poteſtas relinquatur Magiſtro, cujus nominationem deinceps ratam habere volumus: & omnes ab eo nominatos in veros Procuratores Redemptionis, & Ordinis reſpective, & prout de jure opus fuerit, conſtituimus cum omni poteſtatis, legitimæque facultatis plenitudine, ac ſi creati eſſent à toto Capitulo, vel Diffinitorio Generali.

7. Ipſorum quidem ſit muneris, ea omnia ſubire, & verſare negotia, quæ ad Senatus, Tribunalia, vel Judices ejus Curiæ, in qua reſpective fuerint, pertinere videantur, tam pro Redemptione, quàm Ordine. Qui autem hoc munere funguntur, ſi non fuerint Graduati, ex eo ſolum vocem electivam habeant in Provinciali Capitulo ſuæ Provinciæ: & in ordine ſedendi poſt omnes quomodolibet graduatos locum immediatum obtinebunt. Quod ſi gradum aliquem habuerint, ejus antiquitatem ſervabunt, juxta ejus confirmationem à Magiſtro. At vero inter ſe ipſos, ſi aliunde fuerint æquales, ſemper alterum in loco vincat, qui prior Redemptionem procuraverit, etiamſi fuerit Profeſſione poſterior.

Caput XI.

De Electione Domus Capitularis Generalis Capituli, ejuſdemque abſolutione.

1. Domum Capitulorum pro futuro immediate Capitulo Generali, per veram electionem omnium Vocalium alternatim deſignari præcipimus: ita videlicet, ut ſi Generalis electus ſit ex Provinciis alternativam Coronæ Aragoniæ, Galliæ, & Italiæ conſtituentibus, domus Capitularis eligatur ex aliqua Provinciarum

rum præfatæ alternativæ: & pariter ſi Magiſter fuerit electus ex Provinciis ad alternativam Coronæ Caſtellæ, Portugalliæ, atque Indiarum attioentibus, etiam domus Capitularis immediate futura ſemper fiat in aliqua Provinciarum, quæ non ſunt habituræ vicem, & alternationem in illa. Eam vero ſic deſignatam à Capitulo, nullatenus Magiſtro, oec ejus Vicario mutare liceat, niſi cum inſtante celebratione Capituli Generalis, fuerit impedita peſte, aut bello, ſive alia cauſa ſimili.

2. Ubicunque autem hæc domus aſſignetur, Electores provideant, ut locus ſit ſalubris, & quantum fieri poſſit, Vocalibus cunctis accommodus, & non profuſis ſumptibus acceſſibilis, nullaque libertati Vocalium ratione ſuſpectus, ita ut jura canonicæ electionis inde violari non poſſint, oeque annullationis, ſive infectionis periculum ex hac parte timeatur.

3. Ad hanc autem domum tempore Capituli omnes fratres, qui Vocales non ſint, vel ex munere teneantur, omoino accedere prohibemus. Quod, ut inviolabiliter obſervetur, reproducimus decretum Capituli Generalis Optenſis à Sanctiſſimo Innocentio XI. confirmatum, & jam alioquin paulo ante memoratum, quoad vitanda magna, & intolerabilia diſpendia, quæ fieri poſſunt in hujuſmodi acceſſibus, & ſtationibus in domo, tam Capituli Generalis, quam Provincialis, per aliquos Religioſos, qui neque ſunt Vocales, nec de corpore Capituli, nec alioquin in eo habent actum, illis ſtrictiſſimè præcipimus, ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, trina canonica monitione præmiſſa, ipſo facto incurrendæ, & ſub pœoa privationis, vocis activæ, & paſſivæ in perpetuum, & utraque irremiſſibiliter ſubeuoda, ut nullus frater, cujuſcunque gradus, aut qualitatis extiterit adire, vel ingredi præſumat domum Capitularem, neque Civitatem, aut locum cujoſcunque Capituli, niſi ſit de corpore ipſios, & cum voce, & actu aliquo in illo, vel de licentia in ſcriptis à Generali Magiſtro, vel ejus gerente perſonam expedita.

4. Cùm autem prope diem Capituli Vocales jam conveniunt, eos ſtatim in illam ingredi præcipimus, ne indecore per diverſoria curſitent, aut morentur incommode. Ingreſſi tamen, de ſuis viaticis ſolvant conventui victum, donec expenſæ Capitulares incipiant. Nimis autem properare, aut valde immature domum prædictam ingredi omnino interdicimos ſub pœna gravioris culpæ, niſi de licentia Magiſtri, vel Præſidis.

5. Concluſis jam electionibus, ac decretis prædicti Diffinitorii Generalis, totum congregetur Capitulum, cui Præſes orationem brevem, pia tamen gravitate fluentem inſtituat, qua omnes ad regularem diſciplinam ſeverius obſervandam hortetur; ac deinde omnia Diffinitorii Generalis decreta, una cum Sanctæ Inquiſitionis Edicto legi, & publicari faciat: & tandem ad abſolutionem Capituli, forma cap. 18. diſt. ſubiicienda procedat.

Caput XII.

De Electione Sociorum Magiſtri Generalis.

1. Cum ita officio poſtulante, duos ſibi Socios debeat Magiſter aſſumere, illi omni ſtudio conſulimus, ut eos ſemper eligat morum ſuavitate præditos, Deum timentes, Ordinis zelatores, diſcretione ornatos, religioſaque, & amabili converſatione benignos: & nihil aliud de ipſis, & ſoo munere quærat, niſi ſolam Ordinis utilitatem.

2. Illorum ſit officium ea, quæ viderint vel audierint in Ordine corrigenda, vel pro illius majori bono diſponenda, Magiſtro prudenter aperire: illaque præſertim, quæ ad Redemptionem Captivorum attinent, ad memoriam revocare. Si qua vero Ordinis ſecreta ipſis crediderit, ſub diſtricto ſilentio contioeant.

3. Ex his aotem Sociis unus ad minus debet eſſe Secretarius, & in Epiſtolarum arte diſſertus, qui magis laboret in notando ſententioſe, & breviter, quam ſermonem torgidum, & verba ſublimia. Debet etiam Ordinis Sigilla apod ſe retinere, literas ſignare, & pertinentia ad hæc in promptu habere, libroſque Magiſtri, & Ordinis cuſtodire: ad quod munus exercendū in Magiſtri manibus faciat joramentum, contacto ſuis manibus Evangelio, io hanc formam: dicat enim Magiſter: *Juras in animæ tuæ periculum, quod eris fidelis in omnibus: & quæ pro bono Ordinis, tamen in ejus viſitationibus, quam univerſo regimine fuerint tibi credita, retinebis, & ſecundum Deum, & propriam conſcientiam tuum munus in omnibus exequeris?* Secretarius reſpondeat: *Juro.* Alter vero Socius vir ſane debet eſſe totius conſilii, literis, & authoritate præſtans, quem poſſit Magiſter de gravibus, arduiſque rebus conſulere, ſibique adjutorem adhibere, atque illi interdum, ſi expedierit, aliqua ſui moneris agenda committere.

4. Dum hujuſmodi Socii funguntur hoc munere, ſolius Magiſtri obedientiam ſubeant, & nulli alteri Prælato ſubdantur. In ordine ſedendi Magiſtris omnibus

bus eminent, & eos tantummodo Exprovinciales præcedunt, & qui talium honore, jure harum Conſtitutionum ſint affecti. Cum autem ab officio receſſerint, ſi per tres annos illud obierint, maneant cum gratiis, & honoribus Exprovincialibus debitis, dempto loco duntaxat: Socios vero Magiſtri, quos ad Honorem dicimus, ſic jam in poſterum deſtituimus, ut nullam ulterius electionem in omnibus Provinciis permittamus, niſi tantum eorum, quos Magiſter in exercitiis conſtituit, ut ſibi continuo adhæreant.

CAPUT XIII.

De Loco, Tempore, Convocatione, & Præſide Capituli Provincialis.

1. Ordinatis jam ſuperius, quæ pertinent ad Capitulum Generale, occurrit ſtatim Capitulum Provinciale, eadem forma, & diſtributione ordinandum. Quoad locum ergo celebrationis ejus, ſemper in ea domo fieri conſtituimus, quæ in præcedenti Capitulo deſignata fuit à Diffinitorio Provinciali, vel in ſuis caſibus à Magiſtro, ut infra cap. 17. hujus diſt. ſtatuitur.

2. Nulli penitus Ordinis fratri hanc domum Capitularem, aut locum ejus adire, neque intrare liceat ſine miniſterio, vel voce, aut ſine licentia in ſcriptis Magiſtri, vel Provincialis, aut alioquio Præſidis à Capitulo admiſſi, ſub pœnis in hac Diſt. cap. 11. latis. Cæterum quiſque facultatem habeat mittendi ad Capitulum, & ſcribendi literas ad Præſidem, Provincialem, & Diffinitores circa ea, quæ ad ſtatum domus, Provinciæ, ſeu Ordinis expedire judicaverit, modo veritatem profiteatur. Quod ſi contrarium repertum fuerit, pœna gravioris culpæ puniatur.

3. Quantum vero ad tempus prædicti Capituli, ſemper illud Sabbato ante Dominicam in *Cantate* fieri conſtituimus, niſi per Magiſtrum Generalem, propter concurſum plurium Capitulorum, aut aliam rationabilem cauſam transferatur, vel anteponatur, juxta facultatem ſibi conceſſam, & ſuperius in hac Diſtinct. cap. declaratam.

4. Provincialis Officium tribus præciſe annis concludatur, à Sabbato in Sabbatum prædictæ Dominicæ, regulariter computandis: ita ſcilicet, ut triennium, non quidem naturalibus, ſed annis Eccleſiaſticis conſtituatur. Unde ſi ratione facultatis præmiſſæ anteponendi, & poſtponendi Capitula, præcedens celebratum ſit diebus aliquot ante, vel poſt prædictum Sabbatum, non ideo Capitulum ſubſequens eadem die præcedentis celebrandum eſt: ſed ad Sabbatum præfatæ Dominicæ in *Cantate* redire debet.

5. Attamen ab his legibus omnes Provincias Indiarum excludimus, quas propter vaſtitatem regionum, climatumque varietatem, ſuæ conſuetudini, hactenus ab Ordine jam probatæ, relinquimus: ita tamen, ut Sabbatum Capitulare in qualibet earum, & quovis anni tempore reſpective deſignatum, ſit ſemper initium, & conſummatio triennii, & terminus pariter, unde ſumatur facultas protrahendi, ſeu anticipandi Capitula, cum Vicariis Generalibus id aliquando expedire videatur, & ſpecialem ad hoc facultatem habuerint à Magiſtro.

6. Si autem contingat impleri triennium, vacante Sede Magiſtri, celebratio Capituli Provincialis prorogabitur in *Dominicam in Cantate*, immediate futuram, poſt Capituli Generalis celebrationem: ut Ordo, Magiſtratu quovis modo vacante, in eodem penitus ſtatu conſiſtat, uſque ad electionem Magiſtri.

7. Circa vocationem prædicti Capituli decernimus, ut properante ejus tempore, poſſit Magiſter Generalis convocare ad ejus celebrationem per literas patentes, mittendo eas immediate Provinciali, quas ille continuo manifeſtabit, & notas faciet pleno Capitulo illius Conventus, ubi adeſſe contigerit, & inde ad omnes alios tranſmittet. Si autem Magiſter Generalis reperiatur in aliquo Conventu illius Provinciæ, ubi habendum ſit Capitulum, prædictæ literæ convocatoriæ prius notificari poterunt capitulariter dicto Conventui, poſteaque ad Provincialem mitti, qui pariter reliquis Conventibus illas notas faciat.

8. Quod ſi duobus ante menſibus, quam compleatur triennium, literæ convocatoriæ Magiſtri Provincialis Provinciæ, ubi habendum eſt Capitulum, notificatæ non fuerint, tunc caſus, & non aliter Provincialis ſuas literas convocatorias publicare poterit; quas ſi forte oeuter expediat, ſciant Vocales ſe vi hujus Conſtitutionis eſſe convocatos ad Capitulum die, quo juxta ſupradicta haberi debet, & in loco à Diffinitorio præcedentis Capituli deſignato celebrandum. Illos autem, qui comparuerint, aliis non expectatis, ad omnes electiones, & alia neceſſaria, quæ in his Capitulis conſueverunt fieri, & decerni, ſine mora procedere poſſe, & debere decernimus.

Qui-

Quibus omnibus Ita robur, & firmitatem adiicimus, ac ſi omnes in unum conveniſſent, abſentibus non obſtantibus.

9. A die convocationis ad celebrationem Capituli, uſque ad ejus concluſionem, in quolibet Provinciæ monaſterio fiat quotidie ſupplex ad Deum deprecatio pro felici ejus eventu, proſperoque vocalium itinere, uti ſupra in hujus Diſt. cap. 1. ſtabilitur.

10. In hujuſmodi Capitulis primus de jure Præſes ſit ſemper Magiſter Ordinis, ubicunque poſſit ad illa commode accedere, & inveniri contigerit. Si autem fuerit rationabiliter impeditus, vel alia cauſa perurgeat, poterit ubicunque nominare Vicarium, & Præſidem ad celebrationem cujuslibet Capituli Provincialis: quod etiam facere poterunt Vicarii Generales Indiarum, juxta facultatem à Magiſtro conceſſam; ut ſuperius præmiſimus. Quod ſi prædicti Præſides deficiant, propriis Provincialibus, ſeu Vicariis Provincialibus hæc munia committimus: niſi forte gubernante Vicario Provinciali, à defuncto Provinciali relicto, adſit Provinciæ (ut poteſt) Vicarius Generalis pro illius regimine electus, juxta ea, quæ ſuperius in hac diſt. cap. 5. ſtabilimus: in quo caſu, defectu Præſidis à Magiſtro nominati, præſideat dictus Vicarius, ſi fuerit expeditus.

Caput XIV.

De Electoribus, & Eligendis in Capitulo Provinciali.

1. Magiſter Generalis, ſeu quiſquam alius ejus loco ſuffectus in Præſidem, primam vocem habeat in Capitulo Provinciali: deinde Provincialis, vel Vicarius Provincialis in Capite: poſtea qui aliquando fuerit Magiſter Generalis in Ordine: Diffinitores Provinciæ: omnes Magiſtri, & Præſentati de Numero Provinciæ, tam ex Cathedra, quam Prædicatione: nec non qui per breve ſpeciale Sanctiſſimi, à Provincia admiſſum, hujuſmodi gradus obtinuerint cum voce, & voto in Capitulo; cum hac tamen conditione; quantum ad Præſentatos, quod videlicet prius in aliqua Univerſitate, de licentia Ordinis, vel à Magiſtro Generali, aut Provinciali ſuæ Provinciæ ad Baccalaureatus gradum ſint promoti.

2. Etiam vocem, & ſuffragium habent omnes Commendatores, ſeu Præſides in capite omnium Conventuum Provinciæ: deinde eodem gaudeant ſuffragio, & voce, in ſuis reſpective Provinciis, Procuratores Generales totius Ordinis, tam pro negotiis Redemptionis, quam Ordinis, ac demum Procuratores Generales Provinciæ, tam pro Redemptione, quam Provincia. Quocirca firmiter ſtatuimus Procuratores Generales totius Ordinis ſolum poſſe creari, & inſtitui in præcipua Curia Regnorum, quæ ſunt ſub uno Principe; aliter enim dicto ſuffragio non gaudere. Ultra prædictos ſub hac Conſtitutione vocatos, nullus Superior alios Vocales inſtituere, vel creare poſſit, ſub utriuſque vocis privatione in perpetuum, & ſub nullitate Capituli. Omnes igitur prædicti fratres teneantur venire ad Capitulum, niſi infirmitate, vel alia ſimili cauſa legitime ſint impediti, de qua certum faciat Capitulum per litteras teſtimoniales.

3. Commendatores autem per tempus duorum menſium, ante celebrationem Capituli Provincialis, non poſſint privari ſua Commenda; poſſunt tamen ab officio ſuſpendi, uſque ad celebrationem Capituli, in quo nihilominus votum, & ſuffragium habebunt; qui autem eum ſuſpenderit Præſidem Conventui præficiat.

4. Similiter ſtatuimus, ut intra prædictos duos menſes ante Capitulum, nemo poſſit renuntiare officio, ratione cujus habet ſuffragium in Capitulo, ſub pœna inhabilitatis ad omnia Ordinis officia. Si tamen juſta de cauſa quis renuntiaverit, loco illius nominatus voce in Capitulo non gaudeat.

5. Ex Vocalibus autem præfatis ſolum Patres Provinciæ, Magiſtri, & Commendator domus Capitularis Provinciæ poterunt ſecum unum Socium adducere. Cum autem Vocales ad Capituli locum acceſſerint, ſtatim ſe in domum Capitularem recipiant: non enim eos patimur per diverſoria vagari: ita tamen, ut ante celebrationem Capituli, non de Conventus expenſis, ſed de ſuis viaticis alantur. Caveant autem, ſub pœna gravioris culpæ, ne ſic audeant properare, ut ante tres dies domum Capitularem ingredi præveniant, niſi de licentia Magiſtri, aut ejus Vicarii Generalis, aut Provincialis.

6. Si vero Commendator aliquis impeditus fuerit, quominus ad Capitulum veniat, fratrem mittat, aut nuntium cum litteris cauſam, & ſtatum domus continentibus. Provincialis vero, aut Vicarius Provincialis, vel Viſitator ſcripto, ſeu verbo accedat ſemper inſtructus de his, quæ in ſuo regimine, aut viſitatione reliquerit, vel digna invenerit providentia Capituli.

7. Cir-

7. Circa eos, qui in omnibus electionibus Capituli Provincialis voce gaudent paſſiva, ſub electionis nullitate conſtituimus, ut qui eligendus ſit in Provincialé, debet eſſe totius diſciplinæ regularis amator, providus, & diſcretus, ac litterarum ornamento conſpicuus, ſimulque Magiſter, vel Præſentatus illius Provinciæ, & ab ea admiſſus, duodecim ſaltem annos à Profeſſione adeptus. Deinde decernimus, ut qui jam Provincialis extiterit, aut etiam Vicarius Provincialis in Capite per duos integros annos, non poſſit eligi in Provincialem, niſi poſt completum Officium, duobus trienniis ab eo vacaverit.

8. Diffinitores Provinciæ debent eſſe gradu Magiſterii, vel Præſentaturæ inſigniti, vel ad minus antiquitate viginti annorum à Profeſſione præſtantes. Quo circa, ut nullus ſerpere poſſit error, jam antiquitatem probandam fore decernimus per authenticum teſtimonium, omni fide, & juris authoritate roboratum: ſtatuentes inſuper, ſub eadem nullitate, ut qui in præcedenti Capitulo, vel extra illud, jam fuerint in Diffinitores aſſumpti, in proximo ſequenti Capitulo denuo eligi non valeant, neque extra illud in aliorum locum ſubſtitui, donec integrum triennium elabatur.

9. Diffinitores Generales indiſpenſabiliter debent eſſe Magiſtri, vel Præſentati: Electores vero Generales id ipſum habeant, vel ad minus viginti annos antiquitatis à Profeſſione, quam debent etiam authentico teſtimonio comprobare, ut Diffinitores Provinciæ, ſub eadem pœna nullitatis electionis: ſub qua ſimiliter ſtatuimus, ut qui in uno Capitulo, vel extra illud ſit electus Diffinitor, aut Elector Generalis, non poſſit ad idem officium eligi in proximo ſequenti Capitulo: poſſit tamen in eis alternare, ita ut fiat Elector, qui prius extiterit Diffinitor, & è converſo. Qui tamen actu eſt Provinciæ Diffinitor, minime poteſt eligi in Electorem, aut Diffinitorem Generalem. Commendatores, & Prælati locales, vel gradum habeant, vel ſexennii ad minus à Profeſſione antiquitatem excedant, ita ut in aliqua domus Vicaria, ſeu novitiorum Magiſterio ſaltem per triennium ſimul ſint probati, vel actu annos lecturæ, ſeu Prædicationis ad gradum aliquem de Juſtitia prometendum, à Capitulo approbatos obtineant. In eligendis vero ad cætera officia nullum aliud ſpeciale requiſitum exigimus, præter ea, quæ in ſuis propriis locis, pro electione ipſorum agenda deſignamus.

Caput XV.

De prima die Capituli Provincialis, ac ſuffragiorum ejus regulatione.

1. Primam diem Capituli appellamus feriam ſextam ante Sabbatum, ad electionem Provincialis deſignatum. In mane ergo dictæ feriæ ſextæ, hora quaſi nona, Commendator domus Capitularis cymbalum Conventus pulſari faciat, in ſignum inchoationis Capituli, ut intelligatur ex eo jam apertum eſſe, & inceptum, ac deinceps Vocales non poſſe egredi domo Capitulari, uſque dum fiat Provincialis electio. Electores autem ad prædictum ſignum conventualiter congregati accedant ſimul ad præſentiam Magiſtri, vel Vicarii Generalis ab eo nominati, & horum defectu, Provincialis, ut ſe illi in Capituli forma exhibeant: à quo etiam ex eo tempore reverà ſuſcipiantur ut tales, cum benignitate, & amore. Si vero adſit Præſes miſſus, ejus litteræ à Secretario Provinciæ in hac ipſa Capitulari Congregatione legantur: & ut talis exinde ſuſcipiatur ab omnibus.

2. Sic autem inchoato, & aperto Capitulo, illius Præſes conſtituat unum fratrem ex Vocalibus, virum prudentem, diſcretum, & ſolicitum, qui ſit Vicarius ejuſdem Capituli: ſine ejus licentia nemo fratrum audeat egredi à monaſterio, ſimulque diligenter provideat, ut nullus maneat extra illud.

3. Eodem die ad veſperam omnes Vocales congregentur in Capitulo: ibique Præſes commendationem faciat pro Domino Papa, pro Rege, pro benefactoribus noſtri Ordinis, pro fidelibus Captivis, ac pro felici ſtatu Eccleſiæ: ſuper quibus enixe debet injungere Vocalibus, ut in ſuis ſemper obſecrationibus prædictorum memoriam repetant. Ac brevi oratione præmiſſa, ſurgat Præſes, & incipiat Pſalmum: *Ad te levavi*, ut ſupra Diſt. 3. cap. 15. Deinde *Kyrie eleyſon.*, *&c. Pater noſter*, *&c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Oremus pro Domino Papa.
℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum ejus.
℣. Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas.
℟. Deus meus ſperantes in te.

Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum Papam noſtrum N. & ſuper cunctas congregationes ſibi commiſſas ſpiritum gratia*

tiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram Cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur. Per Chriſtum, &c.

4. Poſt hanc deprecationem ipſe Præſes aliam plane gravem, & piam orationem inſtituat, in qua finem, ad quem convenerint, proponat, & ſimul Vocales, omni verborum pondere, ad electionem Provincialis, Deo ſane dignam, & Ordini profecturam hortetur. Ea antem finita, Secretarius Magiſtri, vel alius frater, ab ipſo, vel Præſide in Notarium Capituli electus, & prævio ſecreti, & fidelitatis juramento ſuſceptus, referat omnes fratres defunctos ejus Provinciæ, à tempore Capituli immediati: qui ſemper debent eſſe inviolabiliter conſcripti in libro Capitulorum ipſius Provinciæ, & per illum legi fideliter: ipſiſque relatis, ſurgant omnes, & dicant: *De profundis clamavi, &c.* & in fine: *Requiem æternam, &c. Kyrie eleyſon, &c. Pater noſter, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem:
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi
℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.
℣. Requieſcant in pace:
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Abſolve quaſumus Domine animas famulorum tuorum fratrum noſtrorum ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria, inter Sanctos, & Electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum, &c.*

5. In fine autem Præſes, pia exhortatione, commendet orationibus Provinciæ animas prædictorum fratrum, ac deinde ad cenſuram, vel examen, & probationem eorum, qui in tali electione vocem, & ſuffragium habent, procedatur. Quocirca Præſes ter moneat, & præcipiat Vocalibus univerſis, ſub pœna excommunicationis majoris, latæ ſententiæ, ut, ſi quem agnoverint de præſentibus aliquo juris communis, aut noſtrarum Conſtitutionum, impedimento obſtrictum, ob quod Capitulo intereſſe, aut electioni, ſeu electionibus ſuffragari nequeat, illico notum reddant. Si quis vero præfato modo reperiatur impeditus, à Congregatione Capituli eiiciatur, quouſque impedimentum ab ipſa mature, & ſedulo examinetur: quæ ſi illud invenerit, declarabit, & innodatum protinus, quippe qui ſuffragio legitimo careat, à Capitulo repellet. Qui autem de ſuæ vocis legitimitate, & valore canonico fuerint comprobati, & ſub certo numero conſtituti, ad futuram electionem progrediantur.

6. Si quæ ſint Litteræ Apoſtolicæ, ſeu Regales ad Capitulum directæ, hic coram toto Capitulo ab ejus Secretario referentur, & legantur: idem fiat de iis, quas Magiſter miſerit, aut Vicarius Generalis, ſi forte Capitulo non adfuerint. Aliæ vero litteræ, vel Epiſtolæ, ſi fratrum Ordinis fuerint, majori Religionis commodo, & utilitati providentium, Diffinitorio reſerventur, ſi autem ſint commendatitiæ, à quocunque, tam intra, quam extra Ordinem expeditæ, nulla ratione aperiantur, quouſque finiatur Capitulum.

Caput XVI.

De Secunda die Capituli Provincialis, ac de Provinciali, aliiſque hac die eligendis.

1. Diem ſecundum Provincialis Capituli dicimus Sabbatum, ad electionem agendam deſtinatum: in eo quidem omnes Vocales ad auroram, ſigno Cymbali convocati, ſimul ingrediantur Capitulum: & ſtatim dicatur Miſſa Spiritus Sancti, quem omnes interea humiliter exorent, ut eis oſtendat, quem elegerit, ne in humana ipſi electione diſpliceant. Hanc autem Miſſam in omnibus Provinciæ domibus pariter, eadem ipſius Sabbati hora, cantandam eſſe decernimus. Illa vero peracta, in Capitulo omnes genuflexi invocent Spiritus Sancti gratiam cantantes Hymnum: *Veni Creator Spiritus, &c.* ut ſupra Diſt. 4. cap. 3. in cujus fine ſurgat Præſes, & dicat.

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum.*

2. Deinde Vocalibus ſuo ordine ſedentibus, fiat concio, quam litterariam dicimus, ſermone latino, ut eſt moris in Ordine, qua ſimiliter præmoneantur digniorem fratrem in Provincialem ita eligere, ut electio ſit Deo acceptabilis, & majori bono Provinciæ profutura. Ea vero finita Præſes Capituli, primo, ſecundo, & tertio, moneat, ut pridie, ſub præcepto, & ſententia excommunicationis omnes (ſi qui ſint) de jure prohibitos,

bitos, ut à præſenti electione recedant, vel ut eos denuntient, quicunque tales adeſſe ſciant. Quocirca debet Magiſter, aut Præſes proteſtari univerſis,nullam ſibi profecto inſidere mentem aliquem ex prædictis ad electionem ſuſcipiendi. Si qui forte occulte ſe immiſerint, & impedimenta celaverint, non propterea eorum vox illegitima præjudicium aliquod inducat electioni futuræ.

3. Poſtea ſinguli Electores, & Vocales, ſuo ordine accedant juraturi in manibus Præſidis, per Deum, & Crucem, & Sancta Dei Evangelia, propriis manibus tacta, videlicet ſub hac forma: Præſes eos interrogat dicens: *Juras, quod omni odio, vel amore poſtpoſitis, eliges in Provincialem fratrem Ordinis, & Provinciæ noſtræ, qui ad minus duodecim annos integros profeſſionis obtineat, & virum ſane Religioſum, providum, & prudentem, atque etiam doctrina commendabilem, & vel Magiſtrum, vel Præſentatum ab Ordine & Provincia admiſſum: & qui denique tuo judicio dignior appareat, & tam in ſpiritualibus, quam etiam temporalibus, præſtantius Provinciam moderetur, & dirigat?* Elector autem reſpondeat. *Juro.*

4. Hoc ergo juramento ſic præſtito, ſit ſtatim coram Præſide vas aliquod præparatum, in quod vota, ſeu ſchedulæ ſecreto mittantur: ita tamen, ut mittentes eas, & vas ab omnibus videatur. Poſtquam vero prædictas ſchedulas, & vota omnia in vas præfatum intulerint; tunc Præſes cum duobus Diffinitoribus Provinciæ dignioribus, & Secretario Capituli, vota omnia computent, & ſcrutentur: & ſi major pars medietate eligentium (juxta omnia in Magiſtri electione tradita) in aliquo fratre convenerit, tunc ſcrutinium publicetur, & denuncietur electio, ut canonica à Secretario Capituli, qui fidem de omnibus præſtabit in ſcriptis. Si autem major pars eligentium non convenerit, ſecundo, tertio, & quoties opus fuerit ad ſcrutinium procedatur, donec major pars eligentium medietate conveniat, canonicaque evadat electio.

5. Si autem Electores intra triduum, à primo ingreſſu, ad auroram Sabbati jam prædicti, de perſona eligenda non conveniant, aut electio in eodem triduo non emergat canonica, & legitima, tunc jus eligendi devolvatur ad ſolum Magiſtrum Generalem: qui ſtatim, ſi ſit præſens per ſe ſolum debet Provincialem eligere. Si vero ſit abſens, Præſes Capituli certiorem reddat Magiſtrum de devolutionis eventu, & interim nominet per ſe Vicarium, cum quo proſequatur, & concludat Capitulum: qui & Provinciam gubernabit, donec Magiſter Provincialem elegerit. Verum ſi electio litigioſa fuerit, & non ſatis aperte irrita, etiamſi fiat intra triduum, mittatur ſimiliter ad Magiſtrum, à quo judicium pariter expectetur: & interea Provincialis electus non deſtituatur officio, ſed habeatur, ut talis uſque ad declarationem Magiſtri.

6. Si vero contingat (ut ſuperius etiam prædicitur circa electionem Magiſtri) ut in aliqua ſchedula, ſeu ſuffragio ſcrutatores reperiant aliquam ſubſcriptionem, aut ſignum, quo deveniatur in cognitionem eligentis: vel ſit omnino alba, aut in favorem inepti conſcripta, non ideo præjudicium inſerat electioni: ſed talis ſchedula, quæcunque ſit, ſeparetur ab aliis, & pro ſuffragio nullo reputetur, ſolumque habeatur reſpectus ad reliquas ſchedulas, juxta majorem partem omnium Vocalium.

7. Semper numerentur ſchedulæ, antequam legantur: & ſi una vel plures ſupra Vocalium numerum repertæ fuerint, omnes ſimul ſeparentur: & relicto priori, ut prorſus inani, ad aliud ſcrutinium procedatur. Tandem vero cum jam ex ſcrutinio, & præfatis ſchedulis legitima electio deprehenſa fuerit, omnes illæ protinus comburantur coram omnibus in ipſo Capitulo, ita ut nulla de quocunque ſcrutinio maneat. Si numerus ſuffragiorum ſit impar, ſervetur ad electionem canonicam idem, quod in electione Magiſtri cap. 4. hujus diſt. ordinatum manet.

8. Peracta igitur electione, & à Secretario publicata Capitulo, antequam ab eo ſuſcipiat electus obedientiam, debet ſe ſiſtere Præſidi, ibique per Deum, & Crucem, & ſancta Dei Evangelia, ſuis manibus tacta juramentum ſequens genuflexus elicere: Præſes enim illum ſic interrogat: *Juras, quod ſecundum Deum, & propriam conſcientiam, & juxta Conſtitutiones Ordinis Provinciam tibi commiſſam gubernabis, omni odio, & amore poſtpoſitis?* Electus autem reſpondeat: *Juro.* Præſes inſuper: *Juras, quod eris obediens Magiſtro Generali Ordinis, & ſucceſſoribus ejus: & quod fideliter, & omni ſtudio, curam, & ſolicitudinem ages circa Redemptionem Captivorum, ejuſque Eleemoſynas colligendas?* Electus vero? *Juro.* Ulterius Præſes: *Juras, quod de omnibus, quæ receperis, quovis modo, in Diffinitorio rationem reddes, neque relaxationem hujus juramenti, aut diſpenſationem in aliquo à Sede Apoſtolica poſtulabis?* Electus vero: *Juro.*

9. Hoc itaque ſic dato juramento, omnes ſurgant, & à Capitulo proceſſionaliter egredientes ad Eccleſiam procedant,

dant, cantantes Hymnum: *Te Deum*: ubi proſtratus Provincialis electus benedictionem accipiat à Præſide eadem forma, quam ſupra hac Diſt. cap. 4. retulimus: eaque finita, fratres ad illum ſuo ordine accedant, genuflexique ei obedientiam exhibeant.

10. Si autem perſona electa fuerit abſens à Provincia, poteſt Magiſter Generalis, vel Præſes, de conſilio Diffinitorum, nominare Vicarium Provincialem, ad regimen Provinciæ, & ad Diffinitorii, & Capituli munia gerenda, cum omnimoda facultate Vicariis Provincialibus per Conſtitutionem conceſſa: quem Provincialis electus revocare non poterit, neque alterum denuo nominare, uſque dum ſuam Provinciam ingrediatur. Si autem non à Provincia, ſed ſolum à Capitulo ſit abſens, nuntius mittatur ad ipſum, qui ex parte Præſidis, & ipſius Capituli notam faciat illi authentico teſtimonio electionem, quam ſi acceptaverit, & mature poſſit accedere ad Capitulum ante concluſionem illius, eo quamprimum ſe conferat, ubi omnia prædicta cum ipſo fiant. Si autem venire nequeat, in ipſo Conventu, ubi adeſt, (abſens vero à Provincia in prima ſuæ Provinciæ domo) prædictum faciat juramentum in manibus Commendatoris, & cantato Hymno: *Te Deum*: præfatiſque benedictione, & orationibus ſuper ipſum à Commendatore recitandis, accipiat obedientiam à fratribus.

11. Quod ſi munus, & electionem declinaverit, & ſolutum ſit jam Capitulum, res deferatur Magiſtro, qui vel admiſſionem electo jubeat, vel Provincialem Provinciæ, per ſe ipſum provideat. Si tamen id accidat in remotis, valdeque diſſitis Provinciis à reſidentia Magiſtri, & quæ per Vicarios Generales gubernantur, debet ab ipſis interim conſtitui Vicarius Provincialis, uſque ad deliberationem Magiſtri: ne tam longo tempore Provincia ſuo Præſide maneat viduata.

12. Electio Provincialis, intra Hiſpaniam, debet præſentari Magiſtro Generali, intra ſexaginta dies, alias ſit irrita, & vana: & Magiſter Generalis tenetur illam confirmare, ſi canonice, & juxta formam Conſtitutionum facta ſit; quod ſi renuerit illam confirmare, cauſas, & defectus canonicos erga electionem, vel perſonam electam manifeſtare debet. Provinciæ autem Galliæ, & Italiæ intra tempus quatuor menſium teneantur præſentare coram Magiſtro Generali electionem ſui Provincialis; quod ſi intra dictum tempus illam non præſentaverit, electio ſit irrita, & nulla. Provinciales vero Indiarum à Vicario Generali, & poſtea à Magiſtro Ordinis confirmationem petant.

13. Quandocunque autem nullitas electionis fuerit declaranda, aut Provincialis, alioquin ex cauſa legitima deponendus, nunquam id faciat per alium, ſed per ſe ipſum, & de conſenſu, & aſſenſu quatuor ex dignioribus Magiſtris ejus Provinciæ, ubi reperiatur; quod ſi tantum fuerit ſuſpendendus, duo tantum ex prædictis ſufficiant.

14. De Vicariis autem Generalibus, & quibuſquam aliis, qui hujuſmodi Capitulis, in abſentia Magiſtri præſideant, quam, & qualiter facultatem habeant in prædictis, aut aliis, jam reſpective in propriis locis hujus diſt. ſuperius ordinatum relinquitur, & in ſequentibus inſtituetur.

15. Completa electione Provincialis, quam primum fieri poſſit, ad electionem Diffinitorum Provinciæ tranſeat Capitulum: hos quatuor in unaquaque Provincia conſtitui decernimus, viros equidem diſcretione, ac zelo ad majorem Provinciæ utilitatem, bonumque præſtantes, & conditiones cap. 14. hujus diſt. habentes: quos eadem forma, ſcilicet per ſuffragia ſecreta, & à toto Capitulo eligendos eſſe conſtituimus, ita ut in electo, major pars medietate eligentium convenire debeat, ſervarique omnia, quæ de aliis electionibus, ſuperius ſæpe decrevimus.

16. In ipſorum electione, ſi poſt ſcrutinia Vocales admoniti, adhuc in quarto diſſideant, jus eligendi migrabit in Præſidem. Novis autem Diffinitoribus electis, priores ſubito expirant, & eorum locum recentes aſſumunt: illique ad eum, qui alias ad ipſos attinet, ſtatim revertantur: ex quibus ſi forſan aliquis non graduatus extiterit, nullam amplius vocem, aut ingreſſum habeat in aliquo actu Capituli, cum jam ad illud nulla alia ratione pertineat.

17. Quicunque autem in Diffinitorem ſit quovis modo creatus, ſequens juramentum, ſuper tacta Evangelia, facere debet in manibus Præſidis Diffinitorii, vel Capituli, qui ſic illum interroget: *Juras, quod ſecundum Deum, & propriam conſcientiam, atque omni odio, & amore poſtpoſitis, quæ tui ſunt muneris exequeris, & non perſonarum, ſed in omnibus ſolius Ordinis, & Provinciæ bono proſpicies?* Ipſe vero Diffinitor reſpondeat: *Juro.*

18. Poſt præfatam Diffinitorum Provinciæ electionem, procedat immediate Capitulum ad Diffinitores, & Electores Generales, eadem forma creandos; viros quidem prudentia, & religione præditos, atque etiam conditionibus, ut ſuperius cap. 14. hujus diſt. declaratis. In his autem electionibus, ſi poſt tria ſcrutinia Electores admoniti ulterius in quarto non conveniant, jus eligendi tranſeat ad Præſidem illius Capituli.

19. Cum aliquis Diffinitoris Generalis officium denuo ſuſceperit, jurare debet in manibus Præſidis Diffinitorii, ſuis manibus Evangeliis ſuperpoſitis, quæ ſequuntur: *Juras*, (inquit Præſes) *quod ſecundum Deum, & propriam conſcientiam, atque omni tordis affectione poſtbabita, omnes tui muneris actus totis viribus implere conaberis, & nunquam in rebus decernendis eris perſonarum acceptor, ſed ſolius boni totius Ordinis, & regularis diſciplinæ zelator?* Diffinitor autem: *Juro.*

20. Denique ab eodem pleno Capitulo nominentur Judices cauſarum, & Examinatores annorum Lecturæ, & Prædicationis omnium Lectorum, & Prædicatorum, qui eos probare voluerint: & tandem deſignentur Calculatores rationum, à quibuſque fratribus in Capitulo reddendarum.

Caput XVII.

De Tertia die Capituli Provincialis, rebuſque ab ejus Diffinitorio peragendis.

1. DIE tertia Capituli, ſcilicet Dominica, ſeu poſtridie electionem, fiat ſolemnis proceſſio, Miſſaque celebretur ab ipſo Provinciali electo (ſi fuerit expeditus) de feſtivitate illa, vel Sancto Ordinis, quem jam conſuetudo Provinciæ ſtabilierit, vel Magiſter, ſive ejus Generalis Vicarius, Provincialiſve Abſolutus deſignaverit: atque in ea habeatur concio de ipſo, qui ſimul ad inſtitutionem electi dirigatur. In hac Miſſa communicare debent fratres omnes non presbyteri: Sacerdotes vero Capituli, dictis primis tribus diebus, divina celebrent pro benefactoribus Ordinis. Ad veſperam ejuſdem, Provinciæ concluſiones habeantur: Reſiduis vero diebus juxta morem Provinciarum, mane celebretur Officium cum concione, concluſiones autem veſpere: ita tamen, ut poſtremo die Officium, & concio ſemper ſit pro defunctis.

2. Ab hac ergo die, vel à Veſpere diei præcedentis, quando id non incommode fieri poſſit, debent ſine ullo temporis diſpendio celebrari Diffinitoria: quæ intra Provinciale Capitulum conſtituuntur primo ex perſona Magiſtri, vel alterius pro eo Præſidis, & deinde ex Provinciali electo, & Provinciali, ſeu Vicario Provinciali abſoluto, ad dexteram, & ſiniſtram ipſius Præſidis collocatis, & quatuor Diffinitoribus Provinciæ hinc, inde quoque ſedentibus, ſecundum ordinem dignitatis, ſive antiquitatis ad invicem: ita ut graduatus non graduato ſemper emineat, & inter ipſos ſervetur qualitas graduum, & antiquitas eorundem.

3. Qui Generales jam fuerint, ſi huic Diffinitorio, tam intra, quam extra Capitulum adeſſe libuerit, eos omnino cum voce electiva, & deciſiva ſuſcipimus. His omnibus additur ubique Secretarius, ſive Magiſtri, ſive Præſidis Capituli, ſive alius quiſquam ad hoc munus à prædictis electus, qui ſidem præſtare valeat, & ſignare litteris univerſa, quæ ibi fuerint decernenda.

4. Omnes ergo perſonæ prædictæ, excepto Secretario, (niſi fuerit etiam Diffinitor) ſuffragium deciſivum habeant in hoc Diffinitorio, tam in Decretis pro bono regimine, & reformatione Provinciæ quam in electionibus per illud agendis. Quæ omnia, ut ſecundum Deum fiant, invocari debet in cujuſque Diffinitorii initio gratia Spiritus Sancti recitando Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus* cum verſu, & oratione conſuetis.

5. Deinde Præſes cum prædicto Diffinitorio, nulla alia perſona cujuslibet ſtatus, officii, vel conditionis admiſſa, invicem conferat, quæ fuerint ordinanda, & agenda, ad quod Præſes primo, ſecundo, & tertio moneat, adjuret, & præcipiat omnibus ex Diffinitorio in virtute Spiritus Sancti, ut in iis, quæ fuerint decernenda per ſe ipſos, non perſonas, vel odium in eas, ſeu amorem accipiant: & in corrigendis fratribus, ſolius diſciplinæ regularis zelo, non livore ducantur: in cooferendiſque dignitatibus ſolius Ordinis, & Domorum ejus utilitati proſpiciant.

6. Hoc præcepto, & adjuratione cuncti ex Diffinitorio præventi, procedant ad ſequentia ſuo ordine, & maturitate exequenda: ubi primum ſinguli Commendatores reſignare debent titulum ſuæ Commendæ, & de illius ſtatu integram rationem reddere per tranſumptum à calculorum totius triennii compendio deductum, à ſeque, & Præſide, Clavariiſque Conventus ſubſcriptum: quod coram Diffinitorio de verbo ad verbum legatur,

ut

ut Commendatoribus ipſis ad Congregationem accerſitis, ejuſdem nomine Præſes, pro uniuſcujuſque merito, operoſum laudet, deſidem vero increpet. Si quem ſalſa perhibuiſſe probatum fuerit, is pœna gravioris culpæ puniatur. Si quæ debita Commendator aliquis in ſuo Conventu non ſoluta reliquerit, eaque Diffinitorio celaverit, ipſa per eum, & Depoſitarios, qui ſimulationi conſenſerint, ſolvenda eſſe conſtituimus.

7. In prædicto tranſumpto pariter de receptis pro Redemptione Captivorum, fidelem penitus rationem reddat Prælatus: ita ut nullus audeat venire ad Capitulum ſine vero, & legitimo computo eorum omnium, quæ pro Redemptione undecunque ſuſceperit. Ad quem etiam uberius comprobandum, deferre teneatur ad Capitulum tranſumptum dati, & accepti omnium eorum, quæ ad Redemptionem attinent, prout adeſt in libris Redemptionis, juxta ſuperioris Diſt. cap. 4. ſtabilita: circa quæ Diffinitorium diligenter exploret, quo fervore charitatis hujuſmodi, noſtrique Inſtituti impleantur officia: & quem in iis incuriæ teporem invenerit, omni ſeveritate corripiat.

8. Deinde Magiſter Generalis, ſi adſit, & Provincialis abſolutus, aut eorum Viſitatores, ſi ſint ex Diffinitorio, proponant illi, quæ in Viſitationibus, vel extra, tam communi, quam privata emendatione, aut reformatione digna, in Provincia perſcrutati fuerint: quibus ſane, ut Diffinitorium de ſalubriori medela provideat, rebus mature, exacteque diſcuſſis, opportuna reformationis decreta ſuper omnibus inſtituat.

9. Rurſus de litibus inter fratres, auditis cauſarum Judicibus, Diffinitorium judicet, eaſque omnino dirimat juxta majoris partis arbitrium. Si Viſitator, aut Provincialis, ſeu Vicarius Provincialis abſolutus proclamatus fuerit, & accuſatus legitime, vel de aliquo crimine convictus, corripiatur à Diffinitorio ſecreto, vel prout æquitatis ratio, & culpæ qualitas poſtulaverit, & ſecundum eam, pœnas à jure, vel Conſtitutione ſuſcipiat.

10. Similiter Examinatores annorum Lecturæ, & Prædicationis exhibeant ſua Judicia de illis, ut ab ipſo Diffinitorio feratur ſententia, eos juxta meritum approbando, aut etiam reprobando, vel, ſi opus ſit, exponendo ad gradus Ordinis. Calculatores denique ſupputationum ad Capitulum pertinentium non diſſimiliter proponent Diffinitorio, quod ſentiunt de illis, ut debitum circa eas decretum Diffinitorium proferat.

11. His peractis, procedat Diffinitorium ad Prælatorum localium nominationem, eos ad hoc munus eligendo, quos majori bono ſpirituali, ac temporali domorum, ſecundùm Deum, & propriam conſcientiam meliores judicaverit, cum qualitatibus cap. 14. hujus Diſt. deſignatis. Deinde pro Redemptione peragenda duos Redemptores inſtituat, cum conditionibus in cap. 5. Diſt. 2. ſtabilitis: & ſi ad eam proxime perficiendam collectæ Eleemoſynæ ſufficiant, tempus pariter ſtatuat, quo debeat expediri. Quod ſi ex Redemptoribus electis aliquem poſt Capitulum mori, vel languere contigerit, illum Magiſter Ordinis ex ejuſdem Provinciæ fratribus pro libito reproducat.

12. Ulterius prædictum Diffinitorium, pro negotiis ipſius Redemptionis ad totam Provinciam ſpectantibus, unum Procuratorem Generalem nominare debet, & alium pro rebus ipſius Provinciæ peragendis: quibus deficientibus quomodolibet poſt Capitulum à Provinciali ſimiliter deſignentur; decernentes, ut cuique Procuratori ex prædictis, tam Provinciæ, quam Redemptionis, & tam intra, quam extra Capitulum creato, ſemper Diffinitorium Provinciæ, inſtrumentum præbeat Procuratorium, cum plena, aut limitata facultate, quæ pro opportunitate reſpective conveniat: & quotieſcunque opus fuerit eam augeat, vel cohibeat: eandemque vim habeat, ac ſi à toto Capitulo traderetur.

13. Poſtea ab eodem Diffinitorio ſtabiliantur Novitiatuum domus, atque earum Novitiorum Magiſtri: utrorumque vero mutationem, aut novam inſtitutionem extra Capitulum non permittimus, niſi rationabilis cauſa, & gravis perurgeat: qua ſuperveniente, ad id poteſtatem extra Capitulum Provinciali, ſeu Vicario Provinciali relinquimus: ita ut de Domibus Novitiorum non ſine Diffinitorio conſtituat; de ipſorum vero Magiſtris per ſe ſolum providere valeat.

14. Deinde ſtudiorum Regentes pro domibus Theologiæ Scholaſticæ, uti ſupra cap. 2. diſt. 6. inſtituat: & fratrem aliquem literis, & genio præſtantem Provinciæ Hiſtoriographum eligat: & ubi Conventus Monialium habemus, pro illis Vicarios deſtinet omni ſufficientia, & morum honeſtate conſpicuos, qui earum confeſſiones audiant, atque illas ſpiritualiter dirigant.

15. Denique prædictum Diffinitorium eligat Domum Capitularem pro futuro immediate Capitulo: cujus electio

ctio ſic ſemper à præfato Diffinitorio privative fiat, ut nulli alteri Prælato compromiſſa relinquatur: ne, ſi ille obire contigerit ſine deſignatione loci, hic vagus maneat, ignotuſque Vocalibus: quibus ab ipſo anteacto Capitulo expedit, & volumus innoteſcere: ex tunc enim ad illum jure Conſtitutionis convocati ſunt, omni tempore, etiam ſi (ut poſſunt) convocatotiæ deficiant. Facultatem tamen ad eam commutandam, aliamque denuo inſtituendam, inſtante tempore convocationis ad Capitulum, juſtaque, ac rationabili cauſa intervenientes, prædicto Diffinitorio, & Magiſtro Generali concedimus. In quo caſu, vel quolibet alio, in quo Domus Capituli, tam Provincialis, quam Generalis, mutationem ſubeat, non ideo jura ſucceſſionis Magiſtri, vel Provincialis, in ſuis reſpective caſibus, ad Provincialem Provinciæ Capitularis, aut Commendatores domorum utriuſque Capituli pertinentia, mutari permittimus; ſed maneat ſemper apud illos, ad quos juxta priorem electionem Domus Capitularis attinebat.

16. In prædictis autem nominationibus, ac decretis, & quibuslibet aliis à dicto Diffinitorio determinandis aut eligendis abſque ſuffragiis ſecretis, ſi vota in partes æquales dividantur, prævaleat illa, cui Præſes adhæreat. In cæteris vero electionibus, quæ per vota ſecreta fieri debere ſtabilitum maneat, ſerventur ea, quæ pro caſibus devolutionis in ſuis propriis locis ſancita reliquimus.

17. Concluſis tandem, quæ in Diffinitorio decreta, & peracta fuerint, nemo Vocalium, ſi forſan aliquos de ordinatione aliqua, vel actu turbatos inveniat, ſe ita in illis excuſet (etiam ſi non conſenſerint) ut ſocios ſuos calumnietur, aut prodat, authoreſque fuiſſe manifeſtet eorum, de quibus turbatio, quærimoniaque proceſſerit. Unde ſuper hoc prædictis Diffinitorium Provinciale conſtituentibus, in virtute Spiritus Sancti, & ſub excommunicationis ſententia præcipimus, ut nullus ea, quæ in Diffinitorio verſantur, alicui detegat, aut foras quomodolibet effundat. Nec inſuper alii fratres (ſub eiſdem cenſura, & præcepto) ea quæ in Capitulo geruntur ſæcularibus aperiant.

Caput XVIII.

De ultima die Capituli Provincialis, formaque abſolutionis in illo ſervanda.

1. CApitulum Provinciale quam citius finiri deſiderantes, illud in feriam tertiam, vel quartam poſt Sabbatum electionis, juxta Provinciarum conſuetudinem, tantummodo prorogari permittimus, ne Provincia gravetur ſumptibus. Quibus diebus ea omnia, quæ Capite præcedenti Diffinitorio agenda præſcripſimus, ita Præſes pro rerum, & temporis opportunitate diggerat, ut nihil intactum relinquatur. Poſtrema vero die Præſes, congregato Capitulo, brevem, ſpiritualem, devotamque habeat orationem, qua Prælatos electos, ad ſuum munus recte, & fideliter exequendum, graviter inſtruat. Deinde à Secretario Capituli legantur coram omnibus cuncta acta ipſius, cum decretis, & ſtatutis, pro majori reformatione Provinciæ, à Diffinitorio editis. Ulterius etiam publicetur Edictum Sanctæ Inquiſitionis, juxta præceptum ejuſdem.

2. Iis peractis, ad abſolutionem procedatur, forma ſequenti. Præſes Capituli confeſſionem dici jubeat, quam fratres flexis genibus, & in faciem parum inclinati recitent, eaque finita dicat Præſes: *Miſereatur veſtri, &c.* & ſtatim ſubjungat: *Ego authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & authoritate mihi commiſſa abſolvo vos, & omnes fratres, noſtro regimini commiſſos, ab omni vinculo excommunicationis, & ſuſpenſionis: & pariter diſpenſationem indulgeo ſuper quacunque irregularitate (ſi forſan quis indigeat) atque etiam remiſſionem ab omnibus tranſgreſſionibu, exceſſibus, ſeu omiſſionibus Regulæ, & noſtrarum Conſtitutionum, quantum ego poſſum & quod non poſſum, ſuppleat, & perficiat Summus, & omnipotens Sacerdos, & Pontifex Dominus noſter JEſus Chriſtus. Et injungo vobis in pœnitentiam, & remiſſionem omnium peccatorum quidquid boni feceritis, & ſpecialiter jugum obedientiæ, & regularis obſervantiæ diſciplinam. Neque intendimus abſolvere perditionis, & iniquitatis filios, ſcilicet proprietarios, & Apoſtatas; ſed per viſcera miſericordiæ Dei noſtri eos primo, ſecundo, & tertio monemus, ut profugi, & Apoſtatæ corde humili revertantur ad ſinum ſuæ profeſſionis, & Ordinis: proprietarii vero, & bonorum temporalium cupidi, & amatores ad ſui voti, & veram profeſſionis inopiam redeant; alioquin eos ex nunc in ſcriptis denuo excommunicationis ſententia innodamus, idque declaramus. Et quia qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit, authoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti benedicimus in Chriſto chariſſimos fratres, tam abſentes, quam præſentes quantum poſſumus; & quod fragilitas noſtra non obtinet, ſuppleat, & perficiat Dominus noſter JEſus Chriſtus, ſua larga benedictione, qui ſit vobiſcum in itinere veſtro, & ad domos veſtras ſanos incolumeſque reducat, qui vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

3. Tunc ſurgentibus fratribus, cantor incipiat Hymnum: *Te Deum laudamus,* quem

quem alternis Verſibus canentes, procedant omnes ad Eccleſiam, vel eo finito, dicat Præſes.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A Templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.

℣. Domine exaudi orationem meam:

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum:

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum, &c.*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & terram.

4. Poſtea ſuo ordine manus Præſidis oſculentur, & ſic abſolvitur Capitulum: eoque abſoluto, Præſes ſpecialiter congregabit Diffinitorium Provinciale, in quo legantur litteræ ad Diffinitorium, vel Capitulum miſſæ, initioque non reſeratæ: quibus prudenter, & conſulto teſpondeant.

5. Præcipimus tandem, ut, ubicunque Capitulum Provinciale celebretur, cui Magiſter Ordinis non adfuerit, teneatur Præſes illius, ab iſto, vel Conſtitutione noſtra deſignatus, omnium ejus actuum, nullo excepto, fidele tranſumptum, de verbo ad verbum authentice conſcribi facere, in formam ſecundi originalis, ab eiſdemque, à quibus primum, ſimiliter ſubſcriptum remittere ad Magiſtrum, ut de illius valore, ac ritu plenius decernat & judicet.

Caput XIX.

De Officio, & Poteſtate Provincialis, ac de ejus Secretarii inſtitutione, & munere.

1. PRovincialis, quamprimum canonice fuerit electus, utatur officio ſuo ſub titulo, & nomine Provincialis electi, ante confirmationem à Magiſtro: eamque obtentam univerſæ Provinciæ denunciet, ac deinceps titulum habeat Provincialis, cui omnes, & ſinguli fratres Provinciæ, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus obedire teneanturr.

2. Sub præcepto formali obedientiæ, pœniſque, ad arbitrium Magiſtri Generalis imponendis præcipimus, ut nemo Provincialis, quamvis ſit Magiſter, poſſit ſibi aſſumere titulum Magiſtri Provincialis, nec illo uti in ſubſcriptionibus litterarum officii; ſed id ſolum præſtare valeat Generalis Magiſter.

3. Provincialis in tota ſua Provincia eandem poteſtatem habeat in omnibus, & ſingulis, qua gaudent Commendatores in ſuis Conventibus; eam tamen nunquam de plenitudine exerceat, nec addat ſuo muneri, niſi negligentiæ, defectuſque Commendatorum id poſtulent; atque urgeat cauſa legitima.

4. In triennio ſui officii omnia, & ſingula monaſteria ſuæ Provinciæ per ſe, vel ſi non potuerit, per idoneos Viſitatores, bis viſitare teneatur: & omnibus tanquam verus pater, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, de recto regimine provideat, & ſimul ſtudeat ſingulas, ſi valeat, oves ſibi traditas agnoſcere.

5. Extra actualem Viſitationem poterit fratres à domo in domum transferre, vel ipſis licentiam petentibus, vel prout neceſſitas domorum, ratioque regiminis poſtulaverit. Diligenter tamen attendat, ut ſemper id fiat abſque nota ſcandali, & denigratione Ordinis, & fratrum: quod potiſſime in ipſis Viſitationibus obſervabit, in quibus, niſi cauſa mutationis palam, publiceque urgeat, non debet eſſe feſtinus, ſed eam prudenter differat tantiſper, donec in fratris famam ſuſpicio non pateat.

6. Licentias in albis numquam fratribus largiatur, aut eas Commendatoribus relinquat: quas autem illis miſerit, pro mutandis fratribus, niſi intra dies quindecim intimentur, nullum deinceps habere valorem patimur, ſi denuo à Provinciali, ſeu Viſitatore non reproducantur.

7. Super his autem, ita ſit Provincialis diſcretus, & prudens, ut fratres periculoſos, ac diſcolos ſemper à Conventibus parvis ſemoveat, eoſque transferat, ubi melius cuſtodiri poſſunt, & communi exemplo obſervantiæ regularis, in meliorem frugem induci; reliquos vero, inſpectis ſemper eorum qualitatibus, in Provinciæ domos diſtribuat, prout major fructus, ſolatiumque domorum, ac fratrum exegerit. Cum autem transferunt de loco in locum, curare debet, ut à Commendatore, à quo recedunt, viaticum inviolabiliter accipiant, ſecundum viæ, & itineris longitudinem.

8. Cùm Provincialis Conventum aliquem viſitandum ingrediatur, ſtatim licentias confeſſiones audiendi Confeſſariis non graduatis de juſtitia ſuſpendat, donec novo examine approbentur. De omnibus tamen caveat, ne quando per deſidiam, aut negligentiam à ſufficienti peritia muneris excidant: & quoſcunque noverit, vel

vel ſuſpicetur inhabiles, aut in diſciplina moralis Theologiæ remiſſos, eos proprio per ſe jodicio, & examine, cum diſcretione ſubliciat: quos autem inſufficientes invenerit, à munere ſubito avertat; neque amplius eos exercere permittat, quouſque peritiores appareant: ſciens de omnibus illis, ac de erroribus, ex eorum ineptia derivatis, eſſe rationem Domino redditorum.

9. Circa Provinciam, & domos debet diviſiones, ſi quæ ſint, pro viribus interimere: eas, & earum partes ad unitatem, concordiamque ducendo: Quærelas etiam, & lites, ſi quæ inter Conventus oriantur ſuper eorum negotiis, quam citius terminare, & extinguere: Conventus novos, qui evidenter reputentur utiles, procurare: Acta Capitulorum, litteraſque Magiſtri, quæ ad reformationem expedita fuerint, ubique per Conventus ſcribi facere, & legi. In abſolvendis Commendatoribus, qui boni reputantur, non debet eſſe facilis: neque propter eorum inſtantiam, fratrumve importunitatem eos amoveat, quin potius foveat, & erigat, eiſdemque infenſos comprimat, ac deterreat. Poterit autem Commendatores ab una in aliam Commendam transferre, cum id Religionis commodo expedire judicaverit.

10. Ulterius ipſi præcipimus, ut intra duos menſes ante celebrationem Capituli Provincialis, Commendatores ſua Commenda privare nequeat, licet eos valeat ab illa ſuſpendere, uſque ad prædictum Capitulum. Quocirca diligenter ſervare debet, quæ ſuperius in cap. 14. hujus Diſtinct. ordinata reliquimus. Cauſas omnes, proceſſus, & informationes in triennio ſoo debet ſocceſſori tradere: quæ nullo modo comburi, aut diſperdi patimur, niſi eorum ſint fratrum, qui jam è vita deceſſerint.

11. Pro ſumptibos, & veſtuariis, ad ſuum munus attinentibus, ſingulis annis eam à ſua Provincia taxationem ſuſcipiat, quæ fuerit in uſu à Capitulis Provincialibus comprobato; nec ulterius quidquam exigere conſtituimus. Si quæ autem expenſæ ſpeciales occurrant, proportione ſervata, ex Provinciæ domibus colligendæ, non prius eas taxet, quam conſulat Diffinitorium Provinciæ, ut quid cuique domui reſpondeat, juxta earum menſuram, rationabili computatione deducat: taxationemque jam factam Magiſtro remittat, ejuſve perſonam gerentibus in remotis Provinciis: quibus annuentibus, taxaſqoe prædictas approbantibus, & non aliter, ad earum exactionem devenlat; ſub pœna privationis vocis paſſivæ, aliiſque ad arbitrium Diffinitorii Capituli imponendis, in proxime futuro Capitulo. Cum autem per monaſteria tranſierit, caveat, ne illa ſuperfluis ſumptibus gravet, ſed moderata hoſpitalitate ſit contentus ubique: ne, qui domos adjuvare tenetur, earumque ſubſidio conſulere, illas diruat impendiis.

12. In expenſis Capituli Provincialis ita ſit moderatus, & ſobrius, ut gloriam lati cordis pretio domorum pauperum non emat. Sit ergo miniſtratio victus, quæ regularem modeſtiam deceat. Quod, ut inpoſterum certa lege obſervetur, communibus obſoniis alia tantum duo moderata, & qualitate ſimilia ſuperaddi permittimus ſub eadem pœna prædicta, & quod inſuper, pro his exceſſibus nequeat augmentum menſæ Capitularis exigere.

13. Quamprimum electus fuerit Provincialis, in munereque ſuſceptus, ſibi debet Secretarium deligere: quem non patimur ab alio nominari: illi tamen conſulimus, ut ad tale munus fratrem ſemper inſtitoat, qui ſit in conſilio maturus, in ſecreto fidelis, in Epiſtolarum arte diſſertus, & in zelo regularis obſervantiæ ſibi omnino conformis: iſque in manibus Provincialis, priuſquam ſuum exequatur miniſterium, præſtat juramentum, eadem forma, qua ſup. cap. 12. hujus diſt. ſtabilivimus.

14. Secretarii intereſt librum Provinciæ regere, & in eo Diffinitoria, eorumque electiones, & acta notare, viſitationes pariter, ab ipſo Provinciali factas, ab initio uſque ad finem, in Conventuum libros diligenter, authenticeque referre, alias vero, Viſitatoribus commiſſas, cura pervigili cuſtodire: quærulos interdum de Provinciali fratres, debet in tranquillitatem, & bonum de illo ſenſum inducere, ita, ut inter eorom, & Provincialis partes ſe ſemper diſcretum mediatorem exhibeat. Si graduatus non fuerit, infra Procuratores Generales, vocem in Capitulo habentes, primus ubique ſedeat, dum actu munus obierit; quo tempore, & intra Provinciam conſtitutus, ſolius Provincialis obedientiæ ſubjaceat, neque in Commendatorem aſſumi valeat.

15. Provincialis tandem in fine ſui muneris, omnium, quæ in toto illius decurſu receperit, tam pro ſuis expenſis, quam aliis quibuſque, quovis titulo, ratione, vel cauſa ad ſuum officium pertinentibus, rationem reddat in Diffinitorio Capituli.

16. Cir-

16. Circa immunitates eorum, qui fuerint Provinciales, ordinamus, ut ſocium habeant, nullis Conventus oneribus impeditum, qui in omnibus eos adjuvet, prout oeceſſe habuerint. Omoes Miſſas pro ſua intentione celebrare poſſunt. Communis refectionis quantitas, & menſura ſit illis ubique dupla: & in reliquis Magiſtrorum immunitatibus perfruantur. Qui vero exemptiones hujuſmodi, non harum vel Conſtitutionum, ſed à Superioribus, vel tribus etiam Capitulis Generalibus indultas obtineant, illis gaudeant, excepto loco, Paternitate Reverenda, & menſura duplici victus, quæ nemini ulla unquam ratione concedi poſſe decernimus.

Caput XX.

De Succeſſione in Vicarium Provincialem, & poteſtate illius.

1. CUM ſæpiſſime, multiſque de cauſis Vicarium Provincialem oporteat inſtitui; operæpretium eſt omnes caſus hujuſmodi ſucceſſionis exponere, & ordinare, & quam ubique poteſtatem habeat, qui eam obtinere contingat. Quo circa duo genera Vicarii Provincialis agnoſcimus, alium in Capite, & alium ſubſtitutum: primum autem ſemper fratres intelligant, qui non habet ſupra ſe Provincialem, ſed ſit Provinciæ Caput, ex defectu Provincialis creatum: Vicarium vero ſubſtitutum exiſtiment, qui ſecundum jura harum Conſtitutionum illius loco ſtatuatur.

2. Declaramus autem illum appellari debere Provincialem abſolute, nullaque ratione Vicarium, qui per veram, & canonicam electionem ſit à Capitulo electus, aut jure devolutionis à Magiſtro. Provincialis electus, vel confirmatus, quocunque tempore extra Capitulum renuntiaverit, nullatenus poterit Vicarium Provincialem ſibi ſubſtituere, ſed in regimine ſuccedat Comendator domus Capitularis à Provinciali Capitulo deſignatæ, vel illo legitime impedito, dignior ex Diffinitoribus Provinciæ, modo ſit graduatus, alioquin tranſeat ſucceſſio ad digniorem graduatum Provinciæ, quam ſane ratam eſſe ſtatuimus, donec confirmetur à Magiſtro, aut alium Vicarium Provincialem, pro libito eligat, ſi maluerit, ſimiliter graduatum; cui ſoli hanc poteſtatem in hoc caſu, & ubicunque non fuerit limitata concedimus; neque ullus illa Vicarius Generalis, etiam totius Ordinis aliquando gaudere præſumat.

3. Prædictam autem conditionem graduati ita ſemper in omni nominatione, & ſucceſſione obſervari præcipimus, ut, ſi electio Vicarii Provincialis fiat à Magiſtro, vel Provinciali, aut alio quocunque, ſive jure Conſtitutionis eveniat: ſemper in Graduatum incidat; & ſecus facta, ſit irrita, juxta Capituli Generalis Decretum, à Sanctiſſimo D. N. Innocentio XI. confirmatum.

4. Ejuſdem Capituli aliud decretum, à prædicto ſimiliter Innocentio confirmatum, obſervari ſubjungimus, ut videlicet, Provincialatu quovis modo vacante, nullus Provincialis abſolutus, aut qui Vicarius Provincialis in Capite, per duos annos, aut amplius extiterit, poſſit immediate Vicarius Provincialis in Capite à quocunque conſtitui, niſi duobus trienniis à Provincialatu, vel Vicariatu decurſis.

5. Inſuper ſi Provincialis extra Capitulum verſetur in mortis periculo, poteſt Vicarium Provincialem, ſub litteris, & authentico teſtimonio relinquere, qui ei ſuccedat in omnibus ſuis juribus, uſque ad finem triennii, & nequeat ab aliquo revocari, niſi prævia cauſa delicti. Tunc autem Magiſter Generalis poterit, (ſi velit) illius Vicariatu durante, Vicarium Generalem in illa Provincia inſtituere. Quod ſi Provincialis abſque præfata nominatione deceſſerit, ſuccedat, ut ſupra, à Conſtitutione poſtulatus, etiam ſi alioquin habeat Vicarium Provincialem, jam antea quomodolibet ſubrogatum, quem nullo modo in hoc caſu ſuccedere patimur, niſi fuerit à Provinciali ſpecialiter nominatus, ut ei ſuccedat poſt obitum.

6. Quantum vero ad impedimenta, & caſus, quibus extra mortis articulum neceſſe ducimus Vicarium Provincialem inſtitui, decernimus, ut quotieſcunque Provincialem ab officio ſuſpendi contigerit, ejus inſtituendi poteſtas, pro tempore ſuſpenſionis, Vicarium Provincialem, ad illum ipſum, qui eum ſuſpenderit, attineat. Si autem Provincialis, qualibet ex cauſa, ſit omnino impeditus ad gubernium Provinciæ, tunc neceſſario debeat Vicarium Provincialem ſubſtituere, qui ei ſuccedat irrevocabiliter in omni jure ipſius, atque etiam in ſuffragio Capituli Generalis. Quod ſi accidat omnino ad regimen impediri, tempore convocationis ad præfatum Capitulum, tunc Vicarius Provincialis ab eo nominatus in dicto Capitulo ſuffragari nequeat; ſed ad ſuffragium hujuſmodi præſentandum ſuccedat ſemper, ut præximus, Commendator domus Capitularis, aut alius de reliquis, ſuo ordine, à Conſtitutione vocatis: qui quidem pariter à nemine revocari valeat: atque in prædicto Capitulo Generali, univerſiſque ejus

ejus actibus, & Diffinitoriis, ſemper eandem vocem electivam, & deciſivam, una cnm loco poſſideat, ac ipſe Provincialis, ſi adeſſet, vereque repntetur in tali Capitulo, tanquam ejus Provinciæ Vicarius Ptovincialis, etiam ſi ſolo titulo ſuffragandi convenerit. Hoc ipſum ei quoque concedimus, etiam ſi Provincialis non ſit omnino impeditus ad gubernium, ſed ad itet agendum ad dictum Generale Capitulum, cauſa infitmitatis, Medicorum judicio comptobata. Similitet ſi Provincialis egredi debeat extra Provinciam, Vicarium Provincialem, uſque dum revertatur, inſtituat.

7. Caveat autem Magiſtet Genetalis, ne, vivente Provinciali, & expedito regimine, aut etiam per ſe ſubſtituente in caſibus jam præfatis, & debitis alium Vicarium illi ſubſtituat, niſi tantum, cum de jure, & ex cauſa illum ab officio ſuſpenderit, vel depoſuerit: in iis enim caſibus poterit quidem providete de Vicario, qui curam habeat Provinciæ, uſque ad ſolutionem ſuſpenſionis Ptovincialis, vel futuram ejus electionem in Capitulo.

8. Licet Provincialis (nt præmiſſum eſt) in mortis inſtantia nominare poſſit Vicarium Provincialem poſt obitum, in hoc tamen jute non ſuccedit Vicarius Provincialis etiam in capite: ſed caſu quo ipſe Vicarius moriatur, ſuccedat nominatus in tenuntiatione Provincialis, juxta formam in hoc cap. num. 6. præfixam. In caſibus autem, quibus dictum Vicarium impediri, ſuſpendi, deponi, vel renuntiare contigerit, ita ut ſubſtitutione ſit opus, ſetventur omnia, quæ in ſimilibus de Provinciali ptædiximus.

9. Neque inſuper ſuccedit præfatus Vicarius Provincialis in omnimoda poteſtate ad ptivandum, ſeu amovendum Commendatotes à ſuis officiis in poſtremo anno triennii: hoc enim tempote, nulla ratione patimut, poſſe eos deponere, aut privare, bene vero ſuſpendere, aut de domo in domum transferre, prout ſibi viſum fuerit expedire. Quod ſi Commendator aliquis in ultimo præfato anno cauſam ptivationis perpettaverit, hæc reſervanda eſt Capitulo Provinciali, ibique diſcutienda, & judicanda legitime. Si vero Commendatotem ſola ſuſpenſione cotripiat, poterit nominare Præſidem ſui Conventus, ſine voce tamen ad Capitulum, qua dictum Commendatorem nolumus deſtituere, niſi aliunde in regulatione Vocalium veniat deſtituendus legitime.

10. Si Vicarius Provincialis, quomodolibet inſtitutus, vocem aliunde habeat in Capitulo Generali, vel ſit Diffinitot Provinciæ, eligatur ſempet alius loco illius toto tempote, quo fuerit Vicarius Provincialis: Ita ſcilicet, ut tam in Capitulo Generali, quam Diffinitotio Provinciali (ſi accidat celebrati) nunquam deficere poſſit numerus completus Diffinitorum, aut Vocalium.

11. Circa immunitates, & privilegia eorum, qui fuerint Vicarii Ptovinciales, firmiter conſtituimus, ut peracto officio non maneant cum honotibus, & gratiis Exprovincialibus debitis, niſi Vicarii Provinciales in Capite extiterint, idque pet duos annos completos obierint. Circa locum vero ſerventut, quæ inferius de otdine ſedendi conſtituimus.

12. Tandem, ut omnia de ſubſtitutione Provincialis declarata relinquamus, præſenti Conſtitutione decernimus, ut ſi aliqua Provincia, ultta mare poſita, aut in regione longinqua, & à præcipuo illius corpore valde ſegregata unum, aut plures Conventus obtineat, & eos pet ſe Ptovincialis viſitate decetnat, nunquam id faciat, niſi in altera patte Provinciæ, quam deſetit, aliquem ſubſtitutum etiam de graduatis relinquat: ne majot, aut præcipua portio Provinciæ maneat Præſide deſtituta. Quod ſi Conventus ultra mate conſtitui, aut in alia Regione, vel Regno nimis longe diſſiti, ita ſint plures, ut ad rectam eorum gubernationem ſubſtituto indigeant, illum poſſe nominare Provinciali concedimus: ne pro ſæpe emergentibus, & ex tempotaneis hæc illis moderatio deficiat. Illos autem ſubſtitutos, quia ſolum ſunt auxiliares Ptovincialis, non Vicarios Ptovincialis, ſed Commiſſarios, ut præmiſſum eſt, appellari præcipimus.

Caput XXI.

De Diffinitorio Provinciali extra Capitulum, ac Diffinitorum Provinciæ Officio, & poteſtate.

1. DIffinitorium Provinciale extra Capitulum ex Provinciali tantum, ſeu Vicario Provinciali, & ex illis, qui fuerint Generales, ſi Ptovinciæ adeſſe contingat, & ex Diffinitoribus Provinciæ, præſente ejus Secretario, ad effectum tantummodo præſtandi fidem de agendis, vel alius frater ad hoc munus à Præſide nominatus, conſtitui decernimus, & declatamus: ita tamen, ut ſi Magiſter Generalis intra Provinciæ terminos inveniatur, & illud ingtedi

di voluerit, convocandi poteſtatem, præſidentiam, ac vocem tam electivam, quam deciſivam in eo habeat: quo abſente, vel ſi adfuerit, convocare nolente, maneat convocandi facultas penes Provincialem, vel ejus Vicarium. Huic Diffinitorio ſic conſtituto plenam poteſtatem concedimus ad ea omnia, quæ juxta hujuſmodi Conſtitutiones ad Diffinitorium extra Capitulum attinent, decernentes, & declarantes ad illud privative expectare electiones, Diffinitorum, & Electorum Generalium, ac Diffinitorum Provinciæ, qui quomodolibet fuerint inſtituendi, finito Capitulo Provinciali.

2. Si ergo extra Capitulum, aliqua de Diffinitionibus Provinciæ noviſmodo vacaverit, convocato ſolemniter Diffinitorio Provinciæ ab ejus Provinciali, ſeu Magiſtro, ſi adſit Provinciæ, ipſique placuerit, novus eligatur Diffinitor Provinciæ, ſi ab illa fuerit abſens, congregarique Diffinitorium urgenter expediat: tunc enim pro ejuſmodi functione licebit alium Diffinitorem, loco abſentis, eligere, qui ſtatim expirabit, cum res jam peracta fuerit: neque ullis poſtea exemptionibus perfruetur.

3. Si quis vero Diffinitor, aut Elector Generalis, tranſacto jam Capitulo, renuntiare, aut obire contingat, vel, ſi inſtante celebratione Capituli Generalis, aliquo juris impedimento, aut alia qualibet cauſa fuerit præpeditus, poterit Provincialis, vel Vicarius Provincialis, atque etiam Magiſter, ſi Provinciæ adſit, nullus tamen alius, quicunque ſit, Diffinitorium congregare, & cum eo novum Electorem, aut Diffinitorem, per vota ſecreta eligere, & ſubſtituere; etiamſi legitime impeditus ſuum titulum renuntiare noluerit: abſque tamen præjudicio juris ejuſdem, ſi forte impedimentum ceſſaverit, interfueritque Capitulo. Quicunque vero in Electoris, aut Diffinitoris locum ſubrogetur ad tempus, ratione impedimenti, functione jam peracta ceſſabit; & vivente, ſeu perſeverante Principali, nulla muneris privilegia retineat, præterquam in ipſo Diffinitorio, & Capitulo.

4. In dictis electionibus, & quibuſdam aliis, à prædicto Diffinitorio faciendis, jura hujus noſtræ Conſtitutionis obſervari præcipimus, ſecundum ea, quæ de aliis electionibus ſæpe decrevimus, ut rite, & canonice fiant: in quibus ſi Diffinitorii ſuffragia intra tres dies à prima electionis incluſive non convenerint, jus eligendi devolvatur in Præſidem: in reliquis vero à Diffinitorio deliberandis, ſi in partes æquales ſuffragia dividantur, prævalet illa, cui Præſes adhæreat.

5. Ad Diffinitorium Provinciæ pertinet, commune bonum Provinciæ pro viribus procurare, audire negotia fratrum, eorum litteras, vel libellos ſupplices ad Diffinitores directa ſuſcipere, & Diffinitorio opportuno tempore præſentare, vel Secretario Capituli, per eundem præſentanda committere. Cavendum eſt autem eis, ne aliquid pro fratre faciant, aut in Diffinitorio proponant, & judicent, quod vel vindictam in alium, aut privatum amorem ſapiat, ſed ejus tantum æquitatem.

6. Diffinitores tandem hujuſmodi, dum in officio permaneant, omnibus exemptionibus, gratiis, & privilegiis Magiſtrorum de Numero gaudere decernimus, ſi forte Magiſtros non eſſe contigerit. Quantum vero ad locum, illum ordinem teneant, quem diſt. ſequenti cap. de ordine ſedendi ſtatuimus.

CAPUT XXII.

De Diffinitorum, & Electorum Generalium poteſtate, & Officio.

1. PRoprium Diffinitoris Generalis munus eſt, majus Ordinis bonum pro viribus ſatagere: ad quod cum electus fuerit, poſtulet à Diffinitorio, & ejus Præſide hunc ſibi laborem in remiſſionem peccatorum injungi: & ſic officium cum humilitate ſuſcipiat: pro eo autem ſemper, & ubique legitime exercendo, inſtrui debet patentibus litteris à Diffinitorio Provinciali omni juris authoritate ſuffultis.

2. Cum ergo ipſe Diffinitorium Ordinis, ac ſupremam ejus cenſuram poteſtatemque conſtituat, nunquam ſe gerere debet, ut perſona privata, ſed ut publica, & regulari obſervantiæ ſedulo intenta. Unde, cum ad Capitulum, vel alio procedens, ad Conventus Ordinis declinaverit, ita ſe debet parce, & moderate gerere, ut fratres, apud quos diverſatur, in hoc potius ædificet, habereque poſſit audaciam in Capitulo ad corrigendos exceſſus, ſumptuſque inordinatos aliorum. Sit etiam ubique inter fratres, & extraneos in vigiliis, & ſobrietate ſtrenuus, in ſilentio, & oratione aſſiduus, in omni honeſtate, atque obſervantia regulari fervidus, & ita in verbis, & actibus bonum de ſe proferat exemplum; ut evidenter appareat, quod non immerito ad tantum ordinis faſtigium ſit aſſumptus.

3. Factus jam Diffinitor, debet diligenter evolvere acta præcedentis Capituli, & cum omni conſilio, curaque per-

ſpicere, an illa expediat confirmari, vel imo deſtitui, aliave recentia condi, quibus bonum Ordinis, & obſervantiæ regularis vergat in melius.

4. Circa officium Electoris Magiſtri, eadem illi conſulimus, quæ de Diffinitore prædiximus, ut videlicet munus ſuſcipiat humiliter in veniam ſuorum peccatorum: nec non litteras teſtimoniales vocis ſibi collatæ à Diffinitorio Provinciali recipiat, & ſecum ad Capitulum deferat.

5. Quantum vero ad electionem, tam ipſis Electoribus, quam Diffinitoribus, atque etiam alteri cuicunque vocem electivam habenti ſubjungimus, ut à tempore ſui ſuſcepti muneris, Deum orare non deſinat, ut ſecundum ejus voluntatem, atque Ordinis utilitatem, tam ipſi, quam alii dirigantur. Cum autem fratres invenerit diſcretos, Deum timentes, rerumque, & perſonarum Ordinis conſcios, debet cum ipſis conferre libenter, ut per illos de iis, quæ à ſe agenda ſunt, plenius informetur. Cavendum eſt autem ei, ne propter auditum, & famam, leviter volitantem, ad eligendum aliquem inclinetur, niſi prius digniori fide nuper comparata, circa perſonæ meritum instruatur. Nec unquam ſic aliquis ſuæ menti inſideat, ut, ſi alius poſtea melior appareat, non ſit paratus ad vocem in eum transferendam.

6. Ita ſilenter electionis acta apud ſe retineat, ut nihil penitus de illis aperiat; neque prodat fratres, qui hunc elegerunt, aut illi adverſati ſunt, & ſimilia, quæ poſſunt turbationem inducere. Potiſſimum vero debet eſſe cautus, ut in tractatibus ante electionem faciendis ab Electoribus circa perſonam eligendam, ſuæ ſemper conſcientiæ provideat, propter occaſiones interdum inde ſubortas, denigrandi famam multorum. Unde ſuper hoc Decreta Urbani VIII. de hujuſmodi tractatibus non prohibendis, omnino reverentes, tantum, ut fiant ſecundum Deum, ſine læſione famæ & cum zelo, & charitate conſulimus.

7. Diffinitores, & Electores Generales, ita deſideramus authoritate præcellere, ut vix hujuſmodi munera, non niſi gravioribus, dignioribuſque Ordinis fratribus conferantur. Quodſi Diffinitor aliquando non Magiſter, vel etiam Elector, raro, non graduatus extiterit, uterque tamen, dum munus ſuſtineat, Magiſtrorum de Numero ſavoribus, & immunitatibus gaudeat, excepto ſuffragio Capituli Provincialis, quod neuter aſſequitur ratione officii, niſi illud aliunde poſſideat. Quantum vero ad locum, & præcedentiam, eam utique retineat, quæ Diſt. ſequenti cap. de ordine ſedendi ſtabilitur.

Caput XXIII.

De Officio, & poteſtate Commendatorum.

1. Quicunque ad Officium Commendatoris in Ordine noſtro fuerit eligendus, intra Capitulum, debet à Diffinitorio conſtitui, ut ſupra cap. 16. hujus Diſt. ſtabilivimus. Extra Capitulum vero, ſi quovis modo Commendam vacare contigerit, ſolus Provincialis, ſeu Vicarius Provincialis in capite per ſe ipſum, ſine Diffinitorio Commendatorem inſtituet. Si tamen Mag[illegible] Ordinis Provinciæ, in qua Commenda vacaverit, præſens fuerit, poterit etiam pro libito Commendatorem eligere; modo non ſit præventus à Provinciali prædicto. Hujuſmodi autem Commendator ſic denuo creatus ab altero prædictorum, eodem jure, & poteſtate gaudeat in omnibus, ac ſi fuiſſet electus in Diffinitorio Capituli.

2. Ubicunque ſit eligendus Commendator, vir ſemper debet eſſe, qui monaſterio videatur utilior, & ad domeſticum regimen, regulariſque vitæ cultum zelo, induſtriaque præſtantior, & cum qualitatibus cap. 14. hujus Diſt. ordinatis. Si de aliena vero profeſſione ad noſtrum Ordinem quis, quovis modo tranſierit, nequeat fieri Commendator, niſi poſt decem annos, à noſtra profeſſione completos.

3. Nullus, qui fuerit Commendator alicujus domus, ſive intra, ſive extra Capitulum electus, poſſit in ea per duo immediata triennia ſuccedere, niſi forte aliqua notabilis fabrica, ab ipſo ibi incepta ſic exigat: ſecluſo enim hoc caſu, prædictam electionem intra, vel extra Capitulum, nulla ratione permittimus; & ſi ſecus fiat, ſit profecto inanis & irrita. Nullus etiam Diffinitor Capituli Provincialis poteſt Commendator, aut Præſes in Capite inſtitui; quod ſi fiat, maneat Diffinitione privatus, atque alius eligatur pro illo.

4. Quicunque vero creetur Commendator, debet inſtrui publicis, & patentibus litteris, quas nunquam iter agendo relinquat. In Conventibus autem habeat ſigillum parvum cum Scuto Ordinis, quo utatur in publicis inſtrumentis, quæ ab ejus officio expediri pertineant.

5. Vicarium, & Officiales domus (exceptis Depoſitariis, Novitiorumque Magiſtro) confirmare poterit; aut mutare. Procuratorem autem, aut Procuratores Conventuales, tam pro Redemptione, quam Domo, ſi revocare voluerit, no-

novoſque inſtituere, id ſemper fiat de conſenſu Capituli conventualis, à quo debent ſuſcipere juridice Procurationem, & titulum.

6. Cunctis fratribus quoad ſpiritualia ſemper, ut bonus Paſtor invigilet, eoſque in temporalibus paſcat, ſingulisque de omnibus provideat: maxime vero ægrotantibus in re nulla deficiat, quæ ad eorum recreationem, & ſalutem aſſequendam, Medici judicio, conducat, ut jam ſupra diſt. 3. cap. 13. præcepimus. Senibus autem, & jam ætate gravatis, atque impeditis ea indulgere ſtudeat, quæ inferius diſt. ſequenti conſtituimus. Intra ambitum triennii univerſis ejus conventualibus veſtuarium præſtare teneatur, prout ſuperius abunde ordinatur diſt. 4. cap. 10. de veſtitu.

7. Sine Magiſtri Generalis, aut Provincialis licentia in ſcriptis ædificationes, neque incipiat, neque proſequatur, neque Inſuper, ſine dicta licentia, quidquam ſui Conventus, quolibet prætextu, aut colore diruat, ſub pœna privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ ad ſexennium.

8. Choro ſemper interſit ad omnes Horas Officii, quavis occupatione poſthabita, ut aliis fiat exemplum, quo, & verbis interdum eos ad Dei Laudes, ſine intermiſſione alliciat. Refectorium quoque die, noctuque non deſerat, quantum ſui muneris patiatur angoſtia. Quod ſi crebro non Interſit his actibus, ab officio, & Comenda deponatur, ut ſuperius diſt. 3. cap. 9. manet ſtabilitum.

9. A ſua domo nunquam ſit notabiliter abſens, ſine licentia Superiorum, ſub pœna privationis officii, neque recedat ab illa, niſi propter aliquam ejus utilitatem non modicam, quæ ſemper talis ſit, ut non per alium, quam per ſe ipſum agi, & comparari valeat. Si rem vero peculiariter, ſibique propriam gerendam habuerit, quæ illum à ſuo Conventu proficiſci compellat, ſemel in ſuo triennio per triginta ſolum dies poſſe abeſſe concedimus; tum tamen Conventus non ſolvat viaticum, & impendia itinetis. Quod ſi pluribus, quam triginta diebus, aliave ſimili profectione indigeat, licentiam exigat à Provinciali, qua inſtructus, & non aliter viam inſtituat.

10. Ex rationabili cauſa, per quatuor dies ſuis ſubditis licentiam indulgere poterit; amplius autem omnino prohibemus ſub pœna privationis officii. Quod ſi caſus accidat ita extemporalis, & urgens, ut Provincialis arbitrium expectare nequeat, ſitque in mora periculum, tunc Commendator, conſultis Patribus à conſilio, licentiam præſtare poſſit, & valeat, ac protinus Provincialem de facto certiorem reddat.

11. Ut autem nullus Commendator ſit negligens in bonis Conventus, & Redemptionis, debita ratione tractandis, illis enixe præcipimus, ut diligenter, & accurate obſervare ſtudeant, quæ circa eorum computa, & rationes, fidelemque cuſtodiam, ac depoſitum inferius Diſtinct. ſequenti cap. 11. de Depoſitariis, & alibi firme præſcripſimus.

12. Ipſis præterea ſubjungimus, ut nullo modo Miſſarum ſtipes expendant, neque illas à communi depoſito educant, niſi prius fuerit omnis earum celebratio completa. Præter illas autem, quæ ſunt de jure Conſtitutionis unam relinquant liberam omnibus ſuis Presbyteris, ſingulis hebdomadibus, quam ipſis per totum Ordinem ſuæ intentioni concedimus: quas autem præter iſtam aliis fratribus elargimur, in propriis jam Capitulis conſtituimus.

13. Cuilibet ulterius Commendatori præcipimus, ſub formali obedientia, & pœna privationis utriuſque vocis per tres annos, ut nullo prætextu per ſe ſolum audeat expendere, vel recipere aliquid, ad monaſterium pertinens, non præſentibus Depoſitariis, quorum abſentia, ad prædicta vocare teneatur aliquem ex ſenioribus conventus. Quod, ut inviolabilibus periodis impleatur, ſub præfatis pœnis eidem injungimus, ut ſingulis ſeptimanis Indiſpenſabiliter computa faciat: non quidem privatim, ſolique Procuratori aſſociatus, ſed publice, adſtantibuſque Depoſitariis, Sacriſta, diſpenſatore Conventus, ejuſque Procuratore, atque Procuratoribus Redemptionis, quotquot in ea domo reſideant, ſono cymbali vocatis. Quos omnes hujuſmodi convocationibus neceſſario adeſſe compellimus.

14. Commendatores obſervare tenentur Motum proprium Urbani VIII. circa bona Eccleſiæ non alienanda. Quod ſi quis contra facere præſumpſerit, alienationes omnes, & ſingulas inanes ducimus, præſentique Conſtitutione irritas declaramus. Diſſipatorem autem hujuſmodi bonorum Ordinis, qui talia perpetrare attentaverit, non tantum damnamus ad pœnam gravioris culpæ, ſine relaxatione ſubeundam, verum & omni cura, adminiſtratione, & Commenda Ordinis noſtri, ipſo facto, ac noſtra Conſtitutione privamus.

15. Commendatores itaque quomodolibet conſtituti, non poſſunt intra triennium per aliquem deponi, niſi diſſipatores bonorum Ordinis reperti fuerint, vel publicum ſcandalum, ſeu quævis altera privationis cauſa à noſtris Conſtitutionibus deſignata præceſſerit, ac de ipſis ſint prius de jure convicti; in quo caſu Magiſter Ordinis, Provincialis, aut Viſitator eos deponere poterit: ea tamen conditione, ut ſemper id fiat à prædictis, de conſilio Commendatorum, aut Diffinitorum Provinciæ, ſeu ab uno Commendatore cum Diffinitore, Magiſter autem in ſuis reſpective caſibus prædictos Commendatores, aut Diffinitores adhibeat, modo dicto, ex perſonis ejus Provinciæ, ubi repertus fuerit. Si tamen Provincialis, aut ejus Vicarius, ſeu Viſitator aliter in præfata depoſitione proceſſerit, graviſſimam correctionem ſubeat in Provinciali Capitulo: cæterum abſolutionem ab eis factam ſecus, ac prædicitur, & ſi revera culpabilem, non tamen invalidam ducimus, neque ſubſtitutionem, aut novam Commendatoris electionem, ut inanem reputari permittimus; ſed factam ſubſiſtere, ut urgentioribus incommodis occurramus.

16. Quod ſi Commendator aliquid commiſerit, quod in Conſtitutionibus noſtris pœna ſuſpenſionis afficiatur, illamve promereatur Superioris judicio, tunc Superior per ſe ſolum abſque prædictorum Prælatorum, ſeu Diffinitorum conſilio, ac ſtrepitu judiciali rejecto, ſecundum ſui ipſius prudentiam, pro caſibus emergentibus prædictam ſuſpenſionem, dummodo ſex menſium ſpatium non excedat, infligere poſſit.

17. Item ipſius intereſt, in magnis ſolemnitatibus, abſente Magiſtro, vel Provinciali, altaris Officium aſſumere, ſepelire fratres, infirmis Sacramenta miniſtrare, aliaq; ſimilia peragere. Communibus actibus ſemper interſit. Capitula, & collationes ſpirituales cum fratribus habeat, unde eorum profectus, & morum cultura proveniat. Curam etiam habeat, ut mandata, & ordinationes viſitationum, & Capitulorum Generalium, & Provincialium debita obſervatione vigeant. Singularitates in cibo, vel epulationes ſuperfluas omnino caveat.

18. In jejuniis, & abſtinentiis nunquam toti Conventui diſpenſationes indulgeat, exceptis caſibus à Conſtitutione prævisis. Officialium negligentias corrigat, ac de iis quæ ab illis ſunt facienda, frequenter admoneat, & inſtruat. Caveat inſuper ne ab ipſis, ratione officiorum ea, quæ ſunt Ordinis negligantur, niſi quantum propter officium compellantur, vel de licentia rationabiliter eis permiſſum fuerit.

Caput XXIV.

De Officio, & poteſtate Præſidis, & Vicarii.

1. Circa Præſides, qui in omni eventu poſſint, & debeant inſtitui, ut Commendatoribus ſuccedant, aut ſubrogentur, primo ſtatuimus, ut nullus Commendator, qui domi ſibi commiſſæ reſideat, & eam per ſe gubernare valeat, qualibet ratione Præſidem ſibi ſubſtituat. Quod ſi aliquando cum debita licentia peregre proficiſci voluerit, vel alioquin mora futura ſit diuturnior, poterit, ex ſuo Conventu unum fratrem magis idoneum in Præſidem ſubrogare uſque ad adventum ſuum, niſi aliter Provinciali expedire videatur. Eandem nominationem facere poterit, cum proceſſerit ad Capitulum Provinciale: & nominatus gubernabit, uſque ad perſonalem poſſeſſionem Commendatoris electi, niſi aliter etiam ipſi Provinciali videatur: cui ſuper hoc ſemper facultatem hujuſmodi nominationes reformandi concedimus.

2. Si vero Commendatoris obitus immineat, huic pariter poteſtatem tradimus, ut opportune ante deceſſum poſſit ſibi Præſidem ſubſtituere, qui poſt illum teneat gubernium, donec Prælatus Superior eidem Conventui aliter provideat de Commendatore, vel Præſide. Quod ſi ita ſubito decedat, ut nominare non valeat, aut alias quomodocunque ſine nominatione propria, vel Prælati Superioris à munere deficiat, tunc dignior in conventu, ad ejuſque regimen expeditus, ſuccedat in locum ipſius, ſub nomine Præſidis, donec Prælatus Superior aliter, ut ſupra, providere decernat.

3. Declaramus autem, quod ſi Commendator ad Capitulum Provinciale quomodolibet non accedat, maneat nihilominus in regimine ſui Conventus, donec noviter electus de illo poſſeſſionem perſonalem accipiat, niſi aliter novus Provincialis, aut ejus Vicarius de Præſide conſtituat.

4. Quocirca, ut omnis ambigendi locus præcludatur, Præſides alios in Capite, Interinos alios nuncupamus. Præſidem in Capite eſſe vere, & abſolute Prælatum, cum poteſtate omnimoda Prælati localis, primumque in univerſis Conventus actibus locum poſſidere declaramus. Illum vero dici, & eſſe Præſidem in Capite intelligimus, & ſtatuimus, qui à Prælato Superiori tamquam talis per ſpeciales lit-

litteras conſtituitur: qui tamen ab ipſo, pro nutu, poterit amoveri per novam electionem Commendatoris, ſive alterius Præſidis; dummodo id non fiat intra duos menſes ante Capitulum Provinciale, ne hoc tempore ſuffragia mutentur pro libito, ſed ſerventur ea, quæ ſuperius in hac diſt. cap. 14. præmiſimus.

5. Reliquos autem Præſides, aliter à quocunque quomodolibet inſtitutos, Subrogatos, & Interinos dicimus, ſine nomine quidem, & ſenſu Prælati: inter quos, qui ab aliquo Prælato quomodocunque non ſtabiliter, ſed ut Interinus nominatus fuerit, eam poteſtatem habeat in utroque regimine, quam ipſi delegaverit, aut conceſſerit Prælatus inſtituens, cum limitationibus tamen in his noſtris Conſtitutionibus ordinatis.

6. Ille vero, qui ſolo jure Conſtitutionis abſque aliqua nominatione ſucceſſerit, ultra limitationes, tam Commendatoribus, quam Præſidentibus in Capite, & Interinis jam aliunde hic, & alibi à prædicta Conſtitutione factas, nequeat in Conventu quidquam immutare, neque etiam de arduis, extemporaneis, urgentibuſque decernere, quæ Superioris Prælati non valeant expectare conſultum, & directionem, niſi de conſenſu, & aſſenſu Diſcretorum Patrum: in reliquis autem non limitatis omnis ubique Præſes uſualem curſum ordinariæ poteſtatis directivæ ſuſcipiat in utroque regimine. Hic autem Præſes Interinus, ſi fuerit Vicarius, in ſuo loco permaneat; ſecus autem ſedeat immediate ante illum, (quem ſane tunc Vicarium permanere permittimus) niſi alioquin locum ſuperiorem obtineat.

7. Conſtitutis Commendatoribus ad unumquemque pertinet, quamprimum domum ſibi creditam vera, & perſonali poſſeſſione obtinuerit, unum fratrem in Vicarium eligere, virum utique Religioſum, & prudentem, ac viribus omnino validum, qui ipſum adjuvet in omnibus ſui muneris: & non propterea nomen, aut ſenſum Prælati ſe habere præſumat. Hunc autem debet ipſe Commendator inſtruere, cujuſmodi poteſtatem eum velit habere, ſive in præſentia, ſive in abſentia ſui, & non ultra ſe extendere. Declaramus tamen, quod etiamſi paucos dies, aut brevem motam Commendator non longe ſit abſens, prædictus Vicarius, ſub hoc nomine, voces ejus in omnibus gerat quantum ad ea, quæ ad domeſticam gubernationem attineant in utroque regimine: ne vel ad horam fratribus legalis moderatio cum poteſtate directiva, & coactiva deficiat. Quæ vero Commendatoris adventum expectare valeant, ab ipſoque ſunt illi reſtricta, vel aliunde hujuſmodi Conſtitutionibus, tam Vicariis, quam Præſidibus inferius limitata, nullo modo ab illo exequenda permittimus. In urgentibus autem nil omnino decernat ſine conſilio, & aſſenſu Diſcretorum Patrum. Deficientibus in Choro, aut Refectorio Prælato, & Vicario, ſeu Præſide, dignior Sacerdos ex parte Hebdomadarii præſideat, nec non licentiam intrandi, & exeundi concedat.

8. Ulterius etiam de his, quæ utilia ſunt Conventui, ſive ſpiritualia, ſive corporalia, pie apud Commendatorem debet intercedere: ſiqua is fratribus gravamina faciat, ipſi prudenter oſtendere: quæ autem per ſe corrigere valeat, non ea importune Commendatori denuntiare, ſed tantum illi graviora deferre. Quoad locum vero Vicarius omnibus Præſentatis de Numero perpetuo immediatus emineat. Duas Miſſas, ultra communem, Vicariis omnibus elargimur, quas pro ſua poſſint intentione celebrare: & denique ab officio Chori, & Altaris ſint abſoluti, quandiu in munere exiſtant.

CAPUT XXV.

De Dignitatibus ſine Licentia non recipiendis.

1. CUM fratres (etiam extra Ordinem) poſſit ad plura officia, beneficia, gradus, & dignitates diverſimode promoveri, ut ea quidem cum merito, & religioſe ſuſcipiant, illis ſalubriter conſtituimus, ut nemo, abſque ſpeciali licentia Magiſtri, aut Provincialis Officium aliquod, gradum, beneficium, aut dignitatem aſſumat. Quod ſi ſecus fecerit, præſenti Conſtitutione, ſuffragiis, & omnibus beneficiis ſpiritualibus Ordinis noſtri privamus. Fratri etiam qui dignitate conſtitutus, vel quavis alia cauſa extra Ordinem vivens, habitum, & inſtituta Ordinis non ſervaverit, ſuffragia Ordinis ſimiliter interdicimus.

2. Si quis autem hujuſmodi beneficia, gradus, & dignitates, vel alioquin ſine illis, aut alia rationabili cauſa, vitam degere extra ordinem favoribus procuraverit, eoſque, præſertim ab extraneis perſonis obtinuerit, pœnæ gravioris culpæ ipſo facto ſubjaceat.

DI-

DISTINCTIO VIII.

De ſtatu, & Regimine omnium Provinciarum Ordinis, & domorum ejus.

QUia neque commune, neque particulare Provinciarum, ac domorum regimen, neque officia opportune, & ſatis complecti potuimus, ea omnia in præſenti Diſtinctione digeſſimus; ubi quæque hactenus deſiderata ſubdidimus.

CAPUT I.

De communi Provinciarum regimine.

1. OMnes Ordinis Provinciæ ſingulos habeant Provinciales, & quatuor Diffinitores illius, & pro Capitulis generalibus duos Diffinitores Generales, & totidem Electores; atque etiam pro ſingulis domibus proprios Prælatos Locales, qui Commendatores appellentur, exceptis tantum ad regimen Collegiorum electis, quibus Rectorum nomen permittimus, & ad Barchinonenſis Conventus gubernium deſtinato, quem Prioris nomenclatura ob cauſas cap. 4. Diſt. ſequent. aſſignandas inviolabiliter gaudere decernimus. Hi autem omnes eligantur, ut in Diſt. ſuperiori prædiximus. Quocirca declaramus ea omnia intelligenda eſſe de Provinciis veris, ac formatis, non autem de Congregationibus, aut Proviociis nominalibus, quæ adhuc in veras Provincias erectæ non ſunt: has enim infra ſub ſpeciali regimine conſtituimus.

2. Circa numerum Graduatorum, quos ſingulis Provinciis deſignavimus, ſimiliter declaramus, quod omnis congregatio, donec talis extiterit, & in veram Provinciam non erigatur, nullum jus habeat ad Graduatum aliquem poſtulandum. Quæ autem jam fuerit vera Provincia, ita Magiſtrorum, & Præſentatorum numeros in prædicta Diſt. 6. præfixos, & conditiones, ad eos ibidem appoſitas obſervari præcipimus, ut nulla excogitabili ratione, præfata liceat ſtatuta tranſcendere. Quamobrem taxatur Capitulis Provincialibus poteſtas exponendi, atque etiam Magiſtro confirmandi gradus, ſine conditionibus à Conſtitutione ordinatis; & ſi aliter conferantur ipſo facto ſint irriti; etiam ſi Provincia ſit exigua, numeriſque Graduatorum cum ſtatutis conditionibus non ſufficiens.

3. Quod ſi in regionibus aliquibus, tractu temporis, Ordinem propagari contingat, & fiat aliqua domorum aggregatio, ab aliis Provinciis ſeparata, quæ non ſit adhuc in veram Provinciam erecta, ſed tantum congregatio ſpecialis, ut ea, quam Ordo poſſidet in regionibus Maragnionis Coronæ Portugalliæ, illam, quæcunque ſit; ſi non habuerit aliunde ſpecialem formam regiminis, à Sede Apoſtolica indultam, veluti Congregatio Pariſienſis; ita conſtitui, & gubernari præcipimus, ut ipſi videlicet Magiſter Ordinis unum Commiſſarium Generalem præficiat, cum ea facultate ordinaria, aut delegata, ſibique ſemper ſubjecta, quæ viſa fuerit expedire, juxta illius diſtantiam à ſe ipſo.

4. Commendatorum autem electionem, ac reliqua ad cujuſcunque Congregationis regimen ſpectantia, ita fieri conſtituimus, ut prædictus Commiſſarius Generalis, de trienuio in triennium, per literas convocatorias congreget capitulariter, in Conventu à ſe deſignato, omnes Commendatores, aut Præſides ſuæ Congregationis, ad Sabbatum Dominicæ in *Cantate* (niſi alia fuerit conſtituta dies, juxta qualitatem regionis) & in eorum Capitulari cœtu novi Commendatores eligantur, pro triennio immediate ſequenti, per ſuffragia ſecreta omnium Vocalium; in quibus, ſi poſt tria ſcrutinia præmoniti, etiam in quarto non conveniant, in ipſum Commiſſarium devolvantur electiones, ſicut & in aliis per ſuffragia ſecreta ordinavimus. Si qua vero ſtatuenda videantur pro bono regimine congregationis, mature ab omnibus decernantur; & una cum electionibus prædictis, totoque proceſſu Capituli, & ſtatu congregationis mittantur authentice ad Magiſtrum; ut quæ viderit confirmanda, confirmet, & juxta ſibi relata ipſam dirigat, in meliuſque promoveat.

5. In reliquis autem, quæ prædictis non opponantur, eam regere ſtudeat præfatus Commiſſarius juxta Conſtitutiones noſtras: potiſſime vero cultum litterarum pro viribus inſtituat, & ad diſciplinas Artium, & Theologiæ dignos Lectores poſtulet à Magiſtro, ſeu eligat ex ſuis fratribus, quos idoneos habuerit; ſervatis omnibus, quæ Diſt. 6. circa inſtitutionem Lectorum ſtabilita relinquimus: ut ſubſidio literarum in dies congregatio procedat in melius, & viris, qui eam promoveant, decoretur.

6. Quantum ad tranſitum de una Provincia in aliam ſtatuimus; ut ſi hoc fiat per adoptionem fratrum, ſolus Magiſter Generalis, & nullus alius Prælatus, etiam Vicarius Generalis totius Ordinis, eam concedere valeat: quandocunque autem à Magiſtro concedatur, ſemper conſilium utriuſque Provincialis, à quo, & ad quem, adhiberi præcipimus. Quod

ſi

ſi tranſitus prædictus non ſit ad permanentiam, ſed ad tempus, pro aliquo negotio gerendo, velalioquin fratrem aliquem extra ſuam Provinciam transferre conveniat, non ſolum Magiſter, ſed etiam Vicarii Generales in ſuis, reſpective, Provinciis illa poterunt ordinare, & præbere licentiam, ſine prædicto conſilio.

7. Si quis autem frater ſine facultate, & authentico teſtimonio Magiſtri, aut alicujus Vicarii Generalis (intra ſibi delegatam juriſdictionem) in aliam Provinciam quòmodolibet tranſmigraverit tamquam fugitivus tractetur à Provinciali, & Commendatoribus illius, & ad Provincialem ſuæ Provinciæ remittatur.

8. Eadem ratione ſtatuimus, ut nullus frater ſuam Provinciam deſerens ad Romanam Curiam, vel Regiam, aut Regale Prætorium quolibet prætextu ſe conſerat ſine ſpeciali mandato, aut licentia in ſcriptis Capituli Generalis, vel Magiſtri. Nec ſimiliter ad terram Sarracenorum tranſeat abſque prædicta ſacultate, etiam in ſcriptis Magiſtri, vel Capituli Generalis, aut Provincialis, ut ſuo loco prædiximus: eum autem qui ſecus attentaverit tanquam fugitivum in virtute Spiritus Sancti corripiendum eſſe præcipimus, & à Commendatore, qui eum ſic indebite vagantem agnoverit, in compedibus detinendum: Magiſtroque, vel ejus Provinciali denunciandum, ut ab eo puniatur juxta qualitatem delicti.

9. Præterea omnibus Provinciis ſit commune electiones Provincialium, earumque Capitula intra certum terminum præſentare Magiſtro pro confirmatione obtinenda; vel etiam Vicariis Generalibus ad eam facultatem habentibus. Si enim electio, & Capitulum Provinciale celebretur in Hiſpania ſine perſonali præſentia Magiſtri debet illi præſentari intra ſexaginta dies; alioquin ſit inanis, & irrita, atque in ipſum devoluta Magiſtrum, qui profecto illam confirmare tenetur, ſi canonice fuerit celebrata ſecundum jura, & Conſtitutiones hujuſmodi, vel ejus defectum oſtendere.

10. Provincias autem Galliæ, & Italiæ ad eandem præſentationem Magiſtro faciendam intra quatuor menſes teneri decernimus, ſub pœna nullitatis prædictæ; & eundē pariter Magiſtrum earum Capitula, & Electiones debere confirmare, aut infirmare, ut prædicitur. Congregationem autem Pariſienſem, quantum ad ſuum Capitulum, & electionem Vicarii Generalis, eidem legi, & prædictæ confirmationi Magiſtri, & devolutioni ſubiicimus. Confirmationem vero Provincialis Indiarum, ſuis, reſpective Vicariis Generalibus, ſub forma Superiori diſt. præſcripta committimus.

11. Tandem univerſis, & ſingulis Provinciis duo Sigilla conveniunt, quibus earum Provinciales in ſuis litteris utantur: alterum parvum cum ſolo Scuto, & ſtemmatibus Ordinis, pro rebus exiguis, & communibus; alterum vero magnum, cum eiſdem ſtemmatibus in calce, & alicujus de Feſtivitatibus B. Virginis Mariæ, vel earum defectu, alicujus de Sanctis Ordinis, in ejus area præcipua, prout in cap. ſequenti, ad unamquamque Provinciam deſignabimus: cujus quidem ſignaculum patentibus officiorum, aliiſque litteris ejuſdem ponderis apponatur.

Caput II.

De ſingulis Provinciis, ſpecialibuſque ſigillis earum.

1. IN Hiſpaniarum Regnis Caſtellæ, & Aragoniæ, ubi primum fundatus extitit Ordo noſter, quatuor ſunt Provinciæ; quarum prima eſt Aragoniæ, conſtituta ex Conventibus ipſius Regni Aragonum, & Principatus Cathaloniæ, atque etiam Regni Navarræ, & Sardiniæ, detractis Conventibus Tarraconæ, & Dertuſæ ex Cathalonia, & Turoli, & Sarrion ex Aragonia, qui ſimul cum domibus Regni Valentiæ, Majoricæ, & Oram Provinciam Valentiæ conſtituunt.

2. Regnum Caſtellæ dividitur in alias duas Provincias, ſub nominibus Caſtellæ, & Vandaliæ, quarum localis diviſio fiat, & ſit à flumine, quod dicitur *Guadiana*; à quo quidem loca omnia verſus Vandaliam ſita, Bethicæ Provinciæ ſubjaceant: quæ vero à prædicto flumine verſus Caſtellam tendunt, ad Provinciam Caſtellæ pertineant, cum iis pariter, quæ ad Gallæciam, Cantabriamque, & Regnum Legionis attinent, cum locis, terriſque adjacentibus.

3. In Regno Luſitaniæ ex Monaſteriis, quæ Ordo poſſidet in Maragnione, apud Indiam Orientalem, conſtituta eſt quædam Congregatio, & quaſi Vice Provincia, ſub uno Comiſſario Generali moderata. Si quæ vero aliæ in prædicta India erigantur, ad eandem Congregationem, & Comiſſarii Generalis moderationem ſpectare decernimus: donec domorum numerus ad formalem Provinciam, Provinciaſve erigendas ſufficiat.

4. Deinde Regnum Galliæ unam habet Provinciam, quæ Gallica nominatur, &

& unam Congregatiooem, ab eâ ſeparatam, quæ Pariſienſis dicitur. Ex Conveotibus aotem Romaniæ, Regnorumque Neapolis, & Siciliæ, aliorumque locorum adjacentium Provincia una conſurgit, quæ appellatur Italica.

5. Poſt Proviocias Europæ ſequuntur, quas Ordo habet in America, ubi primom iocidimus In Provinciam Sancti Dominici; & procedentibus per terrarum tractum verſus Occidentem occurrit Provincia de Mexico, & Guatemalæ; deinde Limenſis, & Cuzcuana; poſt eas vero Chilenſis, & Tucumana, & poſtremo Quitenſis. Quibus jam omnibus commune regimeo ſuperius ordinavimus, & propria qoibuſdam in ſequentibus ſtatuemus. Si quæ autem aliæ domus, vel cætus fratrum Ordinis alibi per totum Orbem nunc, aut pro tempore extiterint, ut in Inſula Hiberniæ, directioni, & providentiæ Magiſtri ſubjaceant.

6. Quantum attinet ad Sigilla Provinciæ Aragoniæ, habeat pro ſtemmate Imaginem Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Matris, ac Fundatricis noſtræ; in cujus honorem fuit Ordo noſter ab ipſa fundatus, & erectus in Civitate Barchinonæ, & in illius puritatis ſignum candenti habitu decoratus. In limbo autem præfati Sigilli ſit verſiculus iſte, *Tota pulchra es amica mea.*

7. Sigillom vero Provinciæ Caſtellæ Imaginem Aſſumptioois ejuſdem Beatiſſimæ Virgiois contineat, cum hoc Verſiculo inciſam, *Aſſumpta eſt Maria in Cælum.* Provincia Valentiæ myſterium Purificationis ejuſdem, cum his verbis, *Lumen ad revelationem gentinm.* Provincia Vandalica ejuſdem Præſentationem in Templo, cum hac inſcriptione per girum. *Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ.* Provinciæ vero Galliæ ſit pro ſigillo Nativitas cum hac littera, *Nativitas glorioſa Virginis Mariæ.* Italicæque Provinciæ viſitatio cum hoc verſu, *Benedicta tu inter mulieres.*

8. Ulterius Provincia S. Dominici aſſumat Imaginem S. Petri Paſchaſii, ſic inſcriptam, *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Provincia Mexicana Deſponſationem B. Mariæ, ſub his verbis, *Cum eſſet deſponſata Mater JESU Maria Ioſeph.* Provincia Guatemalæ effigiem S. Raymundi Nonnati, cum hoc verſo, *Suſcepiſti me de utero matris mea.* Provincia Limenſis imaginem S. P. N. Petri Nolaſco, cum littera. *Majorem charitatem nemo habet.* Provincia Cuzcuana D. Petri Armengaudi effigiem, hoc verſiculo inſculptam, *Suſpendium elegit anima mea.* Provincia Chilenſis habeat pro ſignaculo Patrocinium B. Mariæ, id eſt imaginem ejus filios ſui Ordinis ſub pallio protegentis, littera vero, *Beata es Maria Patrona, & Mater noſtra.* Provincia Tucumana Expectationem ejuſdem, cum iſto verſiculo, *Expectans expectavi Dominum.* Et taodem Provincia Quitenſis imagioem ipſius Beatiſſimæ Virginis Doloroſæ, his verbis circumſcriptam, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

9. De prædictis etiam Congregationibus ordinamus, ut Pariſienſis, quæ eſt in Gallia ſuſcipiat in ſigillum Annuntiationem prædictæ Beatiſſimæ Virgiois, cum hoc verſu, *Ave gratia plena.* Congregatio vero Maragnionis imaginem Sanctæ Mariæ ad Nives, quaſi apparentis in nubibus ſuper collem ningentibus, cum hac littera, *Candidiores Nazaræi ejus nive.* Quæ quidem ſigna, etiamſi in veras Provincias erigantur, ſemper, & ubique retineant. Univerſis vero Prælatis ſtricte præcipimus, ut præfatis ſigillis, prout onicuique Provinciæ, ſeu Congregationi ſtatuuntur, in litteris, publiciſque ioſtrumentis obſignandis utantur.

10. Declaramos autem, qood per honc ordinem litteræ, quo prædictas Provincias nominavimus non intendimus ipſis derogare ſuum proprium locum, & ſedem, vel jura antiquitatis earum violare: ſed ea omoia illæſa relinquere, incolumi ſimiliter conſiſtente jure, ac poſſeſſione præcedentiæ, qua Vandaliæ Provincia fruitur reſpectu Provinciarum Indiarum, ex primævis ſuæ inſtitutionis decretis.

Caput III.

De ſpeciali Regimine aliquarum Provinciarum.

1. Quoniam in Ordine ooſtro ſunt aliquæ Provinciæ, vel Congregationes, quæ in aliquibus ſpecialiter gubernantur, expedit quidem, ut earum regimen certis quoque, & perpetuis legibus io noſtris Conſtitutionibus concludamus.

2. Primo enim Provincia Aragoniæ cum plura Regna contineat, electionem Provincialis, in ea per alternationem perpetuam fieri cooſtituimus; id, quod antehac ſervatum eſt: ita videlicet, ut uno triennio ſit Provincialis ex Cathalonia, vel Sardioia; in ſequenti verò immediate ex Regno Aragooiæ, ſive Navarræ eligatur: dummodo reperiantur perſonæ cum meritis, ad tale officium à Conſtitutione præfixis.

3. Prædicta autem alternativa debet accipi, non penes originem, & filiationem

nem ſæculi, & naturalem, ſed juxta filiationem Conventus, in quo patuit ingreſſus in Ordinem, ita quidem, ut qui habitum ſuſcepit in Conventibus Aragoniæ, vel Navarræ, poterit eſſe Provincialis in Aragoniæ alternativa, etiam ſi natione ſit ex Cathalonia, vel Sardinia, ſive è converſo.

4. Rurſus, ut omnis occaſio præjudicii cuicunque parti penitus evellatur, decernimus, & declaramus, quod nemini faveat adoptio, ſeu nova filiatio in Conventibus alicujus partis, ut illius alternativa gaudere valeat: ſed ſemper penſari debet ſecundum filiationem ex reali habitus ſuſcepione in Conventibus alternativè coocurrentis.

5. Circa Diffinitores vero Provinciæ, quos præfatum eligit Aragoniæ Capitulum decernimus, ut unus ſaltem à Diffinitorio ſemper inſtituatur ex Patribus Principatus Cathaloniæ. Cum autem hæc Provincia nonnullos habeat Conventus ultra mare in Inſula Sardiniæ, quos facile Provincialis gubernare, & proxime ſuis neceſſitatibus occurrere, caſibuſque emergentibus providere non ſufficit; propterea conſtituimus, ut dictus Provincialis eo dirigat unum fratrem idoneum, qui ſit Commiſſarius Provincialis in prædicta Inſula, cum litteris, & ſufficienti poteſtate inſtructus, ad libitum, ut domos ejus gubernare valeat.

6. Quantum ad Provincias Caſtellæ, & Vandaliæ decernimus etiam, & ordinamus, quod licet in duas ſint revera diviſæ, Collegia tamen Complutenſe, & Salmanticenſe, in Provincia Caſtellæ contenta, debeant eſſe utrique Pſovinciæ communia: ita videlicet, ut Collegium Complutenſe tres fratres ex Provincia Vandalica, quinque vero Salmanticenſe in Collegas admittere, & alere teneantur. Quod ſi ultra præfatos numeros, alii mittantur ad illa, eos non teneantur ſuſtentare Collegia, ſed propriis expenſis alantur. Hos tamen omnes Provincialis Caſtellæ poterit ab uno Collegio traducere in alterum, vel etiam à ſtudio repellere, ſi expedire judicaverit; & Provincialis Bethicæ, ad quem pro utroque Collegio hujuſmodi pertinet deſignatio, in eorum locum alios ſubrogare. Quoſcunque autem fratres hæc duo Collegia undecunque in Collegas ſuſceperint, denuo per unum fratrem, à prædictis reſpective Collegiis deputatum, probandos eſſe de genere denunciamus, juxta Bullas SS. Pii IV. utrique Collegio reſpective conceſſas.

7. Ulterius in Regno Galliæ Congregatio, quæ dicitur Pariſienſis, recta auctoritate Apoſtolica, donec in Provinciam evadat, ſub illis legibus cnnſervandam eſſe decernimus, quas illi Sedes jam Apoſtolica ordinavit. In reliquis autem hujuſmodi Conſtitutionibus omnino ſubjaceat.

8. Adhuc Provinciam Italiæ, quæ utcunque de fratribus naturalibus, & non paucis de Hiſpania conſtituitur, ſic in electionibus Provincialis moderandam eſſe decernimus; quod videlicet in ea ſervetur omnino Decretum SS. Pauli V. datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 12. Iunii 1619. Pontificatus ſui anno 15. in quo præcipitur, ut prædicta electio Provincialis præfatæ Provinciæ jure alternationis conſtituatur inter prædictos fratres Hiſpanos ex una parte, & reliquos fratres Italos ejuſdem Provinciæ ex altera, ſecundum conſuetudinem hactenus in ea ſervatam; ita nempe, ut ad fruendum prædicta alternativa ſufficiat Hiſpanis fratribus adoptio per quinquenium integrum in ea Provincia, à ſolo Magiſtro Generali conceſſa. Illos autem, quos eo Magiſter ipſe non miſerit, perpetuo ab univerſis ejuſdem Provinciæ honoribus abdicamus; etiamſi aliunde præfato adoptionis tempore gaudeant.

9. Parem viciſſitudinem inter prædictos obſervare præcipimus quantum ad electiones Diffinitorum, & Electorum Generalium: ita videlicet, ut ſemper in Capitulis quælibet pars, & alternativa unum ex ſe Diffinitorem, atque Electorem Generalem ſortiatur. Quam etiam diviſionem, & ſortem inter ipſas, pro Diffinitoribus Provinciæ ſtatuimus; ſervata tamen etiam ad hæc officia, præfata coeditione adoptionis. Commendatores autem Sanctæ Urſulæ Neapolis, & Sanctæ Annæ Panormi ſemper elegi debent de Hiſpanis, quibus domus conſignatæ ſunt. Commendatores vero Romæ ſecundum conſuetudinem eligantur.

10. Et quoniam apud Indias Occidentales, in Provincia Quitenſi, quantum ad Provincialis officium, ſimilis viget alternandi conſuetudo, inter Hiſpanos ſcilicet, & ejus regionis indigenas, ab ipſa Hiſpania oriundos; idcirco pariter conſtituimus, ut prædicta alternatio intelligenda ſit, quatenus ex utraque parte ſuppetat vir habilis, juxta Conſtitutiones noſtras, ad Provincialatum prædictum: & quantum ad Hiſpaoos, quod ſimiliter præcedat præfata quinque annorum adoptio, ſicut alioquin jam ſuperius ſtatuimus, & ounc denuo declaramus de univerſis honoribus, & dignitatibus ab hujuſmodi fratribus Hiſpanis in præ-

prædicta, & reliquis Indiarum Provinciis impetrandis.

11. De omnibus inſuper Provinciis Indiarum, quantum ad Vocales inde ad Generale Capitulum accedentes, firmiter conſtituimus; ut, quia longa, & vaſtiſſima ſunt ab illis regionibus itinera, tam Provinciales, quam Diffinitores, & Electores Generales earum Provinciarum, etiam expleto ſuæ electionis triennio, per unum amplius annum ſua gaudere voce in Capitulo; modo non ſuperveniat in eadem voce ſucceſſor, in ſequenti immediato poſt electionem prædictorum electus. Quæ omnia, ut ſine litibus eveniat, fidelibus inſtrumentis de tempore electionis eorum, eſſe comprobanda præcipimus, juxta Decretum Capituli Generalis Calatajubii à Clemente VIII. confirmatum die 8. Novembris anni 1594.

Caput IV.

De Speciali Regimine Domus noſtræ Barchinonenſis quantum ad electionem Prioris.

1. CUM noſtra domus Barchinonenſis ſit profecto totius Ordinis caput, in qua revera præceſſerunt illius initia; idcirco hanc ejus antiquitatem, & dignitatem attendentes, atque prædictam ejus conſuetudinem perpetuo obſervari deſiderantes, præſenti Conſtitutione irrevocabiliter ſtatuimus, ut Prælatus præfatæ domus non Commendator, ſed Prior ſit appellandus: cujus electio per fratres ejuſdem domus canonice debeat celebrari per vota ſecreta, & juxta formam Concilii Tridentini. Sic autem electus Prior, ſuo munere per triennium, & non amplius utatur: quod quidem ſemper computari volumus ſecundum annos naturales, & integros ab ipſa die electionis, niſi in caſibus ſpecialibus aſſignandis.

2. In illa vero vocem habeant omnes Conventuales prædicti conventus Barchinonenſis, dum tamen ſint ſacris initiati, & quatuor annos à profeſſione antiqui, atque etiam præfata conventualitas in ipſa domo ſit ſaltem unius menſis proxime, antequam Prioratus per mortem, aut alia qualibet cauſa vacaverit.

3. Decernimus autem, & ordinamus prædictos fratres conventuales, Prioratu vacante, vocem electivam habentes, non debere eſſe filios ejuſdem domus Barchinonenſis, ſed ſufficere conventualitatem prædictam cum conditionibus declaratis, ut in ea electione ſuffragari valeant, ſive fuerint filii ejuſdem domus, ſive filii alterius de tota Provincia, & in dicta domo habitatores deſignati.

4. Prædicti ergo fratres, ſic, ut præmittitur, ad eligendum idonei, eligant & conſtituant in Priorem ex ſe, aut ex aliis domibus totius Provinciæ Aragonum, qui ſit religione, moribus, & doctrina ita præcellens, ut non ſolum prædictam domum, ſed totum etiam Ordinem, ſuo tempore, & caſibus gubernare ſufficiat. Pro quo ſtatuimus, ut ſit ſaltem Præſentatus etiam de Numero, & Lectura in eadem Provincia; & electio ſecus facta ſit irrita.

5. In hujuſmodi electione, ſi adſit Magiſter Ordinis, vel Provincialis, aut ejus Vicarius, ſemper alter eorum, qui fuerit inventus, præſideat, & ſuffragium habeat in illa. Quod ſi uterque concurrat, præſidentia deferatur Magiſtro, ſi eam non maiit Provinciali relinquere. Si uterque vero ſit abſens, præſidere debeat Subprior, vel Vicarius ejuſdem Conventus, vel ejus defectu frater ex tota Communitate profeſſione antiquior. Statuimus autem, quod electio dicti Prioris ad illos tantum ex præfatis Electoribus attineat, qui perſonaliter fuerint præſentes in illa, ſicuti fit in electione Magiſtri. Quod ſi quis majorem partem medietate eligentium habuerit, ille ſit, & reputetur tanquam Prior electus. Hanc autem electionem facere teneatur præfatus Conventus intra unum menſem à vacatione Prioratus; quo elapſo, ſi adhuc non elegerit, tunc Magiſter Ordinis, jure ad ſe devoluto, de Priore provideat.

6. Factam jam Prioris electionem ſtatim Magiſtro Ordinis explorandam, confirmandamque mitti decernimus: unde Conventus confirmationem poſtulans numerū pariter, & nomina omnium Vocalium, & ſimul quot eorum ſuffragis electus habuerit, per authenticum teſtimonium referat eidem Magiſtro.

7. Exinde Prior electus, conſultis Patribus à conſilio, Subpriorem, & Vicarium ſine mora conſtituat, qui poſſit corripere delinquentes, curamque conventus, & fratrum ſolicite gerat, ſecundum quod ipſe Prior illum inſtruxerit, & permiſerit.

8. Officium prædicti Prioratus ita præcellit in Ordine, ut, vacante Sede Magiſtri, ſemper ſit prius ad ſucceſſionem, & ſubſtitutionem vocatus; modo, & forma jam alibi conſtitutis, ubi de plenitudine ſuæ poteſtatis, & cujuslibet alterius, qui poteſt eſſe, vel fuerit Vicarius Generalis ſatis, ſuperque decrevimus. Unde prædictum officium nullo modo vacare permittimus, durante ſpatio, ac tempore Vica-

cariatus Generalis, etiamſi alioquin triennium talis Prioratus expleator. Hinc ergo, quia in ipſo Capitulo Generali, etiam poſt factam electionem Magiſtri, adhuc prior Barchinonenſis (ſive ſit Vicarius Generalis, ſive non) vocem, & locum poſſidet, oſque ad finem Capituli, propterea conſtituimus, ut præfatus menſis, intra qoem dicti conventuales Priorem eligere tenentur, excurrere non incipiat, niſi à die authenticæ notitiæ confirmationis Capituli ab ejos Secretario atteſtatæ.

9. Cum autem Prior Barchinonenſis prædictus, jure conſtitutionis, vacante Sede Magiſtri ante expletum ſexennium, in officio Vicarii Generalis totius Ordinis cum plena juriſdictione ſuccedat, decernimus, & ſtatuimus, ut ſi quando dictum Vicariatum adierit, fuerit ſolom Præſentatus, ipſo facto (propter dignitatem officii, ſupremique totius Ordinis Magiſterii, in quo ſoccedit) Magiſter habeatur, ſit, & nominetur, modo Lecturæ curricula à Conſtitutionibus ordinata, pro ſimili gradu cum approbatione Diffinitotii ſuæ Provinciæ jam confecerit.

10. Antiquitas autem hujos Magiſterii, ut certum ubique locum obtineat inter Magiſtros ſuæ Ptovinciæ, computari debet à die, qua Vicariatum Generalem aſſumpſit. Si vero Magiſter de Numero ſuæ Provinciæ prius extiterit, exemptionibus Provincialis (perinde ac ſi eſſet functus præſato munere) gaudeat cum præcedentia ad cæteros Magiſtros ſuæ Provinciæ, & loco immediato poſt eos, qui Provinciales fuerint, & poſtmodum futuri ſunt. Inter illom aotem, & Exprocuratores Generales Romanæ Coriæ ſervetur ordo, quem infra de ordine ſedendi ſtatuimus.

CAPUT V.

De viſitatione Provinciarum, earumque domorum.

1. CUM Magiſter Ordinis intra tempos ſui regiminis teneator per ſe, vel alium, totum Ordinem viſitare, & Provincialis itidem bis totam Provinciam in ſuo triennio, aut qooties compellatus fuerit ſpecialiter à fratribus, vel poſtulet rerum eventus, non importunum ducimus formam viſitatinnis ab ipſis, vel ſuis Viſitatoribus faciendæ, joris, & æquitatis legibus inſtituere.

2. Primo enim Magiſter ingrediens viſitare alicujus Provinciæ domus, debet ſimul viſitationem Provincialis aggredi. Unde ſi antequam accedat ad domum Capitalem Ptovinciæ, obi Provincialis adeſt, aliquas occurrentes domos in via viſitare oporteat, in ipſis etiam de regimine, & reliqois ad Provincialem ſpectantibus diſquirere incipiat, ſecondum formam inferius tradendam.

3. Inſuper à Provinciali de fratrum moribus debet inquirete, ac fratres ipſos in ſingulis domibus interrogare, ſi quid emendatione dignum habeant, circa bonum, utilitatemqoe Provinciæ revelandum. De quibus omnibus communem viſitationem, ſimul, & particularem domorum peragat, & concludat.

4. Si viſitationes iſtas non per ſe Magiſter adimpleat, debet ſemper eum Viſitatorem eligere, qui ſit ætate, litteris, religione, ac moribus approbatus: cui authoritatem ſuam in ſcriptis conſerat, quatenus ad omnia prædicta gerenda ſibi expedire videatur. Is inſuper debet eſſe zelo, prudentia, & benignitate præditus: verumtamen qui potens ſit irrumpere iniquitates, ne vel fortitudine nimis terreat, vel victus ſuavitate non audeat. Quæ omnia ſimiliter Provinciali, Vicarìove Provinciali ſubjungimus, Viſitator autem inſtitutus ſemper ſibi eligat onum fratrem in Secretatium, qui de omnibus viſitationis actibus fidem reddat; at juramentum ſecreti, & fidelitatis ipſi prius Viſitatori perhibeat.

5. Cum vero Prælatus, aut Viſitator ab eo miſſus domum viſitandam ingreditur, debet ſuſcipi cum benedictione itinerantibus exhibenda, prout inferius cap. 18. præcipitur. Suſceptus aotem ſtatim Viſitationem incipiat, niſi ita ſit longo itinere vexatus, ot aliqua [illegible]ius requie levari oporteat. Viſitator miſſus tribus tantum diebus requieſcere poterit, quibus tractetur ut hoſpes: iis vero elapſis, ſine mora viſitationem inchoet, à cujus initio ad finem uſque duntaxat ſit vere Prælatus, viceſque ſui principalis obtineat in ea tantum domo, quam viſitat, cum poteſtate tamen extra illam, quantum ad incidentia, qoæ eamdem viſitationem reſpiciat: qua finita, & concloſa; ſi in ea domo forſitan immoretur, habeatur ut hoſpes, ſitque Provinciali, ac Prælato Locali ſubjectus. Viſitationem autem in domibus exiguis, & modicis ſemper qoatuor præciſe diebus continuis peragat & concludat; in magnis vero duos amplios, vel quatuor dies adiicimus, quos ptæterire non liceat.

6. Si vero delicta aliqua ex viſitatione prodierint, quæ proceſſu judiciali indigeant, & intra dictos quatuor, aut octo

 dies

dies concludi non valeant; tunc in Provinciis Europæ ſuo principali, à quo fuerit nominatus, relinquat: in Provinciis vero Hiſpaniæ, à quocunque fuerit miſſus Viſitator, ſemper Provinciali deſerat cauſas, ut eas proſequatur, & finiat: ne, ſi Vicario Generali, aut Magiſtro, à quorum altero nominatus fuerit, reſerventur ipſis noceat diſtantia locorum.

7. Ipſi tamen Prælato viſitanti ubique conſulimus, ut quantum negotia ſuſtineant, præfixos etiam terminos in viſitationibus non prætereat, ne domus per moram gravetur, vel ſuſpicionibus inteſtini mali ejus fama lædatur. Quod ſi viſitatio non fiat de officio, & more, ſed ſit irregularis, & ex peculiari cauſa emergenti; & ſi eam quam citius deſideremus abſolvi, nulla tamen dierum meta circumſcribimus.

8. Si Commendator ſuæ domui, viſitationis tempore non adſuerit, viſitatio nihilominus, eo non expectato, fiat: & Viſitator, aut Prælatus ad omnia prædicta, & inferius inſuper dicenda procedat. Si quid autem de Commendatore agnoverit emendatione dignum, de juſta correptione provideat, juxta Conſtitutiones noſtras, & prout domus neceſſitas poſtulet. Si vero pro aliquo teſtimonio neceſſe fuerit abſentem aliquem fratrem vocare, vel citare, id præſtare poterit Viſitator nominatus in omni viſitatione ſub excommunicatione, & præcepto.

9. Viſitator itaque ingreſſus monaſterium, pace fratribus oblata, & congregato Capitulo, ſi Prælatus non fuerit, litteras viſitationis oſtendat, legique faciat coram Capitulo: quibus lectis, & evulgatis, atque illi præſtita viſitandorum obedientia, dicat: *Benedicite Fratres*. Et Commendationem deinde pro vivis, & defunctis inſtituat, ut habetur in principio Capituli quotidiani. Poſtea vero piam, & religioſam exhortationem fratribus habeat, ſecundum eorum qualitatem, & circumſtantias domus: & moneat primo, ſecundo, & tertio in virtute Spiritus Sancti, & ſub obedientiæ præcepto, ac ſententia excommunicationis, ut omnes, & ſinguli, odio, & amore poſtpoſitis, ſibi clare, & diſtincte manifeſtent ea omnia, quæ in Communitate, aliquove individuo emendatione, correctione, ſeu punitione digna reſpexerint, & maxime quidquid in obſervantiæ ruinam, Religionis, ſive fratrum perniciem fuerit perpetratum: ſi quas rixas, aut diſſidia, ſi quæ ſcandala, vel crimina, & ſi quæ alia ex iis, de quibus in ſcrutinio inferius declarando interrogabuntur, tam in Capite, quam in Membris agnoverint: cunctaque abs dubio fratres ſinguli, cujuſcunque gradus, & conditionis extiterint, ei aperte declarare debeant, ut illis in judicio, vel extra, congruam inſerat medicinam.

10. Ut autem fratres nihil de ſibi revelandis occultent, in hoc primo Capitulo iiſdem exponat, quantum illos cenſuræ, & juramentum adſtringant, quibus omnia ſibi nota, ac remedio digna manifeſtare promittunt: ibi enim adjuret eos per viſcera JEſu Chriſti, quod bonum Ordinis, & fratrum in juſtitia, & veritate diligant, quod ſalutis eorum boni æmulatores exiſtant, quodque, medico ipſorum vetera, vel putreſcentia vulnera celantes eorum patroni crudeles, amicique peſtiferi non fiant. Super huc enim ſit tota, vel præcipua Capituli, ac ſermonis materia: quo de ipſorum manibus exquirendum eſſe proteſtetur ſanguinem ejus, qui ſuo ſilentio perierit. Eos maxime ſecuros reddat de ſecreto à ſe fideliter, exacteque ſervando in omnibus, quæ ſibi quomodolibet revelaverint, prout in conſcientia tenetur, & infetius enixe præcipitur.

11. In prædicto deinde Capitulo, tam Prælatus, quam Viſitator omnes Confeſſarios publice, & ex officio ſuſpendat, præter graduatos, donec novo examine comprobatos reſtituat, ſeu à miniſterio avertat. Cæterum ſi graduatum aliquem à ſufficientia, vel diſcretione, aliiſque pro munere requiſitis defluxiſſe cognoverit, prudenter, & privatim ſimiliter ſuſpendat, donec denuo examinatum approbet, vel removeat.

12. Poſtea vero intra, vel extra celebrationem Miſſæ, alba, & pluviali indutus, & cum cereis accenſis, & thuribulo, ſecundum formam Ritualis Ordinis, viſitet Sacramentum Euchariſtiæ: an ſit in loco pie, religioſe, & ritualiter parato, & inſtructo: & quo tempore renovari ſoleat. Videat inſuper, & recenſeat, an Reliquiæ, & Oleum infirmorum decenti cultu, & cuſtodia ſerventur: deinde an ſacra indumenta pro neceſſitate ſufficiant, an apta, & munda ſint, & quæ reparanda, quæ ſint addenda, præcipiat.

13. Poſt hæc autem in ſecreto loco ſolus à ſingulis fratribus accipiat juramentum, quod vera proferent ad ea, de quibus ab ipſo interrogati fuerint, omni odio, & amore, poſthabitis: eoque ſic præſtito, procedat ad inquirendum in genere de ſtatu domus, de fama, vita & honeſtate Prælati, & ſubditorum ejus, ſecundum inſtructionem inferius proponendam, ſingulaque in emendationem reſpective inducat, prout ſibi declarata, aut proba-

ta

ta fuerint, & juſtitiæ, vel charitati conveniat. Delicta vero, tam Commendatorum, quam fratrum viſitet, corrigat,& emendet, quocunque tempore perpetrata ſint, ſi punita, & emendata non fuerint.

14. Poſt viſitationem rerum Eccleſiæ, viſitari debent omnes libri rationales, & inventaria Conventus: videlicet liber Miſſarum, & reliqui omnes dati, & accepti: inventarium Sacriſtiæ, Infirmariæ, Bibliothecæ, omniumque utenſilium, quæ ſunt in cellulis fratrum, cum tabula defunctorum Provinciæ. Deinde vero libros Redemptionis ſuſcipiat, quos diligentius, & accuratius(ut inſtitutum poſtulat) ſeveriſſimo examine perpendat: & ſi quid in illis inveniat extra Conſtitutiones hujuſmodi commiſſum, abſque ulla miſericordia corripiat. Si Procuratores autem prædictæ Redemptionis tepidos,& negligentes invenerit in hujuſmodi charitatis officiis, puniat, vel amoveat, ſecundum qualitatem delicti. Commendatores etiam juxta Conſtitutiones noſtras in hac, vel alia culpa deprehenſos, poterit Viſitator ſuſpendere, convictoſque privare, ac Præſidem pro illis ſubſtituere, donec Prælatus ſuperior de domo illa provideat. Super prædicta autem Commendatoris ſuſpenſione declaramus, eam poſſe Prælatum, aut Viſitatorem aliquando facere abſque eo, quod cauſam, vel rationem exhibeat.

15. Similiter ſi Vicarium, Procuratorem Conventus, aut Sacriſtam dignos depoſitione, vel remotione probaverit, eos à ſuis muneribus depellat, atque alios à Commendatore ſubrogari conſtituat. Si vero Depoſitarium hujuſmodi privatione afficiat, ejus nominationem Conventui relinquat. Magiſtrum autem Novitiorum, ſi fuerit à ſe depoſitus, Provinciali noviter eligendum deferat.

16. Ad Provincialem denique ſive ejus Viſitatorem pertinet, in ipſo actu viſitationis informationem de Lectoribus per ſe ipſos immediate ſuſcipere: ita, ut in ſcrutinio ſecreto fiat omnino certior de illorum negligentia, & defectibus, vel de ſolicitudine in proficiendo, & docendo: de quibus, etiam juxta ſuperius Diſt. 6. cap. 6. ordinata, publice teſtimonium debet accipere à ma[illegible] parte conventus, de peractiſque curticulis juridicam informationem ſuſcipere, ut ſuo tempore exhibeatur Diffinitorio Capituli. Ex his ergo & ſecundum ea, quæ legitima probatione deprehenderit, debet eos laudare, vel corripere, aut etiam ſi viſitationem faciat Prælatus, ipſe ſolus lectura privare, quos à prima ſufficientia noverit excidiſſe.

17. In mutationibus fratrum, ſi plures amoveri expediat, non omnes diſpergat ſimul; ſed tranſacta viſitatione, ſenſim, ſingulatimque, ne ſcandalum fiat in populo.

18. Facta ergo viſitatione, atque omnibus ejus actis ſcripto mandatis, fiant à Viſitatore Decreta, quæ ſibi viſa fuerint expedire, prout domus ſtatus, regulariſque obſervantiæ poſtulet cuſtodia, & ſic omnia ſcripta permaneant, ut ubicunque opus fuerit, in Diffinitorio, aut Capitulo fidem faciant. Statuta vero, congregato à Viſitatore Capitulo, inibi legantur, brevique fratres oratione ad eorum obſervantiam, ac totius vitæ regularis inviolatam integritatem hortetur. Poſtea omnes ſe proſternant, & dicant: *Confiteor Deo*, *&c.* ſtans autem Viſitator adiiciat: *Miſereatur veſtri*, *&c. Indulgentiam*, *&c. Et ego authoritate DEI omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & authoritate mihi commiſſa, abſolvo vos ab omni vinculo irregularitatis, ſuſpenſionis, excommunicationis lata ab homine, vel à jure (ſi indigetis) & ab omnibus tranſgreſſionibus, exceſſibus, omiſſionibus Regula, & Conſtitutionum noſtrarum, quantum ego poſſum, & quod non poſſum, ſuppleat, & perficiat omnipotens Sacerdos, & Summus Pontifex Dominus JEſus Chriſtus: Et injungo vobis in pœnitentiam omnium peccatorum veſtrorum quidquid boni feceritis, & ſpecialiter jugum obedientiæ, ac regularis obſervantiæ diſciplinam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et ſic concluditur, & ſolvitur viſitatio.

19. Tempore viſitationis Prælatus ſemper, aut Viſitator, cum fratribus in Refectorio commedat de communi victu, neque ſingularia ſibi fercula parari ſuſtineat: qua de re illius conſcientiam oneramus: ne viſitatio, quæ mederi debet exceſſibus, eos inducat potius, quam cohibeat.

20. Prælato, vel Viſitatori provideat Conventus neceſſaria pro impenſis itineris, uſque ad Monaſterium proxime viſitandum; ſemper vero religioſe, & honeſte Prælatus, aut Viſitator incedat, cum uno fratre Socio, & ſervis, & animalibus neceſſariis: ne domus dilapidentur à viſitationibus.

Caput VI.

De Interrogandis à Viſitatore in inquiſitione, & ſcrutinio ſecreto.

1. INgreſſo Viſitatore ſcrutinium, & à ſingulis fratribus præſtito juramento, ut prædicitur, illud in hanc formam in-

incipiat: an ſcilicet Prælatus frequenter abſit à divino Officio, & oratione Mentali: an de iis, ita ſit negligens, ut aliquando non ritualiter, ac devote compleantur, neque temporibus à Conſtitutione diſpoſitis: an reſidentiam Chori fratribus perſæpe diſpenſet, eamve curare prætermittat: an circa Eccleſiam, & Miſſarum celebrationem ſecundum omnia Conventus, & Ordinis onera curam adhibeat: an Lampades Sanctiſſimi Sacramenti jugiter ardere non ſtudeat, ant ſuper hoc negligentiam Sacriſtæ non ſevere corripiat.

2. Inſuper: an Redemptionis Inſtituto, & Eleëmoſynarum collectæ minus diligenter intendat: an eas, & univerſa Redemptionis bona fideliter cuſtodiat, & tractet, & à fratribus, eam procurantibus, ſimiliter tractari faciat.

3. An ſæpius Refectorio non interſit, aut fratres pro viribus intereſſe non faciat: an illis ſuper hoc nimis indulgeat, an jejuniorum Ordinis violationi conſentiat: an eorum depravatos mores non coerceat, illiſque in obſervantia regulari laxa fræna dimittat: an ab ipſis munera accipiat: an fiat perſonarum acceptor, ſeu leninr in pœnis, & obſervantiæ cuſtodia: quod etiam potiſſime interrogabit Viſitator Generalis de Provinciali, aliiſque Prælatis Ordinis: & quos donorum receptores, ſive acceptores perſnnarum invenerit, (& maxime ab illis, quos Prnvincialis in Officio, vel Commenda ſuffecerit) porprlis deponat officiis, & publicis quoqne pœnitentiis vindictam ſumat de fæditate criminis: ut illis in correctionem, reliquis veto fratribus proveniat in exemplum.

4. Ulterius inquirat de Comendatote: an quotidiana Capitula habere, fratreſque aſſiduo corrigere prætermittat: an benigne, & comiter, vel durius, quam expedit, cum fratribus ſe gerat: an erga infirmos debitum charitatis exſolvat: vel omnibus (poſtulatus) neceſſaria diſpenſet: an erga ſingulos æque affectus appareat, aut diviſiones ſoveat, quas imn tenetur extinguere: an circa bona conventus infidelis, negligens, aut diſſipator exiſtat: an illi cenſus, poſſeſſiones, atque eorum inſtrumenta ſint curæ: an ſingulis ſeptimanis computus, & rationes faciat. De prædictis ergo præcipue non debet erga Commendatores interrogatio dimitti. Poterit tamen Viſitator plura alia, quæ ad eos pertinent, inquirere, prout opportune, & congruenter expediat. Libros quoque dati, & accepti, & quæcunque tationalia, & inventaria conventus, etiamſi alioquin viſitata, denuo præſcrutari, in examenque, & inquiſitinnem revocare valeat.

5. De Vicario autem interrogabit, an Chnro frequenter interſit, an inter ipſum, & Commendatorem mutua ſit intelligentia, quæ conventus paci noceat, eoſdemque fratres reddat de aliqua in eos, aut domum infidelitate ſuſpectos: an divinum Officium ſtatutis tempotibus, & devote quotidie celebrandum curet: an in deſignandis officiis per tabulam Sabbati ſit perſonarum acceptor: an ſit de infirmis ſolicitus, & alia id genus, quæ Vitatori opportuna videantut.

6. Inſuper de Sactiſta, Ptocuratoribus, Depoſitariis, cæteriſque miniſtris, & officialibus interroget: an ſua munera religioſe, & diligenter exerceant. Item de Prædicatoribus, & Confeſſariis, an ſnis miniſteriis ſufficiant ad profectum, eaque laudabiliter, an vero indigne, & cum dedecore compleat.

7. Adhuc de Lectoribus, & ſtudentibus, eorumque Magiſtro, & Regente ſtudiorum inquirat, qua ſolicitudine, & utilitate ſuo quiſqne muneri incumbat: an Regens ſtudia moderetur cum zelo diſciplinæ, vel protetvius, ant nimis rigidus in mnnere diſcordias cum Prælato ſuſtineat: an Lectores ſæpe à Lectura deficiant: an in aliquo à doctrina D. Thomæ diſcedant, vel ſint novitatis amatores: an ſingulis diebus non feriatis conferentiæ, ſtatiſque temporibus concluſiones habeantur.

8. In Conventibus Novitiatuum de ipſis Novitiis, & eorum pia diſciplina diligentiſſime inquirat: an videlicet Magiſter ipſorum illis inſtituendis verbo, & exemplo invigilet: an ſint in Regula, & Conſtitutionibus, cantu, ritibus, cæremoniis, & arte recitandi ſatis inſtructi: an capacitate, ſufficientia, & motibus polleant, quibus ad profeſſionem indigent. Si quos autem in hujuſmodi deficere inveniat, moneat Commendatorem, eorumque Magiſtrum, ut ipſos diligentius inſtituat; & ſi, adhibita omni cura, melioris frugis, & ſufficientiæ non evadant, eos ab Otdine dimittant.

9. Circa fratres Laicos inquirat etiam ſpecialiter de illnrum inſtitutione in cathechiſmo, de obſervantiis Ordinis, de frequentia Saeramentorum, de vitæ honeſtate, & bona converſatione illórum.

10. Cir-

10. Circa fratres autem in communi, ita ex Prælato, & ſubditis de ſequentibus interroget: an aliqui ſuſpecti ſint de horis non recitandis, de non confitendo frequenter, & temporibus à Conſtitutione deſignatis, de indevote celebrando, & ſi quis forte non juſta de cauſa Miſſæ celebrationem omittat.

11. Circa vota vero: an aliqui utantur ſuperfluitate in veſtibus, aut non ſervent uniformitatem, tam in materia, quam colore, vel ſorma: an habeant aliqua utenſilia, vel dona ſuſcepta, aut peculia Prælatorum libito, & voluntati non expoſita: an ſint ſuſpecti de aliqua familiaritate inhoneſta, vel impura ſermonum conſuetudine: an ſine licentia cum mulieribus quandoque tractatus habeant: an omnes debitam ſuperiori reverentiam exhibeant: an humiliter ferant ejus increpationes, & monita: an aliqua bona Redemptionis læſerint, vel ea tractantes negligenter, aut cum infidelitate procedant.

12. Circa Conſtitutiones, & Regulam percontetur, ſi quis eas contemnat: ſi quis pro conſuetudine frangat: ſi jejunia Ordinis, cum valeat, non obſervet: ſi quis ſilentium horis ſtatutis habere deſpiciat: ſi quis à Choro ſæpius, aut Refectorio, aliiſque communibus actibus abſit.

13. Inſuper: an inter Commendatorem, & fratres ſit Religioſa concordia: an ſe ſe omnes vero charitatis fœdere diligant; inter quos ſiqua diſſidia, aut partes invenerit, ſolicite radicem inquirat, & evellat, authoreſque diſcordiæ cum ſeveritate corripiat: an alii alios decipiant, & non debito ſe invicem honore præveniant: an mutuis ſe detractionibus devorent: an (quod abſit) ſpecies aliqua ludi à jure, & Conſtitutione noſtra prohibiti, inter fratres ſerpat, aut vigeat, vel maxime cum ſæcularibus, aut coram illis exerceant: an ſcandalum aliud commiſerint: an contra Prælatos Eccleſiæ, vel ſtatum politicum privatim, aut publice concionando aliquid indiſcrete protulerint.

14. Tandem in hoſpitiis, & exiguis conventibus inquirat: an divinum Officium quotidie celebretur, & potiſſime in locis, ubi Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur: & illud recitari ſtatuat coram ipſo, ſi nondum invenerit inſtitutum. Illis etiam ordinem vitæ regularis præſcribat, vel jam præſcriptam deſcutiat, & confirmet, prout judicaverit opportunum.

Caput VII.

De Obſervandis in prædicto Scrutinio à Viſitatore, & fratribus.

1. DE præſatis omnibus, & aliis, ſi pro opportunitate opus fuerit, debet Viſitator inquirere ex officio, & in genere. Verum ne ipſe in iis, & potiſſime fratres jura charitatis, aut juſtitiæ prætereant, ipſi Viſitatori præcipimus, ut in hac generali inquiſitione caveat omnino lædere ſamam Conventus, aut ſubditorum, inquirendo ſpecialiter de perſona, aut delicto, niſi fuerit de aliqua, vel aliquo inſtructus, tam intra, quam extra ſcrutinium præfatum, ut ſecundum jura charitatis, & juſtitiæ, ſpecialis inquiſitio fieri queat: eo videlicet fine, ut peracto ſcrutinio, ex eo deliberare poſſit, quæ ſecreto ut pater, quæ domeſtice, & plane, quæ in judicio ad vindictam publicam corrigere expediat, & liceat: ne de ſingulis proceſſus cum ſtrepitu, judicialique mora conſurgat. In reliquis vero de quibus non eſt inſamia, aut ſuſpicio, ſemper inquirat in genere, juxta interrogatoria præmiſſa, quæ etſi perſonas munerum, & officiorum videantur attingere, non eſt ideo particularis inquiſitio, cum fiat generaliter ex ſola Conſtitutione, & officio.

2. Quæcunque autem ſibi revelentur, debet ipſe ſolus ſine Secretario conſcribere, qui tantum poſtea vocandus eſt pro his, quæ ſint tractanda in judicio. Ipſi vero Viſitatori præcipimus in virtute Spiritus Sancti, ne quidquam de ſibi revelatis in prædicta inquiſitione generali directe, vel indirecte cuiquam aperiat. Quod ſi ex ipſis poſſit jam ſatis juſte procedere ad inquiſitionem ſpecialem, ſemper eam faciat ſuppreſſis nominibus delatorum, donec illi in judicio ſe ipſos manifeſtent, ac detegi oporteat, prout conſuetudo, aut praxis, & facultas Regularium, cauſaque ipſa poſtulaverit.

3. Circa prædicta vero legitime interroganda univerſis fratribus declaramus, teneri ad Viſitatoris mentem reſpondere, & nihil tegere poſſe, aut quavis arte celare veritatem de his, quæ remedio indigeant, ac veniant revelanda de jure. Unde crimina jam publica una cum eorum authoribus publice diffamatis, etiam ſine prævia correctione fraterna ſunt ab ipſis manifeſtanda abſque dubio, ſub pœna perjurii, ut publico ſcandalo fiat ſatis. Quæ autem ſunt oc-

occulta, ſi tamen vergant in commune damnum, aut tertii, quod ſuperet famam ipſius delinquentis, etiam ſine dicta correctione manifeſtari debent; niſi certo ſciant ſolam correctionem fraternam ad criminis emendationem ſufficere. Si vero tantum redundent in animam ipſiua peccantis, ſimiliter nota fiant Prælato præmiſſa correctione fraterna.

4. Quocirca hanc regulam fratribus obſervari præcipimus, quod in omnibus delictis, ſive debeat præire correctio evangelica, ſive non, ſi tamen aliquando poſſunt ea licite manifeſtare Prælato, tanquam Patri, vel Judici, nulla ratione prætermittant; neque illa ſinant in fratribus obſcurari, aut eos ſine medico, & medela perire proptet modicum ruborem & dolorem famæ apud illum; malint enim vulnera eorum unius Prælati diſcretæ providentiæ cum fiducia ſubiicere, quam eam occulte putreſcere. Prælatus vero in omnibus ad ſe delatis ita prudenter ſe gerat, ut nunquam temere, & inconſulto crimina ſubruat, ſed ea reſpective medenda ſuſcipiat paterne, vel judicialiter, ſecundum quod de jure, & charitate magis congruat emendationi delinquentis. Eam tamen regulam ſibi obſervandam ſtaruat, ut ſecreta ſecreto, publica publice corrigantur, & coram pluribus, aut paucioribus ſecundum gradum diffamationis delicti.

5. Quæcunque autem deferenda ſint judicialiter, ſemper de illis debet præcedere diffamatio, & ſuſpicio, quæ de jure ad delationem ſufficiat. Si reus jam fuerit alioquin emendatus in caſibus ita occultis, ut ex illis ſcandalum, & vindictæ publicæ ſatisfaciendi neceſſitas non emergat, omnino celandus eſt judici. Si autem ſine ſcandalo offendat, & fraterna correctio non proſit, vel quis eam facere non audeat, Evangelicam tanrum denunriationem adhibeat, ut paterne, & ſine ſtrepitu corripiatur. Quæ jam fuerit punita, aut correcta, nec paterne, nec judicialiter denuntientur Prælato, niſi morale immineat relabendi periculum. Cum ipſi aliquid manifeſtaverint, debent etiam declarare omnia, quæ illum juvare poſſint ad convincendum delinquentem. Ex auditu nihil proſerant, niſi ſimul refetant, à quo, vel quibus audierint.

6. Facta itaque inquiſitione generali, agere debet Viſitator, ſecundum quod ex illa deprehenderit. Quæ enim, ut pater agnoverit, paterne corripienda ſuſcipiat: & ſi per amotionem à loco, aut alia media ſuavia poſſit avertere delinquentem à reiteratione lapſus, abſque nota infamiæ, ita profecto exequatur. Si autem delicta publica invenerit, vel quæ deduci poſſint, & probari in judicio, & ſic oporteat fieri, tunc procedat ad inquiſitionem ſpecialem, prævia ſemper inſinuatione clamoroſa, non quidem leviter inter quoſcunque vagante, ſed à timoratis, & prudentibus atteſtata.

7. Si autem judicium de aliquo crimine inſtituar; cum hoc fieri poſſit per accuſationem, aut denuntiationem judicialem, quæ ſæpius pacem turbant in Ordine, ſeminariumque prodeunt diſcordiæ, ac fomes invidiæ inter fratres: idcirco tertia via incedere Prælato conſulimus, quæ quieti, & ſocietati fraternæ magis convenit, jamque eſt à Regularibus in conſuetudinem ducta, quod videlicet Viſitator procedat ad inquiſitionem ſpecialem, non quidem ad inſtantiam juridicam accuſantis, aut denuntiantis, ſed ex ſolo officio: id eſt utendo ipſorum delatione & notitia ſufficienti, & legitima in prædicto ſcrutinio, vel extra, vel ab ipſo clamore ſacti, legis, aut vera infamia delicti, tanquam accuſatoribus fictis accepta. In hac enim forma nullius perſonæ accuſantis, vel denuntiantis nomen ſcriptum apparet in proceſſu: ſed teſtes à Prælato ex officio vocati coguntur atteſtari, quod noverint ſine ſtrepitu, & nota livoris unius fratris in alium, cum hæc omnia tunc fiant ex ſola judicis æquitate, & officio juxta notitiam in præfata generali inquiſitione ſuſceptam.

8. Hæe enim eſt via corripiendi, & judicandi ſalubrior, & charitati conformior: & vix in Ordine reperietur delictum, quod vel paterna correctione, vel præfata ex officio emendari non ſufficiat. Si autem aliquod occurrat, quod propter commune bonum indigeat accuſatione, vel denuntiatione judiciali, hæc prius, quam illa, eligenda eſt; quia lenior, & magis charitatem redolens; niſi forte accuſatione ſit opus omnino ad majorem vindictam ſceleris, vel ſi ab ea delator averti noluerit, vel dum pars læſa clamat ad judicem.

9. Quæcunque autem aſſumatur, debet fieri coram Secretario, qui delationem ſcribat cum nominibus delatorum, & teſtium. In quo tamen caſu, ſi fratres in inquiſitione ſpeciali judicialiter deferre, & ratificare noluerint, quæ in generali detulerunt, debent cogi præcepto, & cenſuris: & ipſi tenentur obedire judici. Sciat au-

tem

tem accuſans ipſom eſſe obligatum ad probandum plene delictum, ſub pœna talionis: cui etiam aliquatenus ſubditur denuntians, qui ſioe ſufficienti fundamento denuntiavit, aut accuſator palliatus reperiatur: qui eo dignoſcitur, cum revera utitur oomine denuntiantis, & nihil ſcribi permittit, nec vult delata ſubſcribere, aut illis nomen dare, nt omnino pœnas talionis effugiat.

10. Delationes, quæ impoſturæ malignitatem redolent, non debet Viſitator admittere:admiſſas autem,& tales poſtea repertas non proſequi, ſed reſcindere. Quinimo prudens conſilium erit eas aliquando non tractare in judicio; ex quibus forſan majus ſcandalnm formidatur, quam profectus eruitur, dum ex ipſo judicio altius in delinqueotem, aut Communitatem crepitare conſuevit infamia, vel ignis diſcordiæ in fratribus exardeſcere. Talibus autem Prælatus ſuaviter, & paterne medeatur, ſecundum prudeotiam ſibi datam à Domino: melius eſt enim aliquando oleo maturare, & concoquere vulnns, quam illud ferro inſcindere, ſnaque putredioe judicio publico diffuſa, delicatos, & ignaros ioficere.

11. De levibus nunquam inſtituatur judicium, ſed de plano corripiantur, ſecundum Ordinis ſtatuta, & juxta prudentiam, & cenſuram Prælati. De iis etiam fratres reſpondere tenentur in ſcrutinio prædicto, præſertimque aperire, quæcuoque poſſint in ruinam communem obſervaotiam iodocere.

12. Viſitator antem, & omnis Prælatus caveat ab epiſtolis non ſubſcriptis, contra fratrem aliquem ſibi directis, quas debet omnino deſpicere, ut per eas de tali fratre ad inquiſitionem ſpecialem deveniat, etiamſi epiſtola non ſnbſcripta teſtes adhibeat. Quod ſi ſubſcriptam ab aliquo fratre ſibi noto recipiat, poterit ab ipſo rem diligeoter inveſtigare, quouſque ſatis ſit, ut ea verſetur in judicio.

13. Sæcularium delationes, aut litteras in fratres nunquam ſuſcipiat, nec eos pro teſtibus admittat, niſi crimen, vel ſcandalom fratris urgeat, & ſolum fuerit inter ſæculares, nullo ſciente fratre, commiſſum.

14. Denique cum Prælati ſint quaſi ſignum ad ſagittam, nec poſſint omnibus placere, ſeu potius in eos multorum odia ſuccreſcant; idcirco in eoſdem accuſatio non eſt facile à Viſitatore admittenda, ſed diligentem cautelam adhibeat, ut ex qualitatibus Prælati, ſubditorum, ac delicti, prudenter agnoſcat, an ex invidia, zelove æquitatis delatio procedat; & ſic ſe gerat in omnibus, & provideat, ne Prælati criminationibus vexentur injuſtis, ut tamen caveat, ne ſub hac umbra criminibus inſoleſcant. Cunctis ergo prædictis à Viſitatore ſervatis, ita ſe habeat cum fratribus, & delictis, ut quantum poſſit, nihil impunitum maneat, & omnes ſub meliori fruge, & converſatione relinquat.

CAPUT VIII.

De Domibus acceptandis, ac noviter erigendis, in regularique clauſura conſtituendis.

1. Nulla domns, in qua fratres debeant commorari, ſive ſit Conventus formatus, ſive hoſpitium, per aliquem fratrem noſtri Ordinis acceptetur, vel acceptata dimittatur, aut alio transferatur, ſeu commutetur in alteram, niſi de licentia Magiſtri, vel Provincialis. In novis fundationibus ſervetur praxis conſueta. In qualibet autem, quæ ſit noviter conſtructa, vel Ordini collata (niſi fuerit domus ruſticana, aut hoſpitium) ſemper aliqnis frater fiat Commendator, qui ſit prudens, & fidelis adminiſtrator illius. Hic habeat ſecum illum numerum fratrum, quem, & locus exigat, & domus ſubſtantia patiatur: à quibus adjuvetur, & humiliter obediatur in omoibus. Debent etiam divinum officium devote celebrare, & Eleemoſynas pro Redemptione Captivorum impenſe colligere, & laborare in ipſis, quæ ſunt duo noſtri Ordinis cardines, & ioſtituta illius in quolibet Conventu exequenda.

2. Pro iis ergo, & aliis qoibuſcunque Provinciarum domibus, debet Diffinitorium Provinciale ſolicite providere, nt juxta diſtantiam à ſe invicem, onaquæque (ſi territorium ſufficiat) ſuum diſtrictum habeat pro Eleemoſynis Captivorum procurandis, qui nnllatenus cum termino alterius domus confundatur, ſed ita ſint ad invicem diſcreti, nt collector unius domus fines alterius non attingat, & quiſque taotum fiat de ſua meſſe laudabilis.

3. Domus autem, quæ de cætero erigantur in Ordine, ita exurgant ambitu, & mole capaces, ut, & templa Deum, & cultum ejus deceant, & frequentiæ populi aliunde ſufficiant, nec numero fratrum ſit locus aliquando futurus anguſtior: ſit, inquam, ita latus, ut omnes officinas, & cameras regulari domui neceſſarias, & congruas modeſte intra ſe continere valeat. Enixe vero conſulimus, & in quantum liceat, ut univerſis domibus Ordinis, ſi loci amplitudo permiſerit; ſemper aliqua pars, vel area ſeparetur ad opus horti, ut intra illas habeant fratres aliquod recreationis levamen, nec illud foris quærere indigeant.

4. Rurſus clauſtra in eis ædificanda ita clauſa, & obſerata extruantur, & jam extructa ſimiliter reformentur, quatenus ſit poſſibile, quod tranſitus ad Chorum hyemis aſperitatibus non pateat: ne fiat inde prætextus diſpenſandi aliquoties Matutinas media nocte dicendas.

5. Quaſcunque autem domus noſtras, quæ jam ſint vere cœnobium, Conventus, vel Monaſterium, ſic legibus clauſuræ ſubiicimus, ut nulli Commendatori, Præſidi, ſeu Vicario, aut cuicunque particulari fratri liceat, ſub pœna privationis officii, & utriuſque vocis in perpetuum, in deſignatam clauſuram introducere, ſeu ingredi permittere fœminas, quocunque colore, vel cauſa etiam ſerviendi, aut curandi ægrotos. Quocirca declaramus clauſuram Monaſterii, cœnobii, vel conventus eſſe ea omnia, quæ pertinent ad ipſius habitationem, ac domicilium, exceptis Eccleſiis, & clauſtris inferioribus, ſi capellas, & ſacella contineant: in quo caſu ad hujuſmodi clauſtra fœminas ingredi permittimus, tempore duntaxat celebrationis Miſſæ, aut proceſſionis alicujus. Poterit tamen in hoc Magiſter, vel Provincialis pro bono regimine declarare, & interpretari difficultates, quæ in hac parte occurrere ſolent.

6. Sæculares in domibus noſtris convivas, aut pernoctare non permittimus. Delinquentes autem qui ſe ad monaſteria recipiunt, ut capturam effugiant, nullus Prælatus ultra tres dies patiatur in ſuo conventu manere; & potiſſime intra clauſtra, ſub pœna privationis officii. Frater vero, qui prædictos clam, aut quomodolibet retinuerit, pœnæ gravis culpæ ſubjaceat, & conventualitate privetur.

7. In fine tandem ſtatuimus, ut in quacunque domo, cellæ, & cameræ illius ſic fratribus à Prælato diſtribuantur, ut ſemper potiores dignioribus conferantur.

Caput IX.

De Poſſeſſionibus habendis, cæteriſque bonis temporalibus.

1. POſſeſſiones, redditus, & ea, quæ pertinent ad commune proprium, vel tangunt poſſeſſionis titulum, liceat Ordini noſtro tenere, & poſſidere. Unde univerſis Commendatoribus noſtris licitum erit, de conſilio ſuorum conventualium, prædicta bona acceptare, ut habeantur, & poſſideantur in communi, ſecluſa omni proprietate ſingularium. Siqua vero conventus bona poſſideat in annuum perpetuumve cenſum redigenda, ſive jam extinctorum cenſuum ſint capita, ſive quocunque titulo accepta, vel donata conventui, id nequaquam facere poſſit ſolus Commendator, aut Procurator aliquis, ſed conventus duntaxat, cui privative competit, tamquam bonorum Domino. Ad hoc autem debet congregari Capitulum, ac de conſenſu majoris partis res iſta decerni, interveniente tamen licentia Provincialis in ſcriptis ab ipſo conventu capitulariter petita, diſcuſſaque fideliter ſecuritate, & bonitate hypothecæ, & quod aliis cenſibus, & contractibus non teneatur adſtricta.

2. Super his ergo bonis, & aliis quibuſcunque ſtatuimus, & ordinamus, ut tam Generalis Magiſter in Ordine, quam Provinciales, & Commendatores in ſuis reſpective Conventibus, & Provinciis diligenter requirant, aut requiri faciant ſcripturas omnes, & publica inſtrumenta poſſeſſionum, redditunm, legitimarum actionum, & quorumcunque aliorum bonorum ad Ordinem noſtrum, Provincias, & domos ejus quomodolibet pertinentium, ut illa in communi depoſito ordine debito, & accurate cuſtodiantur: ita ſane, ut facile dignoſcantur reſcripta omnia, & publica inſtrumenta bonorum omnium prædictorum, & ſint in promptu, quoties neceſſe fuerit.

3. Com-

3. Commendatoribus autem præcipimus, ſub pœna privationis officii, quod quoties aliquis cenſus, & Hypotheca, cujuſcunque poſſeſſionis Conventus, in novum poſſeſſorem tranſeat, de hoc ſemper memoriam faciant in libro ſpeciali, expreſſis nominibus ementium, atque etiam illorum, qui noviter, & de facto poſſident terras, domos, aut hæreditates liminares, quibus Hypotheca, hæreditas cenſualis, aut poſſeſſio Conventus adhæret, ita ut probatio identitatis eorum numquam perire valeat, nec oblivione deleri, ſed tractu ſucceſſivo novorum dominorum ſemper diligentiſſime notato, omni tempore, dominio Ordinis pateat. Quod inſuper, ut aliunde non pereat, ſub præfatis pœnis, eiſdem Commendatoribus conſtituimus, ut omnes dominos prædictorum cenſuum, hæreditatum, aliorumque bonorum Conventibus reſpondentium in toto ſuo triennio, aut etiam in antecedentibus innovatos obliget, ut novo inſtrumento juridico ſe ipſos debitores Conventibus fateantur.

4. Similiter omnia debita, tam activa, quam paſſiva debent Commendatores in libro ſpeciali conſcribere, ne illorum rationes oblivione deleatur. Nomina inſupet, tam debitorum, quam creditorum in ipſo etiam libro memorari præcipimus; ut quid cuique debeatur, aut debeat, Conventui conſtare valeat. Si quid autem mutuo Commendatores accipiant, ſemper id faciant numerata pecunia coram Depoſitariis, & inter debita activa in prædicto libro conſcripta, in librifque majoribus Conventus dati, & accepti, tam in ſolutione, quam receptione dictæ mutuatæ pecuniæ. Quod ſi contrarium faciant, tam ipſi Depoſitarii, quam Commendator pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officiorum incurrant: & ſint obligati debito, donec illud Conventui ſolvant.

5. Statuimus præterea, ut Superiores Ordinis, quacunque authoritate, ſeu facultate præfulgeant, nullo modo poſſint bona quæcunque in alteram Provinciam, vel etiam de uno Conventu in alium traducere, juxta Conſtitutionem Clementis VIII. ejuſque tenorem ſub datis Romæ 19. Januarii 1601.

6. Quantum vero ad alienationem bonorum Ordinis diſtricte præcipimus, ut neque Magiſter Generalis, neque Provincialis, aut illorum Capitula, neque Commendatores, aut illorum Conventus, vel quilibet alius, poſſit per ſe, vel alterum remittere, aut condonare, neque renuntiare hæreditatem, legitimas, aut alia quæcunque bona, quæ fratribus ex hæreditario jure paterno, vel materno, aut quovis alio illis, & Ordini debeantur.

7. Super quibus ſimiliter obſervari præcipimus Decretum Sacræ Congregationis Concilii, ſpeciali juſſu SS. Urbani VIII. editum die 7. Septembris, anno 1624. ubi perpetuo prohibetur omnibus Superioribus cujuslibet Religionis, ſub pœna privationis omnium officiorum, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, bonorum immobilium, aut mobilium pretioſorum alienatio, aliæque actiones, & contractus circa eadem bona in eodem Decreto contenta, niſi conſulta eadem Congregatione, & cum ipſius expreſſa licentia, præterquam in caſibus à jure permiſſis, & pro Redemptione Captivorum.

8. Præſenti Conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, ut ad bona ſtabilia, ad fratriſque legitimam pertinentia ſemper illi monaſterio tribuantur, ubi talis frater habitum Religionis ſuſcepit. Cum autem è vita deceſſerit, univerſa bona mobilia, quæ ad uſum poſſidebat, ſic dividantur, ut babitus, & veſtes Religioſis magis indigentibus à Commendatore diſtribuantur: pertinentia vero ad lectulum, & menſam, quæcunque illa ſint, ducantur ad infirmariam, ejuſque Depoſito inſerantur, in quo bujuſmodi utenſilia, pro infirmis tantum cuſtodiri præcipimus, modo, & forma jam ſuo loco prædictis. Cæterum libri à Magiſtro, vel Provinciali Conventibus ſtudiorum (prout melius expedierit) impertiantur. Sedilia vero, menſæ, & omne genus arcæ, tegumentorum, veſtiumque cuſtodiæ, miniſterium ſcribendi, lucernæ, & candelabra, & id genus utenſilia maneant ipſi conventui, ubi frater deceſſerit, in communique ejus inventario deſcribantur, tanquam bona ipſius conventus, ita ut perpetuo conſerventur in cœlis ejuſdem ad uſum Religionis.

9. Reliqua tandem bona, quæ præter dicta ſuperfuerint, ſolutis, ante omnia, debitis defuncti, in quatuor partes æquales dividantur: quarum prima pertineat ad Conventum, in quo defunctus habitum ſuſcepit, ſecunda ad Provincialem pro expenſis Provin-

ciæ, tertia reponatur in cuſtodia Religioſi deſignati à Magiſtro Generali, pro victu, & ſuſtentatione ſui, & pro ſumptibus officii, quarta vero ad ipſum Magiſtrum Generalem, pro expenſis, & cauſis Romanæ Curiæ mittatur.

10. Declaramus tamen ad hanc diviſionem, & partes non pertinere, neque inter ſpolia reputanda eſſe ea debita, quibus Conventus aliquis adſtringatur fratri decedenti, ratione Commendæ ab eo gubernatæ: & ſi quid de hoc in computis, & rationibus talis conventus prædicto fratri debitum apparuerit, eo defuncto, cedat in beneficium Conventus, & deleatur à debitis.

Caput X.

De Depoſitariis Conventus.

1. UT tamen prædicta Conventuum bona debita ratione, & fidelitate ſerventur, & dirigantur, duos Depoſitarios, ſeu Clavarios in ſingulis domibus inſtitui præcipimus, qui libere, & per ſchedulas, ſuffragiaque ſecreta capitulariter eligantur: nec aliter poſſit ullus Commendator illos deſignare, aut nominare, ſub pœna privationis officii, nec eadem die, qua proponit electionem, eam perficiat, ſed unum diem, ad minus, pro electione conferenda fratribus concedat.

2. Ad hujuſmodi munus ſemper eligendus eſt frater, qui ſit arte calculandi ſufficienter idoneus, probatæque fidelitatis. In Conventibus autem, ubi fuerint graduati, unum ſaltem ex illis neceſſario duximus aſſumendum, alterum vero de reliquis fratribus ejuſdem Conventus.

3. Ad eos quidem pertinet regere libros omnes dati, & accepti; & omnium rerum, quæ pertinent ad Conventum, rationem habere, & ſecundum proprias earum ſpecies, & qualitates diverſos libros ſtatuere, in quibus omnia cum diſtinctione ſcribantur.

4. Quantum enim ad pecunias illis diſtricte, ſub excommunicationis majoris pœna præcipimus, ne in libris rationalibus quantitatem aliquam, cujuſque ſit generis, apponant, aut ſubſcribant, quæ realiter coram ipſis non fuerit numerata, & in Depoſito recondita, niſi ſtatim de illa fiat ſolutio aliqua, ab ipſis quoque Depoſitariis cum Commendatore, vere, & realiter creditori numeranda. Nec ſub eadem pœna permittat, quod ſumptus, & expenſæ, omniſque ratio dati, & accepti confuſe adnotentur, ſed diſtincte, & cum omni claritate, adjectis pariter nominibus dantis, & accipientis ſive etiam vendentis, & ementis.

5. Si quæ autem debita contra Conventum in triennii fine remaneant, inviolabiliter ea debent ſcribere in ratione, & computis, Capitulo Provinciali exhibendis. Quod ſi non faciant, illis, & Commendatori irrelaxabiliter ſolvenda relinquimus; ita ut licet Conventus eorum ſolutionem faciat, ipſi eandem teneantur conventui retribuere. Præfatis ulterius Depoſitariis injungimus, ut computus à Commendatore fieri contendant tempore, & forma ſuperiori diſt. cap. 23. præſtabilitis: prætereaque, ut bona Redemptionis, ac debitam de illis rationem diligentiſſime ſumendam curent, juxta ea, quæ Diſt. 2. & 3. præcipimus.

6. Inſuper ipſis Commendatoribus, & Depoſitariis conſtituimus, ut nullas externorum quantitates in communi Depoſito cuſtodiendas ſuſcipiant, & inferant, niſi ſub hac lege, quod ad reſtitutionem earum Ordo noſter minime teneatur, ſi furto, vel incendio, aut quavis alia ratione ſimili perire contigerit.

7. Tandem ſi Depoſitarius aliquis à ſuo exercitio, & munere ſit quomodolibet impeditus, tam per brevem, quam diuturnam moram, clavem Depoſiti, & exercitium muneris alteri fratri conſignet, cui ſe credere poſſe cognoverit: illeque omnem ejus poteſtatem obtineat, ſitque ſubjectus omnibus prædictis, ſicut Depoſitarius ipſe.

8. Quoniam autem potiſſime ad Depoſitarios attinet bonorum Conventus habere expreſſam notitiam, ac libros eorum dirigere, in illiſque ſcripturas, & novos hypothecarum dominos, cenſuumque notare debitores, ut de cunctis exactam rationem habere, & reddere valeant, una cum Commendatore in Capitulo; idcirco ſtatuimus, ut unus eorum, qui ex judicio Prælati plus ſit diligens, & diſertus in cuſtodia, & peritia ſcripturarum officium Archivarii exerceat, & ita habeat cuncta in-

ſtrumenta diſpoſita, ordinata, & ſervata, ut quantum ſit poſſibile, diſperdi non valeant. Habeat apud ſe clavem ſemper Archivi; à quo nullum inſtrumentum extrahi permittat, niſi per breve tempus, relictaque memoria extrahentis, ad quem finem, & quo deferat illud. Curet pariter, ut locus ſit aptus, & mundus à pulvere, tineis, vermibus, & muribus, unde ſcripturas ſæpius lacerari contingit: ac nimis antiquas, antequam penitus abeant, denuo à ſuis originalibus extrahat, vel illud medium adhibeat, quo ad fidem publicam maneant ſemper cum viribus.

CAPUT XI.

De Procuratoribus Conventualibus.

1. IN quolibet Conventu, pro ſuis bonis temporalibus agendis, unus, vel plures Procuratores eligantur, juxta pondus, & multitudinem rerum agendarum. Illum autem, vel eos poterit Commendator deſignare, qui magis ad artem fori ejuſque tractanda negotia ſint habiles de conſenſu Capituli conventualis, ad quod privative pertinet per ſuffragia vivæ vocis hujuſmodi Procuratores inſtituere, cum jure, & facultate ipſis ab eo concedenda pro libito. Si vires unius fratris ponderi ſufficiant, nullo modo Commendator Procuratores multiplicet, neque prætextu Procurationis fratrem aliquem audeat ſublevare ab officio Chori, & Altaris, aliiſque Conventus oneribus: quod ſi ſecus fiat, Provincialis ſua poteſtate coerceat.

2. Ab eiſdem Commendatore, & Capitulo eodemque ritu conſtituitur Procurator conventualis Redemptionis, ad quem pertinet omnia Captivorum bona, intra terminos ſui Conventus, vel undequaque ad eum ſpectantia, ſolicite procurare, & exigere. Cuicunque autem ex dictis Procuratoribus inſtrumentum Procurationis authenticum, reſpective tribuatur à Conventu, cum ea facultate, quæ pro opportunitate viſa fuerit expedire. Illis vero enixe præcipimus, ſub pœna gravioris culpæ, ut nulla ſe ratione diſtendant, in aliorum negotia extra ordinem procuranda. Quod ſi alia domus noſtra ejus procuratione ſpecialiter indigeat; eam nunquam aſſumat, niſi de licentia Provincialis, ab eoque antea perpenſis ſuæ primariæ obligationis oneribus; ne extra illa nimis ad alia diſtentus, ſuæ obedientiæ, & domui non ſufficat.

3. Procuratores autem, dum fuerint in actuali exercitio ſui muneris, non teneantur officio hebdomadæ, aut altaris: & unam pro ſe Miſſam præter à Conſtitutione aſſignatam univerſi Presbyteri, celebrare poterunt in ſingulis ſeptimanis.

CAPUT XII.

De Capitulis Conventualibus.

1. PLura quidem in Conventibus eveniunt, quæ vel de jure, conſuetudine, & prudentia, non niſi capitulariter ordinantur, & fiunt. Unde receptiones ad habitum, & profeſſionem, & ordines etiam majores, aut minores ſuſcipiendos, electiones Depoſitariorum, vel ſi quæ ſint aliæ nominationes, graviaque negotia, quæ vel ex ſe poſtulent, aut conſueverint fieri per ſuffragia ſecreta, ſemper decernantur in Capitulo Conventuali; in quo tantum vocem habeant ſacris initiati. Contractus autem, & negotia, vel dubia, quæ pertinent ad bona temporalia, ut emptiones, vel admiſſiones hæreditatum, aut cenſuum, nominationes Procuratorum, & aliæ actiones ſimiles in eodem Capitulo Conventuali decernantur per ſuffragia vivæ vocis ab omnibus conventualibus, & profeſſis ejuſdem domus, & ſenſus majoris partis Capituli prævalebit. Procurator Redemptionis Conventus in hoc etiam Capitulo, ab omnibuſque conventualibus nominatur.

2. Nullum negotium, ad bona temporalia conventus, vel ad Ordinem pertinens, quodque in Capitulo proponere ſit neceſſe, eadem die, qua proponitur, reſolvatur, ſed in diem ſequentem, aut alium differatur reſolvendum, ut illud inter ſe verſandi, & maturius decernendi locum habeant fratres: ne aliquando reſolutio, & conſilium extemporaneum, & nimis propere datum, Ordini, vel Conventui damnum aliquod inferat. Quocirca præcipimus Commendatoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis officiorum, ne unquam huic Conſtitutioni adverſentur, neque arte aliqua tempus eligant importunum pro hujuſmodi Capitulis habendis, ſed ſemper eos congregent illis diebus, & horis, quibus fratres regulariter conſue-

fueverint adeſſe Conventui, & ſanior pars & Patres à conſilio non abſint.

3. Sob prædictis pœnis eiſdem Commendatoribus conſtituimus, ne ſupplicationes, ac petitiones, quæ pro rebus ſuarum domorum exhibendæ ſint Soperioribus propriis nominibus conventualium ſubſcriptæ, ſubſcribere faciant, niſi prius lectæ fuerint in pleno Capitulo, & in eo publice ab omnibus ſubſcribantur, ſingulis proprium ſenſum affirmativum, vel negativum declarantibus. Quibus etiam ſub pœna gravioris culpæ præcipimus, ne aliter prædictas petitiooes nomioe proprio ſubſcribant.

Caput XIII.

De Patribus à Conſilio.

1. Quædam modica frequenter oriuntur in Ordine, quæ Prælatus poteſt ſine conſenſu aliorum expedire. Quædam vero ſunt adeo magna, ut nullo modo debeant ſine conſilio totius Conventus peragi, nec reſolvi. Quædam tandem ſunt media, ad quæ tractanda, & exequenda ſufficit, vel forſan etiam in gravibus expedit, paucorum adhibere conſilium, ne vel Conventus nimis gravetur Capitulis, vel Prælatus pro ſuo libito prædicta reſolvens, minus ſapienter agat contra Salomonis eloquium.

2. De nimis arduis, & gravibus, quæ de jure, vel uſu exigunt aſſenſum Capituli, jam ſuperiori capite conſtituimus. Nunc autem pro rebus mediis, atque etiam interdum difficilibus, quæ non expedit toti conventui ſubiicere, ſpecialem cœtum diſcretorum Patrum in ſingulis domibus totius Ordinis deſignamus; quorum ſuffragia, non quidem deciſiva, ſed tantum conſultiva permittimus. Caveat tamen Prælatus, ne ſibi nimis fidenter adhærens, ſanioris, vel majoris partis ſenſum quandoque deſpiciat.

3. Ad hunc cœtum conſtitui debent fratres, qui ſint probatæ diſcretionis, exercitati in agendis, amatores boni, in ſuo ſenſo non nimis abundantes, quique DEI ſpiritum habere credantur. Quæ omnia cum in Patribus Provinciæ, Magiſtris, Præſentatis, Lectoribus Jubilatis, & qui fuerint Commendatores, facilios inveniantur, ratione litteraturæ, vel experti regiminis, omnes prædictos, modo ſint conventuales, ad iſtum cœtum, & conſilia deſignamos. Ubi autem non fuerint tres de prædictis, Vicarius conventus, Prædicator conventus, Prædicator conventualis, & Magiſter Noviciorum, vel Profeſſorum, atque etiam quicunque ſenior quadraginta annorum à profeſſione, vel amplius, vocandi ſunt ad conſiliom, cum quibus prædicta negotia, & potiſſime, quæ pertinent ad bona ipſius domus, debet tractare, & communicare Commendator, & præcipue res illas, quæ raro circa gubernatiooem domus evenerint.

Caput XIV.

De Notariis Apoſtolicis à Prælatis Ordinis eligendis.

1. Cum ex Conſtitutione Beati Pii V. & Julii III. Prælatis regularibus ſit conceſſum, ut unum tres, quatuor, aut plures fratres in Notarios Apoſtolicos valeant inſtituere, tam pro toto Ordine, vel Provincia, quam pro domibus ſingulis, & com omnimoda poteſtate, quæ de jure ſit tradita huic muneri, propterea decernimus, ut primo Magiſter, ſi velit, pro toto Ordine, & Provincialis pro tota Provincia unum fratrem illius, ſibi ſatis ad hoc probatum, & idoneum, Notariom Apoſtolicum nominet, qui ſi opus fuerit, mandata, privilegia, gratias, conceſſiones, indulta, & reſcripta Apoſtolica quæcunque, Ordini conceſſa, ejuſque utilitatem, quomodolibet concernentia cuicunque perſonæ rite notificare poſſit, atque alia cuncta, quæ de jure fidem publicam exigunt, inſtrumentis authenticis conſignare, ſpeciali ſigno, vel rubrica roboratis, cum omnibus aliis ad quæ in Conſtitutionibus prædictorum Pontificum, facultas continetur indulta.

2. Commendatores autem pro ſuis Conventibus unum ſimiliter de ſuis fratribus in hoc munere ioſtituant, quoties in Conventu opus ſit, aut deſignatus deficiat, qui omnia prædicta pariter poſſit agere, ubicunque expedierit, & fidem publicam reddere, ut vere Notarios.

3. Forma autem illum inſtituendi ſit hujuſmodi: vocato namque fratre à Prælato, coram teſtibus ſufficientibus, & idoneis, ſive extraoeis, ſive ab Ordine aſſumptis, recipiat ab eo juramentum, ſub hac forma: *Ego Frater N. promitto*, &

& juro DEO omnipotenti, & SS. D. N. Papæ N. & tibi N. quod officium à te mihi traditum authoritate, & largitione Apoſtolica fideliter exercebo in omnibus, & per omnia. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſua ſancta Evangelia.

4. Præſtito juramento, tradit illi calamum cum atramentario dicens: *Accipe poteſtatem notificandi, & intimandi (in toto Ordine) vel (in iſta Provincia) quibuſcunque perſonis, etiam Regibus mandata, indulta, privilegia Apoſtolica, nec non alia quacunque in Bulla felicis recordationis Beati Pii Papæ V. contenta, faciendique publicos actus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

5. Forma vero litterarum, quibus conſtare debeat talem fuiſſe in hoc munere conſtitutum, hæc vel alia ſimilis eſſe poteſt. Pateat univerſis, quod nos frater N. Provincialis, aut Commendator, authoritate SS. D. N. Pii V. per ſuas litteras datas Romæ, apud Sanctum Petrum, die 21. Martii anni 1571. quæ incipiunt, *Debitum Paſtoralis officii*, creavimus, conſtituimus, & deputavimus in Notarium dilectum nobis in Chriſto P. F. N. Ordinis noſtri Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede profeſſum, & hujus noſtræ Provinciæ N. filium, vel conventualem hujus Conventus N. virum moribus præſtantem, & fide, & virtute commendabilem, ad intimanda, & notificanda quæcunque indulta, & facienda quæcunque inſtrumenta, & recepto prius ab eo, coram nobis genuflexo, juramento fidelitatis ad ſacra DEI Evangelia, coram teſtibus infraſcriptis. Datum, &c. in quorum fide, &c. & poſtea ſubſcribat ipſe Provincialis inſtituens eum teſtibus vocatis, quæ omnia referendabit, & ſignabit Secretarius ejuſdem, vel Commendator inſtituens.

CAPUT XV.

De Magiſtro Novitiorum.

1. Magiſtrum Novitiorum, non pro univerſis domibus conſtituimus, ſed illis tantum, quas Diffinitorium Provinciale in Capitulo deſignaverit: in quo pariter pro munere præfato, viros ab eo non diſpares eligendos eſſe decernimus, juxta ea, quæ diſt. 7. conſtituimus. Novitiatus enim ſunt plantationes Ordinis, ubi virgulta, & ſurculi ſine cultura ſilveſcunt, ſtudioſe vero irrigata, & effoſſa ſurgunt virtute frugifera.

2. Hinc ergo Magiſter Novitiorum debet ſemper eligi, qui ſit in virtute probatus, in doctrina ſufficiens, in obſervantia ſedulus, in docendo patiens, & aſſiduus, in corrigendo ſuavis, & mitis: non pro genio, & indole durus; nec tamen qui exardeſcere neſciat, ſed qui in opportunitatibus non frangatur, & authoritate vileſcat.

3. In hoc autem officio, quantum deſiderio poſſumus, graviores Ordinis fratres & virtute, & prudentia, & litteris præſtantiores ſemper adhiberi concupiſcimus: quibus in Chriſti viſceribus ſuademus, ut ad illud quandoque vocati, nulla cauſa detrectent, ſed culturam excipiant tot meritis, & frugibus Domino placituram.

4. Quæ autem ad Magiſtrum Novitiorum ſic exoptatum attineant circa executionem ſui muneris jam ſuperius diſt. 4. cap. 5. de inſtructione Novitiorum ſatis, ſuperque ſancivimus. Illum tamen ita liberum in ſua poteſtate relinquimus, ut quantum ad regimen Novitiorum, & eorum correctiones, propter defectus, tam intra, quam extra Novitiatum commiſſos, ſolus ipſe ſit arbiter: tantumque Prælatis, & Commendatori ſubjaceat. Profeſſos etiam ita ipſi omnino ſubiicimus, ut Vicarius Conventus, ſolum extra Noviciatum, poſſit eos aliquando corripere, cum videlicet ad publicam emendationem expedierit, defectuve prædicti Magiſtri. In reliquis, correctionos eorum ſemper ipſi relinquat. Si Magiſter Novitiorum infirmari, aut abeſſe ad tempus eveniat, ipſe Commendator fratrem idoneum cum eadem poteſtate ſubſtituat.

5. Ut autem hujus oneris, graviſſimique plane muneris pondus dignis compenſationibus ſubleuetur, quibus, & potentis humerus alliciatur ad illud, præſenti Conſtitutione decernimus, ut quicunque non graduatus per duodecim annos continuos in præfixis domibus Novitiorum à Diffinitorio Capituli, vel Provinciali præfectus cum approbatione, & laudabiliter hoc fuerit functus officio, maneat exemptus perpetuo ab hebdomada, aliiſque officiis, & Miniſteriis pœnalibus communitatis, & tabulæ officiorum: & dum actu eſt in munere, eadem exceptione gaudeat, & ultra unam Miſſam, quam pro ſe concedimus univerſis fratribus in hebdomada, alias duas ſuæ intentioni liberas indulgemus. Quantum vero ad

ad victum ſic illum tractari præcipimus ſicut Magiſtros de Numero, prout in qualibet Provincia fuerit conſuetum.

6. In reliquis autem Provinciæ domibus, ubi Novitiatus non exiſtat, ſi fratres profeſſos, quos Clericos, & non Presbyteros nuncupamus, adeſſe contigerit, ſemper in alio loco ſpeciali, & à reliquorum convictu ſeparato, receptos contineri præcipimus, ſub cura tamen, & directione unius provecti, probique fratris qui ſit, & dicatur Magiſter profeſſorum, qui eos eſſentialia ordinis doceat, & inſtituta, bonoſque mores in Novitiatibus tradita nunquam ab eis excidere permittat: quinimo ad illa, objurgando, & puniendo promoveat.

Caput XVI.

De Examinatoribus Conventus.

1. In ſingulis Conventibus Provinciæ, in quibus Provincialis expedire judicaverit, duos Examinatores inſtituat, quorum cenſuræ primo, & præcipue ſubiicimus omnes, qui accedunt ad ſuſcipiendum habitum, ut eos probent circa ſufficientiam in litteris, & capacitatem ad illa, quibus examinatis, debent omnino fideliter referre Capitulo Conventus, quid de illis ſentiant circa meritum. Qua ſuper re ſervare ſtudeant, quæ ſuperius Diſt. 4. cap. 1. & 6. ſtabilivimus de prædictis.

2. Similiter ad eos pertinet examinare fratres ordinandos, & eos, qui ad ſtudia litterarum mittendi ſunt, ac de ipſorum ſufficientia Provinciali, vel Capitulo Conventus reſpective, ſuum judicium ex æquo detegere: quocirca ipſis conſcientias oneramus, ne fratrem aliquem immature ad Philoſophiam, ſeu Theologiam approbent, & præcipue ad Sacros Ordines ſuſcipiendos; ne vel ſtudio perdant operam, vel in miniſtrando altari ſtultum exhibeant Domino miniſterium. Si quos autem in aliis examinandos ſuſceperint ſibi à Provinciali commiſſos, ſemper cum æquitate procedant, nec in eos Deus damna retorqueat, quæ ex eorum approbatione devenerint.

Caput XVII.

De Zelatore Conventus.

1. Cum in Ordine, ſtatutis temporibus ſilentium obſervari debeat, & pro eo, aliiſque zelandis unum fratrem adhiberi oporteat, quem zelatorem, aut circatorem dicimus; idcirco de cætero conſtituimus, ut munus iſtud ſemper exerceat Vicarius Conventus, qui ſub tacitis horis, quibus ſilere conſtringimur, ſemel, aut pluries totam domum, ejuſque officinas, & loca intra clauſuram perambulet. Et ſi alicubi fratrem, vel fratres invenerit, qui contra religionem, vel debitam honeſtatem Regulæ aliquid loquuti fuerint, vel fecerint, authoritatem habeat eos corripiendi, ſecundum facultatem à Prælato ſuſceptam. Quod ſi apud aliquos diſſolutiones Commendatori non ſilendas agnoverit, eas illi ſuo tempore deferat, vel gravius ipſe corrigat, & emendet, ita ſcilicet, ut ſemper totus conventus in debita tranquillitate, & quiete temporibus ſilendi permaneat.

2. Nec per hoc intendimus Commendatorem à præfato zelandi munere ſublevare: imo illi præcipimus, ut tam circa cuſtodiam domus, & clauſuræ, quam circa quietem, & tranquillitatem illius ſemper, ut verus paſtor, & excubitor invigilet.

Caput XVIII.

De Fratribus iter agentibus, & hoſpitibus.

1. Dum fratres noſtros urgeat itinerandi neceſſitas, nullus viam inſtituat, niſi de licentia Prælati ſuperioris, vel Commendatoris reſpective, juxta ordinata ſuperius Diſt. præcedenti cap. 22. Qui vero ſecus audeat, puniatur, juxta hic proxime dicenda, & alibi jam præmiſſa.

2. Omnes fratres viatores Ordinis noſtri ſecum perpetuo ferant in ſcriptis prædictam licentiam ſui Prælati, vel litteras teſtimoniales, quas utique poſtulati oſtendere valeant: Si autem eas non ferant, nec Epiſtolam commendatitiam, aut alia Inſtrumenta non exhibeant, neque aliunde non eſſe fugitivos, aut apoſtatas innoteſcat, detineantur à Prælato in cuſtodia, vel carcere, donec rei veritas

ritas pateat, & tunc cum ipſis agatur ſecundum qualitatem delicti, & juxta ſuperius dicta de apoſtatis, & fugitivis.

3. Omnes fratres, cum ſunt in via ſemper divinum officium recitent: Sacerdotes autem, ſi opportune liceat, nunquam rem ſacram facere prætermittant. Nullus quoque dies eos ſine oratione prætervolet, quam bis habere debent, juxta Conſtitutionem noſtram, etiam in via conſtituti. Si plures ſimul incedant, ſemper digniori in omnibus deferant, & obediant, & modeſtiam ubique interius, exteriuſque præſeferant. Non utantur niſi veſtibus omnino albis, & prout ſuperius diſt. 4. cap. 10. de veſtitu præcipitur.

4. Fratres viatores uti poterunt equitaturis non prophane, ſed modeſte ſtratis: quas omnino interdicimus fratribus non viatoribus, cujuſcunque qualitatis, aut dignitatis extiterint, ita videlicet, ut ad egrediendum domo, & incedendum intra loca, ubi ſunt Conventus, nulli ſit licitum quodcunque genus equitaturæ quomodolibet per ſe, vel alium ubicunque habere, neque in illa equitare quocunque prætextu, vel cauſa ſub pœna privationis utriuſque vocis, & inhabilitatis ad officia. Super quo taxatur poteſtas Magiſtro, aliiſque Prælatis univerſis, ut non niſi fratribus ad negotia Ordinis, & magni ponderis deſtinatis indulgere valeant, in eoque tantum loco, ubi propter ejus magnitudinem, & alia incommoda inceſſus ita expedire judicaverint.

5. Præterea nullus audeat ingredi Curiam Regiam niſi immediate poſt duodecim horas Commendatori Conventus noſtri ſe præſentaverit. Quod ſi quis ſecus fecerit, à Commendatore in carcerem conjiciatur, donec à Provinciali veniam recipiat.

6. Si quis itinerando ſtationem facturus ſit in loco, ubi eſt Conventus Ordinis, ſemper ad illud accedat, & præſtet Commendatori obedientiam. Quod, ut nemo facere prætermittat, & virtus hoſpitalitatis ubique in Ordine fulgeat, Commendator Commendatorem ſupervenientem cum honore ſuſcipiat, & univerſis Ordinis viatoribus, juxta qualitatem perſonæ, omnia officia charitatis impendat, & maxime ad pernoctandum inviolabiliter retineat, & cogat, quandium moram fecerit in loco ſui Conventus. Et licet fratres aliorum Ordinum, quaſi nobiſcum vinculum veræ fraternitatis adſtrictos non diſſimili hoſpitalitate ſuſcipiamus, fratres tamen Ordinum SS. Dominici, & Franciſci, quos cum noſtro uno quaſi fœtu parturivit Eccleſia, & ex hoc ad invicem arctiori fraternitate copulamur, ſpecialibus etiam charitatis officiis, juxta Conſtitutionem priſtinam, in domos noſtras inducemus, & omni ſtudio; & hilaritate reſoveri præcipimus.

7. Fratres noſtri hoſpites, ſine licentia Commendatoris domus, in qua ſunt, nihil agant, neque ab ea egrediantur, ſed illi deferant in omnibus obedientiam,etiam in correctionibus,ſi expedierit. Rurſus per tres dies eos Commendator in hoſpitio recreari faciat: quibus ſi ea in domo diutius immorari neceſſe ſit, Refectorium cum cæteris adeant, & utantur conſueta refectione Conventus.

8. Nullus frater viam proſequuturus diſcedat à monaſterio, ubi ſtationem fecit, niſi prius à Prælato obedientiam accipiat. Deinde coram ipſo, (ſi libeat) vel alio Sacerdote proſtratus dicat Pſalmum.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi:
Auxilium meum à Domino, qui fecit Cœlum, & terram:
Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui cuſtodit te:
Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.
Dominus cuſtodit te; Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam:
Per diem Sol non uret te; neque Luna per noctem:
Dominus cuſtodit te ab omni malo: Cuſtodiat animam tuam Dominus: ℟
Dominus cuſtodit introitum tuum, & exitum tuum; ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.
Gloria Patri, &c.
Kyrie eleyſon,
Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon.
Pater noſter, *&c.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes viæ, & vitæ hujus varietates, tuo ſemper protegatur auxilio. Per Chriſtum, &c.* Et aſpergatur aqua benedicta.

9. Quotidie autem dum viam aggreditur, dicat: *In viam pacis* &: *Benedictus Dominus DEUS Iſrael, &c.* ut in Breviario. Cum vero ad propriam domum redierit, vel in via ad aliquam ex ordine declinaverit, dicat in ipſo ingreſſu: *Pax huic Domui, & omnibus habitantibus in ea*, & ſtatim ſe conferat ad Prælatum pro benedictione ſuſcipienda ipſe dicendo: *Benedicite.* Deinde coram aliquo Sacerdote dicat Pſalmum.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis.

Ecce ſicut oculi ſervorum, in manibus Dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, &c.

Kyrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Pater noſter, &c.

Oremus. *Miſerere quæſumus Domine, huic famulo tuo, & quidquid in via ei ſurripuit ſenſus, totum ineffabili clementia deleas. Per Chriſtum, &c.*

¶ 10. Quando vero Prælatus, ſeu Viſitator viam incipiat, vel ab illa regrediatur, eiſdem Pſalmis, & Orationibus dimittendus, & ſuſcipiendus ſit. Quod ſi Magiſter Ordinis, vel Provincialis de via veniat, & primum acceſſum faciat ad aliquam domum Ordinis, tunc eo jam properante, Campana Eccleſiæ convocandi ſunt fratres ad fores ejus, in duos choros diviſi, cum Sacerdote pluviali albo induto, & parvam Crucem geſtante, quos præibunt Crux magna Conventus cum cetoferariis, & ſic omnes, ſuſcepto Magiſtro, vel Provinciali, intrabunt Eccleſiam Cantantes *Te Deum* in cujus ingreſſu Sacerdos prædictam Crucem parvam illi genuflexo adorandam offert.

11. Inde proceditur ad Capellam majorem, ibique Magiſter, vel Provincialis genuflexus orabit pauliſper, dum Hymnus *Te Deum laudamus* canitur: quo finito, Sacerdos ſtans in Altari dicit.

℣. Salvum fac ſervum tuum Domine.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Omnipotens ſempiterne DEUS, qui facis mirabilia magna ſolus prætende ſuper famulum tuum N. & congregationes illi commiſſas ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.*

Protege Domine famulum tuum ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentem à cunctis hoſtibus, & periculis redde ſecurum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

12. Abſolutis orationibus, omnes fratres ſe proſternunt, Magiſtro, ſeu Provinciali genuflexo manente, ſuper quem Sacerdos facit benedictionem itinerantium incipiens Pſalmum *Ad te levavi, &c. Cum Gloria Patri, &c.* quem recitat alternative Conventus. Deinde additur *Kyrie eleyſon, Pater noſter, &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *Miſerere quæſumus Domine, huic famulo tuo, & quidquid in via ei ſurripuit viſus, vel auditus mali rei, aut otioſi ſermonis, totum ineffabili pietate deleas, & abſtergas. Per Chriſtum Dominum, &c.*
℟. *Amen.*

13. His

13. His peractis, ſurgat Magiſter, vel Provincialis cum fratribus, & incipiat Pſalmum *De Profundis*, *&c.* cum *Requiem æternam*, *Kyrie eleyſon*, *Chriſte eleyſon*, *Kyrie eleyſon*: deinde dicat *Pater noſter.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus. *DEUS veniæ largitor*, *&c. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

℟. *Amen.*
℣. Requieſcant in pace.
℟. Amen.

14. His ergo conclnſis, ſit ſella præparata, in qua ſedeat Magiſter, vel Provincialis, atque omnibus fratribus ad obedientiam ſuſceptis, eiſque data pace, ſurgit, & ingreditur monaſterium ſociatus ab eiſdem fratribus uſque in cellam ſuam.

Caput XIX.

De Ordine Sedendi, & Honore Fratrum ad invicem.

1. MAgiſter Generalis, & quicunque illi ſucceſſerit in officio, primum, & præcipuum locum obtinet in toto Ordine, ſicut & Provincialis, ejuſque Vicarius in tota Provincia, & Commendatores in ſuis Conventibus. Vicarius autem Generalis in Provincia aliqua, ſeu Provinciis deſignatus, primum ſimiliter locum habeat in illa, ſeu illis, & Provincialibus præferatur. Quod etiam intelligitur de Viſitatore Generali reſpective in ea domo, quam actu viſitat, à principio, uſque ad finem viſitationis ejus, eadem ratione Viſitator Provincialis præfertur Commendatori, & obtinet locum ſui principalis, in ea tantum domo, quam viſitat, & tempore viſitationis duntaxat. Præſides in capite, ſicut ipſi Commendatores, toti Conventui in prima ſede præſideant. Præſides vero interini teneant locum Vicarii, niſi aliunde digniorem poſſideant. Quod ſi tempore ſui gubernii Vicarius permaneat in officio, ſint immediate ante ipſum.

2. Poſt Commendatorem ſedeant Generales abſoluti, inter quos præcedat ſemper, qui ſit in munere antiquior. Rurſus immediate ſequantur omnes Exprovinciales, cum eodem inter eos ordine prioritatis officii, quamvis aliqnis eorum aliud munus poſſideat. Ex provincialibus autem proxime adhæreant, qui fuerint Vicarii Generales totius Ordinis, & Procuratores Generales ejuſdem in Romana Curia, ſecundum conditiones in propriis locis declaratas, & ſervato inter ipſos ordine temporis, à quo fuerint jus adepti ad honores Exprovincialium, quod ſi ad eos non devenlant, ut ſuo loco prædicitur, maneant inter Magiſtros de Numero cum optione antiquitatis inter illos, à die, (ut etiam præmiſſum eſt) quo jus ad Magiſterium aſſecuti fuerint: modo tamen impleverint annos lecturæ pro illo; ſecus autem, inter Magiſtros de Numero ſint ſemper, & ubique noviſſimi.

3. Præterea poſt Exprovinciales, & omnes eos prædictos, qui jure Conſtitutionis ſimili honore gaudent, Socios actuales Magiſtri ſedere præcipimus, & inter eos ſit ea præcedentia, qua ſecluſo munere gauderent. His autem accedunt omnes duodecim Magiſtri, quos vocamus de Juſtitia, vel Numero, & qui juxta Conſtitutiones noſtras cum integro Lecturæ merito ab Ordine ſunt ſuſcepti. Inrer eos etiam antiquitas, & prioritas gradus ubique reſpicitur, quæ ſemper in omnibus graduatis, ad ſe invicem in ſuo genere comparatis, attenditur à die confirmationis gradus à Magiſtro, unde jus ad illum, & conſequenter ad præcedentiam acquiritur: ubicunqne vero Magiſtri fuerint æquales in confirmatione prædicta, reſpicienda erit antiquitas profeſſionis. Si quis autem Præſentatus de Cathedra ex ſpeciali gratia Sedis Apoſtolicæ ab Ordine ſuſcepta Magiſterium obtineat, ſedeat immeditate poſt omnes Magiſtros de Juſtitia, & & Numero, qui ſunt, & pro tempore fuerint.

4. Poſt Magiſtros vero præfatos, reliqui, quos hic nominabimus, ſedeant cum hoc ordine litteræ: videlicet Vicarius Conventus, Præſentati de Lectura, Magiſtri de gratia, Præſentati de Pulpito, Lectores Jubilati, Præſentati de gratia, & denique Procuratores Generales Redemptionis, & Ordinis, & Procuratores Provinciales Redemptionis, & Provinciæ, ſi non fuerint graduati, dum tamen omnes vocem habeant in Capitulo. Qui autem de illis graduatus fuerit, ſedeat in Ordine ſui gradus juxta qualitatem illius, nullo habito reſpectu ad Procurationes prædictas.

5. Circa reliqua officia, quæ diverſis perſonis accidunt, ſic ea diſtribuimus: Diffinitores Generales ex ſuo genere ſunt Electoribus priores, & utrique Diffinitoribus Provinciæ. Cum autem hæc officia in perſonis ſuperioris dignitatis extiterint, ut in Patribus Provinciæ & reliquis ad hunc Ordinem pertinentibus non propterea locum inter ſe mutare debent, ſed ſemper ſervare ſibi debitum ex Provincialatu, aut alio munere peracto. Infra eos autem uſque ad Lectores Jubilatos incluſive, quicunque prædicta officia ſubjerit, ratione illorum omnibus ſui generis gradus, & qualitatis antefertur, videlicet, ſi unus Socius Magiſtri factus Diffinitor Ordinis, aut Provinciæ, ſive Generalis Elector, ex hoc ipſo ſit altero Socio prior, Magiſter vero de Numero ſuperet omnes ſimiles, & Magiſter de gratia, ex Præſentatura de Cathedra electus, eos tantum, qui forſan de hoc Ordine fuerint, ſicut etiam Magiſter de gratia eos duntaxat, qui fuerint qualitatis hujuſmodi: Præſentatus autem de cathedra omnes Præſentatos de Cathedra, & Vicarium Conventus, Præſentatus de Pulpito omnes ejuſdem generis, & Lectnr Jubilatus Jubilatos omnes: infra iſtos autem ſi quis fiat Diffinitor, aut Elector Generalis, ſive Diffinitor Provinciæ, poſt prædictos Jubilatos immediate locum habeat, nec ipſi quomodolibet liceat, ratione prædictorum officiorum, ad ſedem, & ordinem ſuperius nominatorum aſcendere. Quod ſi duo intra eundem ordinem in diffinitione, aut electione fuerint pares, tunc præcedat, qui alterum alioquin ſiue dictis officiis anteiret.

6. De Socio autem, & Secretario cujuslibet Vicarii Generalis, tam totius Ordinis, quam Provinciarum, aut alicujus Provinciæ ſtatuimus, quod ſi fuerint graduati præſideant omnibus Magiſtris de Numero, & ſint Exprovincialibus, & eorum juribus à Conſtitutione fruentibus immediati: modo non concurrant cum Sociis Magiſtri, quibus eos ubique reddimus inferiores. Si vero graduati non fuerint, omnibus Præſentatis de Numero præferantur toto tempore, quo permaneant in munere, & ſolum in Provinciis ubi illud exerceant. Secretarius autem Provinciæ, ſi non fuerit graduatus, ſedeat proxime poſt Procuratores Generales Ordinis, ac Provinciæ, vocem in Capitulo Provinciali habentibus: graduatus vero locum in ſuo ordine præhabitum non prætereat.

7. Patres graduati, aut aliquo munere affecti aliarum Provinciarum, ubicunque de licentia Superioris extiterint, ſemper ſint poſtremi inter graduatos ſui ordinis, aut dignitatis, & officii.

8. Tandem poſt omnes ſuperius ſuo ordine relatos, ſequuntur alii fratres conventuales ſecundum antiquitatem profeſſionis; dum tamen ordinati præcedant non ordinatos, & Clerici, tam profeſſi, quam novitii, omnes laicos fratres. Si vero contigerit Lectorem aliquem non eſſe Presbyterum, locum obtineat Presbyteris immediatum.

9. Hæc ita ſint extra Capitulum, tempore vero capituli in omnibus actibus electionum, & diffinitorii hic ordo ſervetur, quod ſi fuerit Capitulum Provinciale, primi ſemper alſideant Præſidi Provincialis electus, & abſolutus à dextris, & à ſiniſtris illius, & poſt eos, eadem forma, Diffinitores Provinciæ: qui tamen in aliis actibus conventualibus toto tempore Capituli ſemper ſedeant omnes ſimul in choro ſiniſtro, poſt ipſum Provincialem electum, cum quo perſonam totius Provinciæ ita in his actibus gerant. Prior Barchinonenſis intra Provinciam Aragoniæ, ſi fuerit Magiſter, omnes alios Magiſtros, ſi autem Præſentatus, omnes ejuſmodi gradus antecellat.

10. In Capitulo Generali primus ſemper ſedeat Magiſter, ſive Præſes ante electionem qunmodolibet conſtitutus, ea vero peracta, præſideat Magiſter electus, ſi fuerit præſens, alioquin autem Præſes, qui incepit, continuabit præſidentiam, & locum. Præſidenti vero Generali electo, ſequitur poſt ipſum Generalis abſolutus, vel quicunque alius, qui Præſes electionis præextiterit. Huic autem ſuccedunt ſuo ordine reliqui Generales abſoluti, ſi ſint in ordine, & hujuſmodi Capitulo interſint.

11. Poſt illos autem conſtituimus Provinciales, aut Vicarios Provinciales, juxta ſuarum Provinciarum antiquitates, & ordinem: deinde ſedeat Prior Barchinonenſis, ſi præſidere non contingat. Poſtea Procurator Generalis in Urbe, quem

quem ſequantur Diffinitores Generales ſecundum antiquitatem Provinciarum, & poſtremo eodem Ordine Electores Generales.

12. Denique ſuper hujuſmodi declaramus, quod quoties in his Conſtitutionibus jus, actio, vel res aliqua relinquitur, aut defertur digniori de Cætu, Communitate, aut Capitulo, vel etiam generaliter in deſignationibus unius præ alio, ſemper intelligatur de illo, qui loco præcellit inter eos fratres, de quibus ſtatuitur dignior.

13. Circa honorem fratrum ad invicem, ipſis enixe conſulimus, ut ſemper alterutri honoribus ſe præveniant. Quadragenarios autem in ordine, qui per hanc integram, & non interceptam periodum jugum ejus laudabiliter tulerint, à Matutinis media nocte dicendis, Prima, ac Epiſtola, & Evangelio cantandis abſolvimus. Senio inſuper confectis, atque impeditis, de ſibi neceſſariis, & Socio qui curam eorum gerat, ſic à Prælatis provideatur, ut cunctis ubique fiat veneranda canities.

14. De reliquis ſtatuimus, ſub pœna gravis culpæ, ut nunquam ſibi honores, aut comitates deferant more ſæculi, ſed, ut per Salomonem præcipitur, *Magnati humilia caput tuum, & Presbytero animam tuam*, ut non quaſi ad oculum carnis immodicis deflexionibus idolum vanitatis colere videamur, ſed quaſi ſpirituales alter alteri ex animo, vera mentis humilitate, ſe ſubiiciat.

15. Sed ut in iſtis metam fratribus ſtatuamus, juxta qualitates perſonarum Ordinis, ſic eas tractari præcipimus, ut ſoli Magiſtro, & ipſo deficiente, Vicario Generali totius Ordinis, titulus Paternitatis Reverendiſſimæ deferatur. Expleto tamen officio nulli Vicario prædicto, ſed tantum Generali abſoluto præfatum tituli honorem continuari permittimus: Provincialibus autem, & Vicariis Provincialibus, Sociiſque Magiſtri actualibus honorem Paternitatis Reverendæ concedimus. Exprovinciales vero Vicarios Generales Ordinis abſolutos, & eos qui per duos annos Vicarii Provinciales extiterint, & Socios Magiſtri prædictos, qui per triennium hæc munera ſubjerint, atque etiam Commiſſarios, & Viſitatores, tam Generales, quam Provinciales, dum ſunt in actuali munere, non diſſimiliter reveremur. Vicarios item Generales Provinciarum, tam actuales, quam abſolutos hanc eandem reverentiam, & titulum habere decernimus.

16. Magiſtros inſuper, & Præſentatos, atque etiam Lectores Jubilatos, qui jam omnia merita pro Magiſterio adimpleverint, Paternitatem habere concedimus. Item, Commendatores, Diffinitores & Electores Generales, Diffinitores Provinciæ, ejuſque Secretarios, & omnes Procuratores Generales, & Provinciales ejuſdem tituli ſunt, quandiu officia peregerint, etiam ſi illo aliunde non gaudeant. Reliquos vero fratres, quicunque ſint, ſolo Reverentiæ nomine appellandos eſſe ordinamus. Caveant autem omnes, ſub pœna gravioris culpæ, ne hanc honoris diverſitatem, & gradus indiſtincte permiſceant, & confundant: ſed unicuique, quod ſuum fuerit, tribuant cum diſcretione prædicta.

Caput Finale.

Inſtructio ad Fratres circa omnia prædicta, tam in Regula, quam in Conſtitutionibus ordinata.

1. Cum omnia, & ſingula, quæ in his Conſtitutionibus authoritate, & facultate Apoſtolica, (ut initio præmiſſum eſt) ordinavimus, vel nova textura, expoſitione, aut omiſſorum additione in meliorem formam redegimus, ita mature, & conſulto deliberata ſint, ut nihil in illis inveniatur, etiam leviſſimum, quod non fuerit ad ſeveriſſimam lancem, & trutinam revocatum, nulli propterea licitum debet eſſe quidqnam pro ſuo libito mutare, addere, vel minuere. Imo Diffinitoribus Generalibus omnino interdicimus, ut quæ authoritate Apoſtolica confirmata, vel conſtituta fuerint, nulla ratione deſtituant, neque Actis, Decretis, aut contrariis inchoationibus deleant, ſed ita immota relinquant: ut malint tolerate, vel quomodolibet exponere, quæ minus congrue ordinata pro tempore appareant, quam ſæpius innovando textum, turpem inſtabilitatem committere.

2. Quod, ſi propter viciſſitudines temporum, rerumque mutationes aliqua innovari, ſeu mutari neceſſe ſit, fiat ſemper ſine deformatione hujuſmodi compilationis, per modumque expoſitionis diſpenſatoriæ cum diſtinctione à textu, & ad calcem capitis addictæ, ſervata ſemper integritate illius.

3. Sed, ut etiam in iſtis non latius pateat conſtituendi, & addendi, vel in-

innovandi libertas, antiquam Conſtitutionem ſtrictiſſime obſervari præcipimus, ut in præmiſſis nihil addatur, aut apponatur, modo etiam prædicto, niſi per ttia Capitula Generalia continuo ſucceſſiva fuerit approbatum, aut etiam per unum Sede Apoſtolica confirmatum, ſive ſit per modum Conſtitutionis novæ, ſive diſpenſationis, aut declarationis antiquæ. Quibus tamen conditionibus præmiſſis, & non aliter huic volumini, & ad calcem proprii capitis, cum diſtinctione à textu ſubiiciatur, & ita vim univerſalis, & rigoroſæ Conſtitutionis obtineat.

4. Obſervantiam autem omnium prædictorum ſic inviolatam intendimus, ut ne minima quidem pateant deſpectui, ne paulatim in maximis decidamus. Nec ita in modicis, & ſimplicibus ſtatutis ſeveritatem injungimus, ut majori obligatione occurrente, migor obſervantia urgere nos audeat cum detrimento potioris, quod ne contingat, & interdum legum incompatibilitas temperetur; univerſis Prælatis in Ordine diſpenſatoriam concedimus facultatem, ut quoties prudenter, & rationabiliter expedire judicaverint, hujuſmodi obſervantias fratribus indulgere valeant, & eas quidem præcipue, quæ Divinum Officium, aut Captivorum Redemptionem, vel præciſam, & communem Ordinis utilitatem impediant, aut generaliter quando minor obligatio, & obſervantia cum majori complicata videatur. Ab hac tamen diſpenſatoria facultate excipimus ea, quæ jure communi, noſtrarumve Conſtitutionum ipſis expreſſe prohibentur.

5. Fratribus autem expedit ſuper omnia ſummo ſtudio perpendere, quo rigore, & menſura, tam Regula, quam Conſtitutiones præmiſſæ ad conſcientiæ forum pertineant: ne videlicet tranſgreſſionis ſcrupulus eos in anguſtia conſtituat, vel inobſervantia tranſeat in contemptum, & lapſus iterati ducant pauliſper in foveam.

6. Et licet ſuperius Diſt. 3. cap. 1. de obedientia jam ſuper hoc regulæ ſint præmiſſæ, eas tamen fratribus non importune inculcabimus, ut in eorum cordibus defixæ permaneant, neque illarum oblivio vergat in conſcientiæ periculum; unde memores eos facimus, quod Regula, & Conſtitutio, aut etiam Prælatorum verba, ſeu juſſa nullatenus eos obligant ad culpam, quæ theologica dicitur, ſed tantum ad pœnam, niſi ubi adſit præceptum formalis obedientiæ, vel contemptus Prælati Conſtitutionis, aut Regulæ, vel niſi ſint in materia, quæ jam aliunde obligat ex voto, vel præcepto.

7. Præceptum autem formalis obedientiæ, tunc debent intelligere fratres, cum Prælatus, Regula, vel Conſtitutio præcipit in virtute obedientiæ, aut ſub aliis verbis, pœnis, & execrationibus, qoæ affectum, & intentionem obligandi ſignificant: modo ibidem præfixo, quomodo autem Prælatus, non niſi materia gravi illis uti debeat, & quæ ſit illa, jam ſimiliter in eodem loco expoſuimus.

8. Circa pœnas vero, quas interdum Conſtitutionibus addiicimus, quando, & quemadmodum incurrantur, ſimiliter in Diſtinctione 5. cap. 1. de pœnis in genere Regulam prælibavimus, quam ſemper fratres habere præ oculis omni ſtudio conſulimus, ne per negligentiam, aut errorem ſe innoxios aliquando reputent, vel per livorem alios innodatos exiſtiment. Quicunque autem præmiſſam Regulam, & Conſtitutiones ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia ſuper Iſraël Dei. Amen.

Actuum, & ſeſſionum Diffinitorii Generalis finis factus eſt in DEI Servatoris noſtri, ejuſque ſanctiſſimæ Genitricis gloriam, & honorem die trigeſima Novembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, octogeſimo octavo.

INDEX ALPHABETICUS
HISTORICO - MORALIS
VOCUM ET MATERIARUM
hoc *tertio* Tomo contentarum.

A.

Abbates non habet Ordo Vallis Caulium, ſed tantùm Priores ad inſtar Carthuſienſium. *pag.* 12.
Abbatiſſa S. Claræ qualiter recipiat aſpirantes ad ordinem. 34. Apud Clariſſas quomodo eligenda. 35. Sorores quomodo viſitet. 37.
Abſolutio fidelium à Trinitariis quando, & quoties habenda. 10.
Adjutores S. Petri Nolaſci in ordine B. V. Mariæ de Mercede 413.
B. *Æmiliani* (Hieronymi) Congregationis Somaſchæ Clericorum Regularium S. Majoli Papiæ primi Inſtitutoris vita in compendio. 197.
Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus verus Auctor Regulæ Carmelitarum habetur. 19. & 20.
Alexandri Papæ VII. Decreta pro regularis diſciplinæ Inſtauratione apud FF. Conventuales S. Franciſci Seraphici 425. Papæ VIII. Decreta ad eoſdem FF. Conventuales. 431. & 432.
Altenmünster inſigne ordinis S. Salvatoris in Bavaria Monaſterium. 105.
Alvaſtra Monaſterium Ciſtercienſis Ord. ubi mortuus in Novitiatu Wulpho Maritus B. Birgittæ. 100.
Appendix immutandorum in Congregatione Somaſcha à 289. uſque ad 292.
Aragoniæ Rex Jacobus adjutor & protector Ord. de Mercede. 434.

B.

Barcellonæ primum Capitulum generale Ord. B. V. Mariæ de Mercede celebratum. 434.
Baronius & *Bellarminus* rectè abjudicant Joanni Patriarchæ Hieroſolymitano Regulam Carmelitarum primariam. 18.
S. *Birgitta* Inſtitutrix Ord. S. Salvatoris quænam fuerit. 100. Ejus parentes & patria. *ibid.* Proles ſuas piiſſimè educavit. 101. Poſt Mariti obitum Ord. S. Salvatoris acceptâ cœlitùs Regulâ inſtituit. *ibid.* Crebris revelationibus à DEO viſitata, nunquam habitum Ordinis ſui geſtavit, nec ſtabilitatem obſervavit, & quare. *ibid* Quamdiù vixit, ſui primi Cœnobii Waſtenenſis Regimen ſola tenuit. *ibid.* Ei ſucceſſit in regimine S. ejus Filia Catharina, ùt prima Cœnobii Abbatiſſa. *ibid.* Ab Urbano V. obtinuit novæ ſuæ Religionis confirmationem ſub Regula S. Auguſtini. 102.
Braccas in lecto dormientes non exuunt Trinitarii 5.
Bulla approbatoria Regulæ Hieronymianæ à Martino V. 43. Confirmatoria Ordinis S. Salvatoris S. Birgittæ Urbani. VI. Papæ. 102. Ejus Revelationum divinarum libri à Gregorio XI. & Urbano VI. approbati. 104. Quando, & ubi mortua, & canonizata. *ibid.* Urbani VIII. Confirmatoria Conſtitutionum Congregationis Somaſchæ à 199. uſque ad 288. incluſivè. Famoſa Leonis X. pro unione FF. Conventualium & Reformatorum S. Franciſci Seraphici diviſit, totum Ordinem in duos hos ramos ſub duobus diſtinctis Generalibus. 293. Honorii III. Papæ Confirmatoria ſuper Regulam ſecundam FF. Minorum. 295. Urbani VIII. Papæ Conſtitutionum F F. Minorum Confirmatoria. 296. Innocentii XII. Confirmatoria Conſtitutionum Ordinis B. V. Mariæ de Mercede exhibetur integra. 437.

C.

Capillatura Monialium S. Franciſci de Paula qualis? 91.
Capitulum ſingulis dominicis à Trinitariis celebretur. 7. Capitulum generale à Tri-

Trinitariis quando celebrandum? 8. Primum Ord. B. V. Mariæ de Mercede ubi, & quando celebratum? 434. In eo decretum, ut in ſingulis Ordinis ſui monaſteriis plures ſuſciperentur Sacerdotes, & Clerici pro choro & diſciplina, quàm Equites pro redimendis captivis, & quare? *ibid.*

Captivorum redemptio Ord. Trinit. ſcopus. 1.

Carmelitarum Ordo antiquitatem ſuam ab Elia & Eliſæo ducere contendit. 18. Primariam Regulam ſuam falſò deducit à Joanne Hieroſolymitano. *ibid.* Regula ejus habetur 19. & 20.

Carnibus quando Trinitariis liceat veſci? 5.

Carthuſianorum Statuta pleraque ex S. Benedicti Regula deſumpta. 12.

Catharina (S.) S. Birgittæ Sueeæ Filia Waſtenenſis Cœnobii à ſua Matre fundati prima Abbatiſſa. 101. Approbationem ſolemnem Ordinis ab Urbano VI. Papa impetravit. *ibid.*

Caulitæ vocabantur primi Monachi vallis Caulium. 12. Habitum Carthuſienſium geſtabant, Regulam S. Bened. obſervabant ſtrictiſſimè. *ibid.*

Cerfroid primum Ord. Trinit. monaſterium. 1.

Charitas ingens FF. Trinit. erga proximos captivos. *ibid.*

Cibaria lauta non apponenda hoſpitibus à Trinitariis. 7.

Clariſſarum Regula prima à pag. 34. uſque ad 38. incluſivè Sorores quando in ord. ſuſcipi debeant. 34.

Clementis X. Decreta ad FF. Conventuales S. Franciſci. 431.

Co-inſtitutores Ord. B. V. Mariæ de Mercede quinam? 433. & 434.

Comilitones S. Petri Nolaſci in Ord. ſuo inſtituendo quinam primi fuêre? 433.

Congregatio vallis Caulium Benedictinæ Regulæ propago, ejuſque origo. 11. & 12.

Congregationis Somaſchæ quis inſtitutor, quæque origo. 197. Unde dicta S. Majoli vulgò *Somaſcha*? 198. Et quando in ſtatum Religioſum erecta? 197. Congregationi Theatinorum ſeſe ſubjecit, & quando iterum ab eo divulſa? 198. Conſtitutiones quædam ob Decreta Apoſtolica immutanda a pag. 289. uſque ad 292.

Conſtitutiones antiquæ Ord. vallis Caulium à pag. 13. uſque ad 18. S. Birgittæ ab Urbano VI. confirmatæ, ab ipſo Salvatore Mundi revelatæ 103. ſunt quaſi ſupplementum Regulæ S. Auguſtini. 104. Novæ pro Ord. S. Salvatoris conditæ à Clemente VIII. & Gregorio XV. 105. §. I. ubi, & quando primùm impreſſæ. 121. Earum Ord. B. V. Mariæ de Mercede Bulla confirmatoria Innocentii XII. 437. Urbani FF. Ord. minorum Conventualium S. Franciſci a pag. à 297. uſque ad 422. FF. & Sororum B. V. Mariæ de Mercede integrè exhibentur à pag. 439. uſque ad 568. incluſive.

Conventuales S. Franciſci Seraphici videntur eſſe primævum inſtitutum hujus S. Inſtitutoris, & quare. 293. Eorum origo primæva ſic per publicam Bullam appellavit Innocentius IV. omnes Religioſos S. Franciſci vitam communem agentes, & quare nunquam cum Reformatis uniri voluerunt, nec eorum Generali ſubeſſe, ſed proprium Generalem ſibi dari obtinuerunt. *ibid.* Nolentes uniri Reformatis rarò nova Cœnobia acquiſiêrunt, ſed plura antiqua perdiderunt. 294. Inter eos & Reformatos diſſidii cauſa qualis? *ibid.* Eorum & Reformatorum Annaliſtæ Gonzaga & Waddingus. *ibid.* Eorum Congregatio 36. provincias numerabat. *ibid.* Eorum maximum ornamentum eſt Conventus Aſſiſienſis, ubi corpus ſacrum S. Franciſci aſſervatur, & colitur, nec non Conventus Paduanus, ubi ſacrum S. Antonii corpus colitur. *ibid.* Item Coloniæ Agrippinæ poſſident Conventum numeroſiſſimum, ubi ſepultus jacet Joannes Duns Scotus Doctor ſubtilis & ipſe Conventualis. Quare dicantur FF. minores. 297. Variorum Summorum Pontificum Decreta, eorum Religionem ſpectantia à pag. 423. uſque ad 432.

Converſatio Trinit. ſemper qualis 7.

Correctores quanta eorum poteſtas in Capitulo generali. 8. Et Correctrices appellantur Superiores Conventuum S. Franciſci Paulani. 90. Eorum S. Franciſci Paulani Catalogus. 99.

Crux in habitu Trinit. rubei & cerulei coloris 5. Alba in parmula rubea Scapulari Religioſorum B. V. Mariæ de Merced. aſſuta. 434.

Culcitras plumeas in domibus propriis non habeant Trinitarii 5.

D.

P. *Daniel* à B. V. Maria Carmelitarum Regulam primariam perperam tribuit Joanni Hieroſolymitano Patriarchæ 18.

Dantiſci duplex plenarium Monaſterium S. Salvatoris. 106.

Debita conſenſu FF. ſingulorum contrahenda. 9.

De-

Decimarum cum conſenſu Epiſcopi capaces Trinitarii redduntur. 10.
Declarationes S. Ignatii una cum Regula ejus impreſſæ, & qualem habeant cum ipſa ejus Regula auctoritatem. 121.
Depoſitum ex auro vel argento vel alia materia pretioſa non accipiant Trinitarii. 10.
Diſcalceati PP. de Recollectione Ord. B. V. Mariæ de Mercede quando orti. 436. Eorum habitus qualis. *ibid.*
Dominicis diebus exhortatione paſcantur Trinitarii. 8.
Donationes FF. Trinitariis factæ, quomodo de iis diſponendum? 4.

E.

ECleſia FF. Trinitariorum omnes SS. Trinitati dedicandæ, & qualiter ædificandæ. 4. Ordinis vallis Caulium omnes dedicandæ in honorem Beatiſſimæ Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ. 14.
Eleemoſyna & donationes FF. Trinitariis conceſſæ quomodo de iis diſponendum. 4. & 6.
Equitatura Trinit. quales. 5.
Equites B. V. Mariæ de Mercede cum ipſo hoc ſacro Ordine inceperunt, & eorum habitus qualis. 433. Ab Ordine S. Petri Nolaſci tranſeunt ad Ordinem Equitum de Manteſa ſub Regula S. Benedicti. 435. Eorum Profeſſionis formula ſub Regula S. Benedicti *ibid.*
Ericus Suecorum Rex introducta hæreſi Lutherana Monaſteria Religioſorum exterminavit. 104.
S. *Eulaliæ* Monaſterium primum & totius Ordinis B. V. Mariæ de Mercede caput. 434.
Exhortatio diebus dominicis habeatur à Trinitariis. 8.

F.

FEſtum B. V. Mariæ de Mercede XXIV. Septembris celebratur. 433.
S. *Franciſcus Aſſiſiates* Italus quis fuerit? 21. FF. Minorum primus Inſtitutor. *ibid.* Ejus FF. non recipiunt pecuniam. 24. & 31. Nec beſtiam teneant, nec equitent. 26. Ad Saracenos & infideles permittuntur ire. *ibid.* & 33. Ejus exhortatio ad FF. ſuos 3·. Primævum inſtitutum videtur fuiſſe Conventualium F. F. Congregatio. 293. Diſtinctio inter ejus Conventuales & Reformatos ſeu Obſervantes. *ibid.* Totus ejus Ordo in 3. Congregationes. Conventualium nempe, Reformatorum, & Capuccinorum ſub totidem Generalibus dividitur. 294. Secunda ejus exhortatio ad F F. ſuos. 295. Cur Alumnos ſuos F F. *minores* vocare voluerit. 297.
S. *Franciſcus de Paula* quis fuerit, & quando Ordinem ſuum inſtituerit. 84. Impetratus à parentibus interceſſione S. Franciſci, Seraphici. 85. Regula, quam poſuit, pro Monialibus, & alteram pro Tertiariis utriusque ſexus. 85. 4 ſcripſit Regulas à Julio II. approbatas. *ibid.*

G.

GAmbarana (Angelus Marcus (Congregationis Somaſchæ primus Procurator Generalis Confirmationem obtinuit à prima Sede Congregationis ſuæ. 198.
Generalis Ord. vallis Caulium Prior tantum, non Abbas eſt. 12
Generalis Conventualium S. Franciſci Seraphici primò ſubjectus Generali Reformatorum, poſtea ab eo ſolutus 293.
Generalis Magiſter duplex in Ord. B. V. Mariæ de Mercede pro Equitibus unus, pro Religioſis alter, uterque à ſacra Sede approbatus pro iſta vice tantùm, & quando hoc accidit. 435.
Gemina duo ſumptuoſiſſima Monaſteria Ord. S. Brigittæ. 106.
Gonzaga & *Waddingus* Annaliſtæ Ord. S. Franciſci Reformatorum. 294.
Gonzalez (Joann. Baptiſta) Reformator Ord. B. V. Mariæ de Mercede inſtituit P P. Diſcalceatos ejuſdem Ordinis. 436.
Gregorius IX. Papa Ord. B. V. Mariæ de Mercede per Bullam confirmat, & Regulam præſcribit 434.
Guido Congregationis vallis Caulium Author quis fuerit. 11. & 12.

H.

HAbitus F F. Trinit. quis? 1. Religioſorum tam Sacerdotum, quàm Equitum B. V. Mariæ de Mercede qualis. 434.
Hæreſis Ord. S. Salvatoris, ſeu S. Brigittæ expulit ex Suecia, Germania, Belgio, & Anglia. 104. & 105.
S. *Hieronymus* vitæ Monaſticæ cultor nullam Regulam Monachalem ſcripſit. 43. Ejus Regula ſuppoſititia. *ibid.* Ejus Regula à Lupo Oliveto edita à pag. 45. uſque ad 84. excluſive.

Hiſtoria brevis Congregationis Somaſchæ 197.& 198. Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum. 433.
Honorius III. Papa approbavit ſecundam Regulam. 295. Primùm approbavit vivæ vocis oraculô Ord. B. V. Mariæ de Mercede 434.
Hoſpitalis S. Birgittæ Romæ brevis hiſtoria. 106.
Hoſpitibus quomodo Trinitarii inſerviant? 7.

I.

Jacobus Aragoniæ Rex in Ord. Redemptionis Captivorum Adjutor 433.
Jejunia Trinitariorum qualia. 5.
S. *Ignatius* S. J. prima fundamina poſuit à Paulo III. confirmata. 121. Quo fine inſtituit S. J. Inſtitutum. *ibid.* Declarationes unà cum Regula impreſſæ, & qualiter obligant Profeſſos Societatis. *ibid.* Ejus duæ Epiſtolæ totius Doctrinæ Aſceticæ Compendium continentes. *ibid.* Ejus Epiſtola de obedientia à pag. 191. uſque ad 196.
Indumenta Trinitariorum in corpore & lectis qualia? 5.
Infirmi Trinitarii quomodo tractandi? 6. & 7. Tempeſtivè Sacramentis neceſſariis provideantur. 10.
Innocentii III. Summi Pontificis Bullæ Confirmatoriæ Ord. Trinitariorum pars. 2. Qui Carmelitarum Regulam veram approbavit. 19. Et Franciſci Seraphici Regulam primam & Ordinem approbavit. 21.
Innocentius IV. Regulam S. Franciſci Seraphici pro Fœminis approbavit. 21.
Innocentii X. Decreta pro recipiendis Novitiis in Ord. S. Franciſci FF. Minimorum. XII. 423. Bulla Confirmatoria Conſtitutionum Ord. B. V. Mariæ de Mercede de integra. 437.
Inſignia Ordinis B. V. Mariæ de Mercede. 434.
Inſtitutum admirandæ charitatis erga proximos captivos. 1.
S. *Joann.* de Mattha Ordinis Trinitariorum Inſtitutor. 1. Ubi, & quando mortuus & ſepultus. 2.
Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus quis fuerit, & an Carmelitarum Regulæ auctor? 18.
Julius II. Papa Regulas omnes S. Franciſci Paulani approbavit. 85.
Juramenta deponere quando Trinitariis licitum. 10.

L.

Lectorum veſtimenta ex lana ſint apud Trinitarios. 5.
Leo X. Generalem Conventualium S. Franciſci Seraphici quodammodo ſubjecit Generali Reformatorum ejusdem Sancti. 293.
Liberatores in Ord. B. V. Mariæ de Mercede quinam. 434.
Lisbonæ eſt Monaſterium Ord. S. Salvatoris Virginum Anglicarum Brigittanarum. 105.
Lupus Olivetus collegit Regulam Monaſticam ex Operibus S. Hieronymi à Martino V. approbatam. 43.
Lutherana hæreſis in Suecia & Belgio Monaſteria varia extinxit. 104.
Luvigniacum Cœnobium Ord. Carthuſienſis initium dedit Congregationi Vallis Caulium. 12.

M.

Manteſa (Equites de) Ordo militaris novus ſub Regula S. Benedicti pro redimendis captivis. 435. Eorum Profeſſionis Formula. *ibid.* Succedunt Militibus Templariis extinctis in eorum bonis. *ibid.*
Maria (B. V.) de Mercede Redemptionis Captivorum Ordo, quando exortus. 433. Per revelationem ſuggerit una eademque nocte tribus diſtinctis S. Viris inſtitutionem Ord. pro Redemptione Captivorum. *ibid.* De Mercede Redemptionis Captivorum Feſtum quando celebretur. *ibid.*
Martianæus Ord. S. B. Regulam S. Hieronymi à *Lupo Oliveto* collectam inter ſuppoſititia Opera S. Hieronymi collocavit. 43. Martini V. Papæ approbatio Regulæ Hieronymianæ à *Lupo Oliveto* editæ. *ibid.*
Mathurini ſic à quibusdam vocantur FF. Trinitarii. 1.
Minimi quare appellentur Religioſi S. Franciſci de Paula. 85.
Minimorum FF. indumenta, tonſura, & capilli. 86.
Miniſteria ſic vocantur Trinitariorum Cœnobia, & quare. 2.
Miniſtri Trinit. Officium quale. 9. Mali quomodo deponendi. *ibid.* Vocantur Superiores. *ibid.* A quibus & quando eligantur, ſintque omnes Sacerdotes. *ibid.*
Monaſteria dupplicia deberent eſſe omnia Ord. S. Salvatoris, & quare. 105. Simplicia Ord. S. Salvatoris quænam dicenda. *ibid.*
Monaſterium S. Eulaliæ Virginis & Martyris totius Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Caput. 434.

Mo-

Moniales de Recollectione B. V. Mariæ de Mercede in Hiſpania. 436.

Monialium S. Franciſci de Paula capillatura, habitus, capucium & cingulum. 91.

Murcia quando à Saracenis recuperata, & an ibi S. Petrus Nolaſcus Miſſam celebraverit. 435.

N.

NOvitii Trinitariorum ſint 20. annorum, 10.

O.

OBſervantes S. Franciſci Seraphici à Conventualibus quare diſtinquendi. 293.

Olaus Magnus ultimus Catholicus Archiepiſcopus Upſalenſis, ob Catholicam Fidem à Patria exul vixit in hoſpitali S. Brigittæ Romæ. 196.

Opiniones variæ circa ætatem & originem Ord. S. Franciſci de Paula 84.

Ordines quatuor inſtituit S. Franciſcus Seraphicus. 21.

Ordo Trinitariorum quando inſtitutus. 1. Ejus Inſtitutor quis? *ibid.* Ubi exortus. *ibid.* Ejus primum Cœnobium. *ibid.* Vocatur etiam Ordo FF. de Redemptione Captivorum, & quare. *ibid.* Ejus ſcopus, Captivorum Redemptio. *ibid.* Perperam numeratur inter Auguſtinianos. 2.

Vallis Caulium extra Gallias propagatus in Scotia tria Monaſteria habuit. 12.

S. Franciſci Paulani quando Inſtitutus. 84. Ejus prima Cœnobia, ubi & quando erecta. *ibid.*

S. Salvatoris à S. Birgitta Sueca ubi, & quando fundatus. 100. & 101. Ejus primum Cœnobium Waſtenenſe, ad ejus exemplar reliqua omnia Cœnobia conſtruenda. *ibid.* In eo Religioſi Viri ſubſunt Abbatiſſæ Regimini. *ibid.* Ejus Cœnobia omnia quando conſtruenda. *ibid.* Quo anno inſtitutus, & in Waſtenenſe ejus primum Cœnobium introductum fuit. *ibid.* Ejus origo deſcribitur. 100. & 101. Quando, & à quo approbatus? *ibid.* Quando ex tota Suecia expulſus. 104. & 105. Quando ex Germania, Belgio, & Anglia expulſus. *ibid.*

S. Franciſci Seraphici, in eo per ſingulas Provincias duo ſint Seminaria Juniorum, unum *Novitiatûs*, alterum *Profeſſatûs*. 301.

Ordo B. V. *Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum* quando, & ubi exortus. 433. Ejus Inſtitutor quis? *ibid.* Unde dicatur Ordo Regalis. *ibid.* Ejus tum Sacerdotum, tum Equitum habitus. 434. Ejus ſcopus & finis quis? *ibid.* In eo quidam conſtituebantur *Liberatores*, alii pro colligendis Eleemoſynis, reliqui domi in Monaſteriis contemplationi vacabant. *ibid.* Approbatus primùm viva ſolùm voce ab Honorio III. *ibid.* Obſervabat priùs Statuta de Pennafort, uſque dum acceperunt Regulam propriam. *Ibid.* Ejus Co-Inſtitutores quinam. 433. & 434. Ejus Societatem amplectebantur plurimi nobiles ex variis Regnis. 434. Qui plurimos captivos ab infidelibus redimit. *ibid.* Ejus primus Conventus erat Palatium Regis Aragoniæ. 433. & 434. An à prima ſua inſtitutione fuerit militaris nec ne? 435. An ejus Regimen penes Equites, vel Sacerdotes initiò fuerit? *ibid.* Probatur fuiſſe Militaris potiùs quàm Regularis. *ibid.* In eo Schiſma exortum duos Magiſtros Generales Laicum unum, Sacerdotem alterum protulit, & quando. *ibid.* Eum deſerunt Equites tranſeundo ad alium Militarem Ordinem, & quare? *ibid.* Ab anno milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo ſub uno Magiſtro Generali, ex Sacerdotibus electo gubernatur. 436. Ejus propagatio per Europam, & Americam in varias Provincias diviſa. *ibid.* Ejus Reformatio quando, & ſub quo Magiſtro Generali contigit. *ibid.*

Diſcalceatorum B. V. Mariæ de Mercede quando exortus. *ibid.* Quot numerat Provincias. *ibid.* Monialium Monaſteria plura in Hiſpania poſſidet. *ibid.*

P.

PAlatium Regis Aragoniæ ante conditum primum Monaſterium inhabitabat Ordo B. V. Mariæ de Mercede. 434.

Panis-ſperna Monaſterium Ord. S. Claræ ubi S. Birgitta miraculis ante, & poſt mortem conſpicua obiit. 104.

S. *Paſchaſius* Epiſcopus & Martyr Ord. B. V. Mariæ de Mercede ornamentum inſigne. 435.

Paulus III. Papa Societatem JEſu confirmavit, eique S. Ignatium primum Generalem præpoſuit approbatâ ejus Regulâ. 121.

Pauperes quando excipiendi à Trinitariis. 7.

S. *Petrus Nolaſcus* quis fuerit, & à Beatiſſima Virgine admonitus de inſtituendo Ordine pro Captivis Redimendis. 433. Ordinem B. V. Mariæ de Mercede inſtituit, & quomodo. *ibid.* Ejus primi Comilitones quinam fuerint? *ibid.* Opus Redemptionis Captivorum magno fervore & fructu incepit, tum in Hiſpania, tum in Africa. 434. Totius Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Magiſter Generalis omnes ſuos Alumnos invitat ad Profeſſionem juxta Regulam S. Auguſtini emittendam. *ibid.* Celebravit primum Capitulum Generale Ordinis ſui, ubi, & quando. *ibid.* Quando factus Sacerdos, & ubi Miſſam primam celebraverit? *ibid.* & 435. Ab aliis negatur fuiſſe Sacerdos. 434. & 435.

Profeſſatus vox apud Franciſcanos uſitata pro Seminario FF. Juniorum Profeſſorum. 301.

Profeſſio Tertiariorum S. Franciſci Paulani. 99.

Protector Ord. B. V. Mariæ de Mercede Rex Aragoniæ. 434.

R.

RAſuram apud Trinitar. quomodo faciant. 1.

Raymundus de Pennafort S. Petri Nolaſci in Ord. Redemptionis Captivorum adjutor. 433. Sanctus S. Petri Nolaſci Confeſſarius. 434. Ejus Statuta obſervabat Ord. B. V. Mariæ de Mercede ante aliam Regulam conditam. *ibid.*

S. *Raymundus* Nonnatus primus Procurator Generalis Ord. B. V. Mariæ de Mercede. *ibid.* S. Faſtis adſcriptus. 436.

Redemptio Captivorum eſt ſcopus Ord. Trinit. 1. Ejus Captivorum B. V. Mariæ de Mercede Ordo quando exortus. 433. Captivorum B. V. Mariæ de Mercede opus feliciter ſuccedit. 434.

Reformati S. Franciſci Seraphici cur ſic dicti & quomodo diſtinguendi à Conventualibus. 293.

Reformatio Ordinis B. V. Mariæ de Mercede quando contigit. 436.

Regimen totius Ord. B. V. Mariæ de Mercede ab ejus primainſtitutione quonſque duravit penes. Equites. 435.

Regulas quatuor ſcripſit S. Franciſcus Seraphicus. 21.

Regula S. *Franciſci Seraphici* prima à pag. 22. uſque ad 30. Secunda à 30. uſque ad 34. incluſivè.

Regula prima *Clariſſarum* à 34. uſque ad 38. incluſivè.

Tertiariorum à 39. uſque ad. 42. incluſivè. Eorum non obligat ſub peccato mortali. 42.

S. *Hieronymi* quæ & qualis ſit. 43. Ejus à Lupo Oliveto collectæ approbatio. *ibid.* Ipſa S. Hieronymi à Lupo edita exhibetur à 45. uſque ad 84. excluſivè.

S. *Franciſci Paulani* à quibus approbata. 84. & 85. Quarum votum de perpetua abſtinentia quadrageſimali. 85. Ipſa habetur. *ibid.* & 90. incluſivè. Ejus ad Moniales Paulanas habetur. 91. & 95. incluſive

S. *Ignatii* pro Societate JEſu confirmatæ à Paulo III. Papa 121. Nuda quidem, ſed authentica à 122. uſque ad. 192.

Primaria *Carmelitarum* ſuppoſititia & falſò tributa Joanni Patriarchæ Hieroſolymitano. 18. Ejus verus Auctor quis. 19. Carmelitarum habetur. *ibid.* & 20.

FF. Trinitariorum quando & à quo approbata. 2. Tam primaria, quam mitigata integrè habetur à 3. uſque ad. 11. incluſivè.

Tertiariorum S. Franciſci Paulani. 96.

S. *Auguſtini* prima, ſub ea confirmatus fuit Ordo S. Birgittæ. 103.

S. *Salvatoris* MSC. ab Urbano VI. approbata, diverſa ab ea, quæ impreſſa eſt. 103.

S. *Auguſtini* data Ord. B. V. Mariæ de Mercede. 434.

S. *Salvatoris* pro Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbata à 107. uſque ad 116.

Revelatio B. V. Mariæ de inſtituendo Ordine Redemptionis Captivorum. 433.

Romæ Inſigne Hoſpitale pro Natione Suecia, ejus hiſtoria. 106. Inſtrumentum ejus fundationis Religioſæ S. Birgittæ de Re-Collectione Valladolidi in Hiſpania. *ibid.* Conſtitutiones pro Regimine ejusdem Hoſpitalis. 116. 117. 118. 119. & 120.

S.

SCandala Trinitar. quando punienda. 8.

Schiſma in Ord. B. V. Mariæ de Mercede. 435.

Scotia 3. Miniſteria Trinitar. numerabar. 2.

Scotia 3. Monaſteria Ord. Vallis Caulium numerabat. 12.

Signum Crucis Trinitar. in habitu. 5.

Silentium qualiter obſervent Trinitarii. 7.

Sion

Sion Cœnobium S. Salvatoris in Anglia unicum, ſed poſt Waſtenenſe præcipuum ſub Eliſabetha uſurpatrice ſuppreſſum, Lisbonam Virgines ſacræ confugerunt, ubi etiamnum florent. 105.

Societatis JEſu Fundator S. Ignatius. 121. Inſtituti ſcopus & finis. *ibid.* Vota quatuor. *ibid.* Conſtitutiones ubi, & quando primùm impreſſæ. *ibid.* Quæ variis Declarationibus Summorum Pontificum, & Capitulorum ſuorum Generalium illuſtratæ & auctæ ſimul impreſſæ habentur. *ibid.*

Somaſchæ Congregationis ortus & propagatio. 197. & 198.

Speculum Statûs Religionis Franciſcanæ eſt Titulus Libri à Generali Conventualium S. Franciſci editi. 294.

Statuta B. Raymundus de Pennafort præſcripſit Ord. B. V. Mariæ de Mercede. 434.

Suſcipiendi à Trinitariis 20. annorum ſint. 10.

T.

TErtiariorum S. Franciſci Seraphici Regula à 39. uſque ad 42. incluſivè. Quomodo ad Ord. aſpirantes examinandi. 39. Eorum habitus qualis debeat eſſe. *ibid.* Quænam iis prohibeantur. 40. Quomodo Horas Canonicas orent. *ibid.* Teſtamentum condere debent qui de jure poſſunt. 41. Eorum Regula ad culpam mortalem non obligat. 42. . S. Franciſci Paulani Regula. 96. Profeſſionis Formula 99.

Theatinis al quando ſubjecta Congregatio Somaſchæ quando ab ipſis iterum divulſa. 198.

Trinitarii 13. diſtiocta habebant Miniſteria in Scotia. 2. Eorum Bona in 3. partes diſtribuenda, & quare. 1. 2. & 3. Eorum Monaſteria vocantur Miniſteria & quare. *ibid.* Eorum Ordo quando inſtitutus. 2. Eorum Regula quando, & à quo approbata. *ibid.* Quæ tam primaria, quàm mitigata exhibetur à 3. uſque ad. 11. incluſivè. Eorum Profeſſi, quibus de cauſis poſſint dimitti ex Domo Profeſſionis. 3. Eorum tertia pars bonorum pro Captivis redimendis applicanda. *ibid.* Eorum Eccleſiæ omnes SSS. Trinitati dedicandæ & qualiter ædificandæ. 4. Eorum veſtimenta qualia. 5. Braccas dormientes non exuunt. *ibid.* Eorum Inſtitutum eſt admirandæ Charitatis erga proximos Captivos. 1. Quomodo dormiant. 5. Eorum Superiores *Miniſtri* vocantur. *ibid.* Veſtiti dormiant domi, foriſque. *ibid.* Eis equitare permittitur. *ibid.* Eorum jejunia deſcribunt. *ibid.* Quando iis liceat carnibus veſci. *ibid.* Eorum Eleemoſynæ in itinere acquiſitæ ſequeſtrandæ pro Captivis. 6. Itinerantes per loca, ubi habent domicilia propria qualiter vivere debeanr. *ibid.* In tabernis non habitent. *ibid.* Infirmi quomodo tractandi. *ibid.* & 7. Eorum cura erga hoſpites & pauperes qualis. *ibid.* Lauta cibaria non præſtent hoſpitibus. *ibid.* Eorum ſilentium quale. *ibid* Eorum converſatio qualis. *ibid.* Capirulum ſingulis Dominicis habeant. *ibid.* Eorum Miniſtrorum officium quale. 9. Eorum Novitii quomodo ſuſcipiendi, & ad Profeſſionem admittendi. 10.

V.

VAlladolidi in Hiſpania Religioſæ S. Brigittæ de Recollectione. 106.

Vallis Caulium Cœnobium ubi ſitum, & unde denotatum, & ubi ſit ejus origo. 11. Monachi S. Benedicti Regulam obſervabant. 12. Ordo per Galiias aliasque Provincias latè propagatus 3. Monaſteria quoque in Scotia habuit. *ibid.* Prioris Generalis Jurisdictio eſt in totum Ordinem ſuum. *ibid.* Conſtitutiones antiquæ à 13. uſque ad. 18.

B. *Victoris* mos & Regula obſervetur in Horis Canonicis & raſura FF. à Trinitariis. 11.

Vinum ita temperandum, ut ſobriè ſumi valeat. 5.

Vion (Arnoldus) profert formulam Profeſſionis Equitum de Manteſa. 435.

Vita activa ſimul & contemplativa in Ord. B. V. Mariæ de Mercede. 434.

Vota Soc. JEſu quatuor. 121.

Votum quartum tribus ordinariis ſuperadditum in Ord. Redemptionis Captivorum B. V. Mariæ de Mercede obſervandum. 433.

U.

URbani VIII. Bulla Confirmatoria Conſtitutionum FF. Minorum. 296.

W.

WAddingus & Gonzaga Annaliſtæ Ord. Conventualium & Reformatorum S. Franciſci. 294.

Wulpho Maritus S. Birgittæ inter Ciſtercienſes moritur. 100. Vatzſten ſeu Vaſtenenſe Cœnobium ſui Ordinis primum fundavit. 101. Poſt mortem S. Birgittæ totius Ordinis Monaſterium Principale evaſit. 104. Poſt mortem Joan. III. Regis invaleſcente hæreſi Lutherana expulſi ſunt ex eo ſimul, & tota Suecia. *ibid.* & 105.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google